STEPHANI BLANCARDI

LEXICON MEDICVM TRIPERTITVM,

RENOVATVM,

IN QVO ARTIS MEDICAE TERMINI, IN
ANATOME, CHIRVRGIA, PHARMACIA,
CHYMIA, RE BOTANICA, ETC.
VSITATI, DILVCIDE ET BREVITER EXPONVNTVR.

HISCE ADIVNGITVR GRAECARVM VOCVM ETYMOLOGIA,
TVM EARVM BELGICA, GERMANICA, GALLICA,
ANGLICA, ETC. INTERPRETATIO, CVM
INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS.

EDITIO NOVISSIMA,

CVI, QVAE NOVITER INVENTA, AVT NVNC RECTIVS
COGNITA SVNT,
ADDIDIT ET INTERIECIT
D. IACOBVS FRIDERICVS ISENFLAMM,

SERENN. MARGGR. BRANDENB. ONOLD. ET CVLMBAC. CONSIL. AVLICVS,
IN ACAD. FRIDER. ALEXANDR. ERLANG. MEDIC. ET ANAT. PROF.
PVBL. ORD. ACAD. IMPER. NATVR. CVRIOS. COLLEGA.

BIBL. V.B.M. ACADEM. DORPATENS.

VOL. I.
A — M.

CVM GRATIOSISSIMIS PRIVILEGIIS S. CAES. MAIEST. ET SER. ELECT. SAX.

LIPSIAE,
SVMTIBVS ENG. BENI. SCHWICKERTI CIↃ IↃ CCLXXVII.

Nulla res conſummata eſt, dum incipit, et etiamſi omnia a veteribus inuenta ſunt, hoc ſemper nouum erit, vſus et inuentorum ab aliis ſcientia et diſpoſitio.

SENECA.

4 - V 5
Tartu [illegible] kooli
Raa[illegible]
22

LECTORI BENEVOLO

IACOBVS FRIDERICVS ISENFLAMM.

S.

Non eſt, LECTOR BENEVOLE, quod multus ſim in laudibus BLANCARDI, eiusque in conſcribendo Lexico ſuo meritorum, aut in ipſius ſui laboris exponenda praeſtantia. Eſt hic liber inter ſcripta medica notiſſimus, nec forte vlla, vtut parum numeroſa inuenietur librorum medicorum ſupellex, in qua BLANCARDI LEXICON MEDICVM deſideretur. Commodum ſcilicet, volupe atque perutile eſt medicinae tironibus, ſcripta ad artem ſalutarem pertinentia euolventibus, ſi forte in terminum minus ſibi perſpicuum incidant, praeſto eſſe librum, in quo illico absque diuturno et moleſto labore, eam rei ignotae inueniant explicationem atque deſcriptionem, quae lectorem nec obſcura breuitate dubium relinquat, nec vaſta prolixitate obruat, librum, inquam, qui nihil non, quod ad res ſuas pertineat, ſuppeditet, neque tamen ſimul inani rerum a ſcientia medica remotiſſimarum copia turgeat. Hoc cum ſe nomine cumprimis BLANCARDI labor eximius commendaret omnibus, fieri non potuit, quin bene multae eius ſucceſſiue prodirent variis in locis editiones, vel recuſae ſaltem, vel et multis additionibus atque articulis locupletatae, quas omnes recenſere nunc, et, quid in ſingulis praeſtitum additumque ſit, diiudicare, intempeſtiuum arbitror atque a ſcopo meo alie-

num. Manet ſingulas laus ſua, eſt ſingulis ſua praeſtantia, diuerſa tamen pro diuerſis, quae praecipue editoribus curae fuerunt, momentis, et quibus maxime Lectoribus, aut prodeſſe, aut placere poſſe putarent; dum ſcilicet alii inprimis etymologiae ipſique nominum origini inſiſterent, alii magis in rectam nominum enunciationem et proſodiam, prolixiſſima ſaepe variorum collatione inquirerent, eamque conſtituerent, alii rurſus id curarent, vt, praemiſſis nominibus latinis atque graecis, celebriorum Europae linguarum denominationes quam exactiſſime adderentur, exterisque ſic et patrio ſuo idiomate res indicarentur, alii denique, quae ſuo tempore aut nouiſſima eſſent, aut maxime notatu digna viderentur, adderent. Abſolutum ſic ex omni parte ſatisque ornatum BLANCARDI LEXICON videri poſſet, cum, quod in altera editione deſideres, in altera reperias, nec eſſe, cur noua editione ſcriptorum medicorum, quorum aliunde ſat ferax eſt aeuum noſtrum, augeatur numerus. Non praeceps hoc ab aequo Lectore extimeſco iudicium, quae a partibus noſtris ſtant rationes, recte trutinante. Non enim ſolum praecedentes editiones, vtut ſatis numeroſae, ob ipſius libri vtilitatem, ſic ſe tironibus commendarunt, ſic ab iis expetitae ſunt, vt iam paſſim in bibliopoliis eam, quam deſideres, editionem reperire haud adeo facile ſit; non vrgeo, iucundius longe eſſe ea in vno eodemque libro coniuncta vno inuenire intuitu, quae in pluribus editionibus diſperſa, non ſine taedio conquirenda eſſent; verum iam ipſam hiſtoriam naturalem, eiusque partem, Medicinam ſcilicet, reſpicio. Quae in omnibus eruditionis humanae partibus diem docet, dies, ſane et quotidie ſcientiam medicam reddit locupletiorem, nec fere dies,

ſaltem non annus, abit, quin linea ducta ſuperſit. Allicit cumprimis noſtro tempore hiſtoriae naturalis ſtudium ſuauitate ſua viros eximios: rimantur hi abdita naturae, quae in ima tellure, quae in fundo ſali, quae in denſiſſimis ſyluarum reconduntur tenebris, protrahunt, et vel armatorum oculorum, vel ignis omnia repagula pandentis examini ſubiiciunt, altius ſic in indolem detecti nouiter corporis penetraturi. Non ſatiat eruditorum ſolertiam rei inuentae raritas, non reperta qualitas, verum eos ad inueſtigandum incitat, quid inde emolumenti rebus humanis, quid Medicinae, quid oeconomiae accedere poſſit. Semper ſic ex Indiis aliquid noui, ſaepe aliquid vtilis rei medicae accreſcit; quae Natura benefica incolis euporiſta obtulit, ſic et nobis in dies magis innoteſcunt, cumque optimis rebus noſtris paſſim iam adhibentur. Sed et qualitates exactius noſſe quotidianum docet ſcrutinium, pluriumque de laudibus detrahit, quibus immerito haud ita pridem extollebantur. Conſtans ſic eſt in varietate Materia Medica, amplior mox in vna, parcior in altera parte. Imperſcrutabilis eſt machina corpus humanum, inexhauſta nouiter inueniendorum, aut accuratius cognoſcendorum ſcaturigo. Sudant et algent quotidie inciſores dexterrimi, fabricam partium ſubtilius euoluentes, ſubſtantiam exactius inueſtigantes, ſic rem anatomicam et nouis et rectioribus inuentis ditantes. Foecundum ſie ſaeculum noſtrum nemo mirabitur, cuius vix annus, nedum luſtrum, praeterlabatur, quod non nouo quodam inuento ad rem medicam pertinente inſignitum ſit. Cuncta haec ignorare Medicum ſummopere dedecet. Acerbe interdum ſui contemtum nouiter inuenta vindicant, vixque nunc ſine detrimento ea ignoraret medi-

cus, quae ante pauca adhuc lustra forte tranquille ignorasset. De nouis hic deque nouissimis loquor, quae frustra quis in omnibus, quae hucusque prodiere, BLANCARDIANI operis editionibus quaereret. Quid ergo, si id opus commendatissimum semper omnibus nunc sic prodiret, vt, additis iis, quae nouissime inuenta, aut ab hoc tempore rectius cognita sunt, eo tironibus fieret vtilius? Cogitauit secum de hac re Vir Eximius SCHWIKERT, Bibliopola Lipsiensis, plurium bonorum librorum editione de orbe litterario bene meritus, nec ingratum fore Philiatris ratus est, si BLANCARDI laboribus nouissimorum explicationes interspersas inuenirent. Litteris ad me datis, quid sibi in animo sit, explicat, et, vt hunc in me laborem suscipiam, a me desiderat. Non mihi huius facilitatem persuadens, anceps sat diu haesi, praeuidens illico, me improuisis in ipso labore affectum iri difficultatibus, maximamque mihi cautionem fore adhibendam, tum in materiarum delectu limitibusque constituendis, tum ne omni quouis labore tandem opus magis centonarium quam iucunde locupletatum videretur. Animum tamen mihi addidit tum spes, fore, vt, Lexico hoc quocunque modo aucto, semper aliquid vtilitatis medicinae tironibus accedat, vel vt etiam scientiae medicae expertes, si, quorum explicationem optent, eam et succinctam et perspicuam non sine delectatione inueniant, tum fontium, e quibus addenda haustūrus essem, puritas, dum nil prorsus inferere constitui, nisi quod aut summorum nostri aeui Virorum niteretur autoritate, aut cuius sensus ipsi et exactissimae obseruationes euincerent certitudinem. Verum sic iam ipsi labori manum admouens incidi statim in eas, quas praeuideram, difficultates, de consilio ineundo

dubius. Attente enim BLANCARDVM perlegens, commodum addendis locum inuenturus, plura inueni, quorum aliquam mutationem non tempestiuam solum et Lectoribus gratam, verum maxime necessariam, ratus sum. Quis sic Botanicorum nunc aeque ferat, *Acetosellam* dici minorem *Acetosae* speciem, quippe et classe et ordine et genere ab hac diuersam. Multa huiusmodi cum mihi, opus Blancardianum peruoluenti, plurimasque editiones conferenti, obuenirent, de cunctis illis sic immutandis subiit animum cogitatio, vt essent ei, quo hodie omnia exactissime distinguuntur, sermoni magis accommodata, aut ad rem ipsam, si rectius cognita esset, magis accedentia, sicque Philiatris opus commendatius atque vtilius, quippe quorum, non quae BLANCARDVS, Vir caeterum bene meritus, diceret, sed quae recte dicta essent, quaeue scire desiderarent, scire interesset. Beneuolo hinc Lectori hanc editionem nostram cum prioribus omnibus conferenti non voluminis solum augmentum ingentem iam accessionum numerum indicat, verum et plures se passim offerent articuli, aliis longe, quam BLANCARDI, verbis dicti, saepe amplius explicati, interdum, si quae prolixiora viderentur, magis concisi. Possent tamen quibusdam minus probari conatus nostri, at simul diuersissima et contraria esse, quae reprehenderent, momenta. Iniquus forte videor nonnullis in manes atque laborem BLANCARDI, qui indulgente sibi manu largiter passim eius verba expunxi, substitui alia, aut ea saepe interspersi, quae a mente autoris forte essent remotissima; aliis forte minus me meo satisfeciſſe videor consilio, vt, qui multis iam in locis pristinum sermonem immutans, non id fecerim in longe pluribus, in quibus quaedam adhuc non intempestiua fuisset

iam vlterior explicatio,aut,qui tantum interiiciens articulorum numerum, non eundem vt fieri potuisset, duplo, vel triplo, auxerim, quo nil sic nobis offerret Natura, cuius in hoc opere desideraretur descriptio. Vtramque me reprehensionem aptius remoturum non spero, nisi vbi clare, quae fuerit in hoc labore instituti mei ratio, exposuero, quo sic aequus Lector, quantum et huic et sibi satis fecerim, diiudicet. Non eruditis, sed erudiendis atque Medicinae tironibus, aut etiam rerum medicarum expertibus, dicatum volui hoc opus, hinc sic mihi versandum esse facile cognovi, sicque temporibus nostris laborem BLANCARDI accommodandum, vt nil,quod nunc ad res medicas pertinet, quodue distincte cognoscere Lectores exoptare possent, non contineret, ita tamen in biuio collocandum, vt nec ad sterilem nomenclaturam, nec ad vastissimum opus, accederet propius. *Medicum* et dixit et esse voluit *Lexicon* suum BLANCARDVS, hinc et in his saltem additionibus meis subsistendum mihi ratus sum, quae proprie ad rem medicam facerent, nec ex botanica, aut vniuersa historia naturali, ea omnia inferenda, quae tria nobis naturae regna offerrent. Pauca hinc, aut vix vlla, de plantis, mineris, conchyliis, insectis aliisque animalibus inueniuntur, quae solum conquirit nouitatis et raritatis studium, asseruat et intuetur curiositas. Aliena sic mihi fuere, quae aliena a Materia medica. At ne hic quidem delectus adeo facilis, non aeque latus omnium et singulorum vsus est et medicus et cibarius. Plura in Indiis, plura in quibusdam regnis Europae, in vsum medicum adhibentur, quae nobis vix adhuc satis cognita, vix adhuc, aut raro, vsualia. Sed et de his pauca interieci, plura de illis, quae nouiter iam in plerasque officinas introducta sunt. Plantas quidem, quae a longiori iam tempore in pharmacopolia receptae sunt, descriptas in prioribus editionibus reperio, at sic, vt plurimis hae descriptiones mihi egere viderentur additionibus. Solis quidem et plerumque saltem TOVRNEFORTII sub nominibus adlatas plantas sic describit BLANCARDVS, vt quadret vel in totum genus, vel in vnam saltem speciem descriptio, quam ergo sic vbique immutaui, vt descripto generi species aut maxime frequentes, aut officinales, exacte secundum characteres et nomina synonyma celebriorum botanicorum distinctas subiicerem, additis qualitatibus viribusque medicis. Eadem et in fossilibus mihi lex fuit, operamque dedi, vt cognoscendum esset Lectori genus, facileque, si diuersae essent, dignoscendae species, quas Medici sibi in vsum vindicant. Me in Physiologicis et Anatomicis multa aliter dicentem, plura addentem, fulcit summorum virorum autoritas, recentissimumque inuentum; quae de meis passim interieci, maxima curaui opera, vt non nisi talia essent, quorum me iterata saepius atque attenta docuisset obseruatio certitudinem. Morborum descriptiones sic ad limam reuocaui, vt adessent omnia, quae ad eorum exactam pertinerent diagnosin, pauciſſima interdum de aetiologia dicerentur, quae ad methodum medendi pertinerent, omitterentur penitus. Infelix mihi videtur et infirmus et medicus, quorum alteruter, medelam quaerens et remedia, iam ad Lexicon confugit. Tanta iam etsi mihi in alieno labore mutando vna ex parte licere credidi, caui tamen altera ex parte, vt, ni arduae essent causſae, lectoribusque probatae, non iusto longius meus a BLANCARDIANO labor recederet. Prolixas interdum descriptiones anatomicas in posterioribus editionibus additas,

si rem satis dilucidarent, reliqui, nec saepe, quae critica, aut philologica, interspersa essent, ni adeo viderentur diffusa, a scientia medica aliena, et facile indice prosodico supplenda, qualia in editione B. SCHVLZII non pauca inueniuntur, tetigi, et inuitus saepe, ne nimium mutarem, ordinem vtut nominum minus vsitatorum secutus sum. Maluissem sic ex. gr. *Callicreas* sub *Pancreatis*, *Sphondylos* sub *Vertebrarum*, *Careum* sub *Carui* nomine describi. Sic et in articulis sub specifico, non generico nomine, *Gummi*, *Resinae*, *Corticis*, *Radicis*, *Lapidis*, *Musculi*, etc. adferendis BLANCARDI pressi vestigia, non id magis, vel minus, Lectori placiturum ratus, vbicunque rem descriptam inuenerit. Quae non sine admiratione quibusdam in editionibus reperi, nil prorsus ad medicinam pertinentia, vt *Aceruus*, *Categoria*, etc. expunxi illico.

En ergo TIBI, LECTOR BENEVOLE, Blancardianum Lexicon recusum, ad limam reuocatum, atque multis locupletatum, sed talibus, quae, vt sperare iuuat, eo TIBI erunt gratiora, quo ipsa certiora sunt, aut sua se nouitate commendant. Improbo enim labore cum mihi ingens nouissimorum optimorumque scriptorum numerus pervoluendus esset, caui sedulo, ne, quidquid nouiter, aut aliter diceretur, arriperem illico, verum sollicite, quis esset, qui me doceret, attendi, non nisi summos quosque in scientia sua viros secuturus. Horum in commodum meum vtens inuentis atque instructione, non tamen nisi iniuste, plagii incurrere possem reprehensionem, licet ipsissima saepe eorum verba, rem quippe exhaurientia, mea fecerim, Lectori instrui cupido sic satisfacturus optime. Quis enim inimitabilem HALLERI, LINNAEI, SAVVAGESII, Virorum Illustrium in brevitate claritatem feliciter imitetur, quis felicius superet? Saepe et primis litteris autorem ipsum indicaui. Compilatitium sic totum meum laborem si dixerit censoris asperitas, largirer facile, ni quid acerbi et ingrati in verbo lateret. Est fere natura huiusmodi operis compilatitium esse: nec enim hic, nisi quae legi, dicere, nisi quae doctus ipse sum, docere possum, nec Lectoribus, quae de singulis optima quaeque sparsim dicta sunt, hic collecta inuenire iniucundum esse potest. Minime tamen reticere possum, amicum quendam Lipsiensem, cuius potissimum consilio hic labor mihi delatus est, monitis suis amico mihi adfuisse auxilio, qui quoque Indicum et emendationis sphalmatum typographicorum curam in se suscepit. Tu interim, LECTOR BENEVOLE, renouatum sic BLANCARDI LEXICON accipe, in TVVM eo vtere oblectamentum, vel commodum, laborem nostrum pro TVA aequitate diiudica, nostrisque conatibus faue. Vale. Scrib. in Academia Friderico-Alexandrina Erlangensi Ipsis Idibus Aprilis. A. R. S. CIↃIↃCCLXXVI.

[Pretium huius Voluminis in omnibus tabernis librariis est vnius Ioachimici et sedecim grossorum. Chartae scribariae, vt vocant, impressi duorum Ioachimicorum.]

PRAEFATIO
AVCTORIS.

L. S.

Vetus opinio eſt, iam inde ab Heroicis ducta temporibus, nihil hodie dici, quod non dictum ſit prius. Huius ſcilicet auctores minime praeſagiebant, venturum tempus, quo iſta, quae tunc latebant, clareſcerent; venturos dies, quibus nos, tam aperta neſciſſe maiores, miraremur. Cunctis enim rebus ineſt quidam velut orbis, vt, ſicuti coeleſtia ſidera, ita ſcientiarum vertantur: nec omnia apud antiquos optima; nec apud omnes ſtatim gratiam, fidem, auctoritatem inueniunt, quae ſola ratione et obſeruationibus ponderantur. Si hanc ſapientes viam tenuiſſent, et ſemper maiorum intra terminos ſubſiſterent; demerſa adhuc tenebris lateret veritas: noua artium lumina minime lucerent. ARCHIMEDEM *mirata eſt antiquitas, quum illius ingenio Syracuſae defenderentur. Nec* DEMETRIVS, *ob repertam machinam, minore gloria fuit, et famam in poſteros praemium transmiſit. Noſtra vero aetas, vt iſta magnifice exornauit, ſic et artes nouas eduxit, ad quas priorum nunquam induſtria penetrauerat. Quis tormenta neſcit bellica; quanto vel balliſtis concitatiore, vel catapultis rapidiore impetu feruntur?*

Quis neſcit, nauigandi peritia, cum Belgae in arma truderentur, contabulatum claſſibus mare? repertas Inſulas? reſeratis Indiae clauſtra? maximam occidui orbis partem, priſcis ignoratam, noſtris ingenti commodo cognitam fuiſſe? Quid artem loquar Typographicam, diuinarum humanarumque rerum propagatricem? quid Medicinam? quae per diuerſos temporum orbes, velut gradibus proceſſibusque aucta, dum priorum inuentis noua adiicit poſteritas, aut fluxas rationes caute ludificatur, robuſta maturitate in eam, qua hodie eſt, magnitudinem enauigauit. Multa adhuc ſacro inuolucro tecta iacent, et fas eſt mortalibus omnia, rationi congrua, inquirere; multa admirari, imo et venerari, debemus: nam arcanis proxima inueſtiganda non ſunt. Maximus inter Aeſculapii limites; ſingulae artes ſua habent addenda, et quae late ſpatiari videntur, a ſuperfluis mundandae. Atque iſta de noſtris hauſta fontibus, ac mox vbiuis deriuata, haud leue compendium humano generi attulerunt. Quisquis mentis valens acumine, blanditiis voluptatum ſocordiaue non irretitur, ſed ad artis medicae contemplationem tempus ſumet, poterit eandem cum veteribus orbitam terere, eorumque opibus adiutus, ampliſſima arti conferre incrementa, et abſtruſarum rerum addere prouentum. Quocirca abhinc annis variis, quum, adducto per meditationem animo, deprehendiſſem plurima in Medicis turbide adeo tradita, vt, quid ſequendum declinandumue ambigerem; id negotii credidi mihi dari, quodcunque vel alii repererant, vel ipſe obſerua-

ueram, in commune breuiter conferrem. Hinc prodierunt Opera noſtra Theoretica et Practica, vti et Anatomes libri noui, a veterum placitis immenſum diſcrepantes. Quae prouincia licet perardua, ſpretis tamen malorum obtrectationibus, eam ſubire generoſum duxi. Ex hoc genere videtis eſſe quoque Lexicon hoc, recens, ceu clauem artis, ex inuentis praecipue iuniorum comportatum. Nam quae EROTIANVS, GALENVS, *et inter recentes* GORAEVS, FOESIVS, CASTELLVS, *tractauerunt, ea ſuis auctoribus ſic addicta, vt vix latum vnguem discedere erubeſcant. Id priuatis vſibus ſeruiit aliquamdiu, donec ſuaſu, an imperio, aliorum publicatur. Si ſummam in eo perfectionem non aſſecutus, ſi operarum in Graecis* Παροράματα, *haec humanae fragilitati, vel incuriae, donate. Satis amplum praemium feram, ſi Lectoribus haud ingratum accidat; quod in veſtros ſinus, deterſo vanae adulationis fuco, ingenua deuotione confertur. Valete.*

Amſtelaedami
MDCCII.

LEXICON MEDICVM.

A.

A ſiue a, ſiue aa, vide *Ana.*
Aaa, vide *Amalgama.*

ABAPTISTON, videatur *Modiolus*, deriuatur ab α priv. et βαπτίζω, immergo, quia immergi non poteſt. Eſt autem nomen adiectiuum, et ſubintelligitur τρύπανον, quod nunc vulgo vocatur *Trepanum.*

ABARTICVLATIO, vide *Diarthroſis.*

ABDOMEN, *Iuuenali Sumen*, *Aqualiculus.* Eſt Venter infimus, Hepar, Lienem, Ventriculum, Pancreas, Inteſtina, etc. continens, qui ſuperius cartilagine enſiformi, ad latera coſtis ſpuriis, interius ſepto transuerſo, inferius autem oſſibus pubis circumſcribitur. Intus membrana, *Peritonaeum* dicta, ſuccingitur: anterius in Epigaſtrium, Hypochondrium dextrum et ſiniſtrum, Vmbilicumque diuiditur: inferior regio Hypogaſtrii nomine venit. Nomen accepiſſe videtur, quod abdit, ſeu abſcondit viſcera. - Latiori ſenſu tertiam corporis cauitatem denotat, atque, praeter viſcera chylopoea, renes quoque, vreteres, veſicam, partesque generationis internas vtriusque ſexus continet; vide *Cauitates.* Graecis ὑπογάστριον, λαπάρα, ὑποχόλιον. B. *Onderbuik.* G. der Unterbauch, Schmeerbauch. Ga. *Le bas ventre. Ventre inferieur.* A. *The belly, or panch.*

ABDVCTIO eſt fracturae ſpecies, quando os prope iuncturam ea ratione diuiſum eſt, vt extremitates fracti oſſis a ſe mutuo recedant.

ABDVCENS NERVVS, ſiue ſextum par, *timidum* dictum, oritur a margine inferiore proceſſus annularis, et tendit in muſculum abductorium oculi, ſeu rectum externum: altero vero ramo vtrimque cum ramo paris quinti, originem Nerui Intercoſtalis, ſeu Sympathici magni, conſtituit.

ABDVCTORES MVSCVLI, ſunt illi, qui brachium, crus, oculos etc. abducunt, quorum oppoſiti, *Adductores* dicun-

tur. B. *Afhalende Spieren.* G. Hinwegführende Mäuslein. Ga. *Les muſcles abducteurs.* A. *The extending muſcles.*

ABELMOSCH: Semen eſt Belmoſchi Aegyptiaci, e genere Hibiſci puſillum, reniforme, vmbilico albicante, parallelis ſulcis ſtriatum, colore extus griſeo, intus albo, odorem moſchi ſpirans. Vox arabica, compoſita ex *Habb*, granum, et *elmoſch*, *muſci*, ſ. *moſchi*, quaſi granum moſchatum dicas, quod ſit moſchus Arabum; hi enim ſemen pulueriſatum potui Coffee pro gratia addunt. Ga. *Ambrette* ou *graine muſquée.* G. Abelmoſch, Bieſamkörner.

ABIES, *Pinus Linn.* (Monoecia Monadelp. et quidem ſpecies, quam *Abies* triuiali nomine vocat) eſt arbor ſemper virens, alte excreſcens, qui inprimis montibus gaudet ſaxoſis; cortex eius politus, reſinoſus, praeſertim in regionibus calidis, albeſcens, folia habet longa, Taxi ſimilia, ſparſim ſolitaria in ramis; flos mas, amentaceus, apiculis conſtans vno loco; fructus naſcitur alio loco inter foliola, ſquamatim ſpicam formantia, eſtque fructus ſquamoſus, ſtrobilus, vel conus dictus, Gr. Ἐλάτη dici putatur, quod arbor altius excreſcat, quam caeterae arbores. Vocatur etiam *Sapinus.* Ex hac educitur Terebinthina, quae Abiegna, vel Abietina dicitur, eſtque duplex, ſicca, vel liquida. B. *Denneboom, Maſtboom.* G. Tannenbaum, Tanne, Edel- oder Weißtanne. Ga. *Sapin à feuilles d'If.* A. *The ſiluerleaued Fir-tree.*

ABIGA HEBBA, ab abigendo partu: vel quod eius folia abieti ſint ſimilia: vnde et Chamaepitys dicitur. Vocatur et *Aiuga, Arthetica, Arthritica, Iua Arthetica.* Vide haec cognomina ſuis locis.

ABLACTATIO, dicitur, quando infans, annum agens vnum, aut alterum, dum aliis alimentis capiendis et digerendis eſt idoneus, a lactatione arcetur. Gr. Ἀπογαλακτισμὸς. B. *Speeningen, ſpeenen.* G. Entwehnung. Ga. *Sevrer.* A. *The weaning.*

ABLVENTIA, vide *Abſtergentia.*

ABLVTIO, vocatur, quum partes corporis externae per balnea, vel internae, per medicamenta diluentia mundantur. Chymicis eſt, cum Medicamenta impura mediante aquae affuſione abluuntur, vt lixiuium a ſua terra; vel quando acrimonia a quauis calce aquam affundendo et decantando abluitur. B. *Een waſſinge.* G. Abwaſchung. Ga. *Lauement, Lotion.* A. *Washing or rinſing.*

ABOMASVS, in ruminantibus quatuor numerantur ventriculi; Primus dicitur *Venter*, deinde *Reticulum, Omaſus et*

Abomaſus. Gr. Ὑννέον. B. *De agterpens.* G. Der Pſalter. Ga. *La Caillette.* A. *The Red.*

ABORTIVA ſunt medicamenta, quae vterum aperiunt, foetumque et placentam expellunt: talia ſunt omnia Emmenagoga dicta, quae humorum motum incitant et ad vterum determinant; vera enim et ſpecifica abortiua et ecbolica non ſine ratione in dubium vocantur. Ga. *Remedes abortifs.*

ABORTVS, ABORSVS, ABORTIO et ABORTIVVM indiſcriminatim accipitur. Proprie autem non dicitur, niſi de embryone, qui poſt quadraginta a conceptione dies perditur. Definitur plerumque foetus immaturi ante debitum partus tempus in lucem editio, in qua tamen nonnulli Aborſum, qui primis menſibus contingit, ab Abortu, qui mediis, et a Partu praematuro, qui vltimis geſtationis menſibus accidit, exactius diſtinguunt. Cauſae ſunt vel in matre, vel in foetu. In genere ſunt omnes cauſae, quae Placentam ab vtero ſoluunt; hinc omnes nimii motus, ſiue a mente, ſiue a corpore producti, plethora, debilitas, conuulſiones, caſus, alui fluxus vehemens, purgantia aſſumta, etc., vteri mala conformatio, vel ſtatus morboſus, foetus ſi aegrotat, vel mortuus eſt; etc. Foetus abortiuus *Sueton.* Abortus *Cic.* Exterricinius *Feſto*, huius generis eſt, quaſi matre exterrita ante tempus natus. Ἠλιτόμενον Graeci dicunt. Ἔκτρωμα, Ἔκβολον. *Eurip.* Κύημα ἀνεμιαῖον, Ἄμβλωμα, Ἀμβλωσμὸς *Hipp.* Ἀποφθορὰ *Eid.* Ἀμβλωθρίδιον. Ἄμβλωσις, Ἔκτρωσις, Ἐκτρωσμὸς *Ariſtot.* Ἐξάμβλωμα. B. *Misval, Misdragt, Misbaaring, Manvrugt, Miskraam.* G. Eine unzeitige Geburt. Ga. *Avortement, Fauſſe-couche.* A. *An vntimely birth, an Abortion.*

ABRACADABRA, proprie Syriorum Idolum, verbum eſt, quod phantaſtico quodam more ſcriptum, et filamento lineo de collo ſuſpenſum, quoſcunque morbos, inprimis vero febrem hemitritaeam et quartanam, ſanare poſſe, olim credebatur.

ABRASA, Ἀποδέρματα Graecis dicta, ſunt vlcera, quae mollem et ſuſpenſam habent cuticulam: Vel eſt quoque locus deſquamatus, et fruſtulum in vlceribus, a partis vlceratae ſubſtantia abraſum. Ga. *Ulcerations, Ecorchures.* A. *Excoriated parts.* G. Aufgeriebene Stellen.

ABRASIO INTESTINORVM eſt vlceratio partium ſuperficiariarum in inteſtinis, qua earundem partium ramenta educuntur vna cum foecibus. Ga. *Ulceration des inteſtins.* A. *a Shaving or excoriation of the Inteſtines.*

ABROTANVM, eſt vox origine Graeca, διὰ τὸ πρὸς ὕψιν

φαίνεσθαι ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν, quod aſpectu ſit molle et tenerum, vel dicitur ab Africa vrbe ad mare mediterraneum. Planta officinalis, ſeu *Abrotanum mas*, eſt gymnomonoſperma, flore compoſito; ſemine non pappoſo, foliis tenuiſſime diuiſis, odore forti, aromatico et acri: flores et ſemina referunt ſatis Abſinthium: radix lignoſa, caulis multifidus, durus, fragilis, ramoſus, medulla alba repletus. *Artemiſia Abrotanum Linn.* (Syngeneſia Polygam. ſuperfl.) Gaudet qualitate amara, nidoroſa, halituoſa, viribusque balſamicis, antacidis, tonicis, ſtomachicis, pellentibus, emmenagogis, anthelmintbicis. Proſtant in officinis Aqua, Conſerua, Oleumque deſtillatum et infuſum. *Abrotanum foemina* eſt *Santolina chamaecypariſſus Linn.* B. *Averoone, Averuit.* G. Stabwurz, Schorwurz, Eberreiß. Ga. *Aurone.* A. *Southern wood.*

Abrvs ſeu Piſum indicum coccineum, eſt Phaſeoli ſpecies, quae ex vtraque India ad nos adfertur, et in quibusdam officinis recipitur. Semina, quae tantummodo in vſu ſunt, magnitudinem Piſi maioris, vel Viciae vulgaris habent; et in morbis oculorum ſummopere commendantur. Eſt Abrus precatorius LINN. B. *Indiaanſche roode Erweten.* G. Indianiſche rothe Erbſen. Ga. *Pois rouge des Indes.* A. *Angola ſeeds.*

Abrvpte pinnata dicuntur folia, nec cirro, nec foliolo terminata.

Abscessvs, vide *Apoſtema.*

Abscissio, eſt ablatio partis mollis vitiatae, vel corruptae, ope Inſtrumenti acuti ſecantis. B. *Een afſnyding.* Ga. *Separation, coupure.* G. Abſchneiden.

Absinthivm, eſt officinalis planta, habens flores floſculoſos deorſum vergentes, caulem lignoſum, ramoſum, albeſcentem, folia incana, amara inſigniter, odoris aromatici, ſemina parua, non pappoſa: nomen Graecum ab ἄψεσθαι, id eſt, contrectando, per antiphraſin deflexerunt, quod nullum animal, ob eximiam amaritiem, hanc herbam attingat. Veteres Graeci comici ἀπένθιον quoque conformi Etymo, quaſi impotabilem dixerunt, quod hanc nemo propter inſignem amarorem bibere poſſit. Vel dicitur a populis Abſinthiis, iuxta Pontum habitantibus, vbi Abſinthium amariſſimum creſcit. Ex α priv. et πίνω, bibo: vel ex α priuatiuo, et ψίνθος, delectatio, quaſi planta, quae ob magnam amaritiem nullam delectationem praebet. *Arthemiſia Abſinthium Linn.* (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) Qualitas eius eſt amariſſima, nidoroſa, halituoſa, lactaria, vrinaria. Viribus gaudet balſa-

micis, antacidis, antiputredinoſis, anthelminthicis, ſtomachicis, hinc maxime in morbis viſcerum abdominis conducit. Proſtant in officinis Aqua deſtillata, Spiritus, ſuccus expreſſus et inſpiſſatus, Vinum abſinthites, Extractum, Eſſentia ſimplex et compoſita, Conſerua, Oleum infuſum et deſtillatum, Sal fixum et Trochiſci; alias praeterea compoſitiones ingreditur. B. *Alſt, Alſem.* G. Würmtod, Wermuth. Ga. *Aluine, Abſinthe.* A. *Wormwood.*

Absorbentia, Medicamenta ſunt ex foſſilibus, animalibus, metallicis, vel plerumque ex terreſtribus petita, quae vim poſſident acidum in corpore humano in ſe trahendi, ſibi aſſociandi et eneruandi; dum interea nullam ipſa acrimoniam habent, qua corpori nocere poſſunt, et poſt finitam cum acidis luctam ſali neutro analogum quid relinquunt, quod aluum leniter mouet; vnde aliis ſaepe praeferri ſolent, vno tamen hoc damnoſa, ſi, inerti pituita miſta, mole nocent et pondere: hinc omittenda, quum nullum acidi, quo ſolui poſſunt, indicium adeſt. Talia ſunt Cryſtall. mont. C. C. vſt. Ebur vſt. Lapides cancror. Corallia, Conchae, Mater perlar. Terrae ſigillatae, Oſſ. ſepiae, etc. Dicuntur et *Temperantia, Concentrantia* et *Saturantia*, quibus tamen omnibus non eadem plane indoles, adeo vt ſalubritate inter ſe differant. B. *Zuurbrekende middelen.* G. Die Säure zerſtörende oder abſorbirende Mittel. Gall. *Abſorbans, Remedes, qui temperent l'Aigre.* A. *Abſorbens or Abſorbing medicines.*

Absorbentia, vaſa ſunt minima, quae, quaſi introſugendo, ea corpori inuehunt, et liquidis admiſcent, quae orificiis eorum applicantur. Talia ſunt vbique in corpore, vbi membranae libere in cauitates hiant, haecque continuo halitum ex arteriolis exhalantem reſorbent: nec minus in tota corporis ſuperficie, et per haec mercurius et emplaſtra et miaſmata et alia penetrabilia corpora, externe applicata, intrant in corpus: dicuntur quoque *Reſorbentia.* Ga. *Vaiſſeaux abſorbans.* A. *Abſorbent veſſels.* G. Einſaugende Gefäße.

Abstemivs, eſt proprie, qui Vino abſtinet. Late ſumitur pro eo, qui cibo et potu, a Medico interdicto, ſe abſtinet. Compoſitum ex abs et temetum. Gr. Ἄοινος. B. *Die zig onthoud.* G. Der ſich vom Wein enthält. Ga. *Qui ne boit point de Vin.* A. *Temperate in diet.*

Abstergentia, ſunt, quae diluentibus, reſoluentibus, et ſaponaceis particulis fluida glutinoſa, vel ſemicorrupta ſolida, auferunt ex locis, quibus ſua tenacitate adhaerebant, non laedendo loca, quibus coniuncta fuerant; poſſuntque

eum aqua miſceri, et huius ope viſcida eluere, hinc etiam vocantur *abluentia*. Gr. Ῥύποντα, Ἀποπλύνοντα. B. *Afvagende middelen*. G. Reinigende Mittel. Ga. *Remedes abſtergents*. A. *Abſterſive or detergent medicines*.

ABSTRACTITIVS, ſic vocatur ſpiritus e plantis multis particulis volatibus ſcatentibus absque praeuia fermentatione deſtillatus.

ABVTILON. Eſt planta ad maluaceas pertinens, cuius ſemina capſulae incluſa ſunt. In hortis ſeritur, ac easdem vires, ac reliquae maluaceae, poſſidet. G. Sammetpappeln. Ga. *Guimauue à fleurs iaunes*. B. *Geele Heemſt*. A. *Yellow Mallow*.

ACACIA, Gr. Ἀκακία: Habet folia pinnata numeroſis foliolis, flores monopetalos infundibuliformes, campanulatos, multis ſtaminibus donatos, in capitulum congeſtos, ſiliquam longam, in plures foueas diuiſam, recondentem ſemina ſubrotunda, vt plurimum reniformia; Ex Acaciae Aegyptiae (vid. art. ſequ.) ſiliquis immaturis exprimitur ſuccus, qui coctus et inſpiſſatus, ſaporis acerbi, auſteri et adſtringentis eſt, qui tantum nominis meruit ad adſtringendum, et inter ingredientia Theriacae receptus eſt; in Aegyptia multum adhibetur in Peſte et Dyſenteria, morbis ibi familiaribus — Ille ſuccus cum ſit pretioſiſſimus, et raro ad nos deferatur, hinc Germani illum extrahunt ex fructibus *Pruni Sylueſtris*: Belgice *Sleedoorn*; qui ſuccus expreſſus, coctione leni inſpiſſatus, nigricans, ſolo colore ab Aegyptiaco differt, ſaporis ſimiliter eſt acidi, auſteri, adſtringentis. Nomen ab ἀκή, ſeu ἄκαινα, mucrone, cuſpide: ſpina enim eſt Aegyptia pungens: nam ἀκάζω eſt pungo, vnde *Acacia*, vel potius *Acatia*. B. *Sleepruimen*. G. Schlehendorn, Schwarzdorn. Ga. *Acacia, Prunier ſauvage*. A. *The Sloe-tree, or Blackthorn*. — Ex ipſius arboris prunis ſuccus colligitur, qui in conſiſtentiam ſpiſſam euaporatus, *Rob Acaciae* officinis dicitur.

ACACIA AEGYPTIACA vera (*Mimoſa nilotica et Mimoſa Senegal Linnaeus* (Polyandr. Monogyn.) Gummi Arabicum et Gummi Senegal ſuppeditat, cuius virtutes ſunt inviſcantes, lubricantes, nutrientes et maturantes, hinc in vitiis pluribus inteſtinorum cum primis ſalutares.

ACAMATOS, eſt optima corporis humani conſtitutio et figuratio. *Galenus* hoc verbo vtitur, ad denotandum talem membri ſitum, qui inter extenſionem et flexionem medius eſt, qualis maxime natura'is eſt, et diutiſſime ferri poteſt. Hinc idem eſt, quam non laborans, indefeſſus. Ex α priv. et κάμνω laboro, laceſſo. Ga. *qui eſt infatigable*.

ACANACEA, omnes Cardui ſpinoſi et capitati ſic appellantur, ab ἀκάζω, acuo.

ACANOS, eſt herba, vel frutex ſpinoſus et aculeatus, ab ἀκάζω, acuo.

ACANTHA, ſeu Ῥάχις, eſt vertebrarum protuberantia poſterior, vulgo *Spina Dorſi* appellata. B. *Rugge-graat*. G. Rückgrat. Ga. *l'Epine du dos, ou l'Echine*. A. *The poſterior proceſſes or ſpines of the back bone*. — *Acantha* etiam eſt arborum, aut plantarum pars acuta, *Spina* dicta, et in genere ſignificat ſpinam qualemcunque. Deriuatur ex ἀκή, cuſpis, ἀκάζω, acuo. B. *Doorn*. G. Stachel, Dorn. Ga. *une Epine*. A. *A Thorn*.

ACANTHOBOLVS eſt inſtrumentum Chirurgicum *Volſella* dictum, quo ſpinae, oeſophago inhaerentes, eximuntur. — Item fruſtula oſſis corrupta et mobilia; ſpicula item et globuli, eorumque fragmenta, turundae, atque pili, aliaque extranea, quae in vulneribus reperiuntur, eodem inſtrumento eximuntur. — Sic quoque appellantur inſtrumenta coſmetica, quae euellendis pilis e ſuperciliis deſtinantur. Ex ἄκανθα, ſpina, et βάλλω, iacio. B. *Doorn-tang, Trektang, Graat-tang*. G. Grätzänglein. Ga. *Pincettes pour tirer les Epines, ou d'autres corps étrangers hors de la gorge, ou de l'oeſophage*. A. *A pair of Pincers or nippers*.

ACANTHIVM, idem, quod *Acanthus*.

ACANTHVS, *Acanthium* et *Acantha*, eſt ſpina, arbor, vel herba ſpinoſa, Cardui ſpecies, ab Ἀκανθόω vel Ἀκανθίζω, ſpinoſum, vel aculeatum reddo. Ga. *Eſpece de Chardon*.

ACANTHVS VERVS, ἄκανθος, ſeu *Branca vrſina*, planta eſt, quae habet folia ampla, mollia, villoſa, profunde inciſa, repentia, ex radice erumpentia, et ſuccum glutinoſum habentia; florem monopetalum, anomalum, verſus anteriora bifidum: verſus poſteriora ſuccedit vaſculum ſeminale inſtar gladii, obvolutum plerumque ipſo calice: fructum habet glandiformem, bilocularem, polyſpermum: ſemina oblonga, radicem, extus nigram, intus albam; dicitur ab ἄκανθος, ex ἀκή, ſpina; quod ſpinis, ſylueſtris tamen potius, quam domeſtica, donata ſit. A ſimilitudine foliorum cum pedibus *Vrſi* dicitur. Acanthus mollis foliis ſinuatis inermibus *Linn.* (Didynam. Angioſperm.) Vires eius ſunt demulcentes et emollientes. B. *Beerenklaau*. Ga. *Acante, Braue-Urſine*. A. *Brank-Urſine*. G. Bärenklau.

ACANTHVS VVLGARIS, vid. *Branca vrſina*.

ACARNA, ſiue ACORNA, Planta eſt Cardui ſpecies, incana, ſpinoſa, gymnomonoſperma, flore compoſito, capitato, ſqua-

moſo. Vox graeca a Theophraſto vſurpata, qui hanc plantam inter φυλλάκαντα repoſuit, quaſi habens φύλλα ἄκαντα, folia ſpinis donata. *Cnicus Acarna Linn.* (Syngeneſ. Polygam. aequal.) A. *Fishthiſtle.*

ACARON, vocatur Bruſcus et Myrtus Sylueſtris. Ex α priv. et κάρη, caput. Eſt vox minus vſitata.

ACARVS, ab α, et κείρω, tondeo, ſeco, quod ſit animalculum paruitate inſectile. Eſt inſectum apterum, pedibus octo, oculis duobus ad latera capitis, antennis duabus, articulatis pediformibus inſtructum; cuius ſpecies, ſcilicet Acarus Siro, ſaepe corpus humanum vexat, moleſtiſſimumque pruritum excitat, haerens inter cutem et epidermidem, vel etiam, vt nonnulli volunt, in exanthematibus, ſcabie, puſtulis venereis, et dentibus putridis. Inter Sirones Farinae, Scabiei, Dyſenteriae et Hemitritaei non alias reperiri differentias quam a loco petitas *Linnaeus* aſſerit. Ga. *un Ciron.* A. *Mite.* B. *Een Myt.* G. Eine Milbe.

ACATALIS, vox graeca; eſtque Iuniperi bacca.

ACATERA, eſt Iuniperus maior.

ACCELERATORES vocantur muſculi penis duo, qui carnei orti a ſuperiori parte vrethrae ſub oſſe pubis, ambientes bulbum vrethrae, inferius iuncti, decurrunt, et ſecedentes inſeruntur vtrimque membranae forti corporum cauernoſorum penis. Hinc agendo conſtringunt vrethrae partem poſteriorem, quo vrinam ex vrethra, ſed praecipue in coitu, vi magna ſemen expellunt. B. *Watervoort-dryvers, of pisverſnellende ſpieren.* Ga. *Muſcles Accelerateurs.* G. Der Treibmuskel.

ACCESSIO, idem, quod *Paroxyſmus.*

ACCESSORIVS, quem et a *Williſio* dicunt, nomen eſt nerui cuiusdam, e medulla ſpinali pluribus fibrillis orientis, in cauum cranii redeuntis, indeque eodem cum pari octauo foramine exeuntis, ramiſque ſuis maxime in muſculos maſtoideum et trapezium diſtributi.

ACCIDENS, idem, quod *Symptoma*, ſeu etiam alia, quae in aegro accidunt, neque ab ipſo malo pendent.

ACCIPITRINA, eſt herba, quae nomen ab aue accipitre mutuatur. Vide *Hieracium.*

ACCIPITER, quaſi ὀξύπτερος, ex ὀξὺς, celer, et πτερὸν, ala, vel ab accipiendo, quod aues accipiat. Solet quoque ſub hoc nomine totus auium rapacium et carniuorarum ordo comprehendi. Ga. *Epervier.* B. *Een Havik.* A. *a Hawk.* G. Ein Sperber.

ACCIPITER, ſ. *Accipiter Menecratis* faſcia ad naſi vulnera. Dicitur a ſimilitudine cum iis capitiis, quibus falconum capita in aucuparia arte teguntur. Ga. *l'Eperuier.* G. Der Sperber.

ACCYSETVM, eſt Alyſſi ſpecies.

ACEPHALOS, ἀκέφαλος, proprie ſignificat monſtrum ſine capite, vel capite carens.

ACER, vel, vt apud *Solinum* legitur, ACERIS: eſt arbor glandifera, ſatis procera flore roſaceo, piſtillo frugifero, tricapſulari, in alam foliaceam deſinente, foliis laciniatis. (Polygam. Monoec.) Huius cortex eſt rubicundus, lignum durum et ſatis fragile; Ex aceris ſpeciei ſucco ſaccharum praeparant Canadenſes. Dicta forte ab arcu, quia ex ipſius ligno Arcus fiebant. Gr. Σφένδαμνος, a σφεδανὸς, a robore, vehementia, duritie: a σπεύδω, feſtino, incito. B. *Boog-Hout.* G. Ahorn, Maßholderbaum. Ga. *Erable.* A. *The Mapple tree.*

ACERBVM, ab ἀκὴ, acies, acumen; quia, quod guſtatu acerbum, id linguam conſtringit et exaſperat. Ga. *Apre.* A. *Sharp.* G. Herbe.

ACERIDES, ſunt Emplaſtra, quae carent Cera, quale eſt emplaſtrum Norimbergenſe, Diapalmae, etc.

ACEROSA ſunt folia linearia perſiſtentia.

ACESCENTIA ſunt talia alimenta, vel medicamenta, quae in acidum vergunt, et leni calore acida fieri poſſunt, qualia ſunt farinoſa et fructus horaei ex vegetabilibus, et lac ex animalibus.

ACETABVLVM, idem, quod *Vmbilicus Veneris.* Folium habet rotundum et in ſummitate depreſſum, a ſimilitudine ſcutellarum dictum, in quibus acetum olim menſae ſolebat apponi. Cotyledon foliis cucullato-peltatis, ſerrato-dentatis alternis, caule ramoſo, floribus erectis *Linn.* (Decandr. Pentagyn.) Gr. Κύπρος Ἀφροδίτης, id eſt, *Hortus Veneris*; item Γῆς ὄμφαλος, Terrae vmbilicus; Κοτυληδὼν, vmbilicus Veneris. B. *Venus-navel-kruid.* G. Nabelkraut. Ga. *Ecuelles, Nombril de Venus.* A. *Venus-nauel wort.*

ACETABVLVM, in genere denotat oſſis cauitatem, alterius oſſis caput profundius excipientem, inprimis in oſſibus recentibus propter circumambientes cartilagines; et in ſpecie applicatur cauitati magnae, formatae in concurſu externo trium oſſium, Ilii, Iſchii, et Pubis; capiti oſſis femoris recipiendo dicatae: nomen ab accipiendo habet, quia capit aliquid; dicitur quoque Pyxis et κοτύλη. B. *Een hollighеid des heupen-beens.* G. Die Pfanne. Ga. *la Boëte ou grande*

cavité formée par les os des Iles, Iſchion et Pubis, pour recevoir la tête de l'os de la cuiſſe. A. *The great cavity in the Hiphone.* - Item glandulae quaedam in Chorio *Acetabula* vocantur, de quibus vide *Cotyledones.*

ACETABVLVM, eſt etiam Veterum menſura, continens vini vncias duas cum ſemiſſe, ſed olei vncias duas et drachmas duas; aliis erat liquidorum ſeſquicyathus. Ga. *Acetabule.*

ACETARIA, ſunt ex vegetabilibus obſonia, vel condimenta, quae cruda cum aceto, oleo, et ſale manducantur. B. *Slaa.* G. Salat. A. *Sallet.* G. *Salade.* Pertinet quoque hoc nomen, vel ad vaſculum, in quod acetum infundebatur ad intingendos cibos, vel ad menſuras, cotylae quartam partem, id eſt 24 drachmas, denotans.

ACETOSA, *Rumex Linn.* (Hexandr. Trigyn.) eſt planta flore apetalo, ſemine triangulari capſula obuoluto, quae conficitur ex tribus foliis calicis: habet folia oblonga, viridia, ſplendentia, ſuccum acidum habentia, caetera vt in Lapatho, niſi quod ſapor acidus ſit in caule et foliis: Radix fibroſa lutea, ſtrenue ſiccante et adſtringente ſapore. Saporis eſt acidi, vnde ei nomen impoſitum; et vis bilis acrimoniae oppoſita, refrigerans et antiſcorbutica ineſt. Gr. Ὀξυλὶς et Ὀξυλάπαθον, quia inter Lapathi ſpecies recenſetur. B. *Zuuring, Surkel.* G. Sauerampffer. Ga. *Ozeille.* A. *Sorrel.*

ACETOSELLA, eſt planta flore monopetalo, campaniformi, patente et multifido, ex cuius calice ſurgit piſtillum, floris infimae parti ad inſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum membranaceum, oblongum, in quinque loculamenta vt plurimum diuiſum, extrorſum a baſi ad apicem dehiſcentia, et ſeminibus foeta huc illuc diſſilientibus, propter vim elaſticam calyptrae, qua ſingula ſolent inuolui. (Decandr. Pentagyn.) Species officinalis eſt *Oxalis Acetoſella* ſcapo vnifloro, foliis ternatis, radice ſquamoſa articulata. *Linn.* Plus quam acetoſa, ſalis acidi continet, hinc refrigerans eſt, antiſeptica et analeptica. Proſtant in officinis Aqua deſtillata, Conſerua, Syrupus et Sal eſſentiale: dicitur et Alleluia, Luiula, Oxys, Oxalis, Acetoſum trifolivm, Oxytriphyllum. B. *Klaaverzuuring, Koekkoeks-brood.* G. Buchampffer, Sauerklee. Ga. *l'Alleluja.* A. *Wood-ſorrel.*

ACETVM, eſt liquor acidus, vegetabilis, tenuis, penetrans, ſubpinguis, ignem et flammam exſtinguens: in genere autem liquorem quemcumque acidum notat, vnde nonnullis ſpiritus ſalis, nitri, vitrioli, et ſimiles quoque, *Acetum* dicuntur.

Verum tamen in officinis liquorem ſolum acidum denotat, ex potulentis ſuccis praeuia fermentatione factum, et κατ' ἐξοχὴν ex vino, ſeu vuis: et hoc recipiendum eſt, quoties *Aceti* ſimpliciter fit mentio; quoue vinum fuit generoſius, eo inde fit acetum acidius. Aliud eſt *Simplex*; aliud *Deſtillatum*, cum, vel ſine Medicamentis; aliud eſt *Compoſitum*, vt Acetum Calendulae, Roſarum, Sambuci, Scilliticum. Acetum terras calcareas diſſoluit, et cum Salibus alcalinis in Sal medium abit, potenterque putredini animali reſiſtit. Ampliſſimus eius in Medicina et Chirurgia, tum per ſe, tum variis in remediis compoſitis vſus eſt. Gr. Τὸ ὄξος. B. *Azyn, Edik.* G. Eſſig. Ga. *Vinaigre.* A. *Vinegar.*

ACETVM ALCALISATVM, eſt acetum deſtillatum, quod ſale alcali eſt ſaturatum et acuatum. Vocatur alias *Terra foliata tartari, Arcanum tartari.*

ACETVM DESTILLATVM, vel *Spiritus aceti*, paratur deſtillando acetum ex cucurbita vitrea, donec quarta pars adſcenderit, quae aquoſa eſt, ſaporis leuiter aciduli. Tum aucto igne de reſiduo iterum duae partes auferuntur, quae *acetum deſtillatum* conſtituunt, reliqua quarta pars acrior et fixior ac magis empyreumatica ad alios vſus reſeruatur.

ACETVM PHILOSOPHICVM, eſt acidum, ex melle deſtillatum, vel eſt aqua mercurialis, quam alias lac virgineum appellant, quo metalla ſolui perhibent. G. ὕδωρ σοφῶν.

ACETVM RADICATVM, eſt liquor acerrimus aceti, abſtracto phlegmate remanens, vel qui deſtillationis ope ex aerugine obtinetur.

ACHAMENIS, eſt *Polii* ſpecies aſſurgens: Forte ab α priv. et χαμαὶ, humi.

ACHATES, vel ACHATITES LAPIS, vel Silex achatinus, eſt genus inter opacos lapides, et gemmas, ita medium, vt ſemiopacum vocari queat: lapis eſt valido igne vitreſcibilis, cumque chalybe ſcintillas edens: coloribus et rerum imaginibus, quas ab ipſa natura formatas repraeſentat, valde varians. et pro colorum, vel imaginum, diuerſitate diuerſo nomine, *Corall-achatis, Sardachatis, Hamachatis, Dendrachatis* etc. denotatur. Ab Achate, fluuio Siciliae, vbi primum inuentus eſt; vel ἀπὸ τῆ ἄχεος, id eſt a cura, quam, vt animi moleſtiam diſcutere dicitur. B. *Agaat.* Ga. *Agathe.* A. *An Agat.* G. Agat.

ACHIAR ATSIAAR, Vox Malayca; denotat in genere in India Orientali condituram variorum vegetabilium cum aceto et Capſico, aliisque aromatibus acerrimis factum, et

pro variis Vegetabilibus variis insignitur nominibus. Sic *Achiar-Bambou* est Conditura medullae Arboris Arundinis, vel Tabaxiferae *Bambou* dictae. Adfertur in Hollandiam, ibique inter acetaria mensis imponitur.

ACHILAIS, est *Hordei* species, putatur ab Achille quodam rustico nomen habuisse.

ACHILLEA et ACHILLEVS, vide *Millefolium*. Sic dicitur, quia ferunt, Achillem, Chironis discipulum, primum inveniſſe. Ga. *Millefeuille*. A. *Yarrow*. G. Schaafgarbe.

ACHILLIS CHORDA est robustus ille tendo, qui constituitur ex iunctis tendinibus Musculorum Gastrocnemii, et Plantaris, et parti posteriori, seu tuberositati calcanei inseritur.

ACHLYS, significat aëris caliginem, et turbationem, cuius crassamentum est medium inter nebulam et nubem, crassius nebula, et nube tenuius; et in specie ita dicitur oculi quoddam vitium caliginosum ob cicatriculam tenuissimam, a superficiaria corneae exulceratione factam, nigrum pupillae occupantem. Recensetur inter species *Amblyopiae*, ab ἀχλύω, obtenebror. Ga. *Taye, Brouillard, à cause que la vuë se trouve comme obscurcie par un leger ulcere, qui est superficiel sur la cornée transparente*. G. Hornhautblatter.

ACHOR, seu *Cerea*, est crustosa scabiei capitis, seu Herpetis species: sunt vlcera in capitis superficie pluribus exiguis foraminibus aperta, sanie liquida manantia, foetida, putrilaginosa et cadaverosa, alias liuida, alias flaua, foedis ac tuberosis crustis tecta, pruriginosa, totam faciem, aliquando ad collum vsque, deturpantia, labiis oculisque tantum exceptis; orta a lympha abundante, vel acri, glandulas cutis obsidente. Deriuatur ex α priv. et χάος, locus, quia paruum locum occupat. Differentia *Achoris* et *Faui* haec est, quod in Achoribus foramina sint minora et visum quandoque effugientia: in Fauis vero maiora et manifesta. Dicitur etiam *Crusta lactea*. *Lactumen* et *Tinea* praesertim, si Achores diutius durent, et tardius ad curationem disponantur. Nocent externa pinguia et repellentia. Interne conducunt absorbentia cum diaphoreticis, resoluentibus et lenioribus laxantibus, interposito Mercurio dulci. Tinea maligna vix sine pilorum euulsione tollitur. Gr. Ἀχώρες. *Saphati* Arabibus. B. *Schurftheid des hoofds, Douwurm*. G. Ein ausgeschlagener Kopf, böser Kopf, der Grind. Ga. *Teigne ou Gale de tête*. A. *The scall, scurf*.

ACHROI, sunt homines decolores, vt Melancholici, Cachectici et Chlorosi, vel Ictero laborantes, vel exsangues, ex

α priv. et χρόα, color. B. *Wankoleurig*. G. Entfärbt, übel gefärbt. Ga. *d'une Mauvaise couleur*. A. *Illcoloured*.

ACIA *Celsi*, idem, quod *Fibula Chirurgorum*. Nec tamen satis constat, num Celsus hoc sub nomine filum, an vero acum per labia vulneris traiiciendam intelligat.

ACIDA *Dyspepsia*, vide *Aciditatio*.

ACIDITATIO vocatur symptoma ventriculi; quando vinum assumtum et alia assumpta in illo facile acorem contrahunt, quod Hypochondriacis quibusdam satis familiare est.

ACIDVLAE sunt aquae minerales frigidae, spiritu volatili aethereo, seu aëre fixo, variis salibus alcalinis et mediis ac saepe ferro impraegnatae, quae diluendo, obstructiones resoluendo et roborando egregias vires ostendunt. Acidum et vinosum quasi saporem habent, vnde nomen eorum oritur, licet, cum acidum volatile sit, alcalinam potius naturam chemice examinatae ostendant. Interne adhibentur. Vulgatissimae in Germania Pyrmontanae, Spadanae et Egranae sunt. G. Sauerbrunnen. Ga. *Eaux minerales, Acidules*. A. *A Well of mineral waters*. B. *Bornwater*.

ACIDVLAE ARTIFICIALES. Arte quoque aqua simplex acidi vitriolici, vel vegetabilis, et ferri ac salis cuiusdam purgantis, vel ad modum Cl. *Prieſtley* aëris fixi admixtione, qui ferrum quoque soluit, ita praeparari potest, vt fere easdem vires, ac acidulae naturales possideat. G. Künſtliche Sauerbrunnen. Ga. *Eau minerale artificielle*.

ACIDVM est salis species, quae cum alcalinis salibus et terris calcareis efferuescit, succos vegetabiles coeruleos, vt succum heliotropii, rubro colore tingit, cum salibus alcalinis medium sal format, ac linguae acidum saporem imprimit. *Sicca* et *fluida* sunt, nec non *fixa*, aut *volatilia*. Vulgo tamen ex ortu suo in acida *mineralia*, *vegetabilia* et *animalia* diuiduntur, quorum species chemia recenset. *Mineralia* sunt, *acidum vitriolicum*, quod et a nonnullis, qui omnia reliqua acida ex eo oriri putant, *catholicon*, s. *vniuersale*, dicitur, vel *nitrosum*, et *salis communis*, quorum diuersa indoles vel ex eo eluceſcit, quod cum eodem sale alcalino saturata, diuersa salia neutra, s. media, constituant. Vegetabilia, quorsum *cremor* s. *acidum tartari*, *acetum* pertinent, etiam quodammodo inter se differunt. Nec in animalibus acidi vestigia desunt, v. c. in pinguedine, formicis etc. In succino quoque acidum peculiare, quod ad vegetabilia accedit, nec non in borace reperitur: Ab ἀκίς, acies, acumen: quod acida linguam pungendo vellicent. B. *Zuur*. G. *Acide*. A. *Acid*. G. Sauer.

ACIDVM CITRI est succus citri.

ACIDVM PINGVE vid. *Aër.*

ACIDVM SOLIS est Clyssus Antimonii.

ACIDVM SPONTANEVM, s. VENTRICVLI, vide *Aciditatio.*

ACIDVM SVECICVM nonnullis Anglis illud peculiare acidum nominatur, quod Cl. *Scheele* Suecus in *fluore minerali* (Flusspath) phosphorescente detexit. Vitrum soluit. Cum terra calcarea fluorem mineralem phosphorescentem constituit. G. Flußspathsäure. A. *Suedish Acid.*

ACIDVM TARTARI est cremor tartari.

ACIDVM VNIVERSALE vid. *Acidum.*

ACINACIFORME dicitur folium compressum, carnosum, altero margine conuexo, altero rectiore, crassiore.

ACINESIA, est totius corporis, aut partis alicuius immobilitas, vt in Paralysi, Apoplexia, Syncope, etc. ex α priv. et κινέω, moueo. B. *Onbeweeglykheid.* G. Unbeweglichkeit. Ga. *Immobilité.* A. *Immobility.*

ACINI, sunt granula minutiora, siue per se crescant, vt acini, id est, baccae sambuci, siue aliis inclusa, vt acini vuarum, quin et ipsas vuas integras significant. *Acinus* etiam *Columella* appellatur: vt et minutissimae glandulae in hepate, cute, etc. quae fere visum fugiunt, quoque *Acini glanduloſi* vocantur: hi vero, vt Ruyschius ostendit, ex extremitatibus vltimis vasorum arteriosorum, vnitis per cellulosam circumfusam in formam sphaericam, componuntur. Gr. Ῥάξ. B. *Korl.* G. Körnlein. Ga. *des Grains comme ceux de raisin, de Lierre.* A. *A Kernel, or Grain.*

ACINIFORMIS TVNICA, idem, quod Oculi Tunica *vuea*: dicitur quoque acinosa tunica, vel Gr. ἀγγειοειδής.

ACINVS, vel ACINOS, est Planta Didynam: gymnotetrasperma verticillata, flore monopetalo labiato, in eo maxime ab aliis similibus distincta, quod corollae labii inferioris lacinia media emarginata sit; an ab ἀκέω, medeor?

ACIPENSER, genus piscis, ab accipiendo, quod frequens mensis accipiatur. Ga. *l'Eturgeon.* A. *Sturgeon.* G. Stöhr.

ACMASTICA FEBRIS, idem, quod *Synochus*, ab ἀκμάζω, invalesco, vigeo. vide *Homotonos.*

ACME, in genere est cuiuscunque rei vigor; hinc vigor aetatis est ille, qui medius est inter iuuentutem et senectutem, in quo summa promtitudo corporis ad omnes actiones viget: Imo vocabulum ad ipsos morbos translatum, est eorum vigor, seu status et summum. Morbi plerique quatuor

tempora habent: primum dicitur Ἀρχή, id est, *Principium*, seu *Inuasio*, *Praeludium*, siue cum morbus primo inuadit. 2. Ἀνάβασις, siue *Augmentum*, estque tempus inter principium et vigorem. 3. Ἀκμή, seu morbi *Vigor*, cum morbi symptomata maxime vrgent; in quo aeger, si vires deficiant, moritur. 4. Παρακμή, seu *Declinatio*, quando morbus deferbuit, et aeger extra noxam iudicatur; nemo enim in declinatione moritur, ab ἀκμάζω vigeo. B. *Het hoogſte der ziekte of gezondheid, ſtilſtand, top, 't hoogſt.* G. Wann die Krankheit am hefftigſten iſt. Ga. *Le plus haut degré, ou point de la maladie.* A. *The height of a diſeaſe.* Est et Athletarum supremus vigor, seu sanitatis summus gradus.

ACMELLA, siue *Chryſanthemum Bidens Zeylanicum* est planta ex corymbiferorum numero, radice gaudens alba et fibrosa, ex qua assurgit caulis viridis, fere quadratus, pedem altus, varios in ramos diuisus, quibus adcrescunt folia coniugata, oblonga, mucronata, in ambitu serrata, et nonnihil rugosa: flores fert in caulium summis, ex multis flosculis tubulosis coagmentatos, in caput coactos, luteos, perianthio polyphyllo insidentes, quibus succedunt semina nuda, parva, oblonga, compressa, ex fusco grisea, valde numerosa. Magnas inter lithontriptica laudes non tantum in insula Ceylon, vbi natiua est, sed et in Europa, nacta est, qua de re vlterius consulatur *Breynius. Verbesina Acmella Linn.* (Syngenes. Polygam. superfl.) foliis oppositis oblongo-ouatis trineruiis petiolatis subdentatis, pedunculis elongatis axillaribus, floribus conicis. Qualitas est balsamica, amara, sapore odoreque Sigesbekiae, quae eius succedaneum est. Infusum foliorum gaudet vi anodyna, attenuante, diaphoretica, diuretica, emmenagoga.

ACONITVM, est Herba, cuius denominationem deriuant ab ἀκονὴ, vertices montium, quia rupes et loca petrosa amat; crescit enim in montibus circa Alpes; *Aconitus* enim est collis circa Heracleam Ponticam: vel ἀπὸ τῦ ἀκόνου, a cautibus; planta est, quae caulem habet exiguum, rotundum, in multos ramos diuisum; folia in ambitu fere rotunda, ampla, laciniata possidet, et florem pentapetalum anomalum, caput humanum, cuculla monachi tectum, referentem: pistillum abit in siliquas tres vniuales, dehiscentes, quae recondunt semina angulosa, nigra; radix fibrosa; Vis deleteria magna inest, succo cumprimis radicis et nectarii, hinc vna species *Lycoctoni* cognomen habet, a λύκος lupus, et κτείνω, occido. Nostris tamen temporibus vires Aconiti officinalis, quod *Aco-*

nitum Napellus eſt, medicae in variis lymphae vitiis ab Ill. Stoerkio tentatae ſunt. *Aconitum ſalutiferum* ſ. *Anthora* quinque piſtillis inſtruitur. — *Napellus* dicitur: B. *Wolfwortel.* G. Tollwurz, Narrenkappen, Eiſenhütlein, blauer Sturmhut, Giftkraut. Ga. *Aconit, Chaperon de moine.* A. *Wolfsbane, Monkshood.* — *Aconitum* vero *lycoctonum* vocatur: G. Wolfswurz, Giftkraut, gelber Sturmhut. Ga. *Pattelouine, Etrangle-loup, Tueloup.* A. *Wolfsbane.* B. *Wolfswortel met wittagtigte Bloomen.* — *Salutiferum* tandem eſt. G. Giftheil, Heilgift. A. *Healthfull Wolfsbane.* Ga. *Anthore.*

ACONITVM PONTICVM eſt i. q. *Aconitum lycoctonum.*

ACOPVM, eſt medicamentum, quod laſſitudinem, e vehementiore motu corporis contractam, illitu ſopit, et dolores levat: e calefacientibus, emollientibuſque conflatum, ex α priv. et κόπος, laſſitudo. B. *Zalve voor vermoeitheid, verfriszalf.* G. Eine Salbe für Müdigkeit. Ga. *Onguent ou medicament, dont on ſe ſert pour oter la laſſitude du corps.* A. *Medicines againſt wearneſs.*

ACOR eſt acidus ructus ex cibis aceſcentibus non bene digeſtis in ventriculo. B. *Zuure opriſping.* Ga. *Rapport aigre, aigreur.* A. *Sowerneſs.* G. Saures Aufſtoßen.

ACORNA, vide *Acarna.*

ACORVM et ACORVS, item *Acorus verus* eſt *Calamus aromaticus* officinarum: eſt duplex, *Indicus*, et *Noſtras* (de ſpurio vid. ſequ. articulum); praeſtat prior fragrantia: in vſu radix, quae oblonga, paululum compreſſa, in ſuperficie quaſi geniculata, externe ex flauo rubeſcens, intus alba, fungoſa, ſaporis acris, ſuauiter amaricantis, et aromatici, odoris fragrantis; in paludibus creſcit, eminet tota ex aqua, et tota ſemper decurrit horizontaliter ſupra aquam, in limo riparum, et fibrae inhaerent aquae. Dicitur, quod ταῖς κόραις, id eſt, pupillae, ſeu aciei oculorum caliginoſae, medeatur; et propter vim calefacientem inter ſtomachica recenſetur. G. Calmus. B. *Calmoes.* A. *Sweet-flag or Calamus.*

ACORVS *adulterinus*, ſeu *paluſtris*, eſt *Iris Pſeudo-Acorus* corollis imberbibus, petalis interioribus ſtigmate minoribus, foliis enſiformibus. Qualitas eſt inſipida, ſubſtyptica, viſque adſtringens. *Linn.* vid. *Pſeudacorus.*

ACOSMIA, eſt ſtatus ſanitatis peruerſus cum faciei decoloratione, vide *Achroi.* Idem, quod *Ataxia.* Ex ἀκοσμέω, non orno. B. *Verkleurtheid.* G. Veränderte Farbe, übelgefärbt. Ga. *Une mauvaiſe couleur.* A. *Sickneſs accompanied with an illcoloured face.*

ACOSTICA,

ACRASIA, eſt INTEMPERIES, ſiue qualitatum in mixtione exceſſus, ex α priv. et κεράννυμι, tempero. Apud Hippocratem ſignificat incontinentiam circa cibum, potum, et caeteras res non naturales. B. *Ongetempertheid, onmatigheid.* G. Unmäßigkeit. Ga. *Intemperie.* A. *Intemperate.*

ACRIMONIA eſt illa corporum proprietas, quae facit, vt parua ſub ſuperficie actionem ſuam aliis communicent, eſtque in humoribus noſtris acida, alcalina, muriatica, oleoſa, &c. pro diuerſa particularum, quae euoluuntur, et quantitate et indole. B. *Scherpheid.* A. *Acrimony.* G. Schärfe.

ACRISIA eſt turbulentus morborum ſtatus, adeo vt nullum, difficile, aut malum iudicium, vel criſis, ſumi poſſit, ex α priv. et κρίνω, iudico. B. *Der ziektens Stilſtant, wanneer men nauwliks vonnis geven kan.* G. Unrichtigkeit in der Krankheit. Ga. *Etat de la maladie, ou l'on ne peut porter aucun jugement à ſon égard.*

ACRIVIOLA, ſiue *Naſturtium Indicum, Cardamindum, Tropaeolum*, (Octandr. Monogyn.) ex America primum translata, iam in hortis noſtris colitur. Caules habet longos, rotundos, flexiles, ramoſos, ſupra plantas vicinas ſcandentes; folia rotunda, vel quandoque anguloſa, ſuperius glabra, inferius rugoſa, peltata; flores quinquepetalos, flauos, punctis rubris donatos, odoratos; quibus ſuccedit fructus, in tres capſulas, ſemen recondentes, diuiſus. Sapore et omni effectu cum Naſturtio vulgari conuenit. Florum petala, in acetariis ſumta, maniacis profuiſſe compertum eſt. B. *Indiaanſe Kerſſe.* Ga. *Petite Capucine.* A. *Indian Kreſs.* Ge. Indianiſche Kreſſe.

ACROCHIR, Gr. ἀκροχειρ, eſt ſumma et extrema manus, cuius termini ſunt vlna cum radio, et extremi digitorum apices: diuiditur in tres partes minores, carpum, ſeu brachiale, metacarpum, ſeu poſtbrachiale, et in digitos. G. Hand.

ACROCHIRESIS dicitur ſpecies luctae, vel exercitationis, quando duo homines ſummis manibus inter ſe colluctantur, et ſeſe raptant.

ACROCHORDON eſt verrucarum ſpecies, interdum dolens, orbiculari figura cum anguſta baſi, quae *penſilis verruca* appellatur. Vel eſt verruca ſub cute durior, aſperior, calloſa, et plerumque teres, cuti concolor, infra tenuis, ad cutim latior, iuniores maxime infeſtans: ſic dicta, vel quod vertice ſuo ſimilis ſit reſectae chordae, ſecundum extremitatem, vel quod in imo adeo anguſta ſit, vt pendere videatur. Ex ἄκρα, ſumma, et χορδή, fides. B. *Een Wraitze, Werde.* G. Eine Warze.

Ga. *Verruë, cor, poireau, durillon (qui ſe forme ſous la peau aux pieds et aux mains).* A. *A hanging wart.*

ACROMIVM, eſt ſcapulae, et quidem eius ſpinae, proceſſus ſuperior, per quem ſcapula cum clauicula coniungitur: dicitur et *humeri mucro* et *ſummus humerus*, ex ἄκρος, ſummus, et ὦμος, humerus: ἀκρώμιον *Rufo*, ἀκρωμὶς *Eurip.* ὦμου κεφαλή. B. *Het Schouder-beens hoofd, uitſteekzel, ſchouder top.* G. Oberſte Theil des Schulterblatts. Ga. *L'Acromion, Eminence de l'épaule.* A. *The top of the ſhoulder-blade.*

ACROMPHALVM, vel ACROMPHALIVM, eſt vmbilici medium, ſiue vmbo, cui funiculus vmbilicalis ante partum adhaerebat; dicitur et Μεσόμφαλον, Μεσομφάλιον, ex ἄκρος, ſummus, et ὄμφαλος, vmbilicus. B. *Het midden des navels.* G. Das Mittelſte von dem Nabel. Ga. *Le milieu du nombril.* A. *The middle of the navel.*

ACROPOSTHIA, ἀκροποσθία, eſt extrema praeputii pars, quae in circumciſione reſecatur, vid. *Amputatus.*

ACROS, ſignificat ſummum, extremum; ita dicitur de naſo, de oſſium prominentiis, digitorum extremitatibus, et herbarum ſummitatibus; adhibetur idem de athletarum et morborum vigore. Vel ab ἄκρος, quod ſummum notat, vel ab ἀκρίζω, excelſa perambulo. Ga. *Extremités.*

ACROTERIASMOS dicitur extremarum corporis partium, videlicet manuum et pedum, vel putreſcentium, vel quorum offa perierunt, per ferram reſectio. vide *Amputatio.*

ACTAEA, vid. *Chriſtophoriana.*

ACTE, eſt *Sambucus*, Ἀκτὴ Graecis, forte a littore Attico: Sambucus quippe aquas amat; ἀκτὴ porro littus eſt. V. *Sambucus.*

ACTIO, eſt operatio, ſiue functio, definiti motus definita exercitatio: ſolent diſtingui in vitales, animales, naturales, ſexus, priuatas, publicas: *Vitalis* dicitur omnis motus inſeparabilis a vita et motu ſanguinis, ac proin motus cordis, pulmonis. *Animalis* dicitur motus, in quo mens conſcia ſimul concurrit, ac proin ſenſuum motus, et muſculorum voluntariorum. *Naturalis* eſt motus, qui heterogenea aſſumta mutat ſic, vt abeant in naturam noſtram, quales ſunt actiones viſcerum et vaſorum. *Sexus* eſt actio, quae viro, vel mulieri propria, vt ſemen conficiendi, vel ſuſcipiendi. *Priuata* actio eſt, quae modo vni inſeruit parti, vti eſt viſus, auditus. *Publica* actio eſt, quae toti corpori inſeruit, vti eſt actio ventriculi. His addi poteſt *Mixta*, id eſt, partim ſpontanea, quae anima non iubente pergit, partim voluntaria, quae pro animae voluntate accelerari, vel retardari poteſt: talis eſt

thoracis, et organorum, reſpirationi inſeruientium, actio. B. *Werkinge, Bedieninge des Lighaams.* G. Wirkung, Bewegung, Verrichtung. Ga. *Action.* A. *An action, operation, or function.*

ACTVALIS IGNIS, vid. *Ignis actualis.*

ACTVATIO inprimis dicitur de medicamentis, eſtque illud mutationis momentum, quo virtus eorum per vires noſtri corporis et humorum noſtrorum elicitur, et ſic in actum deducitur.

ACTVS, ἐνέργεια, etiam de medicamentis dicitur, quae ſunt *actu* calida, vel frigida, et non tantum *potentia*, id eſt, non poſſunt tantum talia eſſe, ſed ipſo effectu reuera talia exiſtunt.

ACVERE, Chymicis eſt, quando liquor debilis ab alio fortiori ad diſſoluendum penetrantior redditur. Sic ſpiritus ſalis acuit ſuccum citri, ſpiritus nitri acetum deſtillatum, ad ſolutionem pro conficiendis magiſteriis. Sic ſuppoſitoria acuuntur ſcammonio aliisue rebus, purgantia leniora fortioribus etc. B. *Verſcherpen.* G. Schärfen. Ga. *Aiguiſer.* A. *To ſharpen.*

ACVLA, eſt diminutiuum ab *Acus.*

ACVLEI Vegetabilium, quaecunque duriuſcula, in cuſpidem turbinata, punctionem inſligentia ſpiculorum modo, nominantur. Diſtinguunt nonnulli *ſpinas* ab *aculeis*, hoſque ſoli plantarum cortici adhaerere, illas e productione caulis naſci dicunt, atque ſic e. g. Roſis aculeos, Rhamnis ſpinas tribuunt. Gr. κέντρα. B. *Doornen.* G. Stachel. Ga. *Epines, pointes, des piquants.* A. *Thorns, or pricks.*

ACVPVNCTVRA eſt operatio, apud Chinenſes et Iaponenſes inprimis in affectibus arthriticis et rheumaticis vſitata, quae fieri ſolet per auream, vel argenteam aciculam, manus, vel malleoli, beneficio in corpus defixam.

ACVS, ſunt frumenti purgati ſordes leuiſſimae, plerumque pelliculis glumas, ſeu thecam granorum efformantibus, conſtantes, quae ventilabris eiaculantur. Gr. σκύβαλον, ἄχνρον. B. *Kaf.* G. Spreu, Kleyen. Ga. *Paille, Balle.* A. *Chaff.*

ACVS, Inſtrumentum eſt tenue, oblongum, in extremitatibus habens acutiem et rimam, cuius ope partes, in vnione ſolutae, conſuuntur, vel vniuntur. B. *Een Naalde.* G. Nadel. Ga. *Une Aiguille.* A. *Needle.*

ACVS CANNVLATA, ſeu TRIQVETRA, inſeruit in Paracenteſi abdominis, ad educendas hydropicorum aquas. Ga. *Troicar.*

ACVS EXPLORATORIAE, pertinent ad Docimaſticen metallicam, et ſunt exiles latiuſculae virgulae metallicae, quae,

lapidi Lydio affrictae, teſtantur de puritate metallorum et monetarum.

ACVS INTEREVNCTORIA, ſeu OPHTHALMICA, dicitur illa, qua vtuntur in ſuffuſionibus, ſiue cataractis in oculo remouendis. Ga. *Aiguille à cataracte.* G. Staarnadel.

ACVSTICA, ſunt medicamenta et inſtrumenta auditum iuuantia, et in genere ea, quae ad auditum pertinent. e. g. Neruus acuſticus. Ab ἀκούω audio. B. *Geboor-middelen.* G. Gehörmittel. Ga. *Remedes contre la ſurdité.* A. *Medicines againſt deafneſs.*

ACVTELLA, eſt *Ononis*; ſic ab acutis ſpinis dicta.

ACVTENACVLVM manubrium quoddam eſt, quo *acus tenetur*, vt in talibus operationibus, in quibus vi quadam opus eſt, vt perforare queat, maiori cum facilitate tractetur. Ga. *Portaiguille.* G. Nadelhalter.

ACVTVS MORBVS eſt, qui cum magno periculo breui tempore decurrit, et vel febrem continuam habet coniunctam, vel principem partem obſidet: eſtque vel *Perperacutus*, ſiue *Acutiſſimus*, qui tertio, vel quarto die terminatur: vel *Peracutus*, qui vſque ad ſeptimum diem extenditur: vel *Acutus ſimpliciter*, qui ad decimum quartum, vel vigeſimum diem ad ſummum durat: vel *Acutus ex accidentia*, qui quadrageſimum diem pro ſummo termino habet. *Praecipitem* non male cum *Scribonio* dicas; vel *Celerem* cum *Aureliano*; *Pernicialis Liuio* dicitur, quia *celeriter* necat, aut liberat hominem. Gr. ὀξὺ νόσημα καὶ πάθος. B. *Een ſcherpe haaſtige ziekte.* G. Gefährliche, oder geſchwinde Krankheit, hitzige Krankheit. Ga. *Maladie aigüe.* A. *An acute diſeaſe.*

ADAMAS, verus; eſt lapis puriſſimus; duriſſimus; ſolidiſſimus; liquidiſſimus; refulgentiſſimus; pretioſiſſimus; gemmarum cryſtalli forte perfectiſſimae ſimillimus, ſingularis lucis repercuſſu omne corpus ſuperans. Igni ſummo tempore ſatis longo reſiſtens; ἀδάμας, ab α privat. et δαμάω, domo; quod propter inſignem duritiem lapis ille ſit fere indomabilis. Alumen lapideum, pellucidum, ſolidiſſimum Ill. Linnaeo dicitur. Vires huius gemmae medicae merito in dubium vocantur. B. *Een Diamant.* Ga. *Un Diamant.* G. Diamant. A. *Diamond.*

ADAMI POMVM eſt caput aſperae arteriae, ſ. larynx.

ADARCE, ſ. ADARCIS eſt materia tophacea quaſi, quae ad maris littus reperitur, et quam ex ſpuma maris indurata oriri putarunt. G. Meerſchaum.

ADDEPHAGIA eſt voracitas, qua ſubinde alii cibi, priori-

bus nondum concoctis, vel digeſtis, aſſumuntur, pueris cum primis, qui vermibus laborant, familiaris. Ex ἄδδην, largiter, et φάγω, comedo. G. Das unerſättliche Eſſen.

ADELPHIA Botanicis dicitur claſſis plantarum, in qua ſtamina inter ſe connata ſunt.

ADDVCTORES MVSCVLI, ſunt illi, qui brachium, crus, pollicem, indicem digitum, oculos, etc. adducunt verſus corpus, quorum Antagoniſtae *Abductores* nuncupantur. B. *De nabalende ſpieren.* G. Herzuführende Mäuslein. Ga. *Muſcles adducteurs.* A. *The contracting muſcles.*

ADEN, id. quod *Glandula*, inde ADENOLOGIA illa Scientiae anatomicae pars, qua glandulae explicantur. G. Lehre v. Drüſen.

ADENOSVS ABSCESSVS, vocatur tuberculum, crudum, durum, atque omnino contumax diſciſſu, glandulam mentiens, etiam circa loca, glandularum expertia, enatum; diu ſaepe absque dolore manens, ſed interdum, contactu, vel acrioribus, irritatum in vlcus malignum tranſiens.

ADEPS, Gr. Στέαρ, eſt pars ſanguinis oleoſa, albicans, in paruis veſiculis membranoſis collecta, fouendis et inungendis partibus inſeruiens: ab Anatomicis a pinguedine diſtinguitur, cum adeps ſit craſſior, durior, calore difficilius ſoluatur et promte coeat; et hinc in homine vix reperitur, ſed modo in brutis: nonnulli adipem tantum animalibus non ruminantibus, ſebum vero ruminantibus tribuunt; a quibusdam vero vtrumque vocabulum promiſcue vſurpatur. De adipe eiuſque ſecretione vide cum primis Ill. de Haller Elem. Phyſiol. T. I. Plurium animalium adipes in officinis proſtant, potiſſimum viribus emollientibus et demulcentibus gaudentes. B. *Smeer*, *Vet*, *Ongel.* G. Fett, Schmeer, Schmalz. Ga. *Graiſſe*, *ſain.* A. *Greaſe or Fat.*

ADEPTI, dicuntur a Chymicis, qui artem Chymicam bene norunt, et inter Chymicorum Philoſophos relati ſunt, vel qui omnem laborem in arcano vniuerſali acquirendo impendunt, et in hanc metam adſpirant; ſic etiam vocarunt adeptos, qui ſpecialem ſcientiam crederent ſe habere, ſiue in Medicina, ſiue in Chirurgia, pro ſanandis aegris. B. *Aangenomene.* Ga. *Adeptes.* A. *Skilfull in Chymiſtry.* *Adept.*

ADIANTVM, nomen ab euentu accepit, quod folium eius aqua perfuſum ſ διαίνεται, id eſt, non madeat, ſicco ſemper ſimile. Διαίνω et διαίζω eſt perluo, abluo. Atque hoc potiſſimum accipiendum de imbre, in illam plantam decidente, cuius ſtillicidium foliis eius non inſidet. Vel quod interioribus puteorum parietibus, et fontium marginibus,

quas coronat, adhaeret: dictum est *Adiantum*, quod nimirum quasi sitiens illorum aquas, quas tamen adit et respuit, quaerat. Adiantum pertinet ad Plantas Cryptogamias, Epiphyllospermas. Plures in officinis adhibentur species. *Adiantum verum nigrum Linn.* seu *Capillus Veneris*, frondibus decompositis, foliolis alternis, pinnis cuneiformibus lobatis, pedicellatis: *Adiantum album*, *Asplenium*, seu *Ruta muraria*, frondibus alternatim decompositis: foliolis cuneiformibus crenulatis: *Adiantum aureum*, seu *Polytrichum commune*, caule simplici, anthera parallelepipeda: et *Adiantum rubrum*, seu *Asplenium Trichomanes*, frondibus pinnatis: pinnis subrotundis crenatis. Omnibus hisce speciebus virtus exsiccans, roborans, pectoralis atque splenica tribuitur. B. *Vrouwen hair*, *Venus hair*. G. Frauenhaar. Ga. *Rue de muraille*, *Capillaire*, *Adiante*. A. *Maiden-hair*.

ADIAPNEVSTIA, est impedita, per insensibiles corporis poros, perspiratio, ex α priv. et διαπνέω, perspiro. B. *Belette door-waaseming*. G. Verhinderte Ausdünstung. Ga. *Transpiration supprimée*. A. *Hindred perspiration*.

ADIPOSA MEMBRANA in genere quidem membranam, seu tunicam, cellulosam, pinguedinem continentem, significat: stricte autem dicitur de exteriori membrana, cui renes inuoluuntur. G. Fetthaut.

ADIPOSI DVCTVS, vide *Sacculi adiposi*.

ADIPSON, ab α priv. et δίψα, sitis, quod sitim sedat.

ADIPSIA est absentia sitis in febribus validis, et plerumque subdelirium indicat.

ADIVTORIVM OS, vide *Humerus*. Sic dicitur, quia in eleuando brachio iuuat.

ADIVVANTIA in formulis medicis ea vocantur, quae vim reliquorum et principum remediorum quodammodo augent.

ADNATA TVNICA, est membrana oculi extima, orta a cute externa palpebrarum contra se ipsam reflexa, internamque palpebrarum superficiem tegente, et inde ex ambitu exteriori orbitae; ibidem laxa et mobilis est; vasculosa; toti anteriori oculo obducitur, membranae Scleroticae adhaerens eo strictius, quo magis Corneam versus procedit; pellucida, solida est, in medio relinquit foramen rotundum pro tunica Cornea, seu supra eam tenuissima reddita continuatur, per quam transparet oculi Iris et Pupilla. Vocatur et Coniunctiva. B. *Het aangewassen oog-vlies*, *Bindvlies*. G. Das angewachsene Häutlein. Ga. *La membrane conjonctive*. A. *The outmost coat of the eye*.

ADNATA vel ADNASCENTIA, siue *Appendices*, ramuli dicuntur, quos caulis nonnunquam ex se mittit; quasi nouam adscititiamque prolem. Sic autem vocantur, quod quasi cauli adnascantur et superaccedant. Gr. παραφυάδες, quod circum caulem erumpentes accrescant, appellarunt. *Adnata* quoque dicuntur folia pagina superiore basi rami adnexa. B. *Aangroeisel*, *Aanwas*. G. Anwüchse, Anhänge. Ga. *Excroissance*.

ADOLESCENTIA, vid. *Aetas*.

ADONIS FLOS, Planta est, ad *Ranunculos accedens*, cuius caulis rotundus, villosus, intus excauatus, et in multos ramos diuisus, folia tenuiter incisa, saporis acris, coloris viridis; flores rosacei, purpurei, qui sustinentur a pedunculo satis longo; radix minima, alba, simplex, saporis ingrati et herbacei; nomen accepit ab Adone, Veneris Amasio, ex cuius sanguine hic flos natus esse dicitur: vocatur et Eranthemum, ab ἐρυθρός, ruber, et ἄνθος, flos, quia huius plantae flos est ruber: quibusdam dicitur φλὸξ a floris flammeo igneoque colore. B. *Bruinettekens*, *Duivels-oog*. G. Feldröslein, Adonis Blume. Ga. *Fleur d'Adonis*, *espece de Renoncule*. A. *Adonis Flower*, *Birds-Eye*, *Pheasants-Eye*.

ADOR, i. q. *Zea*.

AD PONDVS OMNIVM, significat, quod vltimum in formula praescriptum medicamentum tantum debeat pendere, quantum omnia illa superius praescripta simul.

ADRA RHIZA, est radix dura, et crassa, dicitur que de *Aristolochia*: ἀδρός enim est abundans, multus, opulentus, crassus.

ADRACHNE, vide *Andrachne*.

ADSTRICTIO a veteribus habetur pro effectu frigiditatis; et definitur a *Gorrhaeo*, qualitas gustatilis, quae a frigido vincente perficitur in crassa et terrena substantia. Itaque propria facultate contrahit, densat, et repellit, qua actione calorem excitat et auget, et conducit ad concoctionem. Haec autem qualitas non tantum refertur ad ea, quae gustu percipiuntur, sed et aliis rebus passiuo sensu tribuitur. Sic dicitur ex. gr. alui, vel cutis, adstrictio. B. *Samentrekking*.

ADSTRICTORIA, vide *Astringentia*.

ADVLTERATIO, significat in Pharmaceuticis medicamentorum fraudulentam corruptionem sub specie genuina. A. *Adulteration*. B. *Vervalsching*. G. Verfälschung.

ADVSTIO in arte medica est cauterii actualis, vt ferri ignitii, Moxae accensae, applicatio. G. Das Brennen.

ADYNAMIA, Impotentia; dum ars debitam opem ferre

nequit. Sic plures morbi, aut vulnera, insanabilia, vel lethalia, ob adynamiam artis dicuntur.

AEDOPSOPHIA est flatuum e genitalibus, scilicet ex vrethra, vel vtero, emissio sonora, cuius adfectus, vtut rarissimi, tamen exempla prostant. Ab αἰδοῖα, pudenda, et ψοφέω, flatum edo.

AEGAGROPILA, sunt pilae Rupicaprarum, seu Damarum, oblonga frequentius, et rarius rotunda figura donatae, quae in primo, aut secundo ventriculo horum animalium reperiuntur; pondere etiam, cum maximae habentur, leuissimae, et quasi ex flocculis laneis confectae: duplici constant substantia, quarum intérior germina, aut fibras radicum, aut filamenta et plantarum cauliculos succo concreto et exsiccatione in puluerem subtilem fatescente compacta refert; exterior coriaceam cutim; interdum tamen lignosum corticem quendam, rarissime crustam lapideam aemulatur; coloris, vt plurimum aut cineritii, aut nigri, aut etiam ex luteo obscuri; et magnitudinis variae, quae tamen manum, in pugnum contractam, vix vnquam excedat; eas in variis affectibus ob vires neruinas et alexipharmacas, singulari cum emolumento a Medicis exhiberi in certa dosi, olim putabant; loco Bezoar Orientalis adhibentur. Ab Αἰγαγρος, Rupicapra, et πίλος, pila. Ga. *Agropile.* G. Gemsenkugeln.

AEGIAS, notat apud Hippocratem concretionem albicantem, quae pupillae oculi inhaerescit, aciei eius caliginem offundit, eamque obscurat.

AEGILOPS, et *Anchylops*, sic dicitur, quia hoc laborantes caprarum in modum omnia intuentur, vel quia hoc affectu caprae saepe laborant; estque proprie tuberculum, vt plurimum cum inflammatione, a sacco lachrymali affecto ortum, maiorem oculi canthum obsidens; saepe *Anchylops* et *Aegilops* confunduntur; Quidam tamen distinctionis gratia dicunt, quod *Anchylops* sit, quando illud tuberculum nondum est apertum: *Aegilops* vero, vbi abscessus factus est, et ruptus cum perpetuo effluxu materiae tenuis, quae saepe valde acris est, hinc, si tempestiue non aperiatur, os subiectum cariem contrahit; atque tunc oritur Fistula lachrymalis. Vide *Anchylops.* B. *Een geiten-oog, traan fistel.* G. Ein Thränengeschwür. Ga. *Oeil de chèvre, Egilops.* A. *A swelling in the corner of the eye.* — Sumitur quandoque pro *Lachrymali Fistula.* B. *Oog-fistel.* G. Thränenfistel, Augenfistel. Ga. *Fistule à l'Oeil, lacrymale.* A. *Lachrymal Fistule.*

AEGILOPS, est Cerris, vel Festuca aristis muticis. Ex

αἴξ, caper, et ὤψ, oculus. Sic dicitur, quia putatur, hac herba oculorum morbos, qui dicuntur *Aegilops*, sanari posse. Ga. *Auoine sauuage.* A. *Bastard oats.* B. *Windhauer.* G. Tauber oder Windhaber.

AEGOCEROS, Foenum Graecum esse putatur. Ex αἴξ, caper, et κέρας, cornu, quasi diceres capricornus. Ipsius enim siliquae capri referunt cornu. vid. *Foenum graecum.*

AEGOLETHRON, est *Ranunculus*, qui dicitur Flammula: foliis ouato-lanceolatis petiolatis, caule declinato: sic vocatur; quod quadrupedes, et praesertim capri, inde facile moriantur. Ex αἴξ, caper, et ὄλεθρον, exitium.

AEGYPTIACVM VNGVENTVM, est compositio valde deterfiua, improprie vnguentum appellatur, nam neque oleum, neque pingue quid, illud ingreditur, sed ex aerugine tantum, melle et aceto componitur; nomen ab Aegypti regione traxisse videtur, cuius iam Hippocratem meminisse expressa vestigia pluribus locis exstant. Ga. *Onguent Egyptiac.*

AEIPATHIA, idem, quod *Aipathia.*

AEQVALE de rebus naturalibus et praeternaturalibus dici solet, et denotat rerum, numero vel specie, differentium, conuenientiam, tam ratione quantitatis, quam qualitatis. *Aequalis pulsus est*, quum omnes ictus eundem inter se tenent ordinem et proportionem. *Aequale pus*, quod eandem, ratione coloris et consistentiae, prae se fert speciem. *Aequalis morbus*, qui semper sibi constat, et iisdem perpetuo decurrit symptomatibus, etc.

AËR est fluidum valde elasticum et compressile, graue, infinita et varia in se continens corpuscula. Multa alia de eo ex Physicis peti possunt: Meretur tamen etiam considerationem Medicam, quoniam corpus nostrum ambit premitque, ac perpetuo a nobis deglutitur, inspiratur et exspiratur. Hinc est res non naturalis summe necessaria, et pro eius vsu, vel abusu, qualitate et particulis intermixtis, causa sanitatis morborumque procatarctica. Gr. ἀήρ. B. *Lucht.* Ga. *Air.* A. *Air.* G. Luft.

AËR FACTITIVS est i. q. Aër fixus, seu Aër corporibus inhaerens et sub eorum destructione, vel antliae pneumaticae ope eductus.

AËR FIXVS. Hoc sub nomine nonnulli elementa aerea, reliquis fluidorum, vel solidorum, elementis intermixta, et vinculum quasi constituentia, denotant, quae, dum liberantur, et sui iuris fiunt, veros effectus aeris edunt, licet ab aliis partibus admixtis varia quoque alia phaenomena ostendant.

Ex idea elementaris aëris in calce viua delitescentis alii phaenomena, quae in illa obseruantur, explicant, alii ex idea *acidi*, quod *pingue* vocant. Vid. *Acidum*. De *aëre fixo* inprimis Cl. *Priestly* experimenta omni attentione digna sunt.

AER INGENITVS, siue *Innatus*, Veteribus dicebatur, qui in cauo tympani in aure haeret, verum per recentiores detectum est, quod renouetur per Tubam Eustachianam.

AEREOLVS, seu *Chalcus*, est Veterum Graecorum pondus, pendens grana duo nostratium.

AERIS FLOS, ἄνθος χαλκοῦ, i. q. viride aeris, nec non grana, quae ex aere ignito et in aqua exstincto desiliunt. Vltimum hoc *Diphryges* quoque dicitur.

AERIS SQVAMA ex Vitriolo et Aceto paratur. Ge. Kupferschleß.

AEROMETER est instrumentum, ope cuius qualitates aeris, praecipue grauitas et humiditas, mensurantur.

AERVGINOSA BILIS, vide *Bilis*.

AERVGO, siue VIRIDE AERIS, est aeris, siue cupri, mediante quouis acido, in friabile et viride corpus reductio. Vsus praecipue externus. Gr. Ἰὸς χαλκοῦ. B. *Spaans-groen*, *Koper-roeſt*. G. Kupfergrün, Spangrün, Grünspan. Ga. *Verd de gris*, *verdet*. A. *Verdigrease*.

AES, metallum est, quod in igne quidem fixum satis, tamen fumans, et aliqua parte volatile, ductile sub malleo, et in fila subtilia distractile, valde elasticum et tinniens, ignitus ante fusionem; soluitur facile ab omni sale, viridescens, caerulescens, et dimisso temere soluente in sordes abit informes, pristina coloris pulchritudine amissa, vnde in aëre et aqua floresci, adeoque in paruas crystallos mutatur: facillime cum Plumbo et Antimonio in scorias vitrumue versum, a testa in fumos, vel per testam abit. Coloris est rubri, ad flauedinem tendentis, et grauitatis respectu aquae, velut 8843. ad 1000. B. *Kooper*. G. Kupfer. Ga. *Cuivre*. A. *Copper*.

AES VSTVM, *Crocus Veneris*, ex Cupro in igne per se, vel addito sulphure calcinato et in crocum conuerso, paratus. Nonnulli salem quoque addunt. Rodentem vim possidet, et ad vlcerum deputationem adhibetur. G. Gebrannt Kupfer.

AESCHYNOMENE. Sic vocatur herba impatiens, seu noli me tangere, quia tactum humanum non fert, eiusque ramuli et folia illico post contactum collabuntur, ab αἰσχύνομαι, pudeo. Ga. *la Sensitiue*. G. Empfindliche Pflanze.

AESCVLVS, potius *Esculus* Plinii, est arbor glandifera incertae speciei, dicta, quia eius fructus, seu glandes, comedantur, forte ab ἀεί, semper, et ἔδω edo. — Hodie hoc sub nomine *Hippocastanum* intelligitur, scilicet arbor ferens florem roscaeum (Heptandr. Monogyn.) et fructum coriaceum, subrotundum, echinatum, trilocularem, triualuem. Ga. *Marronier des Indes*. G. Roß- oder wilde Kastanien. A. *Horse-Chesnuts*.

AESTHETERIVM, vid. *Aistetherium*.

AESTIVATIO, plantarum est corollae complicatio ante explicationem floris.

AESTVARIVM, idem, quod *Vaporarium*.

AESTVS, idem, quod ardor, vitio. Notat quoslibet feruores, siue sint externi a sole, pharmaco, igne; siue interni a febribus et inflammationibus; dicitur etiam de aëris feruoribus. B. *Hette*. G. Hitze. Ga. *Chaleur*. A. *Heat*.

AETAS, est certus temporis decursus, quem id, quod vivit, transegit, et quo euidentem mutationem subiit. Estque sextuplex, 1. *Infantia*, vel *Pueritia*, nempe ad annum quintum, quae distinguitur in tempus ante, in, et post dentitionem. 2. *Adolescentia* ad annum decimum octauum, et adolescentia proprie dicta ad vigesimum quintum. 3. *Iuuentus*, a vigesimo quinto ad trigesimum quintum. 4. *Virilis aetas*, a trigesimo quinto ad quinquagesimum. 5. *Senectus*, a quinquagesimo ad sexagesimum; quae *viridis* vocatur, quoniam hi senes muneribus suis obeundis plerumque adhuc satis idonei sunt. 6. Hanc sequitur *Decrepita aetas*, quae tandem in mortem terminatur. Gr. Ἡλικία. B. *Ouderdom*. G. Alter. Ga. *Age*. A. *Age*.

AETHALES, est *Semperuiuum*; sic dicitur, quoniam semper viret. Ex ἀεί, semper, et θάλλω, viteo, pullulo.

AETHER Philosophis vsitata vox, subtilem quandam et fluidam substantiam denotat, quae per omnium corporum poros penetrat. — Chemici sumunt pro tenuissimo et volatili quodam liquore, qui ex spiritu vini, phlegmate suo orbato, et cum oleo vitrioli destillato paratur. Obtinetur vero etiam aetheris species, si acidum nitrosum, salis muriatici, vel aceti summe concentratum cum oleo vini combinatur, vnde *Aether nitrosus*, *salis communis*, *acetosus*, etc. oritur. *Aetherea* vocantur olea essentialia varia encheiriſi e vegetabilibus aromaticis elicita, quae Spiritum Rectorem continent, et oleis vnguinosis et empyreumaticis opponuntur.

AETHIOPIS, est herba, et quidem Species Hormini, vel Sclareae, foliis valde lanuginosis: sic dicta, quia ex Aethiopia huc allata.

AETHIOPS ANIMALIS dicitur puluis animalium combuſtorum, vt erinacei, talpae, paſſerum etc.

AETHIOPS MINERALIS, eſt praeparatio ex mercurio, quando nempe duae florum ſulphuris partes cum vnica parte argenti viui miſcentur: deinde mixtum accenditur, et pulvis niger remanet: vel paratur, ſumendo florum ſulphuris optimorum drachmam vnam, et mercurii drachmas tres, conteruntur in mortario vitreo, diu, fortiter, donec diſpareat argentum viuum, et fiat puluis niger; Puluis hic inodorus, inſipidus, nullo modo acer, nulli rei facile miſceri integre poteſt: Virtute gaudet lympham corrigente et praecipue anthelminthica: a ſumma nigredine Aethiopis nomen meruit. Ga. *Aethiops mineral.* A. *Aethiops mineral.* Si eodem modo antimonium cum ſulphure in puluerem nigrum teritur, is puluis.

AETHIOPS ANTIMONIALIS vocatur.

AETHIOPS VEGETABILIS dicitur puluis nigerrimus ſaporis ſubſalſi et ſulphurei, remanens, dum *Fucus marinus veſicularis*, ſ. *Quercus marina, veſiculas habens*, in crucibulo tecte comburitur. Vires ſunt reſoluentes, diureticae atque tonicae, hinc in viſciditate lymphae, vitiiſque glandularum potiſſimum conducit. v. Ill. *Delii* Differt. de *Aethiope Vegetabili.*

AETIOLOGIA eſt cauſae explicatio, ſeu ratio de rebus; medicam artem ſpectantibus. Vnde *Aetiologica* pars Medicinae eſt, quae cauſas morborum et ſanitatis exponit. Ex αἰτία, cauſa, et λόγος, ratio.

AETITES, lapis eſt veluti praegnans, cum quatitur, alio in vtero ſonante: huius genera pro diuerſitate ſuperficiei (ſcabrae ſc. vel laeuis), colorum, tum materiae, inibi contentae, conſtituuntur quatuor. Primum eſt exterius, ſcabrum colore vario, plerumque nigricante: continet in ſe lapidem *Callimum* dictum. Secundum cinerei coloris eſt, ac in ſe argillam, vel margam, continet. Tertium terram in ſe concludit, vnde *Geodes* vocatur. Quartum praeter hos addit *Plinius* nomine *Taphuſium*, qui noſtratibus incognitus. Primus orientalis eſt, raroque pruni magnitudinem ſuperat. Secundus et tertius etiam in Germania paſſim reperiuntur, pugnique magnitudinem ſaepe aequant. — Aetites aquam continens *Enhydros* vocatur. — Dicitur et *Lapis Aquilae*, quod in Aquilae nido veteres putabant reperiri, ad promouendum, vt fabulabatur, partum ab aquila eo deportatus, ab ἀετὸς, aquila. B. *Arent-ſteen, Adelaer-ſteen.* Ge. Adlerſtein, Klapperſtein. Ga. *Pierre d'Aigle.* A. *The Eagleſtone.*

AFFECTIO, vel *Affectus*, in Medicina receſſum a ſtatu naturali ſignificat: plerumque autem ſumitur pro paſſionibus animi, quarum magna vis eſt in genus neruoſum, et hoc modo etiam in totum corpus, adeo vt inter cauſas procatarcticas ſanitatis et morborum non infimum locum obtineant. B. *Hartſtochten.* G. Gemüthsbewegungen, Leidenſchaften. Vid. *Pathema.*

AFFECTIO COELIACA, vide *Coeliaca paſſio.*

AFFECTIO COLICA, vide *Colicus dolor.*

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA, vide *Hypochondriacus affectus.*

AFFECTIO HYSTERICA, vide *Hyſterica paſſio.*

AFFECTIO NEPHRITICA, vide *Nephritis.*

AFFINITAS Botanicis dicitur, dum in floribus ſtamina inter ſe cohaerent aliqua ſua parte, vel cum piſtillo.

AFFINITAS CHEMICA eſt vis interna corporum et principiorum, qua in mixtione et aggregatione retinentur, aut per quam in mutuos amplexus ruunt, quae ſic a creatore ordinata eſt, vt ſingula corpora eam ita determinatam habeant, vt cum certis corporibus non coeant, cum aliis fortius, cum aliis remiſſius vniantur, et haec relinquant, vt illis ſe iungere queant. Recenſio variorum ad alia affinitatis graduum, quos aliquod corpus habet, *Scala Affinitatum* vocatur, qualem primus *Stahlius*, dein *Geoffroy*, tum plures chemiae periti condidere. G. Verwandtſchaft. Ga. *Rapport.*

AFFION, idem, quod *Opium:* dicitur et *Offium:* eſt et nomen Electuarii, ab Indis Orientalibus in Bantam parati, ad excitandam venerem et ferociam, quod Opium continet.

AFFLICTIO, eſt aegritudo animi cum vexatione corporis coniuncta. Ga. *Affliction.*

AFRICANVS FLOS, vide *Tunetanus Flos* (*Tagetes Linn.*)

AGALACTIA, eſt lactis defectus, ex α priv. et γάλα, lac. B. *Gebrek van zog.* G. Mangel an Milch. Ga. *Defaut de lait.* A. *Want of Milk.*

AGALLOCHVM, ſiue *lignum Aloës*, Gr. Ξυλαλόη: eſt lignum, cuius fruſta raro magna ad nos adferuntur, vt plurimum enim in fragmentis nobis transmittuntur, nam ex integra arbore ſaepe, quae quercu magnitudine non inferior eſt, vix libra ſemis ligni laudabilioris eruitur. Optima ſunt nigro-purpurea, venis cinerei coloris interſecta, amara, ponderoſa, liquorem, ſi prunis candentiue ferro imponantur, exſudantia; aromaticum et ſuauem fumum, ſi incendantur, praebentia, bullulaſque ſimul poſt ſe relin-

quentia, haud ita facile diſparentes; his adde haud poſtremum bonitatis ſignum, ſi aquae ſupernatarint. Dicitur et *Lignum Paradiſi.* Naſcitur in Sumatra, Champac, vicina Chinae Regno regione, et in Cochin China. B. *Aloë-hout, Paradys-hout.* G. Paradies-Aloesholz. Ga. *Bois d'Aloë ou de perroquet.* A. *Wood of Aloës.* Indis, *Calambac.* Gr. Ἀγάλλοχον, ab ἀγάλλομαι, exſulto, glorior, quod inſignem ſuauemque in ſuffitu ſpiret odorem; nec non oris gratiſſimum praeſtet halitum, viresque roboret. Hinc Chinenſes maxime eius odoratu delectantur, et quo gratior amicus, eo meliorem portionem ipſi offerunt. Cum raro verum Agallochum in officinas noſtras deferatur, alia plerumque Ligna, vt *Aſpalathi*, vel *Aſphalti*; vel *Lignum Aquilae* et *Calambour*, earundem ſed inferiorum virium, ſubſtituuntur.

AGARICVS vel AGARICVM, eſt excreſcentia forma fungi, nata in trunco, aut magnis ramis plurimarum arborum, vt Laricis et veteris Quercus. Duae ſunt ſpecies Agarici, vna vocatur *foemina*, quae eſt alba, leuis, friabilis, et tenera; pugnum fere magnitudine refert, habetque rectas intus, pectinum modo, venas et inciſuras; ſaporis ſtatim poſt aſſumtionem dulcis, ſed mox in amaritudinem tranſit: odoris eſt penetrantis; haec eſt optima ſpecies, quae in officinis recepta inter purgantia recenſetur, et eſt *Boletus Pini laricis.* — Altera ſpecies, quam vocarunt *mas*, eſt flaua, compacta, grauis, lignoſa, et tenax; haec creſcit plerumque in veteri trunco Quercus, eamque ob cauſſam *Agaricus Quercinus*, *Fungus igniarius*, vel *Agaricus* pedis equini facie vocatur, et a multis vt praeſtantiſſimum ſtypicum laudatur. Prima pecies plerumque venit ex Italia: naſcitur quoque in Sarmatiae regione, quae Agaria dicitur, indeque nomen accepiſſe perhibent; vel ab Agaro, quem et vrbem et amnem in Sarmatia vocari tradit Ptolemaeus. B. *Lerken-zwamme*, et *Bloed-zwamme.* G. Lerchenſchwamm, et altera ſpecies Eichenſchwamm, ſeu Blutſchwamm. Ga. *Agaric.* A. *Agarick.* Gr. Ἀγαρικόν.

AGARICVS MINERALIS, vide *Marga* ſ. *Lac lunae.*

AGERATVM *Tournefortii* eſt planta flore monopetalo, perſonato, inferne tubulato, ſuperne in duo labia diuiſo, colore luteo, folia germinat multa, parua, oblonga, inciſa, repentia, ſaporis amari; ſemina reconduntur in capſula membranoſa; radix eius fibroſa, parua, flaueſcens. Creſcit in montibus et locis ſiccis: officinalis eſt: Vox fit ex α priv. et γῆρας, ſenectus, quod flos colore vix ſeneſcat. Belg. *Rhynbloemen*, *Motten-kruid.* G. Rheinblumen, Mottenblume, Mottenkraut. Ga. *Ageraton.* A. *Maudlin.*

AGERATVM, ſeu *Balſamita foemina*, ſeu *Achillea Ageratum Linn.* (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) foliis lanceolatis, obtuſis ſerratis, eſt planta flore radiato, cuius flores in faſciculis denſis naſcuntur; qualitatis amarae, ſuaueolentis, aromaticae.

AGERAZIA, eſt inſeneſcentia, ſiue talis ſtatus, in quo ſanitas et vigor in aetate prouecta conſeruatur, ex α priv. et γῆρας, ſenectus. B. *Ieugdigheid in oude Iaeren.* G. Munter Alter, grünendes Alter. Ga. *Fleuriſſante vieilleſſe.*

AGGLVTINANTIA vocantur, quae vulnerum labia diuulſa coniungunt, et ad perfectam vnionem deducunt, qualia ſunt adſtringentia et exſiccantia. B. *Van maikander lymende of hegtende Medicamenten.* Ga. *Remedes agglutinatifs.*

AGGREGATIVAE PILVLAE, dicuntur ab aggregare: quia, vt inuentor *Meſue* putabat, illis omnes humores aggregantur, vel quia multa remedia aggregant; idem eſt, ac ſi diceres *Polychreſtae.*

AGGREGATVS FLOS quibuſdam Botanicis dicitur, cuius floſculi ſinguli peculiari calice gaudent, omnes tamen communi perianthio continentur.

AGHEVSTIA eſt ſuppreſſio facultatis, qua diuerſos ſapores percipimus.

AGNINA TVNICA, idem, quod *Amnios* tunica, quam vide.

AGNVS CASTVS, eſt *Vitex.* Agnus dicitur, quaſi ἄγνος, ſine ſemine: quod crederent, ab illo Veneris impetum cohiberi, adeoque ſemen in viro infoecundum reddi, et ne quidem generari. Folia habet, ſalicis foliis non abſimilia, quibus olim lectos caſtitatis ergo ſternebant. Sed Ἄγνος, Lat. eſt caſtus, et vnicam vocem bis nominant, ſemel nempe graece, et ſemel latine. B. *Kuisboom.* Ge. Keuſchbaum. Ga. *l'Agnus caſtus.* A. *Chaſtetree.* Proſtat in officinis Semen Agni caſti, piperi non abſimile, quod tamen raro hodie adhibetur.

AGOMPIASIS, vide *Gomphiaſis.*

AGON certamen; ſignificat ſaepe ſummum vitae periculum ex morbo.

AGONIA, eſt timor et animi contriſtatio, ab ἀγωνιάω, anxius ſum, ſiue potius illa horrenda hominis conditio, qua ſumma anxietate oppreſſus, ſemet ipſum perferre non poteſt, et morti quam proximus eſt. B. *Droefheid.* G. Heftige Traurigkeit, Unmuth. Ga. *Agonie, combat, anguiſſe.* A. *An Agony.*

AGONIA, seu *Atecnia*, est sterilitas, quae est mulieris, viro vtentis, ad concipiendum ineptitudo; dicitur et ἀφορία ab α priv. et φέρω, fero, porto; si a parte viri, fit vel ex vitio membri genitalis, vel seminis ipsius mala qualitate, vel defectu; in foeminis a mala vteri, vel aliarum partium, conceptui inseruientium, dispositione, vel conformatione, vel ineptitudine, foetum ad debitum vsque tempus alendi, vel tanta obesitate, vt ipsae partes genitales inde aggrauentur. G. Unfruchtbarkeit. Ga. *Sterilité.* A. *Barrenness.* B. *Onbevrugtheid, Zadeloosheid.*

AGONIZARE dicuntur, qui ex superante vi morbi, et viribus vitae prostratis, efflando animam proximi sunt: ab ἀγών, certamen. G. Im letzten Zügen liegen. Ga. *Agonizer.*

AGRESTA, vide *Omphacium.*

AGRIA, est *Agrifolium.*

AGRICANTHA, est cardui feri sylvestris species, ab ἄγριος, ferus et ἄκανθα, carduus.

AGRIELAEA, est *Olea sylvestris*, ex ἄγριος, sylvestris, et ἐλαία, Olea.

AGRIFOLIVM, siue AQVIFOLIVM, (*Ilex aquifolium Linn.*) est frutex, qui crescit saepe ad arboris altitudinem; eius truncus et rami sunt flexiles, habentque duplicem corticem, viscosum, griseum, aut viridem, externe, pallidum interne, odoris ingrati; lignum est durum, compactum, ponderosum, album in sua substantia, in interiori parte nigricans; habet folia in ambitu longa, Laurum referentia, acuta, rigidis spinis armata, semper virentia, flores monopetalos, rotatos, (Tetrandr. Tetragyn.) baccas paruas, rotundas, rubras, quaterna semina triquetra continentes: Forte ab ἀγρεύω, venor, quia eius glutine aues capiuntur. Vel ab ἀγριόω, ferus sum, idque propter folia spinis acutis horrida. Referunt *Caesalpinus* et *Dodonaeus*, quod frutices hi, vbi veterascunt, aculeos deponunt, et folia horum loco producunt similia Lauri. Decoctum foliorum vt remedium pectorale commendatur. G. Walddistel, Stechpalm, Hülse. Ga. *Houx.* A. *The Holly-Tree.* B. *Hulst.*

AGRIMONIA, siue *Eupatorium* Graecorum, est herba officinalis cum foliis pinnatis, neruosis, rugosis, instar Pimpinellae; floribus hexapetalis rosaceis (Dodecandr. Digyn.) in spicam congestis; florem fructus sequitur exiguus, veluti echinatus, qui binum, vel solitarium semen continet. Radix perennis est, longa, mediocriter crassa, nigricans: nomen accepisse videtur, quia sibi in agris alimoniam quaerit; vel quod

quod nomen obtinuit ab Argemone, cuius etymon vide in *Argemone.* Virtute gaudet subastringente atque traumatica. G. Odermennig, Bruchwurz. Ga. *Agremoine.* A. *Agrimony.* B. *Agrimonie, Lever-kruid.*

AGRIMONOIDES, est Agrimoniae species, ex Agrimonia, et εἶδος, forma. Differt vero, quod flos non fit ita congestus, neque fructus ita hispidus, et non decem, vti illa, stamina habeat. Est *Agrimonia Agrimonoides Linn.* foliis caulinis ternatis, fructibus glabris.

AGRIOCARDAMVM, est Nasturtii aquatici species; ex ἄγριον, sylvestre, et κάρδαμον nasturtium: vide *Iberis.*

AGRIOCASTANVM, est *Bulbocastanum*, ex ἄγριον, sylvestre, et κάστανον, castanea.

AGRIOCINARA, est *Articocalus* sylvestris, ex ἄγριος, sylvestris, et *Cinara.*

AGRIOCOCCIMELEA, est *Prunus* sylvestris, ex ἀγρία, sylvestris, κόκκος, bacca, prunus, et μηλέα, malus.

AGRIOMELEA, est *Mali Cydonii* species sylvestris, ex ἀγρία sylvestris, et μηλέα, malus.

AGRION, dicitur *Peucedanum.* Ἄγριον sylvestre est, quia forte sylvestria et montosa amat loca.

AGRIOPASTINACA, est *Saxifraga* Candiae, ex ἀγρία, sylvestris, et Pastinaca.

AGRIOPHYLLON, dicitur *Peucedanum*, ex ἄγριον, sylvestre, et φύλλον, folium.

AGRIORIGANVM, est *Origanum* sylvestre, ex ἄγριον, sylvestre, et Origanum.

AGRIOSELINVM, est *Ranunculi* species, ex ἄγριον, sylvestre, et Selinum.

AGRIOSTARI, est *frumenti* sylvestris species, ex ἄγριον, sylvestre, et τίλη farina triticea, aqua subacta.

AGRIPPA, quasi AEGRIPPA, ab aegro partu dicuntur, quorum nascendo non caput, sed pedes primi exierunt. Fuerunt autem multi sic appellati, quorum vnus fuit Menius Romanus, cognomento Lanatus. Alter Syluius Agrippa, duodecimus Latinorum Rex; etiam Marcus Agrippa, Augusti genere, et Herodes Agrippa, Herodis primi, Iudaeorum Regis, filius. G. Ein Kind, das mit den Füßen voraus kommt. Ga. *Un enfant, qui se présente dans l'accouchement par les pieds.* A. *A Child that is with the feets first born.* B. *Een Kind, dat in 't baren met de voeten voor komt.*

AGROSTIS, ab ἀγρός, rus, ager; ita vel omne *gramen* dicitur, quod in agris prouenit, vel peculiare graminum genus, plures sub se species comprehendens.

AGROSTOGRAPHIA est descriptio graminum, ab Agrostis, et γράφω, scribo. G. Beschreibung der Gräser.

AGRYPNIA, siue PERVIGILIVM, aut VIGILIAE NIMIAE, et COMA VIGIL, est, cum somnus diu interrumpitur per aliquot dies, vel per aliquot menses, vel, vt dicitur, etiam annos. Alii ex somno irrequieto saepius euigilant, et per aliquot temporis spatium redormire non possunt. Sunt quoque sani, qui parumper dormiunt, diu vigiles: at in omni paene dolore vigiliae vrgent, et in plerisque febribus et morbis aut peruigilium est, aut irrequietus somnus; inprimis vbi leuissimae inflammationis cerebri prima initia adsunt, quibus auctis in coma mutatur saepe; senes item saepe molestis vigiliis fatigantur, quas etiam efficiunt ira, tristitia, sollicitudo, gaudium, meditatio, metus, etc. Ge. Schlaflosigkeit. Ga. *Insomnies.* A. *Watching, Waking, Watchfulness.* B. *Waken, Waking, Slapeloosheid.* Componitur vox Graeca ex α priv. et ὕπνος, somnus.

AGRYPNOCOMA, ex ὕπνος, somnus, et κῶμα, sopor inordinatus, idem quod *Coma vigil.* vid. *Agrypnia.*

AGYNOS, ex α priv. et γυνή, foemina: hoc est, qui sine vxore, aut concubina, vitam caelebs transigit.

AGYRTA, CIRCVLATOR, siue CIRCVMFORANEVS, qui medicamentis empiricis vendendis se dicat, eaque morbo cuiuis absque ratione vlla expellendo valere iactat, omnique fine discrimine aegro sanitatem promittit, hincque lucri gratia populum in foro congregat. Ab ἀγυρέω, populum congrego; olim ita vocabantur praestigiatores, qui diuina quadam virtute, carminibus, et sacrificiorum mysteriis, se morbos infligere, inflictos quoque curare, et si quid sceleris esset commissum a diuitibus, eorumque proauis, id magica sacrificiorum celebritate, suffimentorumque odore expiare, eorumque inimicos, tam fontes, quam insontes, carminibus oblaedere posse, gloriabantur. G. Quacksalber, Marktschreyer. Ga. *Un Charlatan.* A. *A Mountebank, Quack.* B. *Een Quakzalver, Beun-haas, een Iunpotagie, etc.*

AHENVM, est vas cupreum, vel ferreum, medicamentis coquendis et destillandis destinatum; dicitur et *Cucuma.* G. Ein Kessel. Ga. *Une chaudiere, un coquemar, un chaudron.* A. *A Bras-kettle.* B. *Een Ketel.*

AIPATHIA, vel AEIPATHIA, est perpetua passio, seu continua patientia, ab ἀεί, semper, et πάθος, passio.

AIRA est genus graminum (Triandr. Digyn.), gluma et corolla biualui, corolla adnascente, quod plures species floseulis vel muticis, vel aristatis, comprehendit.

AISTHESIS, siue *Sensus*: estque vel *externus*, vt visus, auditus, odoratus, gustus et tactus; hisce addunt sitim, famem, et coeundi appetitum. Vel *internus*, vt vulgo sensus communis, phantasia, memoria, iudicium, ratiocinium etc. *Aisthesis*, cum externus est sensus, est receptio, qua motus a corpore aliquo obiecto, fibrillis neruorum impressus, sensorio communi, indeque animae, mediantibus spiritibus animalibus, in neruis existentibus, seu potius materia neruea, communicatur. Ab αἰσθάνομαι, sentio. G. Die Sinnen, Empfindlichkeit. Ga. *Sens, ou sensations.* A. *The sense.* B. *De zin, bevatting.*

AISTHETERIVM, vide *Sensorium commune.*

AIVGA, est *Chamaepytis*, dicitur et *Abiga.* Vide *Iua* et *Abiga.*

AIZOON, est *Telephii et Semperuini* species, quae diu succulenta persistit, ex ἀεί, semper, et ζωόν, viuum.

AIZOON est etiam genus exoticarum plantarum, quas Ficoidem procumbentem et Hispanicam alii vocant; alii et Fritillariam crassam eodem nomine denotant.

AL, est articulus Arabicus, qui nominibus in principio saepe apponitur, ad rem nempe exaltandam, vt in Alcali, Alchymia, Alhandal, Alkekengi, etc. idem sonat, ac Hebraeorum *Ha* et Belgarum *De, het.* G. Der, die, das. Ga. *Le, la.* A. *A, the etc.*

ALABASTRI, sunt folia illa viridia herbacea, quae flores nondum explicitos sepiunt. G. Knöpfe, Blumenknospen. Ga. *Boutons.* A. *Button.* B. *Knoppen.* — In Mineralogia *Alabaster*, seu *Alabastrites*, lapidem certum denotat, qui et vnguentum Alabastritidis ingreditur. Vide *Alabastrites.*

ALABASTRITES, est species marmoris, seu potius gypsei lapidis, verum ipso marmore mollior, coloris candidi, rubri, eleganter variegati, et diuisis maculis, aut venis signati, punctulis nitens, polituram admittens, et particulis arenaceis micantibus constans. Hic est ita mollis, vt cultro scindi possit, et est lapidis genus, e quo varia torno finguntur vasa. Grauitatis est respectu aquae velut 1,872:: 1000. Vnguentum ingreditur Alabastrinum. Ge. Alabaster. Gall *De l'Albâtre.* A. *Alabaster.* B. *Alabaster.* Gr. Ἀλαβαστίτης.

ALANA TERRA, vide *Tripolis.*

ALAE, dicuntur nasi latera, siue cartilagines, quae inferiorem mobilemque nasi partem formant. G. Die Nasenflügel. Ga. *Les Cotés des Nárines, ou les Ailes du Nez.* A. *Wings of the nose.* B. *De Neusvleugels.* — Item Nympharum pinnulae, seu labia pudendi muliebris, πτερυγώματα, μυοτόχαλα,

πτερυγοειδ. G. Die Lippen an der Frauenſchaam. Ga. *Ailes des parties honteuſes de la femme, les levres.* A. *The wing of the privy parts of a woman.* B. *De Vrouwelykheids Lippen.* — *Alae* etiam dicuntur pulmonum lobi. G. Lungenflügel. Ga. *Les lobes du Poumon.* — Item ſuperior auris pars elata. G. Das Ohrläpplein, Flügel des Ohrs. Ga. *l'Aile de l'oreille ou la partie ſuperieure.* A. *The wing of the ear.* B. *Het opperſte des Oors.* — Item axillae: G. Die Achſel. Ga. *Aiſelle.* A. *The armhole, the armpit.* B. *De oxel.* Gr. Μασχάλαι et μάλη. — Item proceſſus oſſis ſphenoidis. G. Die Flügel des keilförmigen Beines. Ga. *Ailes des Apophyſes de l'os ſphenoide.* A. *The winges of the wedgebone.* B. *De vleugels wyze uitſteekzels.* — Item *alae*, veſpertilionum alis ſimiles, vide *Veſpertilionum alae.* — Item Myſtaces, vide *Myſtax.* — Item plantarum caui inter caulem et ramulos anfractus, vnde ſinuatim noua proles egreditur, facta ab humanis translatione, ita dicuntur. Neque minus duo petala lateralia, quae cum vexillo et carina florem papilionaceum formant, *Alae* vocantur. Caules quoque plantarum *alati* ſunt, iuxta quorum longitudinem laciniae foliaceae decurrunt.

ALARES MVSCVLI, vide *Pterygoides.*

ALARIA OSSA, ſunt proceſſus pterygoides oſſis ſphenoidis. Ga. *Apophyſes pterygoides.*

ALANTOIDES, vide *Allantoides.*

ALATERNVS, *Rhamnus alaternus Linn.* (Pentandr. Monogyn.) eſt arbuſcula ſemper virens, cuius folia alterna, ſemper virentia, oblonga, ſatis magna; calix tubuloſus, profunde quinquefidus, inſtar ſtellae expanſus; ex parte interna calicis ex interſtitiis ſegmentorum, flos monopetalus, infundibuliformis, quinquepartitus, quaſi ſtellae in modum expanſis ſegmentis prodit; ouarium in fundo imi calicis, donatum tuba erecta trifida, fit bacca mollis, ſucculenta, poſt maturitatem nigra, foeta ternis ſeminibus gibbis ab vna parte, ab altera angulatis: deriuatur ex Italico ſermone, *a*, id eſt ad, et *Linterno*, Italiae fluuio, cui forte adnaſcitur; vel ab alterno, quia folia eius alterno ordine in caulibus ſunt diſpoſita. G. Alaternus. Ga. *Alaterne.*

ALATVS dicitur caulis vel petiolus, lateribus dilatatus, v. *Ala.*

ALBADARA, eſt Arabica vox, ſignificatque oſſiculum ſeſamoideum maius, pollicis articulo ad metatarſi oſſis caput appoſitum, paruum piſum magnitudine referens.

ALBA PITVITA, idem quod *Leucophlegmatia.*

ALBARAS ALBA, vide *Leuce.*

ALBARAS NIGRA, vide *Lepra Graecorum.*

ALBINVM, eſt *Gnaphalium marinum*, ſic a lanugine alba dictum.

ALBVGINEA oculi, vel innominata, eſt membrana, quae obducit partem anteriorem et hemiſphaericam oculi. Scleroticae firmiter adhaeret, ac videtur tantum eſſe expanſio tendinoſa muſculorum oculi rectorum et obliquorum, quae circa corneam valde attenuatur, et in ipſa quaſi euaneſcit, nec propria oculi tunica dici debet. — Datur et altera membrana *Albuginea* dicta, *teſtem* obuoluens immediate, robuſta, arcte cum ſubſtantia teſtis cohaerens, quae vaſa ſpermatica recipit, et ad teſtes transmittit. G. Das weiße Augenhäutlein und eigene Haut des Hodens. Ga. *Membrane albuginée.* A. *The white coat of the eye and teſtis.* B. *'t Witte vlies.*

ALBVGO oculi, idem quod *Album oculi.* — Item macula alba in tunica cornea, vel ab humoribus, vel a cicatrice, aut exulceratione excitata. G. Ein weißes Augenfell. Ga. *Une taye blanche à l'oeil.* A. *White ſpots in the eyes.* B. *Een witte oog-vlek.* Gr. λεύκωμα, et αἰγίς.

ALBVM CANIS, eſt ſtercus album canis praecipue oſſa rodentis, dicitur *Album Graecum*, vti ſtercus murium quoque *Album nigrum.* Illud olim in gargariſmatibus, hoc vt remedium antiepilepticum, nec non ad ſuppoſitoria et vt purgans adhibebatur.

ALBVM OCVLI, dicitur, vbi tunica *adnata*, ſeu *albuginea*, ſcleroticae tunicae adnaſcitur. G. Das Weiße in Augen. Ga. *Le blanc de l'oeil.* A. *The white of the eye.* B. *Het wit van 't oog.* Vide *Albuginea.*

ALBVM RHASIS, vnguentum eſt ex ceruſſa et axungia porcina compoſitum, ita dictum a colore albo, et ab Autoris nomine. *Rhaſis* enim inſignis fuit Medicus ex Arabum familia, Saeculo XI. in Hiſpania florens.

ALBVMEN OCVLI, vel ALBVGO, λογὰς, σφενδόνη, κυκλοτερίον. Idem quod *Album Oculi.*

ALBVMEN OVI, liquor albus, lentus, vitellum vndique cingens, externe duabus tunicis inueſtitus, membranis in plurimos orbiculos ſeparatos diſtinctus, veluti cepae bulbus. Recens ſi eſt, igne et acidis, nec non ſpiritu vini, concreſcit in duram materiam, ſed incubatu redditur fluidiſſimus, tenuiſſimus, volatu exhalans, non concreſcens igne, ſed reſolutus, ſitque ſic aptus alendo foetui. Albumen oui, praeter vſum culinarium, etiam in collyriis, ob virtutem refrigerantem adhibetur, praecipue cum fruſto aluminis conquaſſatum. G. Das Weiße im Ey. Ga. *Le Blanc ou le glairt de l'oeuf.* A. *The white of an egg.* B. *Wit van het Ey.*

ALBVRNVM, eſt ſubſtantia reticularis ſub libro et cortice ſubſtantiam lignoſam arborum ambiens, et quotannis in lignum tranſiens: ab albore dicta eſt *Plinio*: adipi in homine reſpondet. G. Spind, oder Baſt. Ga. *L'Aubour, ou Aubier (le blanc et la partie la plus tendre entre l'Ecorce et l'Arbre.)* A. *Baſt*, B. *Spint*.

ALCAHEST, vel ALKAHEST, ac ſi diceres *Alcali eſt*. Deſcribunt Alchemici veteres, eſſe generale reſoluens, perenne et immutabile, quod reducit omne corpus viſibile in liquorem ſui concreti, ſeruata ſeminum poteſtate, forma eſſentiali et natiua integra. Magni nominis, ſi modo paris effectus, quem quiſque ſuo proceſſui tribuit. Nonnulli in mercurio varie praeparato illud quaerunt, alii in tartaro, eiusue praeparatis: vel in alcali fixato nitri, vt *Glauberus*: vel in acerrimo aceti ſpiritu ab aerugine deſtillato, vt *Zwelferus*, et alii in aliis. Sed talem dari liquorem, vel vniuerſale menſtruum, omnino impoſſibile videtur, nec forte pro eo conſeruando vas reperiri poſſet. G. Ein allgemeines Auflöſungsmittel. Ga. *Un Alcaheſt, diſſolvant univerſel, un menſtrue univerſel*. A. *A general diſſolvent*. B. *Een algemein ſchei-vogt*.

ALCAHEST GLAVBERI. Eſt *Nitrum fixum*, ſeu nitrum ope detonationis per admiſtum puluerem carbonum in ſal alcali fixum mutatum. A *Glaubero*, qui hunc praeparationis modum primus deſcripſit, nomen habet, qui ab eo per deliquium ſoluto miras vires ſibi promiſit. G. Fixer Salpeter. Vide *Alcaheſt*.

ALCAHOL, vid. *Alcohol*.

ALCALESCENTIA ſunt talia alimenta, vel medicamenta, quae aſſumta Alcali in corpore humano generant. Talia ſunt animalia, eorumque partes, et ex vegetabilibus illa, quae fermentationi inepta ſunt, et de quibus ope ignis ſales alcalini produci poſſunt. Sanguis quoque humanus quibusdam in morbis in corruptionem alcalinam, ſeu alcaleſcentiam vitioſam abit. Vide Ill. *Schmidel*. Diſſ. de *alcaleſcentia humorum*. Vel etiam ex alimentis animalibus Alcali ſponta-neum in corpore naſcitur.

ALCALI, SAL ALCALI, ALCALINA. Salia, quae linguae cauſticum, vel acrem ſaporem imprimunt, cum acidis plus minus efferueſcunt, cum iis commixta ſalem medium conſtituunt, ſuccorumque vegetabilium caeruleorum colorem vt plurimum in viridem mutant, *alcalia* dicuntur. Nomen ab herba *Kali* accipiunt, ex cuius cineribus combuſtis *Soda*, quae alcali impurum eſt, educitur. Olim omnia falia alcalina ignis vi ex acido cum phlogiſto combinato generari au-

tumabant, recentiorum tamen, v. c. *Marggrafii* et *Wieglebii*, experimenta docere videntur, ea etiam a natura confici, atque corporibus, quae nondum ignem paſſa ſunt, ineſſe. Diuiduntur in *fixa* et *volatilia*, quae etiam *vrinoſa* dicuntur. *Fixa* ſunt 1) *vegetabilia*, inter quae *Cineres clauellati* et *Sal Tartari* puriſſima; impuriora ſunt *Tachenii* methodo parata, vt *Sal Abſinthii*. 2) *minerale alcali*, quod interdum, ſed rarius, natiuum occurrit, vt plurimum tamen baſin mediorum ſalium, vt marini et mirabilis *Glauberi*, conſtituit. *Volatilia*, tam ex animali regno, vt *pars alcalina ſalis ammoniaci*, quam ex variis *vegetabilibus*, v. c. naſturtinis, obtinentur. Nec in *minerali* regno, vt in lapide ſuillo, eius veſtigia deſunt. Vegetabilia alcalia, ſi puriora ſint, in aëre deliqueſcunt, vt ſal tartari in *oleum tartari per deliquium*, minerale vero alcali in pulverem fatiſcit. Alcali volatile ſolutionem cuprī coeruleam efficit. G. Laugenſalz, Alkali. Ga. *Sal Alcali*. A. *Alkali*. B. *Zuiver Zout*, *Loogzout*.

ALCALISATIO, eſt, quando verbi gratia ſpiritus vini alcali quouis impraegnatur, vt menſtruum euadat magis diſſoluens; vel quando ſal quoddam, addito principio inflammabili, per calcinationem in alcali mutatur.

ALCANNA, ſ. ALKANNA, *Vera*, ſ. *orientalis*, quae et *Alhenna* Arabum dicitur, eſt radix *Lawſoniae inermis Linn.* racemis inermibus (Octandr. Monogyn.) ex qua cum calce viua Arabes orientaleſque gentes extrahunt tincturam, cum qua dentes et vngues, nec non crines equorum, etc. rubro colore tingunt. In aquoſis non facile eius colorem extrahi perhibent, ſed in oleoſis. Eſt *Cyprus* veterum, vid. *Cyprus*. G. Alkanne, roth ägyptiſch Färbeholz. Ga. *Alcanne*. A. *Alkanet from the Levant*. B. *Alkanne Worteh*.

ALCANNA VVLGARIS vero eſt ex *Anchuſa tinctoria Linn.* quae in Europa calidiore creſcit. Radix tenuis, longa, lignoſa, rubra, ſub cortice ſanguineo ſubſtantiam albam includens, ſapore adſtringente praedita, ad vſus tinctorum tantum adhibetur. G. Rothe Ochſenzunge. Ga. *Orcanette*. A. *Alkanet*.

ALCE, ALCES, Gr. ἀλκή, id eſt vis et robur. Nomen animalis robuſtiſſimi, ceruo maioris, cuius vngula olim pro ſpecifico antepileptico, ſiue interne exhibita, ſiue amuleti inſtar de collo ſuſpenſa, laudabatur. Eſt *Cervus Alces Linn.* cornibus, caulibus palmatis, caruncula gutturali. G. Elendthier. Ga. *Elan*. A. *Alk*. B. *Eland*.

ALCEA, eſt herba, cuius caules villoſi, aſperi, medullam fungoſam habentes, folia *Maluae*, magis diuiſa, villoſa, caulibus longis adhaerentia; ſemina latiora, in capitula con-

geſta; reliqua *Maluis* communia, praeter calicem exterio-rem ſexfidum, qui in Maluis triphyllus, in Althaeis nouem-fidus eſt. Dicitur ab ἀλκή, robore, auxilio, remedio, quod fortiter dyſentericis ac ruptis medeatur impoſitum. Germ. Sigmarskraut, Sigmundswurz. Ga. *Mauve ſauvage ou Alcée.* A. *Vervain Mallow.* B. *Sigmaarts-kraid.* Dicitur etiam *Simeonis herba.*

ALCEDO, ἀπὸ τῆς ἐν ἁλὶ κύσεως, quod, vti veteres putabant, in mari pariat illa auis ſpecies. Eſt genus auium ad picas pertinens, cuius roſtrum trigonum, craſſum, rectum, longum; lingua carnoſa, breuiſſima, plana, acuta: mandibula ſuperior angulata. G. Eisvogel. Ga. *Alcyon, Martin-pecheur.* A. *Kingsfisher.*

ALCHEMIA, idem quod *Alchymia*, vide *Chymia.*

ALCHIMILLA, eſt planta, cuius folia ex radice erumpunt, caulibus longis adhaerent, et ſerrata, vel lobata ſunt; calix in octo, vel nouem ſegmenta fiſſus ſuperius, inferius tubuloſus eſt ſatiſque amplus, ſegmenta quatuor maiora, quatuor minora, in ſtellam expanſa; caules parui, rotundi, villoſi, ramoſi; flores apetali in ſummis caulibus habent ſtamina quatuor, et in vmbellam diſpoſiti ſunt; ouarium in fundo calicis tubam emittit apice ſphaerico donatam; calix fit capſula continens bina plerumque ſemina, parua, rotunda, flaua; Radix longa, digitum craſſa, externe nigra, fibris inſtructa. Virtutes ſunt traumaticae, ſubadſtringentes. Vocatur etiam *Pes Leonis* et *Stellaria*; ſic appellatur, quod Alchimiſtarum praeconiis ſit celebrata. *Pes Leonis* dicitur, quod folia habeat inſtar leonini pedis lata et rotunda. G. Sinau, Löwenfuß, Frauenmantel. Ga. *Pied de Lion.* A. *Ladies mantle.* B. *Onzer Vrouwen Mantel, Leeuwen-voet.*

ALCHYMIA, ſeu ALCHEMIA, eſt proprie illa Chymiae pars, quae agit de metallorum transmutatione, ſiue depuratione, qua metalla ignobiliora (cruda et immatura iuxta Chemicos) in nobiliora et matura ope artis rediguntur. Venit ex *Al*, particula intenſiua, et χόω, fundo. G. Alchymie, Goldmacherkunſt. Ga. *Alchymie.* A. *Alchymy.*

ALCIBIADIVM et ALCIBIVM, eſt *Echium*, ſic dictum, quod *Alcibius* quidam primo herbam illam aduerſus viperarum morſus inuenerit.

ALCOCALVM, eſt *Cinara*, ſiue *Articocalus*, forte ab ἀλκή, robore, et κόκκαλος, pini fructus, idque ob pini fructus figuram et vngues ſquamoſos.

ALCOHOL, ALCAHOL, ALKAHOL, ALCHOOL, ALCOOL, ALKOL, ALCOL, vox origine Arabica, eſt purior ſubſtantia rei ſegregata ab impuritate ſua. — *Alcohol* ſignificat puluerem ſubtiliſſimum et impalpabilem. — Interdum ſpiritum fermentatione productum, rectificatiſſimum, ita dephlegmatum, vt accenſus ardeat, donec totus conſumatur, nihilque faecum, aut phlegmatis, in fundo remaneat. Ge. Das Feinſte von einem Dinge, et in ſpecie den höchſt rectificirten Weingeiſt. Ga. *l'Alcohol, le plus ſubtil de quelque choſe.* A. *The purer ſubſtance of any thing.* B. *'t ſubtyſte, en 't pit van iets.*

ALCOL, idem quod *Alcohol.*

ALCOOL, idem quod *Alcohol.*

ALCOLAE Arabibus, idem quod *Aphthae.*

ALCYON, vid. *Alcedo.*

ALDABARAM, vocantur duo oſſicula ſub pollice pedis poſita, et minori fabae quadantenus ſimilia, quae in cenſu oſſiculorum ſeſamoidum poni debent. Vide *Albadara.*

ALECTORIVS, eſt lapis, et quidem ſilex, qui in ventriculis, vel hepate galli gallinacei et gallopauonis reperitur: nec tamen ibi generari videtur, vt nonnulli volunt; ſed forte ab his auibus deglutitur, vt cibum ſuum comminuant; vel eſt aliud quid, cui hoc nomen impoſitum eſt.

ALECTOROLOPHOS, eſt herba pratenſis, cui nomen *Criſta galli.* Ex ἀλέκτωρ, gallus, et λόφος, criſta; dicitur quoque *Fiſtularia, Pedicularis*, et *Mimmilus.* G. Rödel- oder Läuſekraut, Hahnenkamm. Ga. *Créte de cocq.* A. *Cocks-comb, or yellow Rattle.* B. *Hatelen, Hane-Kammekens.*

ALEMBICVS, ſeu ALEMBICVM, vel CAPITELLVM, ſeu GALEA. Putatur deriuari ab articulo Arabico *Al*, et Graeca voce ἄμβιξ, vaſis ſpecies. Eſt inſtrumentum Chymicum, quod cucurbitis et veſicis deſtillatoriis operculi vice ſuperimponitur: habet formam galeae, intus concauam, extus conuexam. Circa infimam partem roſtrum habet cubitale, per quod vapores deſcendunt. Si ſine roſtro fuerint, vſum potius in vaſis circulatoriis obtinent, et *Alembici caeci* vocantur. Ga. *Le rencontre.* Conficiuntur ex aere, ſtanno, vel vitro. Alii pro ipſa cucurbita ſumunt: iterum alii pro cucurbita capitello ſimul iuncta. G. Alembick, Deſtillirhelm, Roſenhut. Ga. *Alambic.* A. *An Alembick or Still.* B. *Een helm, een alembick.*

ALEPHANGINAE, vel ALOEPHANGINAE PILVLAE, eſt vox Arabica, ſignificans rem odoram; componuntur enim hae pilulae, in officinis proſtantes, ex Aloë, et plurimis aromatibus.

ALEXANDRINA FOLIA, vide *Senna.*

ALEXANDRINA TVTIA, vide *Tutia.*

ALEXICACON, est amuletum venenis resistens. Ex Ἀλέξω, opem fero, et κακὸν, malum.

ALEXIPHARMACA, ἀντίδοτα, ἀντίδοτοι, ἀλεξίκακα, ἀλεξιθήρια, θηριακὰ, dicuntur medicamenta, quae valent inertes reddere qualitates veneni cuiuscunque, quibus nocet corpori, licet hae minus cognitae; sed nulla talia alexipharmaca generalia dari posse, patet euidenter ex historia venenorum. Sunt tamen vt plurimum vel ea, quae obliniunt sua oleositate, diluunt sua aqua, vel immutant veneni partes peculiari virtute, vel quae solida stimulant et sanguinem commouent, ne a veneno coaguletur, vt volatilia omnia et ea, quae miasmata venenosa per poros cutis sub tenuissimorum halituum forma exterminant. Veteres doctrinam de venenis in duas dispescebant partes: alteram, quae docet remedia aduersus deleteria pharmaca intus sumta, vocabant ἀλεξιφάρμακα; ab ἀλέξω, *arceo*, et φάρμακον, *venenum;* alteram, quae remedia tradit illis, qui morsu aut ictu venenatorum animalium laesi sunt, inscribebant θηριακά. G. Ein Gegengift. Ga. *Preservatif, contrepoison, antidote.* A. *Medicines or Antidotes against poison. Alexipharmacs.* B. *Een Tegengift.* — Dicitur etiam *Antidotus.*

ALEXIPYRETICVM, et ALEXIPYRETVM, et ANTIPYRETVM, idem quod *Antipyreticum.*

ALEXITERIVM, est remedium, ne venenum suscipiatur, corpus praeseruans, ab ἀλέξω, arceo, et τηρέω, conseruo, vel vt aliis placet, a θήρ, fera, quod morsibus animalium medeatur. Idem notat, quod Alexipharmacum. Secundum nonnullos illa terminatio Graeca τήριος, quae in multis aliis nominibus Graecis occurrit, mere est paronymica, nullam compositionis speciem constituens. Remedia tamen aduersus omnis generis noxam corpore susceptam, siue ore acceptam, siue a bestia inflictam, communi quoque nomine Alexiteriorum denotabant, veteres, sub quo et medicinas intus sumendas, et exterius applicandas, et ipsa amuleta collo appendenda comprehendebant. G. Arzeney wider den Gift. Ga. *Preservatif, contrepoison, antidote.* A. *Medicines or Antidotes against poison.* B. *Een Tegen-gift.* vide *Alexipharmaca.*

ALGA, siue FVCVS, vocantur vegetabilia marina et palustria, quorum variae dantur species. Quaedam habent folia instar graminis, aliae instar capillorum; vulgares vero fuci habent folia pedem vnum, vel alterum longa, mollia, tenuia plus minusve, alba, vel rubra, aliquando viridia; reperiuntur vt plurimum circa littora maris. — *Algae* iuxta systema Ill. *Linnaei*

ordinem tertium plantarum cryptogamiarum constituunt. Dicitur vel ab aquae algore, siue quod pedes alliget, quia crassa est, et foliis ex parte supernatet: vel quod se ad conchas lapidesue alliget, ab alligando. Gr. φύκος θαλάσσιος, vide *Fucus.* G. Meergraß. Ga. *Algue.* A. *Graſſ-wrack, Seaweed.* B. *Wier.*

ALGEMA, et ALGEMATODES, ab ἀλγέω, doleo; idem quod *Dolor.*

ALGEROTH est puluis albus, insipidus, ponderosus, factus ex butyro, vel oleo liquefacto depurato antimonii, quod aquae purae instillatum, praecipitatur in talem puluerem, qui nihil habet omnino mercurii in se, hincque male *Mercurius Vitae* dicitur, sed purissimum stibii regulum; datus ad grana duo, vel tria, violenter emeticus est. Ga. *Poudre d'Algaroth, ou Mercure de Vie.*

ALGIDA FEBRIS vocatur, in qua propter vires vitae oppressas frequentior, vel perseuerans algor obseruatur.

ALHANDAL, vide *Colocynthis. Alhandal* est nomen Arabicum Colocynthidis, quod imponitur Trochiscis de Colocynthide.

ALHASEF, idem quod *Hydroa.*

ALHENNA, vid. *Alcanna.*

ALICA, potionis genus est, quod etiam χόνδρος dicitur, ab alendo, quod multum nutriat. Significat in genere granum, sed quid proprie apud veteres fuerit, an res factitia, an natiua aliqua seminis species, non adeo planum est. *Hippocrates* factitium quid esse innuere videtur, cum Alicam et Ptisanam iunxit, et inter sorbitiones fortiores retulit. Hodie hoc sub nomine intelligitur illa species frumenti, quae *Zea* dicitur, excorticata et conquassata, vnde decoquendo parantur iuscula pultesue, quibus bene nutriendi facultas inest. Perinde se res habet, vt cum Ptisana, quae proprie est semen hordei decorticatum, et decocta vel cum semine sorbetur, quod est *Ptisana integra,* vel sola colatura pro tenuiori alimento sumitur.

ALIENATIO MENTIS, idem quod *Delirium.*

ALIENATIO PARTIS, idem quod corruptio eius.

ALIFORMES MVSCVLI, seu ALARES, et PTERYGOIDEI, diuiduntur in externos et internos; vide *Pterygoides.* G. Die Flügelförmigen Mäußlein. Ga. *Muscles Pterygoides.* A. *The Pterygoide muscles.* B. *De Vleugel-spieren.*

ALIFORMIS, est epitheton processuum binorum ossis cuneiformis, ad palati latera occurrentium, a similitudine alarum vespertilionum. Vid. *Ala* et *Pterygoides.*

ALIMENTVM dicitur *Potus* et *Cibus*. Eſtque talis materia, cuius particulae minimae, actione viſcerum et vaſorum aſſimilatae noſtris liquidis animalibus et inquilinis, facile canaliculos noſtri corporis ſubire, permeare, lateribus applicari, et adhaerere iis poſſunt, totumque corpus reſtituere quoad ſolida et fluida, ac proin nutrire. Gr. Τροφή. Ge. Nahrungsmittel. Ga. *Nourriture, Aliment.* A. *Meat, nourishment or food.* B. *Spyze, Voedſel.*

ALINDESIS, eſt corporis exercitatio, qua oleo vncti ſe in puluere olim volutabant, ab ἀλινδέω, voluo; vel ab ἅλιν, voluto.

ALIPASMA, eſt puluiſculus, qui oleo commiſtus, ad cohibendos ſudores inungitur, ab ἀλείφω, inungo.

ALIPTA, vocabatur olim ille, qui Athletas inungebat.

ALISMA, eſt *Saponaria*, ſed aliis (vt *Linnaeo*) *Plantago aquatica* vel potius *Doronici* aut *Damaſonii* ſpecies. Dicitur quaſi ἰσμὲ τῆς ἄλης, quod virus venenatorum animalium debellare nouit; vel παρὰ τὸ ἀλέν καὶ ἰσμά, quod ſciat propulſare venenum leporis marini et ranae rubetae, opiique.

ALITES, ſeu volucres, ab alis gerendis, vel ab alis eundo dictae.

ALITVRA, eſt actio corporis viui, qua perpetuus ſanguinis, ſpiritus, ſubſtantiaeque defluxus, ope ſucci ex alimentis nouiter aſſumtis, praeparati, et in partes alendas impulſi, continuo inſtauratur. Gr. Θρέψις. G. Die Nahrung, Ernährung. Ga. *La Nutrition.* A. *Nourishment, Nutrition.* B. *Voeding.*

ALKAHEST, vide *Alcaheſt.*

ALKALI, vide *Alcali.*

ALKANNA, vide *Alcanna.*

ALKEKENGI, ſiue *Solanum veſicarium, Halicacabum vulgare, Phyſalis alkekengi, Linn.* (Pentandr. Monogyn.) habet caules exiguos, rotundos, rubicundos, in multos ramos exiguos diuiſos, folia Solani, ſed maiora; calicem tubuloſum, campaniformem, quinquefidum, inſtar veſicae, ſupra conniuentis, excreſcentem, qui per maturitatem fit pericarpium; flores monopetalos, rotatos, quinquefidos, ſtaminibus quinque praeditos; ouarium ex placenta ad finem pedunculi, intra calicem natum, tuba longa, gracili, apice globoſo praedita inſtructum, fit fructus mollis ceraſi forma, (qui tectus latet in veſica membranacea ex calice dilatato) per maturitatem rubens, ſaporis acidiuſculi aliquantulum amari. Continens ſub tenui pellicula pulpam globoſam, et flaueſcentem, in qua haerent ſemina compreſſa, ſubrotunda, rugoſa, plana, ſaporis ſubacris, ſubamari, odoris nullius euidentis: radix parua, alba, repens. *Alkekengi* eſt vox Arabica. Viribus gaudet ſubanodynis, refrigerantibus, eccoproticis, praecipue vero diureticis. G. Judenkirſchen, Teufelskirſchen. Ga. *Le Coqueret, ou l'Alkekenge.* A. *Winter-Cherry.* B. *Kriekjes van over Zee.*

ALKERMES, eſt confectio compoſita ex variis ſimplicibus, gratiſſima, magno olim in vſu, ac viribus cardiacis famoſa. Fit cum, vel ſine moſcho: illa viris, haec mulieribus conuenientior: fit quoque ſine ambra. Numen accepit a Granis *Kermes*, vide *Kermes.*

ALLANTOIDES, eſt tunica vrinaria, *farciminalis* quoque dicta. Nihil ipſi ſimile in hominibus reperitur, omninoque negant talem in humano foetu dari anatomicorum principes, cum contra ea in pleriſque quadrupeditus inueniatur. Deſcribitur vero, quod ſit inter Amnion et Chorion collocata, tenuiſſima, tenerior Amnio, multo pellucidior, ad tactum delicatior, aëris flatui minimo cedens, figurae oualis, nullis vaſis ſanguineis huc vſque viſis praedita; totum foetum non obuoluens, ſed ſolam partem, qua Chorion reſpicit; neque ad totam placentam extendatur; protendi enim nequit vltra margines placentae, vbi Amnios et Chorion tam arcte fibris connectuntur, vt nulla membrana inter eas adeſſe poſſit; recipit liquorem vrinoſum, a foetu ſecretum, et in eam ſenſim manantem ex veſica per vmbilicum et vrachum; ab ἀλλᾶς, farcimen, et εἶδος, forma: nam in pleriſque brutis farciminis inſtar figuratur; Latinis *Farciminalis tunica.* Ge. Harnhäutlein, Wurſthäutlein. Ga. *Membrane Alantoide.* A. *The Allantois.* B. *Pis-vlies, Worſt-vlies.*

ALLELVIA, eſt *Oxytriphyllum*, ſiue *Trifolium acetoſum*, ſic appellatur, quia, quando primum e terra folia emittit, eo tempore in eccleſiis canticum Alleluia cantari ſolebat. G. Sauerklee, Buchampfer, Haaſenklee. Ga. *Pain de Coucou, Alleluia.* A. *Wood-ſorrel.* B. *Koekoeks-brood, Klaver-zuiring.* Vide *Acetoſella.*

ALLIARIA et ALLIARIS, ſeu Heſperis allium redolens, ſ. *Eryſimum alliaria Linn.* (Tetradyn. ſiliquos.), eſt herba, quae trita Allium olet: radicem habet longiuſculam, rectam, tenuem, aliquando lignoſam; ex qua caules tenues, rotundi, vltra pedem alti exſurgunt; folia habet lata, ſubrotunda, per ambitum laciniata; flores fert in caulium ſummitate multos, tetrapetalos cruciformes, candidos et quaſi congeſtos; quibus ſiliquae tenues, oblongae, ſemine nigro exiguoque repletae, ſuccedunt. Vis eius, qua putredini reſiſtit,

in vlceribus putridis, et praecipue gangraena, summopere laudatur ab *Hildano* et *Boerhaauio*. G. Knoblauchkraut, Lauchel, Ramschelwurzel. Ga. *Herbe des aulx*, vel *Alliaire*. A. *Jack by the Hedge, Sawce all alone*. B. *Look zonder Look*.

ALLIVM, est planta bulbosa graueolens: quae habet folia longa, plana, non caua; caulem rotundum, politum; florem hexapetalum, liliaceum, (Hexandr. Monogyn.) pedunculo longo sustentatum, in fasciculum globosum collectum, paruum, saepe destitutum ouario, si modo mas sit, aliquando ouarii specie et tuba instructum. Ouarium intra florem situm fit fructus, subrotundus, trilocularis, plenus seminibus subrotundis: saepe autem ouarium solitarium globosum, pellicula obuolutum, specie bulbi haeret ad vnum pedunculum floris. Foetor est olidus in omni parte plantae: Radix huius plantae est tunicata, bulbosa, ex multis nucleis constans: integer bulbus nondum fractus, nullum odorem spargit, sed demum vbi fractae squamulae sunt, odorem acrem fundunt, qui, si interne sumatur, per totum corpus penetrat. Allium gaudet viribus irritantibus, pellentibus, maturantibus, anthelminthicis, diureticis, diaphoreticis, hinc eius vsus proficuus est in morbis a solidorum laxitate et visciditate fluidorum oriundis, noxius vero in iis, qui in strictura solidorum et fluidorum acrimonia proueniunt. Venit a Graeco verbo ἄλλεσθαι, exilire, quod nimium exiliendo crescat, vel ab ἀλλάσσω, muto, quod anhelitum mutet, et alterare faciat: grauem enim odorem spirat. Gr. Ἀγλίδιον, Σκόροδον, Ὄλκὰν, vide *Scorodon*. G. Knoblauch. Ga. *Ail*. A. *Garlick*. B. *Look*.

ALLIOTICVM, est medicamentum Galenicum sanguinem alterans et purificans; coctum vt plurimum ex *radice taraxaci, cichorei, foeniculi, passulis: herbis endiviae, bellidis, lactucae, aceto sae, fumariae etc.* ab ἀλλιόω, altero, vario. Lat. *Decoctum alterans*. G. Ein Blutreinigender Trank. Ga. *Potion alterante pour purifier le sang*. A. *An altering potion*. B. *Een verander-drank, Mei-drank, bloedzuiverende drank*.

ALNVS, *Betula Alnus Linn.* (Monoec. Tetrandr.), est arbor mediocris magnitudinis, erecta, cuius truncus habet corticem asperum, fragilem, nigricantem, lignum tenerum, flexile, rubicundum, leue, facile in terra putrescens, sed fere nunquam in aqua, vnde pro fundamentis aedificiorum optime inseruit; ramos molles, teneros, cortice externe griseo, interne flauescente tectos, saporis amari, ingrati cum quadam adstrictione; folia subrotunda, dentata, viridia, splendentia, viscosa; fructus squamosus est, conoides, sub squamis recondens semina rubicunda et compressa. Officinas raro intrat; foliis tamen virtus antiseptica inesse creditur. Alpicolae affectus rheumaticos, imponendo assiduo saccos foliis alni calefactis repletos, sanare dicuntur. Crescit haec arbor in locis paludosis. Dicta ita, quod amne alatur. Vel ab ἅλος, palus, quia iuxta paludes succrescat. Gr. Κλήθρη et Κλήθρα ab κλάω, frango: Vel ab alendo, quod facile alatur, et in altitudinem assurgat. G. Erlenbaum. Ga. *Aune*. A. *The Alder-tree*. B. *Elzenboom*.

ALNVS NIGRA, vide *Frangula*.

ALOE, est planta exotica, crescens in Arabia, Persia, America, Africa, et India Orientali; quamquam et Europae calidioribus regionibus satis familiaris et etiam per hortos satis frequens sit. Habet folia longa, integra, semper virentia, arcte crassitie sua sibi mutuo iuncta, plerumque succulenta, crassa, carnosa, crenata, in margine acuta, Sedis fere accedentia; flos est monopetalus, tubulatus, infra prominens in ventrem, supra angustior, et in sex segmenta ibi scissus, nudus, clauo hyacinthino affixus, sex staminibus praeditus, (Hexandr. Monogyn.) Fructus oblongus, trilocularis, cylindricus, hexagonus, repletus seminibus sibi mutuo impositis planis, ad loculamentum suum accommodatis; radix perennis, fibrosa vel et tuberosa. — Huius plantae succus ex foliis expressis, vel incisis, sponte emanans, solis, vel ignis, calore inspissatus, saporis amari, aromatici, nauseosi, Aloë quoque dicitur, qui ex Arabia, Aegypto, India Orientali et Occidentali ad nos pellibus inuolutus affertur. Eius species hodie in officinis quatuor in vsu sunt, e diuersis plantae speciebus prouenientes. Scilicet Aloë succotrina, hepatica, caballina et quarta lucida dicitur; *Aloe succotrina*, ex insula Socotra, vel Socotera, Indiae orientalis ad nos allata, et ex Specie, quae *Aloë socotrina angustifolia spinosa flore purpureo*, vel *Aloë americana, ananae floribus suauerubentibus* vocatur, educta, est succus gummosus, et resinosus, ex fusco nigricans, dum fractus in lamellas, splendens et pellucidus, in puluerem redactus citrini est coloris: ex foliis, imo et ex plantis transuersim versus radicem dissectis, sponte sua vere et aestate, vbi succi nutritii luxuriant, in suppositas patinas amplas destillans, in quibus a sole condensatur, et exsiccatur; inde vlterius inspissatur, et quo exactius haec fiunt, eo Aloë pellucidior et nobilior obtinetur; hic succus sponte se in duas partes separat, scilicet in spissiorem fundum petentem, et in tenuiorem supernatantem. Aloë optima cognoscitur ex splendore, friabilitate, solutione in aqua. *Aloë caballina* ex

alia ſpecie proueniunt, quae vocatur *Aloë guineenſis caballina, vulgari ſimilis, tota maculata.* Eſt ſuccus gummoſo-reſinoſus, plerumque nigricans, priori ponderoſior, craſſior ac impurior, expreſſus ex foliis, in ſole concretus, ſaporis ſubacris, amari, nauſeoſi, odoris graueolentis, quaſi picei et myrrhati; *Aloë hepatica* eſt ſimilis ſuccus, ex alia ſpecie Aloes extractus, quae vocatur *Aloë perfoliata floribus pedunculatis, cernuis, corymboſis, ſubcylindricis,* ſubſtantiae durioris et compactioris, coloris magis obſcuri, odoris iniucundi, ſaporis amari. Vbi Aloë tam pura, vt pellucida ſit inſtar vitri, dicitur *lucida.* Aloë inſignem quantitatem partium reſinoſarum, ſed longe maiorem gummoſarum continet. Plurima medicamenta compoſita ingreditur, et praeter vim purgantem in parte gummoſa praecipue reſidentem, etiam calefacientem habet, ſanguinem commouet, menſes et haemorrhoides prolicit, lumbricos enecat; frequenter tamen in vſum vocata noxia eſt, praeſertim bilioſis, hecticis, ad haemoptyſin, fluxum haemorrhoidalem nimium et mulieribus ad abortum diſpoſitis. Gr. ἀλόη. Nomen accepiſſe volunt a ſale, vel ſalo, ſiue mari, cuius afflatu maxime gaudet: ἅλς enim eſt ſal: vel, vt aliis placet, quod ſalſedinis foris nonnihil contineat, vt caeterae maritimae plantae; ſed huius vocis etymon potius deducendum a voce Arabica, vel Hebraica. G. Ga. A. B. *Aloë.*

ALOEDARIA, vel ALOETICA, ſunt medicamenta, quae magnam, vel modicam Aloës quantitatem recipiunt.

ALOEPHANGINAE, vide *Alephanginae.*

ALOËS LIGNVM, vide *Agallochum.*

ALOGOTROPHIA, eſt improportionata nutritio, ita vt vna pars corporis maius incrementum accipiat, quam altera, vt in *rhachitide,* in capite praecipue et viſceribus, obſeruatur. Ab ἄλογος, rationis expers, et τρέφω, nutrio. G. Ungleiche Nahrung. Ga. *Nutrition imparfaite ou inegale.* A. *Unequal nourishment.* B. *Een ongelyke voeding.*

ALOPECIA, eſt *Plinio capillorum deſtitutum,* a lue venerea, phthiſi, virium corporis collapſu, vel aliunde ab omni acri humore, pilorum radices erodente, excitatum. Ex ἀλώπηξ, vulpis, et πίπτω, cado; a vulpe, cuius lotium effaeta dicitur reddere loca in annum, vt *Callimachi* Scholiaſtes annotat; vel a malo, vulpi peculiari. Vocatur etiam ϑφιάσις a figura, quod partes glabrae et pilis deſtitutae tortuoſae inſtar ſerpentum videntur. Vtrique huic affectui commune eſt, quod areatim pili decidunt; vnde etiam in genere hoc malum *Area* vocatur. G. Ausfallen des Haars. Ga. *Alopécie,*

pècie, Chute des Cheveux. A. *Outfalling of ones hair.* B. *Uitvallen des hairs, Houfdzugt, Hairelooshеid*

ALOPECVROIDES GRAMEN, ſeu *Lagurus* ſpica, vel ariſtata, vel mutica, eſt gramen vulpinum, (Triandr. Digyn.) ex ἀλώπηξ, vulpes, et εἶδος, forma. G. Fuchsſchwanzgraß. Ga. *Herbe de queue de Renard.* A. *Fox-Tail Graſs.* B. *Voſſenſtaarten-graſs.*

ALOSA PISCIS, vel ALAVSA, ab alendo, Latinis *Clupea.* G. Elſe, Ilſe. Ga. *Aloſe.* A. *Pilchard.* B. *Elft.*

ALPHENIC, nomen Arabicum, Penidium, ſeu ſaccharum hordeatum ſignificans. G. Gerſten- oder Peniszucker.

ALPHITIDON, eſt fractura oſſis in multas tenues partes farinae inſtar. Gr. Ἄλφιτον, farina. G. Zermalmung eines Knochens. B. *Vergruyzing van 't Been.*

ALPHVS, Lat. *Vitiligo,* eſt morbus cutaneus, qui ita deſcribitur a *Celſo;* dicitur ἄλφος, vbi color albus eſt, tere ſubaſper, et non continuus, vt quaedam quaſi guttae diſperſae eſſe videantur in cute. Interdum etiam latius, et cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. *Alphus* etiam appellatur *Morphaea,* procul dubio a Μορφή, quod ſcilicet cutis color in album, vel nigrum, mutetur, et ſi niger eſt color, et vmbrae ſimilis, vocatur μέλας, caetera eadem ſunt. Λεύκη habet quiddam ſimile Alpho, ſed magis albida eſt, et altius deſcendit, quam Alphus, in eaque albi pili ſunt, et lanugini ſimiles. Omnia haec ſerpunt: ſed in aliis celerius, in aliis tardius. *Alphus* et *Melas* in quibuſdam variis temporibus oriuntur et deſinunt. Locum, quem occupauit, non facile dimittit. Ἄλφος dicitur ab ἀλφαίνω, muto, vt *Aëtio* placet. Alii ab Alpibus, Italiae montibus albis, deriuant. G. Der weiſſe Auſſatz, Mehlfleck. Ga. *Lepre blanche.* A. *The white leproſy.* B. *Een witte Lazeri.* Arab. *Baras.*

ALSINE, eſt planta habens folia parua, oblonga, ſibi inviicem oppoſita, bina, cauli adhaerentia; calicem magnum, oblongum, in quatuor, vel quinque ſegmenta diuiſum; florem roſaceum, (Pentandr. Trigyn.) e pluribus petalis, modo integris, modo bifidis, conſtantem, prout calix vel eſt quadrifidus, vel quinquefidus; his floribus ſuccedit fructus parvus, membranaceus, includens ſemina exigua, obrotunda fere, rubra, aut fuſca; radix parua, fibroſa. Eſt planta ſylveſtris, amans loca vmbroſa et vliginoſa. Ab ἄλσος, lucus, vbi naſcitur: dicitur quoque *Auricula muris,* quod parietibus accreſcat: et *Morſus Gallinae,* quia ab iis amatur; aliis quoque auiculis, quum cibos reſpuunt, pro medicamento exhibetur. Vires ei ſunt aperientes et antiphlogiſticae. G.

Hünerdarm, Hünerbiß, Vogelkraut, Mäuſegedärme. Gall. *Morgeline.* A. *Chick-weed. Henbit.* B. *Vogel-kruid. Muur en Muur-Kruid.*

ALTERANTIA, idem quod *Alliotica.*

ALTERATIO SANGVINIS, ſignificat ſaepe ſanguinis per medicamenta, quae ſine manifeſta quadam euacuatione operantur, depurationem. Vide *Alliotica.* G. Blutreinigung. Ga. *Purification du ſang.* A. *A purifying of the blood.* B. *Bloedzuivering.*

ALTERNA vocantur folia per gradus circum ramum exorta.

ALTHAEA, *Ebiſcus*, vel *Ibiſcus.* Officinae, quae vt plurimum barbaricis vocibus gaudent, *Biſmaluavi*, *Maluauiſcum* et ſimpliciter *Euiſcum* nominant. *Maluauiſci* autem vox corrupta eſt, ex Malua nimirum et Euiſco compoſita; quaſi dicat aliquis Malua-Ebiſcus. Planta eſt, polyſperma, capſulis ſeminalibus articulatis in orbiculum ſubrotundum, depreſſum diſcedentibus, introrſum dehiſcentibus, petalis quinque, baſi coalitis, obcordatis, praemorſis, planis, (Monadelph. Polyandr.) folio longiori ſerrato, molleculo, tomentoſo. Radix oblonga, digiti craſſitie, in ramos diuaricata, foris pallide cinerea, intus pallida, ex ſiccitate rugoſa, ſaporis mucilaginoſi, et lenti, odoris nullius euidentis: diſciſſa attactu eſt glutinoſa, et decocta cum aqua, ipſam reddit mucilaginoſam, hinc ad inuoluendam omnem acrimoniam ſummo in vſu eſt, plurimasque compoſitiones ingreditur. *Althaea* appellatur a multiplici remediorum poteſtate et vſu; vel *Plinio* Authore, ab effectus excellentia: nam Ἀλθαίνειν mederi eſt, et ἄλθος ſanatio. G. Ibiſch, Eibiſchkraut. Ga. *Guimauve ordinaire.* A. *Marsh-mallow.* B. *Heemſt, witte Maluwe, Huemſt.*

ALTHEBEN, Arabibus idem eſt, quod *Sebel*, vel *Pannus oculorum.*

ALVDEL, vel ALVDELLI, ſunt vitra ſublimatoria, et ollae fundo carentes, ſibique inuicem impoſitae, quae ollae ſuppoſitae adaptantur, ac ſublimationibus inſeruiunt. G. Ein Sublimirglaß, oder Gefäß. G. *Aludel*, *vaiſſeaux pour ſublimer.* A. *Subliming-glaſs.* B. *Sublimeer-glazen of potten.*

ALVEARIVM, eſt cauitas auris internae, ſiue meatus auditorius, vbi ſordes flauae et amarae gignuntur, et ſoni inferuntur. G. Die Höhle in dem Ohr Ga. *Le trou de l'oreille, le conduit auditif.* A. *The inmoſt cavity of the Ear.* B. *Het oor-gat.*

ALVEOLI DENTIVM, ſeu *Moenia*, vtriuſque maxillae cauitates ſunt, quibus dentes per gomphoſin inſeruntur.

G. Zahnhöhle. Ga. *l'Alveole des dents.* A. *The Sockets of the teeth.* B. *Kaſſen der tanden.*

ALVEVS AMPVLLOSVS idem eſt, quod *Sacculus Chyliferus.*

ALVMEN, eſt ſal in magnas maſſas concretus, ex cryſtallis octaëdris angulis truncatis maioribus efformatus, dulcem quaſi, ſimul vero euidenter adſtringentem, ſaporem habens, calore intumeſcens et pelluciditatem deponens (vbi *Alumen vſtum*, G. Gebrannter Alaun dicitur) et in aqua ſolubilis. Conſtat ex acido vitriolico et terra peculiari, quam aluminis terram (G. Alaunerde) dicunt, et quae argillacea, ſeu potius ſilicea, ope acidi vitriolici paullulum mutata eſt. Alumen vel natiuum reperitur, quod *rupeum* (Ga. *Alun de roche*) dicitur, vel ex propriis glebis, pyrite et terra educitur. Alumen ſponte efflorescens veteres, pro figurarum varietate, *plumoſum*, ſ. *trichites*, (G. Federalaun) *ſciſſile*, *rotundum*, etc. vocarunt. *Romanum*, quod rubrum colorem habet, ex ſelenitis ſpecie calcinata paratur. Obtinetur vero etiam ex aliis glebis, quas iuſto caloris gradu exponunt, quo acidum vitrioli in ſubſtantiam, quae baſin aluminis conſtituit, agere poſſit. Et deinde alumen ex glebis elixiuationis ope educitur. In hac alcali fixum, vel vrina additur, quo facilius acidum terra aluminis ſaturatum in cryſtallos abeat. — Alumen cum carbonum puluere, aut farina miſtum et igni per ſatis longum tempus impoſitum ac calcinatum *pyrophorum*, ſeu *phoſphorum Hombergii* largitur. vid. *Pyrophorum* et *Phoſphorum.* — Aluminis vires ſunt adſtringentes. Vſus tamen eius internus minus tutus eſt, externe et ſolutum et vſtum applicatur. Gr. Στυπτηρία. Arab. *Sceb*, ſiue *Seb.* G. Alaun. Ga. *Alun.* A. *Alum.* B. *Aluin.*

ALVMEN CATINVM veterum eſt ſal alcali fixum.

ALVMEN LIQVIDVM veteres aquas aluminoſas vocabant, quales hodie in Europa nullae ſunt.

ALVMEN PLVMOSVM, eſt 1) *alumen natiuum trichites.* vid. *Alumen.* G. Federalaun. 2) *Amianti*, vel *Aſbeſti*, ſpecies fibroſa, fibris parallelis, fragiliſſimis. Ge. Federamiant. 3) *Gypſi ſtriati* etiam ſpecies a nonnullis ita appellatur. Italis *Scaiula.* Has duas vltimas ſpecies a priore inſigniter differre, nec a menſtruis facile diſſolui, nullaſque vires medicas poſſidere, facile patet.

ALVMEN SACCHARINVM eſt alumen cum aqua roſarum et albumine ouorum pro vſu cosmetico paratum. G. Alaunzucker.

ALVMEN SCISSILE a nonnullis etiam ceruſſae ſpecies appellatur. G. Schieferweis.

ALVSMOS, ab ἀλύω, angor, est anxietas, aut incontinens corporis iactatio, vt commodior, si fieri possit, situs acquiratur, quod inprimis morborum acutorum symptoma est.

ALVTA, i. q. Corium. G. Leder, supra quod emplastra inducuntur.

ALVIDVCA, Medicamenta sunt, quibus aluus liquida et leniter fluida fit. Gr. ἐκκοπρωτικὰ, vide *ibid.* G. Laxirende Mittel. Ga. *Remedes laxatifs.* A. *Laxatiue or leniend medicines.* B. *Buikweekmakende Middelen.*

ALVI FLVXVS, idem quod *Diarrhoea.*

ALVVS, Gr. Κοιλία et Γαστὴρ, est abdominis cauitas, qua ventriculus, intestina, hepar, lien, renes, vesica, etc. continentur, vel et locus, per quem faecum et excrementorum crassorum naturalis fit excretio. G. Der Bauch. Ga. *Le ventre, les intestins, les entrailles.* A. *The belly, panch.* B. *Buik.*

ALVVS ASTRICTA, vel SEGNIS, dicitur, cum quis rare per secessum faeces ex intestinis, et tantum valde compactas et cum difficultate deponit, quod fit vel ab earum exsiccatione vt in iis, qui multum sudant; vel ab imminuto intestinorum motu, vt in iis, qui vitam sedentariam agunt. G. Hartleibig. Ga. *Dureté de ventre, le ventre constipé et paresseux.* A. *Bound in body, or belly. Costiveness.* Belg. *Hardlyvigheid.* — Idem quod *Coprostasia.*

ALVVS FLVIDA, est, cum quis liquida stercora, idque facillime, deponit. G. Weichleibig. Ga. *Le ventre libre ou lache.* A. *Looseness.* B. *Weekbuikigheid.*

ALYPON, est herbae nomen, scilicet *Globulariae* caule fruticoso, foliis lanceolatis, tridentatis integrisque, *Linn.* quae drastica est, hinc *Frutex terribilis* quoque vocatur. G. Staudigte Maßlieben. Dicitur quoque *Turbith album:* nec non *Alypia*, ex α priv. et Ἀλύη, dolor; herba dolorem quasi auferens. A. *Gut-Wort.*

ALYSSON, est planta, quae habet caules repentes, longos, duros, lignosos, rubicundos, tortuosos, in multos ramos diuisos, lanugine alba tactos: Folia oblonga, aspera, albescentia; Flores in vmbellam extremitati ramorum adhaerentes, tetrapetalos, cruciformes (Tetradyn. siliculos.), flauos; semper post vnumquemque florem nascitur silicula vnica compressa, rotunda, quae constat duabus membranulis, et septo medio membranaceo, quod valua dicitur; valvae hae contra septum illud complicantur, vel parallele, vel perpendiculariter; semina sunt oualia, compressa, rubicunda; radix est longa, lignosa, alba, fibrosa, lanuginem habens; crescit haec planta in locis montanis. Herba haec sic appellatur, quod a cane commorsos rabiem sentire non patiatur, et commorsis medeatur: singultum quoque sanat. Ex α priv. et λύσσα, rabies, singultus.

AMALGAMA, vnde AMALGAMATIO, est alicuius metalli cum mercurio commixtio, vt in mollem massam abeat. G. Verquickung, oder Zernagung des Metalls mit Queckſilber. Ga. *Amalgame.* A. *The reducing of a Metal by Mercury into a past.* B. *Metaal-menging met Quik.*

AMARACVM, est herba odorifera, ab *Amarace* puero regio dicta, *Amaracus Cynarae*, Regis Cypri, Vnguentarius fuit, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, fracto alabastro, maiorem ex confusione odorem creauit. Vnde optima vnguenta amaracina dicuntur; Hunc cum nimio odore contabuisset, in herbam *Sampsucum* mutatum esse fabulantur, quae postea ab eius nomine *Amaracum* appellata est: Folia Bliti habet, sed acutiora et magis polita, coloris viridis, subfusci, in margine rubicundi, saporis insipidi. Ga. *Espece de Marjolaine.* Vide *Maiorana.*

AMARA DVLCIS, i. q. *Dulcamara.*

AMARANTHVS, (Monoec. Pentandr.) Calyce pentaphyllo, colorato, flore apetalo, capsula trirostri vniloculari. Planta est floris comam speciosam et non marcescentem habens, variis coloribus ornatam; vnde eius nomen: Hinc hyeme et aestate ex illa gestant puellae immarcidas corollas. Ex α priv. et μαραίνω, marcesco. Herbariis nonnullis ex *Amore* et *Anthos* dictionem componi credentibus, *Flos Amoris* vocatur. G. Sammetblume, Tauſendſchön, Amarante. Ga. *Amarante, Passe-velours.* A. *Flower gentle.* B. *Fluweelbloemen.*

AMARELLA, est *Polygalae* species, et quidem *vulgaris Linn.* Atque sic ab amaritudine a *Gesnero* appellatur. *Linnaeus* quoque *Gentianae* speciem *Amarellam* dicit.

AMARVM dicitur de tali corpore, quod linguae applicatum illi sensum imprimit, quem omnes amarum vocant, qui dulci penitus est oppositus. Talis sapor est in bile animalivm, et in multis vegetabilibus, v. g. Aloë, Absinthio. Gr. Πικρὸν. G. Bitter. Ga. *Amer.* A. et B. *Bitter.*

AMATORII MVSCVLI, ita vocantur obliqui, seu rotatores oculorum musculi. B. *Minnaars-spieren.*

AMAVROSIS, est in rebus eminus et cominus positis, visus abolitio, ita tamen, vt nullum vitium externum in oculo vel accurate inspicienti appareat, idemque eius vitium

in nerui optici obſtructione conſiſtat: hic pupilla integra, minus tamen contractilis, ſed dilatata manens, humoresque integri ſunt; cauſa eſt omne illud, quod illaeſo ſpectabili bulbo facultates viſus ineptas reddere poteſt; hinc oritur vel a vitio in tunica retina, vel ſi afficitur neruus opticus aliquo in loco a retina ad thalamos neruorum opticorum; ſi ipſa medulla cerebri male ſe habeat, aut comprimatur in illa parte ſuae ſubſtantiae, vnde fit neruus opticus: vel ſi ipſe cortex, vnde producitur illa pars ſubſtantiae medulloſae, quae neruo optico inſeruit, vitiatus ſit. Vocatur etiam *Gutta ſerena.* Ab ἀμαυρόω, obſcuro. G. Der ſchwarze Staar. Ga. *Goutte ſereine.* A. *Dimneſs of ſight. Amauroſis.* B. *Een verdonkertheid des Gezigts, Stekeblindheit, heldere drop.*

AMAVSA ſunt vitra metallica, ſeu maſſa vitrea particulis metallicis in fuſione admixtis tincta.

AMBE, in genere notat ſupercilioſam eminentiam, quae eſt in ora alicuius rei, vel ambitu: vnde eminentia oſſium ſuperficiaria ita etiam dicitur. Item, inſtrumentum Chirurgicum, quo brachia dearticulata reſtituuntur, ſeu potius illam partem ligneam inſtrumenti, quae ad reponendum humerum luxatum capiti humeri ſupponitur.

AMBLOSIS, idem quod *Abortus.*

AMBLOTICA ſunt medicamenta abortum facientia, vt ſunt diuretica omnia, et quae vterum aperiunt, foetumque et placentam expellunt. Ab ἀμβλώσκω, abortio, vnde ἄμβλωσις et ἄμβλωμα, abortus. G. Abtreibende Mittel. Ga. *Remedes avortifs.* A. *Medicines which cauſe Abortion.* B. *Middelen die een Miskraam maken.*

AMBLYOPIA, eſt viſus obſcuritas: quae eſt quadruplex: *Myopia, Presbyopia, Nyctalopia* et *Amauroſis*, de quibus ſuo loco; ex ἀμβλύς, obtuſus, hebes, et ὄπτομαι, video. G. Dunkelheit der Augen. Ga. *La vue obſcurr.* A. *Dulneſs of ſight.* B. *Een donker gezigt, Oogen-ſchemering.*

AMBONAE, idem quod *Ambe.*

AMBRA commune nomen eſt, quod idem ſignificat, quam *Succinum*, item *Ambra griſea.*

AMBRA GRISEA bituminis quaedam ſpecies eſt, inflammabilis, pinguis, odoris ſuauiſſimi, coloris cinerei, interſperſis punctis et venis luteis, aut nigricantibus, quod procelloſis fluctibus ex fundo maris excuſſum et ad littus eructatum eſt. Recte cenſetur ex deſtillatione, ambram recenſeri inter ſuccina, et foſſiles reſinas, licet etiam in cetis reperiatur, qui forte illam deuorarunt, eaque delectantur. Inuenitur in Iaponia, inſulis Moluccanis, Mauritii, in Sumatra ad Occidentem, in Borneo, et Promontorii in Commeriis, prope Malabar ſitis, aliiſque Indiae tractibus. Optima cenſetur griſea, ſeu coloris cinerei, ſeu gryſei, a ſordibus purgata et odorata, laeuis, quaeque acu perfoſſa ſuccum pinguem reſudat. Notat Cl. *Kaempfferus*, quod nulla ſit melior bonitatis et conſtantior nota, quam ſi candenti laminae eius granula aliquot imponantur, quo ipſo ſuffitus prodit adulterium, et cineris paucitas bonitatem. Improbatur *nigra* et *candida* valde, procul dubio adulterata; ſaepius enim ſolet adulterari, notante eodem *Kaempffero*, qui dicit, quod, cum recens in littus deponitur, maſſae farinaceae inſtar et adulterio recipiendo aptiſſima ſit. Sunt, qui ambram griſeam nihil aliud putant eſſe, quam maſſam ex cera et melle conglutinatam, ex arboribus in mare delapſam, et tum ſolis calore elaboratam, tum ſale marino impraegnatam. Nihil vero eidem facilius ingeritur, (prout ipſi adulteratores Autori faſſi ſunt) quam gluma oryzae in pollinem redacta: nam haec et leuitatem et colorem glaucum ei conciliat; ſed hanc fraudem teredines, illata carie, poſſeſſori detegunt etc. Odorem fragrantiſſimum, ſpiritu vini extractum, aliis corporibus largiter communicat. Vires ſunt cardiacae et antiſpaſmodicae. G. Amber. Ga. *Ambre gris.* A. *Amber griſe.* B. *Amber-grys.*

AMBRA LIQVIDA, vide *Liquidambra.*

AMBRA NIGRA: hoc nomine ambra liquida, nec non ambra impura, inſigniuntur.

AMBROSIA, eſt herba quaedam *Botrys* dicta: ab α priv. et βροτὸς, mortalis, interpoſito μ vocalitatis gratia; vel quod mortales eam non edant, vel quod, qui eam comederint, immortales euadant: ideoque τὸ τῶν Θεῶν βρῶμα, Deorum cibus, dicitur, eximiae fragrantiae gratia Diis expetita. Habet caulem vnicum, in multos ramos diuiſum; folia inciſa, albeſcentia; flores floſculoſos, plurimis ſcilicet floſculis ſterilibus calice comprehenſis, conſtantes (Monoec. Pentandr.); fructus eſt clauae aemulus, echinatus, monoſpermus, foetus ſemine nigricante et oblongo, tuba bifida inſtructus, alio loco plantae; radix longa, lignoſa, tenuis. Tota planta habet odorem ſuauem, ſaporem aromaticum, aliquantulum amarum, ſed gratum: colitur in hortis. Infuſum Botryos Mexicanae, quae tamen ad Chenopodia potius referenda eſt, commendatur, vt remedium pectorale, antihyſtericum et ſpecificum lithontripticum. Ga. *Ambroſie.* A. *The Ieruſalem Oak. Mexico Tea.* Conf. *Botrys.*

AMBROSIA, eſt medicamentum ſolidum, ſed ea, qua fieri

poteſt, gratitudine praeparatum: a Deorum cibo denominari videtur, quia ſolis Diis *Ambroſia* in cibum faceſcit, vt *Nectar* in potum, ex α priv. et βροτὸς, *mortalis*. G. Der Götter Speiſe. Ga. *Viande des Dieux*. A. *The meat of the Gods*. B. *Gode-ſpys, een aangenaam geneesmiddel*.

AMBVBEIAE, et AMBVBAIAE, herbarii et rhizotomi. G. Kräutermänner.

AMBVLATIO, Chirurgis dicitur, quando pars quaedam inflammatione, gangraena, aut ſphacelo corripitur, et in ambitu plagae malum vlterius proſerpit. G. Um ſich freſſende Geſchwür. Ga. *Gangréne ambulante*. A. *A ſpreading gangrenous ulcer*. B. *Het ambuleert, 't quaad kruipt voort*.

AMBVSTIO, eſt continui ſolutio, a materia externa adurente (igne actuali, vel potentiali ſc.) cauſata, cuticulam ſemper, cutim plerumque, nonnunquam etiam muſculos, venas, arterias, neruos atque tendines laedens. Gr. πυρίκαυσις. G. Brand, Verbrennung. Ga. *Brûlure*. A. *Burning or Scalding*. B. *Gebrandheid*.

AMBVTVA, vide *Pareira braua*.

AMELLVS, dicitur a *Mella*, fluuio Galliae, iuxta quem herba haec plurima naſcitur.

AMENTACEVS FLOS, ſeu IVLVS, illa vocatur plantarum quarundam floreſcentia, quae nunc ſtaminibus tantum, aut apicibus, nunc foliolis quibuſdam componitur, axi cuidam affixis, amenti, ſeu lori, vel caudae ſelinae forma. Gall. *Chaton*. Iulus autem ſemper a fructu ſeparatur, vel in eadem arbore, vel in diuerſis arboribus eiuſdem generis, vt in ſalice, corylo, iuglande, caſtanea. Si flores maſculini in eadem cum foemininis, ſeu fructu, planta ſint, dicitur *Monoecia*; ſi in diuerſis plantis, vocatur *Dioecia*.

AMENTIA, vel *Dementia* eſt delirii mitioris ſeu ſubdelirii ſpecies, et facultatis ratiocinandi quaſi abolitio, dum ſenſus interni externis ſenſibus et obiectis non reſpondent, cuius cauſſa in quocunque praeternaturali ſenſorii communis ſtatu poſita eſt, et quod vel natiuitati imputandum, vel educationis inſtructioniſque defectui. Vide etiam *Anoëa*.

AMENTVM, idem quod *Alumen plumeum*, vide *Amianthus*. Eſt etiam terminus Botanicus, et ſignificat flores in longum protenſos, quales etiam Iuli vocantur. Tales habent ſalix, corylus, iuglans caſtanea. Vide *Amentaceus flos*.

AMETHODICVM, eſt quod ſine methodica et dogmatica ratione fit, vt ſolent empirici, ex α priv. et μέθοδος, ratio ad inuenienda auxilia.

AMETHYSTVS, eſt gemma pellucida purpurei, ſeu violacei coloris, aliquando ad flauedinem inclinantis, et in igne permanentis; huius color videtur deberi pigmento metallico, in ipſa earum natiuitate, quam intime permiſto vnitoque, ferro potiſſimum. Euincit hoc huius et aliarum ſimilium gemmarum colorum ſimilitudo, atque artificioſa harum confectio. Diuiditur in Orientalem et Occidentalem, atque hinc reperitur in India Orientali, Arabia Petraea, Armenia, Aegypto, Cypro, Bohemia, etc. G. Amethyſt, Ametiſt. Ga. *Ametiſte*. A. *The Amethyſt*. B. *Amethiſt*.

AMIANTHVS, eſt lapis, et quidem talci ſpecies, ſed abſque ſapore et in igne non combuſtilis, coloris varii, et in filamenta deductilis; inde veteres induſia aliaque praeparārunt, quae vbi ſordida, igni tradebantur et pura euadebant. Duplici forma diuerſa reperitur, ſcilicet ſub ſpecie filamentorum maiorum alumine plumoſo, quae vocatur linum incombuſtile; altera ſpecies ſub forma lapidis fuſci, vel nigri, duri, malleo extenſilis. Huc quoque referenda eſt *aluta montana, caro montana* et *ſuber montanum*. G. Bergleder, Bergfleiſch, Berggork. Gr. Ἄσβεστος, quod ellychnia ex eodem fiant incombuſtibilia. G. Federweiß, Steinflachs, Schieferweiß, Steindacht. Ga. *l'Amiante*. A. *Earthflax*, B. *Pluijn-aluin*.

AMMA, ſiue SVBLIGACVLVM, aut BRACHERIVM, eſt vinculum herniоſis vtile, quod vel ex lintea faſcia, vel orbiculo metallico inferius abdomen ambiente et protuberantia eminente interius donato, conficitur. Applicatur in inguine autem in eo loco, vbi inteſtina egreſſa ſunt, eumque comprimens, retinet inteſtina in abdomen reducta, quae caeteroquin elaberentur. Ab ἄπτω, connecto. *Bracherium* nomen accepiſſe videtur a cingulis, quae lumbis et renibus adaptantur, ab *Iſidoro Brachiale Monachorum* vocatur. *Succinctorium; Brachile*, ſeu *Brachiale* dicitur, quamuis non brachiorum, ſed renum ſit cingulum. *Rebrachiatorium Caſſiano*, vnde procul dubio natum *Bracherium* Chirurgorum, cingulum nempe herniam inteſtinalem ſubſtringens. G. Bruchband. Ga. *Un Brayer, Bandage pour les hernies, Ceinture*. A. *A Girdle for the ruptures, or a Truſs*. B. *Een breuk-band*.

AMMI, ſunt ſemina exigua, ſabuli grana referentia, ſtriata, globoſa, ſuauiter aromatica, ſaporis amari, acris, odoris fragrantis fere, vt Origani, vel Thymi; hinc inter ſemina quatuor calida minora recenſentur: optima deferuntur ex Alexandria, vel Candia, vbi producuntur. Planta, in qua creſcunt, eſt vmbellifera, ſatis procera, ramoſa, *Ammioſelinum* dicta, folia habens Anethi ſimilia, in longas et anguſtas diſſectas

lacinias abeuntia, crenas habentia ad coſtas; ſeu potius eſt *Siſon Ammi, Linn.* foliis tripinnatis, radicalibus, linearibus, caulinis, ſetaceis, ſtipularibus longioribus. G. Ammey. Ga. et B. *Ammi.* A. *Bishopsweed.* Nomen oritur ab ἀμὶς, matula, quaſi cogens homines ad matulam, vel ſecundum alios ab ἄμμος, arena, ob ſimilitudinem, quam habent ſemina cum granis fabuli. Vocatur quoque *Cuminum Aethiopicum*, ſeu Regium. A voce ammi, forte cammi et cummi, vnde *Cuminum*, vel vice verſa a *Cumino* vox *Ammi.*

AMMONIACVM GVMMI, ſeu HAMMONIACVM, eſt lachryma ex Ferula Africana, iuxta delubrum Hammonis naſcente, vnde et nomen. Planta vmbellata, nobis vix ſatis cognita, etiam in India Orientali ſat frequens eſt. Gummi inſtar thuris grumoſum eſt, digitis tractatum molleſcens, exterius flauum, interius ſubalbicans, cui ſemina, angelicae inſtar, interſperſa ſunt; odor eſt fere caſtoreus, et gravis, ſaporque aromaticus et amareſcens. Varia ſub forma exhibitum praeſtantiſſimas vires reſoluentes, abſtergentes et expectorantes exſerit. G. Ammoniak. Ga. *Gomme Ammoniac.* A. *Gum Ammoniak.* B. *Gom Ammoniak.*

AMMONIACVM SAL, vide *Armoniacum.*

AMNIOS, CHARTA VIRGINEA, eſt membrana, foetum in vtero proxime obuoluens, et molliter excipiens, quae etiam cum reliquis ſecundinis poſt partum expe litur. Chorio longe albicantior atque tenuior, firmior tamen eſt; ipſi Chorio blanditer accumbens, non tamen niſi ſuperiore parte adnexa, haec figurae fere oualis, maxime tenuis et ſimplex ac mollis eſt, laeuior ac politior parte interna, externa inaequalior, candida et pellucida, laxo interuallo a foetu diſtans, vix vaſis ſanguineis hactenus demonſtratis donata; exterius membrana chorio inueſtitur, quae ei aliquando ſatis tenaciter adhaeret ab hac parte, ita vt vix auelli queant. Continet non tantum foetum, ſed et humorem nutritium, quo foetus, per os et gulam alimentum ſibi ſugit: vid. *liquorem Amnii.* *Galea* quae vocatur, eſt amnii pars, in capite foetus prodeuntis remanens. Adparet, quando viae latiſſimae ſunt, hactenus felicis partus ſignum. Ἀμνῖος, Ἀμνίος Graecis dicitur, Latinis *amiculum*, ſeu *induſium*, quod amice foetum obuoluat: vel, vt alii volunt, ab ἀμνὸς, agnus, ſic ab eius teneritudine dicta et mollitie, vel μένος, animus, et quaſi ἀμένιον, id eſt ἄνευ μένος καὶ αἵματος, vel ἀμνίον, tanquam vas, inter ſacrificandum ſanguinem excipiens. Ge. Schaafhäutlein. Ga. *l'Amnios, Membrane des Eaux.* A. *The Amnion.* B. *Het binnenſte vlies van de Nageboorte, 't Lam-vlies.*

AMOCK, quaſi *ad caedem!* eſt ſolita illa exclamandi formula, qua vti ſolent ſerui in India Orientali, praecipue in Inſula laua, qui, dum vitae pertaeſi opio ſe inebriarunt, hinc inde vagantes mortem et quaerunt ipſi, et obuio cuiuis ſtricto cultro inferunt, qui igitur tum ab obuio quouis impune interficiuntur, tum, iubente magiſtratu, a certis, quibus id commiſſum eſt, hominibus, vbicunque deprehenduntur, crurifragio enecantur, caputque abſciſſum in mare proiicitur.

AMOLYNTVM, eſt medicamentum, quo tractato, manus non inquinantur, ab ἀμολύνω, non inquino.

AMOMVM veterum quid ſit, adhuc ſub iudice lis eſt. Sunt enim, qui roſam *Hierichuntis* ſ. *Anaſtaticam* eſſe volunt. Triplex vero planta, aut tria diuerſarum plantarum ſemina, hoc nomine inſigniuntur. 1) Eſt *Amomum racemoſum, verum, Amomum Dioſcoridis*, grana minora acria aromatica, ſiliquis triquetris incluſa, ſiſtens, ſ. *Cardamomum maius Elettari, Hort. Malab.* 2) *Amomum vulgare*, ſ. *Siſon Amomum Linn.* foliis pinnatis vmbellis erectis, quod *ſpurium* quoque dici poſſet, et in Anglia creſcit. Ge. Welſche Peterſilien. 3) *Amomum*, ſ. *Pimenta* quae in noſtris officinis occurrit. Eſt fructus, ſeu bacca immatura, *Myrtus Pimentae Linn.* quae ſapore et odore cum fructibus caryophyllorum conuenit. Continet bacca haec grana duo nigra. Eſt haec arbor Myrtus arborea aromatica foliis laminis *Sloan.* Nonnullis quoque *Piper iamaicenſe*, ſ. *Pimenta*, dicitur, ſub quo nomine in officinis Anglicis proſtat. G. Jamaikaniſcher Pfeffer, Piment, Engliſche Würze. Apud nos ad culinarem vſum etiam adhibetur. Conf. *Piper Iamaicenſe.* — *Amomum* dicitur ab odore bono, qui reprehendi minime queat, vel dictum putant, quod veluti odorem cinnamomi referat; μῶμος, enim eſt reprehenſio, et ἄμωμος, reprehenſioni non obnoxius. G. *Amome.*

AMOMVM *Plinii* eſt *Solanum.*

AMPELOPRASVM, eſt Porrum, circa vites naſcens. Ex ἄμπελος, vitis, et πράσον, porrum. G. Ackerknoblauch, wilder Lauch. Ga. *Ail, poireau.* A. *Bears-garlick.* B. *Wyngaardparei.*

AMPHIARTHROSIS, vide *Synchondroſis.*

AMPHEMERINVS, eſt morbus quotidianus, vnde πυρετὸς ἀμφήμερος, febris quotidiana, ex ἀμφὶ, circum, et ἡμέρα, dies.

AMPHIBIVM, eſt omne animal, aeque in aquis, ac in terris viuens. Character claſſis amphibiorum a *Linnaeo* aſſumtus eſt: Cor vniloculare, vniauritum, ſanguine frigido, rubro, pulmone arbitrario. Peculiaris quam conſtituunt, claſſis in regno animali, tres comprehendit ordines iuxta

Syſt. Nat. *Linn.* a) Amphibia reptilia (pedata, ſpirantia ore.) b) Amphibia ſerpentia, (apoda, ſpirantia ore.) c) Amphibia nantia (pinnata, ſpirant etiam branchiis lateralibus.) Vulgo vero etiam mammalia, quae multum in aqua verſantur, vt phoca, caſtor etc. amphibia, dicuntur. Ex ἀμφὶ, ambo, et βίω, viuo.

AMPHIBLESTROIDES, ſiue TVNICA RETINA OCVLI, mollis eſt alba mucoſaque ſubſtantia, cui nomen inditum, quod proiecta in aquas, reticulum aemuletur. Protenditur ab ipſo nerui optici centro, ſupraque vitreum humorem expanſa, ad ligamentum ciliare porrigitur: haec tunica ſiquidem albida et medullaris, ab ipſa nerui optici ſubſtantia medulloſa, ac fibroſa procedit; vt ſit fibrarum neruearum, quae illic in vnam faſciam colliguntur, quaſi in velum retiforme expanſio. Reuera ſi integer oculos pro flore, qui cerebro per neruum opticum, velut caudicem, accreſcit, ſumatur, tunica retina erit flos ipſe, ac duae priores tantum calicis vicem praeſtabunt. Habent ſe intra oculi thalamum velut paries albatus, qui ſpecies viſibiles, per foramen camerae atratae admiſſas, excipit repraeſentatque, cui ſpecies ſenſibiles imprimuntur, et a quo eadem πρώτῳ αἰσθητηρίῳ, ſeu ſenſorio communi, atque inde ipſi animae communicantur, ex ἀμφίβληστρον, rete, et εἶδος, forma. G. Das Nervenhäutlein im Auge. Ga. *La Rétine.* A. *The Retina of the eye.* B. *Het Net-vlies des oogs.*

AMPHIBRANCHIA, ſunt loca circa tonſillas, ex ἀμφὶ, circum, et βράγχος, raucedo.

AMPHIDAEVM, proprie Armilla, *Hippocrati* vero eſt caput oris vteri, labris cucurbitarum ſimile. Gr. Ἀμφίδαιον, Ὄγχιον, Λέγνον.

AMPHIMERINVS, vide *Amphemerinus.*

AMPHISBAENA, ex ἀμφὶς, vtrinque, et βαίνω, gradior: Serpentis genus eſt, nunc in anteriorem, nunc in poſteriorem progrediens partem, ob eamque cauſam, et vtriuſque extremitatis ſimilitudinem pro bicipite habitum. Eſt Serpens annulis circularibus trunci et caudae ornatus, abdominalibus ducentis, caudalibus triginta, albo nigroque varia. *Linn.* G. Die Ringelſchlange. Ga. *Amphisbène. Couleuvre à deux tetes.*

AMPHISMELA, eſt cultellus anceps anatomicus, vtrinque acie praeditus, ſecandiſque cadaueribus vtilis, ex ἀμφὶ, vtrinque, et μελίζω, membranatim concido; μέλα eſt ſpecillum. G. Ein zweyſchneidig Meſſer. Ga. *Couteau tranchant de deux côtéz.* A. *A diſſecting knife that cuts on both ſides.* B. *Een Mes aan beide zyden ſnydend.*

AMPHORA, eſt vas cum duabus anſis, quod capit duas vrnas, ſeu octo congios: et menſura eſt liquidorum apud veteres. Italis continet libras ſeptuaginta duas. Attica vero dimidium amphorae circiter ſupra Italicam amphoram continebat. Secundum hodiernam computationem, capit vini libras octoginta, et olei circiter ſeptuaginta. Ga. *Amphore.*

AMPLEXICAVLIA, dicuntur Botanicis folia, baſi caulem ambientia.

AMPVLLA, eſt vitrum rotundum, cui collum in ſummitate eſt. Ge. Ein rund Fläſchlein. Ga. *Phiole, Ampoulle.* A. *A Viol, a Glasbottle.* B. *Kinderglas, Fioolglas.*

AMPVTATIO, eſt operatio chirurgica, qua membrum, aut alia corporis pars, v. c. mamma, de corpore reſecatur. G. Abſetzung, Ablöſung, Abſchneidung eines Gliedes. Ga. A. B. *Amputation.* — Cultro partes molles, ſerra vero oſſa diuiduntur. Recentiores etiam oſſa *ex articulo* exſtipare ſolent v. c. humerum ex articulo eius cum ſcapula. — Si carnis ſegmentum relinquitur, quo reflexo vulnus tegitur, a Gallis *Amputation à lambeau,* G. Ablöſung mit den Fleiſchlappen dicitur.

AMVLETVM, PERIAMMA, PERIAPTON, eſt monile, quod e collo ſuſpenſum et geſtatum, vel in annulo, dicitur occulta quadam virtute remedium praeſentaneum aduerſus febres, venena et faſcinationes; eius efficacia tamen vnice a phantaſia dependere videtur. G. Amulet, Anhängſel.

AMVRCA, dicitur ſedimentum, vel recrementum oliuarum expreſſarum, faex olei. Gr. Ἀμόργη, ab ἀμέργω, exugo oleas, et amurcam exprimo. G. Hefen von Oele. Ga. *Féces ou la Lie de l'huile.* A. *The Lees vel Mother of oil.* B. *Droeſem van Olie.*

AMYGDALAE ſ. *Tonſillae,* idem quod *Antias* et *Pariſthmia.*

AMYGDALVS, eſt arbor ad mediocrem altitudinem aſſurgens, in ramos plures ſe expandens, quae habet folia longa, anguſta, acuta, ſaporis amari, grati: calix eſt monophyllus, quinquefidus; flos roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus triginta praeditus; ouarium in fundo calicis, inſtructum tuba longa, donata apice globoſo, quod fit fructus, ſeu drupa, callo puluinato, minus ſpiſſo, ſicciore, condens officulum rugis minus profundis ornatum, in quo nucleus oblongus, plerumque vnus, pediculo breuiſſimo. Fructus vocantur *Amygdalae*: hae ſunt figurae ouali, depreſſae, ſub cuticula flaueſcente granum album tegentes, *dulces,* vel *amarae,* quae ſapore tantum á ſe inuicem differunt. Continent multum olei vnguinoſi, ideoque in re et culinari et pharmaceutica

frequentiſſimi vſus ſunt. Amygdalis dulcibus ineſt vis nutriens, obtundens, emolliens; amaris anodyna, carminatiua, diuretica atque anthelminthica. Sunt tamen, qui amygdalarum amararum vſum ſuſpectum iudicant, dum canibus ſcilicet, aliiſque pluribus animalibus veneni inſtar nocent. Oleum vero expreſſum quibusdam aurium vitiis ſubuenit. Sic vocatas volunt, quod in fructu, poſt viride putamen, alterum, quod ſubeſt, multis ſcatet rimoſis ſcarificationibus, quas Graeci Ἀμυχὰς appellant. G. Mandelbaum. Ga. *Amandier.* A. *The Almond-tree.* B. *Amandel boom.*

Amygdalatvm, eſt lac artificiale, ſeu *Emulſio*, ex amygdalis aliiſque ſeminibus parata, ab ἀμυγδάλη, Amygdalae fructus. G. Mandelmilch. Ga. *Lait d'Amandes, Emulſion.* A. *Almond-milk, Emulſion.* B. *Amandel-melk.*

Amylvm, eſt flos tritici, aut ſiliginis, ſubtiliſſimus, albiſſimus, multiplici aquae affuſione ex granis extractus, et in exiguas maſſulas exſiccando coactus. Sic dicitur, quod ſine mola paratur. Ex α priv. et μύλη, mola. G. Kraftmehl, Stärke. Ga. *Amidon.* A. *White Starch.* B. *Styffel, Ameldonk.*

Amyon, dicitur membrum emuſculatum, hoc eſt ita extenuatum, vt muſculi vix appareant amplius.

Ana, eſt aequalis variorum medicamentorum, vna formula praeſcriptorum, portio. Vulgo ſimplici a, vel duplici aa, breuitatis gratia ſcribitur. G. Gleiche Theile, oder jedes gleich viel. Ga. *Quantité égale, Egale Portion.* A. *An Equal Portion.* B. *Evenveel Gewicht.*

Anabasis, eſt morborum inualeſcentia. Vide *Acme.* Ab ἀναβαίνω, aſcendo.

Anabole, materiae reiectionem per ſuperiora ſignificat.

Anabrochismvs, eſt, cum, immiſſis vinculis, aliquid ſuperuacanei tabefactum tollitur. — Item modus extrahendi pilos palpebrarum inuerſos, oculumque pungentes, immiſſo per foramen acus tenuiſſima byſſo: per cuius duplicatam anſam pilus traiectus euellitur.

Anabrosis, eſt partis alicuius in corpore ab humoribus acribus eroſio, peſſimas ſaepe vixque compeſcibiles haemorrhagias efficiens. Idem quod *Diabroſis*: ab ἀναβιβρώσκω, peredo, corrodo. G. Zernagung, Verzehrung. Ga. *Corroſion, Rongement.* A. *Corroſion.* B. *Een Door-eting.*

Anacampseros, vide *Telephium.*

Anacardivm, duplex eſt, *Orientale* et *Occidentale. Orientale*, eſt fructus arboris, Malabaribus *Oepata* dictae, *Anacardium Bauh.*; *Bontia* foliis ſubtus tomentoſis *Iacq.*: *Bontia*

foliis integris oblongis, oppoſitis, petiolis craſſis, breuiſſimis, ſubamplexantibus, floribus racemoſis *Brown.*: *Bontia germinans* foliis oppoſitis, pedunculis ſpicatis *Linn.* (Didynam. angioſperm.) calyce monophyllo, quinquefido, corolla ringente. Drupa vel fructus eſt cordiformis cum cuſpide in vertice, niger, ſplendens, includens ſub duplici inuolucro a ſe ſeparato mellaginem craſſiuſculam, lentam, ceraſorum colore, ſub qua nucleus pallidus amygdalae ſaporis. Vis nuclei nutriens, putaminis cauſtica eſt. *Occidentale* eſt quaſi oſſiculum renis leporis figura; foris fuſcum, durum, et gerens nucleum album amygdalae ſaporis. Arbor, in qua naſcitur, eſt *Anacardium occidentale*, *Linn.* caule foliiſque inermibus, vel Arbor pomifera, ſeu potius prunifera, indica nuce reniformi ſummo pomo innaſcente *Catesb.* Succus inter putamina contentus ſepticus eſt, hinc in maculis, ſcabie et impetigine adhibetur. Eſt *Caſchou* officinarum. Magna eſt eius in Cananor copia, tum in Calecut, et aliis Indiae locis, veluti in Cambaya et Decan. Copioſiſſima in America calidiore Gr. Ἀνακάρδιον. Veteribus incognitum fuit, ingreditur tamen Confectionem Anacardinam. Arab. *Balador.* Indis *Bybo.* Luſit. *Faca de Malaqua* dicitur, quod viridis et in arbore pendens ſimilis ſit noſtrati maiori fabae. Graece tamen ſic ob cordis ſimilitudinem vocatur. Ex ἀνὰ, ad ſc. formam, vel ſimilitudinem, et καρδία. G. Elephantenlauß. Ga. *Anacarde.* A. *Anacardum or Malacca beans.* B. *Anacarden.*

Anacatharsis, eſt purgatio, ſeu euacuatio, per ſuperiora, vt per vomitorium, ſternutatorium, errhinum, maſticatorium, ſaliuationem, etc. ab ἀνακαθαίρω, per ſuperiora purgo. Idem quod *Enueticum*, et in ſpecie apud *Hippocratem* ſignificat purgationem per ſputa.

Anacathartica, ſunt medicamenta vomitoria, quae per ſuperiora purgant, ex ἄνω, ſupra, et καθαίρω, purgo, hinc idem quod *Emetica.*

Anacollema, eſt linimentum, aut aliud medicamentum ſiccum, quod fronti et naribus ad oculorum vitia et haemorrhagiam ſiſtendam admouetur, ex albumine oui, ſanguine draconis, bolo armena, vitriolo etc. compoſitum. — Item remedium incarnans et conglutinans, ab ἀνακολλάω, conglutino; vnde κόλλα, gluten.

Anactorion, eſt planta, cui nomen *Gladiolus*: ab Ἄνακτως, herus, vel dominus, cui ſoli gladii ius eſt.

Anadendromalache, eſt *Malua* roſacea fruticoſa; ex ἀνὰ, et δένδρον, arbor, et μαλάχη, malua.

ANADENDRON, eſt *Althaea*, ex ἀνὰ, ad (formam), et δένδρον, arbor: quia arboris in modum ſe erigit.

ANADIPLOSIS, eſt frequens febrium reduplicatio, ſeu febris ſimplicis in compoſitam mutatio, ab ἀναδιπλόω, reduplico.

ANADOSIS, eſt omne, quod in corpore ſurſum tendit, vt chyli diſtributio, vel vomitus, ex ἄνω, ſupra, et δίδωμι, do.

ANADROME, eſt ſurſum alimenti latio, vel refluxus humorum, vel etiam materiae arthriticae, ad ſuperiora, ab ἀνὰ, et δρόμος, curſus, et δρέμω, curro.

ANAEMIA, eſt defectus ſanguinis in corpore, vel ex debilitate, vel inanitione ortus, ab ἄιμα ſanguis.

ANAESTHESIA, eſt facultas ablata percipiendi actiones obiectorum ſenſibilium in organo ſenſuum externorum, vt paralyticis et ſphacelo laborantibus contingit. Ex α priv. et αἰσθάνομαι, ſentio. Aliquando eſt motu ac vitalitate partis ſuperſtite et ſalua, ſaepius his yna ſublatis. G. **Unempfindlichkeit.** Ga. *Inſenſibilité.* A. *Inſenſibility.*

ANAGALLIS, officinalis eſt planta, caule procumbente, folia habens ouata ex aduerſo bina et floſculos, foliorum alis inſidentes, in quinque lacinias diuiſos, coloris rubri, aut phoenicei, pedunculis longis; his floribus ſuccedit fructus ſphaericus, membranaceus, per maturitatem in duas partes transuerſim diſſiliens, ſemina plerumque anguloſa, minima: radix fibroſa eſt, alba. Qualitas quidem plantae acris et inodora eſt, ſpecifica tamen virtus, medendi morbis ſenſorii communis, ei ineſſe creditur, magnamque in quibuſdam deliriis opem Aquam Anagallidis tuliſſe, eximiorum Virorum teſtimonia proſtant. Herba in morſu canis rabidi laudatur. Dicta videtur ab ἀνὰ et γάλλος, quod aeque reprimat, ac reponat ſedem prociduam: ὁ γάλλος denotat enim cui amputata ſunt virilia, vel, vt aliis placet, ἀπὸ τοῦ ἀναγωγεῖν τὰς ψυχάς, animas euocare ac elicere. Magica enim putatur herba, vnde Belgis et Germanis *Guichelhuil* et **Gauchheil.** Nam in limine veſtibuli ſuſpenſa, maleficia arcere creditur. Alii deriuant ab ἀγάλλω, orno, inſignio, decoro, quod vbique vias laete floſculis ſuis ornet. G. **Gauchheil, Kolmarkraut.** Ga. *Mouron.* A. *Pimpernel.*

ANAGALLIS AQVATICA, idem quod *Beccabunga.*

ANAGYRIS, a natali ſolo haec arbuſcula nomen accepit: *Anagyris* enim eſt ciuitas Attica. Eſt arbuſcula valde ramoſa, habens corticem viridi-fuſcum, lignum flauescens, aut pallidum; folia terna, oblonga, acuta, in parte ſuperiori viridia,

in inferiori albeſcentia, odoris adeo fortis et foetidi, vt contuſa capitis dolorem producant; flores flaui, papilionacei, quorum vexillum breuius eſt caeteris petalis. (Diadelph. Decandr.) flori ſuccedit ſiliqua longa, cartilaginoſa, Phaſeoli ſiliquae aemula, foeta ſeminibus reniformibus, in initio albis, dein purpureis, tandem poſt maturitatem caeruleis et nigricantibus; creſcit in regionibus calidis, vbi foetorem, Aſam foetidam ſuperantem, excitat. Teſtante *Dioſcoride*, apud veteres officinalis erat, ſed noſtro tempore vix amplius adhibetur. *Anagyris non foetida* ad *Cytiſos* pertinet. G. **Stinkender Bohnenbaum.** Ga. *Bois puant.* A. *Stinking Bean-Trefoil.* B. *Stinkende Klaverboom.*

ANALEPTICA, ſunt medicamenta, quae vires refocillant; item pars Hygieinae, qua valetudinarii reficiuntur, ab ἀναλαμβάνω, iterum refocillo. G. **Herzſtärkende Mittel.** A. *Analeptics, Cardiacs.*

ANALGESIA, eſt *indolentia*, ſiue doloris defectus, ab ἀναλγέω, non doleo.

ANALOGISMVS, eſt comparatio et perceptio cauſarum morbificarum et medicamentorum iuuantium per ſimilitudines, ab ἀναλογίζομαι, comparo: *Analogia* eſt comparatio.

ANALYSIS, eſt alicuius corporis in ſua principia per Chymiam reductio. Item dum ex complexu ſymptomatum ad cauſſam morbi proximam concluditur. Item partium corporis humani demonſtratio anatomica, quae per partes inſtituitur, ab ἀναλύω, diſſoluo. G. **Auflöſung, Zerlegung.** Ga. *Analiſe, Diſſolution, Solution, Separation.* A. *An Analyzing of any thing.* B. *Een ontdoeninge, ontleding, ontbinding.*

ANAMNESTICA, remedia, quae memoriam reſtaurant, vt ſunt ſpirituoſa omnia et aromatica, ab ἀναμνάομαι, reminiſcor. — Item ſic ſigna quaedam dicuntur, ad Diagnoſtica pertinentia, quae corporis, vel morbi, ſtatum praegreſſum in memoriam reuocant. Sic phthiſis vlceroſa haemoptoes praegreſſae, aut icterus, vel hydrops, febris ſuppreſſae ſignum anamneſticum eſſe poteſt. Ga. *Remedes, qui retabliſſent la memoire.*

ANANAS, ſeu *Bromelia*, (Hexandr. Monogyn.) cuius tamen plures varietates, aut verae ſpecies numerantur. Eſt planta flore monopetalo infundibuliformi tripartito, fructu carnoſo, turbinato, ſucci pleno, foeto ſeminibus exiguis reniformibus: fructus maturus in deliciis habetur apud Braſilienſes, vbi quoque *Yayama* audit: quoniam ſapore vinoſo et ſuaui omnes plantas ſuperat. Colitur paſſim etiam apud nos in hortis optimatum, menſiſque inter dapes imponitur.

G. Ananas, Indianiſche Tannzapfen. Ga. *Ananas.* A. *Indian Pine Apple, Ananas.*

ANANDRIA, eſt *Tuſſilago* ſcapo vnifloro, calyce clauſo, *Linn.*

ANANTHOCYCLVS, eſt genus florum compoſitorum diſco nudo; in ſpecie vero ſic vocatur *Cotula Linn.* ſeu *Lanciſia Ponted.*

ANAPHALANTIASIS, eſt defluuium pilorum in ſupercilis. G. Ausfallen der Augenbraunen. B. *Het uitvallen der Winkbrauwen.*

ANAPHONESIS, Ἀναφώνησις; ſic Veteres, teſte *Paulo Aegineta*, clamorem et vociferationem ad exercendos pulmones inſtitutam vocabant.

ANAPHRODISIA, dicitur *impotentia venerea*, ſiue ineptitudo ad congreſſus venereos. G. Unvermögen zum Beyſchlaf. Ga. *Impuiſſance.*

ANAPHROMELI, eſt *mel deſpumatum*, ex ἀνὰ, de, ἀφρὸς, ſpuma, et μέλι, mel.

ANAPLEROSIS, in genere ſignificat *repletionem*; alias ſpecialiter ita dicitur Chirurgiae pars, qua ea, quae in corpore deficiunt, vel caſu perierunt, arte reſtituuntur, ab ἀναπληρόω, impleo. Vnde *Plerotica Medicamenta*, vide *Anaplerotica.*

ANAPLEROTICA, ſunt medicamenta vulnera carne implentia, et deficientia in corpore, quantum poſſibile, reſtituentia.

ANARRHINON, vide *Antirrhinon*, ex ἀνὰ, per, ad, et ῥὶς, naſus, quaſi aduerſus naſum; vel etiam quod per nares euacuatur.

ANARRHOPVS, idem quod *Anadoſis*, ab ἄνω, ſupra, et ῥέπω, vergo, ſerpo.

ANAS pertinet ad claſſem auium aquaticarum, et quidem ad Anſeres, quippe quibus roſtrum obtuſiuſculum, epidermide tectum, ſub baſi gibbum, apice auctum, lingua carnoſa obtuſiuſcula, et pedes palmati natatorii ſunt. Anas habet roſtrum lamelloſo-dentatum conuexum, obtuſum, linguam ciliatam, obtuſam, eſtque domeſtica vel ſylueſtris. Ouа praebet pro vſu alimentario, vix differentia a gallinaceis. Caro in menſis comeditur, eſtque ſatis ſapida, ſed robuſtis magis, quam debilibus, conueniens: melior tamen eſt ex feris, ſeu ſylueſtribus, inprimis quoniam illae piſcibus nutritae naturam habent alcaleſcentem, vnde pro debilibus et foeminis lactantibus ſaepe commendantur. G. Ente. Ga. *Canard.* A. *Duck.* B. *Endvogel.*

ANASARCA, eſt totius corporis exterioris tumor albus, mollis, tactui cedens, et foueam a compreſſione relinquens. Cauſa eſt lympha nimis tenax, vires vitae imminutae, et ſanguis viſcidus, quibus vaſorum extremitates obſtruuntur, et cellulae adipoſae implentur; Hinc maior lymphae copia in corpore aggeratur, quam per vaſcula reducentia ablegatur, adeoque eſt primum hydropis initium. Si humores nimis viſcidi fuerint, *Leucophlegmatia* appellatur. Item, Ὑποσαχλίδιος, κατὰ σάρκα. *Heraclidae σαρκίτης, Intercus. Aqua inter cutem* etc. ex ἀνὰ, per, et σὰρξ, caro. G. Waſſerſucht über den ganzen Leib. Ga. *Hydropiſie anaſarce.* A. *A ſpecies of the Dropſy ſo called.* B. *'t Lyfwater, tuſſchen vel en vlees leggende water, leden-zugt.* Si eiuſmodi tumor partem tantum corporis occupat, vocatur *Oedema.* vide *Oedema.*

ANASTATICA, eſt planta tetradynamia, ſiliculoſa, flore tetrapetalo cruciformi, ſeu *Thlaſpi Roſa de Hiericho* dictum. *Moriſ.* Ita dicitur, quoniam ſicca in aquam immiſſa iterum expanditur. G. Roſe von Jericho. G. *Roſe de Iericho.*

ANASTOICHIASIS, eſt corporum chymica reſolutio, ab ἀναστοιχέω, in ſua principia redigo, vnde στοιχεῖον, elementum.

ANASTOMOSIS, duas habet ſignificationes, 1) vbi extrema oſcula vaſorum, nimis dilatata, emittunt ſua liquida naturaliter retinenda, et tunc dicitur. G. Eröfnung der Adern. Ga. *Dilatation des orifices des vaiſſeaux.* A. *Opening of Veſſels.* B. *Ontſluiting der vaten.* 2) Eſt mutua inoſculatio vltimi finis vaſis arterioſi in principium venoſi, ſiue id fiat recto modo continuato tramite, ſiue per laterales ramos ex arteria in venam hiantes, quales in vaſis ſpermaticis demonſtraſſe ſibi videtur *Lealis*; quales tamen vbique in corpore humano, cera paulo dexterius in arterias impulſa, inter arteriarum et venarum ramulos deprehenduntur etc. ex ἀνὰ, per, et στόμα, os. G. Vereinigung der Gefäße. Ga. *Abouchement ou inoſculation des Vaiſſeaux, ou Anaſtomoſe.* A. *A mutual opening of veſſels in to one another.* B. *Inmonding der vaten, Kus-vaten.*

ANASTOMOTICA, ſunt medicamenta, poros et meatus aperientia, vt ſunt deobſtruentia, cathartica, ſudorifera, diuretica, etc. ex ἀνὰ, per, et στόμα, os. G. Eröfnende Mittel. Ga. *Remedes aperitifs.* A. *Aperitive Medicines.* B. *Openende Middelen.*

ANATASIS, eſt corporis extenſio verſus ſuperiora, ab ἀνατείνω, ſurſum tendo. G. Ausſtreckung. Ga. *Extenſion.* A. *A Stretching out.* B. *Uitrekking.*

ANATHYMIASIS, eſt vapor, exhalatio, ſuffitus, halitus,

etc. Ab ἄνω, ſurſum, et θυμιάω, ſuffio. G. Beräucherung. Ga. *Parfum.* A. *Perfuming, Fumigation.* B. *Roking.*

ANATICA PORTIO, vide *Ana.*

ANATOMIA, eſt quidem in genere corporis cuiuſcunque naturalis ſtructi concinna diſſectio, qua partium ſubſtantia, figura, ſtructura, nexus, mutatio, in varios fines demonſtrantur, ſicque et in plantis locum habet, ab ἀνατέμνω, diſſeco. Magis vero ſpecialiter corporum animalium diſſectio hoc ſub nomine intelligitur. At ſtrictiſſimo ſenſu corporis humani diſſectio Anatomia vocatur: ea vero, qua in corpora brutorum inquiritur, Zootomia, vel Anatome ſpeculatiua. — *Practica* eſt, qua ipſae manus labori admouentur; nonnulli tamen etiam eam, qua morborum ſedes cauſſaeque indagantur, ita vocant. *Theoretica* vero dicitur illa cognitio, quae per ſolam lectionem acquiritur. Ge. Anatomie, Zergliederungskunſt. Ga. *Anatomie, Diſſection.* A. *Anatomy, Diſſection of a body.* B. *Anatomie, ſnykonſt, ontleding.*

ANATOMICVS, eſt, qui arte, vel ſcientia anatomica imbutus eſt. G. Zergliederer. Ga. *Un Anatomiſte.* A. *An Anatomiſt, one skilful in Anatomy.* B. *Een Ontleeder, Ontleedkundige.* Dicitur vero etiam de libro, de cultro et de omni apparatu ad doctrinam, vel actum Anatomes pertinente.

ANATRIPSIS, eſt contritio calculi, aut oſſis comminutio, ab ἀνατρίβω, contero. G. Zermalmung. Ga. *Broyement, Ecraſement.* A. *Bruiſing, Comminution.* B. *Verbryzelinge, vermorzelinge.* Dicitur quoque frictio membrorum ad reſtaurandas vires iuxta praecepta artis gymnaſticae inſtituta.

ANAVDIA, idem quod *Aphonia.*

ANAXYRIS, forte ab ἀναξύω, abſtergo, ſcalpo: *Acetoſa* enim eſt, quae aluum lubricando abſtergit, cuiuſque radices ſcabiei medentur.

ANCEPS dicitur truncus plantarum angulis duobus oppoſitis acutiuſculis.

ANCHIA, idem quod *Coxa.*

ANCHILOPS, eſt abſceſſus et collectio humoris lenti et melli, aut pulticulae, ſimilis, inter maiorem oculi angulum et naſum. Hic tunica vt plurimum continetur, nec infert dolorem, ſubito autem accipit incrementum, producitur tamen ſaepe ab inflammatione praegreſſa carunculae lachrymalis, quae in abſceſſum terminatur, qui ſi rumpatur, exulcereturque, non amplius Ἀγχίλωψ vocatur, ſed mutat nomen, et Αἰγίλωψ, appellatur. Ab ἀγχί, prope, et ὤψ, oculus, quod prope oculum oriatur. Vide *Aegilops.*

ANCHORALIS proceſſus, vide *Ancyroides.*

ANCHVSA, eſt planta, gymnotetraſperma, aſperifolia, flore monopetalo regulari (Pentandr. Monogyn.), quae caulem habet repentem, folia Bugloſſi ſylueſtris, longa, aſpera; radicem longam, mediocriter craſſam, foris rubicundam, interius albam lignoſam, colore rubro inficientem, ſaporis, dum recens eſt, paululum adſtringentis, et inſipidi, odoris nullius. Hanc dictam quidam volunt ἀπὸ τοῦ ἄγχειν, a ſtrangulando, quod vim ſtrangulatoriam ac ſuffocatoriam habeat; dicunt enim ea ſerpentes ſtrangulari. Alii ab ἀγχύζειν deducunt, quod eſt fucare, colorare formam, quia illius radice facies rubore inficitur. Vſus magis tinctorius, quam medicinalis, eſt; ingreditur tamen *Pomatum rubrum Pharm. Pariſ.* Ge. Ochſenzunge. G. *Orcanette.* A. *Alkanet.* B. *Oſſe-tong, Schaaps tong.* Conf. *Alcanna.*

ANCHYLE, ſeu rectius ANCYLE, eſt articuli contractio, vel potius tanta eius rigiditas, vt nunquam flecti poſſit, cuius cauſa eſt eroſio membranae, quae articulorum cartilagines inueſtit, adeo vt earum extrema ſibi inuicem continua fiant et concreſcant, et haec quidem Ancyloſis *vera* dicitur, *ſpuria* contra eſt articuli immobilitas orta ex inſpiſſatione liquoris articularis, ſeu ſmegmatis articulos oblinientis, vel etiam ipſorum ligamentorum exſiccatione. Ab ἀγκυλόομαι, contractione articulorum laboro. Vide *Contractura.* Ge. Steifigkeit und Verwachſung der Gelenke. G. *Anchyloſe.* A. *Anchyloſis, Stifneſs or Contraction of the Ioints.*

ANCHYLOGLOSSVS, vide *Ancyloglooſſum.*

ANCHYLOSIS, idem quod *Anchyle.*

ANCHYROIDES, vide *Ancyroides.*

ANCON, ſiue *Cubiti caput*, ſtrictius ſumitur pro poſteriore Vlnae proceſſu maiori: qui etiam *Olecranon* dicitur. Vnde *Anconaei muſculi*, Cubiti extenſores, qui aponeuroſi ſua proceſſui vlnae anconaeo inſeruntur, ſuaque actione brachium extendunt, ἀπὸ τῆ ἀγκεῖσθαι ἑτέρῳ τὸ Ὀστέον, quod ſuperiaceat vnum os alteri. Ge. Ellenbogen. G. *Coude.* A. *The Elbow.* B. *Elleboog.*

ANCONAEVS, vide in *Ancon.*

ANCORALIS, vide *Ancyroides.*

ANCTERES dicuntur fibulae, quibus vulnerum labia longius diſſita coniunguntur, quae operatio propterea *Anctoriaſmos, infibulatio* vocatur; parantur ex emplaſtris fortiſſime adhaerentibus, et eſt *Sutura ſicca.* In ſpecie etiam dicta fuit ea apud veteres vſitata operatio, qua hiſtrionibus et comoedis per praeputium traiiciebatur fibula.

ANCYLOBLEPHARVM, eſt palpebrae cum tunica alba,

vel cornea, concretio; vel cum interdum vtraque palpebra concreſcit; ſequitur ille affectus oculorum inflammationes et palpebrarum: praecipue vero aduſtiones et variolas malignas. Ea concretio aliquando ante partum contingit, et tunc vitium natiuitatis exiſtit. Dicitur ex ἀγκύλη, hamus, et βλέφαρον, palpebra. Ge. Zuſammenwachſen der Augenlieder. G. *Concretion des Paupieres.* A. *A concretion or growing together of the eyelilds.* B. *Aanwas der oogſchelen.*

ANCYLOGLOSSVM, eſt fraenuli ſub lingua, connexionis ſtrictioris vitium, locutionem, ſaepe etiam deglutitionem, difficilem cauſans, et μογιλάλος recte vocatur, ab ἀγκύλη, hamus, et γλῶσσα, lingua. Eſt vel vitium connatum, vel a cicatrice productum. Ge. Angewachſene Zunge. G. *Le Filet trop avancé vers la pointe de la langue.* B. *Tong-riems aanwas.*

ANCYLOGLOSSVS, eſt, qui fraenulum praelongum habet, et in quo illud non bene diſſectum fuit, ex ἀγκύλη, hamus, et γλῶσσα, lingua. Ge. Dem die Zunge nicht recht gelöſet iſt. G. *Qui a le Filet.* A. *Tongue-tied.* B. *Een, die met de tong-riem belemmert is.*

ANCYLOSIS, vide *Anchyle.*

ANCYLOTOMVS, eſt ſcalpellum, quo linguae fraenulum reſcinditur; in genere accipitur pro cultello aciem incuruam habente. Ge. Ein Meſſer, damit man den Kindern die Zunge löſet. G. *Ancylotome, Coûtelêt pour couper le Filet.* A. *Small knife for cutting the ligament under the tongue.* B. *Een Mes om de tong-riem te ſnyden.*

ANCYROIDES, eſt ſcapulae proceſſus roſtriformis, qui *Coracoides*, *Ancboralis*, et *Cornicularis* vocatur, ab ἄγκυρα, ancora, et εἶδος, forma. Ge. Der ſchnabelförmige Fortſatz des Schulterblatts. G. *L'Eminence ou Apophyſe Coracoide.* A. *A Proceſs on the ſcapula like an Anchor.* B. *Het anker gelyke uitſteekſel.*

ANDRACHNE, vocatur *Portulaca*, v. *Portulaca*: dicitur ἀνδράχνη, inſerto ν. quod primum teneritudine quadam laeta et carnoſa luxurient ramuli, foliaque albicent, ſpumoſaque quadam fuligine, ſiue tenui quapiam aſpergine cinerea obducta videantur: ἄχνη enim Graecis *ſpuma* eſt, ἀνδρὸν *plenum, laetum, craſſum, pingue.* Spuma autem in marina Portulaca multo euidentius conſpicitur, quam ſatiua. Ge. Burzelkraut, Portulack. G. *Pourpier, Porcelaine.* A. *Purslain.* B. *Porcelein.*

ANDROGYNVS, ſiue HERMAPHRODITVS, eſt, qui membra virilia et muliebria ſimul habet, vel potius habere

videtur, clitoride in nimiam longitudinem excreſcente, aut alia deformatione genitalium vtrumque ſexum mentiente. Rariſſimi ſunt, ſi vnquam exſtitere inter homines et animalia, veri Hermaphroditi, ſi teſtacea pauca et inſecta exceperis, quo pertinent limaces, cochleae pleraeque, mytuli margaritiferi, buccina, lepades, pectines, lumbrici terreſtres et inteſtinales, hirudines, etc. qui et generandi et concipiendi facultate ſimul pollent. — Item, ſic vocantur, quibus exciſa ſunt membra virilia. — Item effoeminatus, ex ἀνὴρ, vir, et γυνὴ, mulier. Ge. Zwitter, halb Mann und halb Weib. G. *Hermaphrodite.* A. *An Hermaphrodite.* B. *Een Man-Wyf.*

ANDROSACE eſt planta flore monopetalo, hypocrateriformi, (Pentandr. Monogyn.) fructu globoſo, foliis neruoſis longis, et amplis, lanuginoſis, et in margine inciſis, in orbem repentibus; calix eſt valde amplus et expanſus; vaſculum ſeminale exiguum per maturitatem in quinque partes dehiſcit: habet in medio placentam, cui plurima adnaſcuntur ſemina oblonga, rubicunda; radix eſt fibroſa, et minima. Creſcit in locis maritimis: dicitur quaſi ἀνδρὶ ἄκος φέρουσα, quod viris remedia ſuo nomine polliceatur, vel ἀνδρὸς σάκος, quod folliculi membranacei ſcutum exiguum referant coriaceum. Alii ἀνδρόσακες, quod ὑδρόσακες, dici aeſtimant; quod ducendo vrinam hydropicis proſit. Ge. Mabelkraut. A. *Summer Navel-wort.* G. B. *Androſace.*

ANDROSACE ſiue ACETABVLVM *Pharm. Pariſ.* — *Acetabulum* marinum minus *Tournef.* Androſaces *Matthioli*, ſiue Fungus petraeus marinus, aut Vmbilicus veneris I. B. eſt planta marina, ſeu zoophytum, vbertim in rupibus littoris Galliae meridionalis proueniens, conſtans e filamentis albis, ſeu cinereis et fragilibus, in extremitate fructum coniformem ferentibus. Subſtantia eadem ac *Muſci corallini*, hinc etiam vires anthelminthicae ei attribuuntur. *Linnaeus* eam ad Zoophyta et quidem *Tubularias* refert (T. *acetabulum*).

ANDROSAEMVM eſt officinalis planta flore roſaceo, (Polyadelph. Polyandr.) calice polyphyllo, fructu ouato vnicapſulari, character eius fere, ac Hyperici; differt in eo, quod planta ſit valde ramoſa, referens arbuſculam, et praecipue quod fructum vnicapſularem ferat, cum fructus *Hyperici* ſit tricapſularis, et *Aſcyri* quinquecapſularis. Dicitur ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, a viro, et ab αἷμα, ſanguis; nomen eſt *Viri Sanguis*: ſic vocatur, quia folia contrita, vt etiam flores, ſanguineum colorem praebent; nominatur et *Totaſana*, quaſi graece dicas

Thraſibula. Ge. Johanniskraut. G. *Androſace, comme qui diroit ſang d'homme; toute ſaine.* A. *Tutſan, Park-leaves.* B. *Mansbloed.*

ANEMIVS FVRNVS, eſt, in quo non follium, ſed aëris ſponte ingredientis ope ignis ſuſtentatur. Caeteris maiorem ignis vim ad diuerſos gradus moderandam, vel augendam, deſtillandis, liquandiſue rebus largitur. Ab ἄνεμος, ventus. Ge. Windofen, Zugofen. G. *Fourneau à vent.* A. *A Wind-furnace.* B. *Wind-oven.*

ANEMONE, flos venti, ab ἄνεμος, ventus; quia flores ſeſe nunquam aperiunt, niſi flante vento, vt teſtatur *Plinius.* Sed forte etiam ab ἄνεμος, ventus, et ἴλλω, ſeu ἴλλυμι, quod flos facile a ventis deiiciatur, ac perdatur. Videtur eſſe flos *Adonis* veterum. Eſt plantae genus flore roſaceo, (Polyandr. Polygyn.) e cuius meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, cuius axi plurima ſemina adhaereſcunt, calyptra vt plurimum lanuginoſa obuoluta. Foliola quaedam, vt plurimum terna, caulem alias nudum cingunt. Ge. Windblume, Storchsblume. G. *Anemone, Coquelourdes, Cocles, Paſſefleur.* A. *Wind-flower.* B. *Wind-bloem.*

ANEMONOIDES eſt Anemones ſpecies, quae *nemoroſa* dicitur.

ANETHVM, ſeu *Anethum foeniculum* fructibus compreſſis *Linn.* planta eſt vmbellifera, (Pentandr. Digyn.) foliis tenuiſſime diuiſis, viribus medicis pollens; radix annua, reliqua vt in foeniculo: ſemina foliacea, plana, membranacea, ouata, orbicularia, compreſſa, in parte exteriori tribus ſtriis, vel ſulcis, notata. Quibuſdam παρὰ τὸ ἀνευθεῖν, quo cito creſcat. Aliis quaſi ἀνίκητον, quaſi *inuictum*, ab α priv. et νικάω, vinco, quod cibi excitat appetentiam; nonnulli nomen impoſitum volunt, quod Anethi eſus laceſſat ad venerem: ἀνηθεῖν enim congreſſus, familiaritas, coitio venerea dicitur: alii a puero pulcherrimo in plantam ſui nominis conuerſo. Vires ſunt pellentes, reſoluentes, et carminativae. Ge. Dillkraut. G. *Anet.* A. *Dill or Auet.* B. *Dil.*

ANEVRISMA, ſ. ANEVRYSMA, eſt duplex, *verum*, vel *ſpurium*. *Verum* eſt tumor p. n. ab arteriarum interioris tunicae ruptura et exterioris dilatatione, vel etiam exterioris laeſione et interioris dilatatione, ortus, ſanguine plenus, ſenſim increſcens, interdum pulſans, rubens, compreſſui cedens, laxatus. *Spurium* eſt, vbi tunicae ruptae liquorem effuderint in partes vicinas, vnde tumor continuo rediens, auctus, mollis, vix pulſans, liuidus, compreſſu vix euanefcens, breui putreſcens. Tertia quoque ſpecies ab *Humtero* conſtituta eſt, vbi arteria et vena in venae ſectione ſimul laeſis arteria ſanguinem in venam effundit, illeque ex vena in arteriam iterum redit. *Varicoſum* ab eo appellatur. Ab ἀνευρύνω, dilato. Ge. Pulsadergeſchwulſt. G. *Aneuriſme, Dilatation de l'Artere.* A. *An Aneuriſme, or a Dilatation, of an Artery.* B. *Een Slag'ader-breuk.*

ANGEIOLOGIA, vide *Angiologia.*

ANGEIOTOMIA, eſt vaſorum diſſectio, vt in venae ſectione, et Arteriotomia, nec non anatomica vaſorum diſſectio. Ab ἀγγεῖον, vas, et τέμνω, ſeco. Ge. Eröfnung der Gefäße. G. *Saignée ou Ouverture des Vaiſſeaux.* A. *Bloodletting.* B. *Opening der vaten.*

ANGELICA *ſatiua*, ſeu *Angelica Archangelica* foliorum impari lobato *Linn.* (Pentandr. Digyn.) eſt officinalis planta foliis latiſſimis, dentatis, fere ramoſis, ſeminibus ſtriatis, floribus vmbelliferis, radice aliquantulum reſinoſa, oblonga, craſſa, in fibras tenuiores diuiſa, foris ex flauo rubeſcente, medulla interiore alba, ſaporis acris, ſuauiter amaricantis, cum quadam blanda dulcedine, odoris fragrantis: tota planta habet odorem et ſaporem aromaticum. Haec planta prouenit multis in locis; quae autem in montanis Bohemiae locis et in Hiſpania reperitur, prae aliis laudatur; creſcit et in Alpibus, et ſatis feliciter in hortis colitur. Forte ſic dicta a praemonſtratore Angelo, vel, quod contra venena angelicas praeſtet virtutes, ideo et *Spiritus Sancti radix* vocatur. Ge. Angelikwurzel, Engelwurzel, Bruſtwurzel. G *Angelique.* B. *Angelica.* B. *Engel-wortel.*

ANGIGLOSSI, ſunt, qui difficulter pronunciant L. R. K. atque in loquendo reſtitantes loquelam praecipitant, ab ἀγκύλη, hamus, et γλῶσσα, lingua. Ge. Der beſchwerlich reden kann. G. *Difficulté de parler.* A. *A Difficulty in ſpeaking.* B. *Belemmert van taal.*

ANGINA, Lat. ab angendo, quia guttur, vel fauces anguntur, ſic ab ἄγχειν, ſtrangulare, angere: Vel, vt alii, ab ἀγχόνη, laqueus, vel a συνέχειν, quod ſpiritum cohibendo reſpirationem inhibeat, vti *Aurelianus* vult. Eſt impedita valde, dolens admodum, vel et impedita et dolens ſimul, deglutitio atque reſpiratio, orta a cauſa morboſa, ſupra pulmones et ſtomachum poſitas partes afficiente, quae his functionibus dicatae ſunt. Duplex obſeruatur ſpecies; prima ſine vllo ſigno tumoris externi interiue apparet; altera vero cum aliquo tumore deprehenditur ſemper. Illa prior in fine morborum diuturnorum, maxime poſt ingentes et ſaepe repetitas euacuationes contingit, pallorem faucium,

ſiccitatem harum, tenuitatem ſimul comites habet, fere ſemper eſt ſignum imminentis mortis, raro curatur, et fere ſemper poſt mortem ſuppuratum pulmonem demonſtrat. Altera vero ſpecies, quae cum tumore accidit, varia nomina, pro natura tumoris, accipit, diciturque vel oedematoſa, catarrhoſa, inflammatoria, purulenta, vel ſcirrhoſa, cancroſa, conuulſiua, etc. *Synanche* et *Cynanche*, *Paraſynanche* et *Paracynanche*, varias quidem Anginae inflammatoriae ſpecies conſtituunt, in quibus tamen definiendis non mediocriter Autores inter ſe diſcrepant, vt adeo Ill. *Sauuageſius* Cynanchem ab angina differre dicat, quod Cynanche ſit cum febre, angina vero huius expers ſit. Ge. Halsweh, Bräune. G. *Mal de gorge*, *Eſquinancie*. A. *A Quinſy*, *or Squinancy*, *Sore-throat*. B. *Een kwade keel*, *worg-gezwel*, *ontſteking der keel*, *quinantie*.

ANGINA LINI, eſt *Cuſcuta*, quod linum circumligando ſuffocet.

ANGIOLOGIA, ex ἀγγεῖον, vas, et λόγος, ſermo, ſeu deſcriptio ſyſtematis vaſorum, corpus humanum perreptantium, quoad ſitum, ortum, fabricam, finem, et vſum eorum. Sed haec notio eſt noſtri aeui et veteribus ignota, quibus hoc nomine veniebat operatio dolorifica et crudelis, qua cutim incidebant, vt ſubiacentia vaſa ſanguifera in conſpectum venirent. Illa deinceps hamulo ſublata ligabant, exſcindebant, et abiiciebant. Duplici caſu ad hanc deſperatam curationem veniebant, ſcilicet in pituita oculorum diuturna ſeu lippitudine, et in varicibus. Apud *Celſum* hoc vocatur *Venas legere*, apud Graecos ἀγγειολογία, ab ἀγγεῖον, *vas*, et λέγω, *eligo*, *colligo*.

ANGIOSPERMAE dicuntur plantae, quae ſemen in capſula peculiari reconditum ferunt.

ANGLICVS SVDOR, vide *Sudor Anglicus*.

ANGVILLA, ab anguis, ob ſimilitudinem cum angue, ſeu ſerpente: piſcis eſt in deliciis habitus, ſed difficilioris digeſtionis, quoniam particulis lentis, viſcidis, et pinguibus abundat. Corpus habet teretiuſculum, lubricum, pinnam caudae coadunatam dorſali anique. Ill. *Linnaeus* ad Muraenas refert, et vocat *Muraenam Anguillam* maxilla inferiori longiore, corpore vnicolore. Habitat in Europa; non fert Danubium. Nocturna; latet in coeno duplici foramine; cutis ei tenaciſſima; parit viuipara, ſub canicula. Hepar anguillae exſiccatum in partu difficili ſpecificum a nonnullis habitum eſt. Pinguedo ſpinae dorſi illita in morbis neruorum prodeſt. Ge. Aal. G. *Anguille*. A. *Eal*. B. *Aal*, *Paaling*.

ANGVIS, eſt genus animalium, quod inter Amphibia, et quidem ſerpentes refert, Ill. *Linnaeus*, et cuius diuerſae ſpecies varium numerum ſquamarum abdominalium et ſubcaudalium habent. Ge. Schlange.

ANGVLATVS dicitur truncus plantarum, pluribus, quam duobus angulis, cauis longitudinaliter excauatis.

ANGVLVS OCVLI, vide *Canthus*.

ANGVRIA, planta eſt e cucurbitaceorum genere (Monoec. Syngeneſ.), folia habens magna, villoſa, aſpera, in profundas lacinias diſſecta, flores flauos, campaniformes, quinquifidos, quibus ſuccedit fructus obrotundus, carnoſus, edulis, habens corticem ſatis durum, ſed politum varii coloris; caro cucumeris ſatis ſimilis eſt, alba, aut rubicunda, ſaporis dulcis et grati, continet pulpam medulloſam, in qua latent ſemina oblonga, ampla, compreſſa, rugoſa, nigra, rufa, aut rubra; ſeminis cortex eſt valde durus, et, cortice ablato, inuenitur amygdala parua, alba, medulloſa, ſaporis dulcis et grati. Deriuari poſſet ab ἄγγος, conceptaculum; vel vas quodlibet, quia, euacuata medulla, vino impleri poſſit, quod Americani ſcire norunt. Vocatur etiam *Citrullus* a citreo colore. Viribus gaudet refrigerantibus et leniter laxantibus. Ge. Gurken, Citrullen, Waſſermelonen. G. *Citrouille*. A. *Citrul*. B. *Watermeloen*, *Kicheren*, *Citrullen*.

ANGVSTATIO, dicitur de vaſis et meatibus, quando praeternaturaliter coarctantur, et anguſtiores redduntur.

ANHALTINA, dicitur aqua quaedam, ſeu ſpiritus, in officinis proſtans, ex variis aromatibus deſtillatus, et viribus analepticis gaudens, primum inuentus et elaboratus in principis Anhaltini laboratorio Berenburgenſi. Plures paſſim celebrantur medicinae Anhaltinae, quae non certam aliquam claſſem denotant, ſed hoc ſuo nomine originem produnt. *Oſwaldus Crollius* in ſua *Baſilica chymica* plerumque exhibet medicamenta Anhaltina; quippe laboratorio iſti praefuit.

ANHELATIO, eſt reſpiratio difficilis, parua, ſed concitata, quae ſanis, ſed maxime debilibus, euenit, in omni vehementi exercitio, praecipue cum in altum aſcendunt, aut cum currunt, vel ſaltant, qua plerumque laborant obeſi, qui viſcera abdominis tam magna, et tanta pinguedine onuſta habent, vt venter ſit tumidus et protuberans: alias etiam a repletione ſtomachi, cibis praeſertim crudioribus, et flatulentis copioſe ſumtis, mox anhelatio, vel ſedentibus, vel decumbentibus, et magis adhuc currentibus, aut aſcendentibus, et grauiſſime, ſi aeſtas fuerit, oboritur. At in febri-

bus, hydrope, tumoribus viſcerum in ventre, in pleuritide, cardialgia, et aſthmate ſemper vrget quaedam anhelatio. Omne enim id, quod vel tranſitum ſanguinis liberum per pulmones, vel facilem diaphragmatis deſcenſum impedit, anhelationem efficit. Gr. Ἀσθματικὸς Πνευμάτωσις. Germ. Das Keichen, Engbrüſtigkeit. G. *Difficulté de reſpirer, courte haleine.* A. *Shortneſs of breath.* B. *Hyging na zynen adem, Aamborſtigheid.*

ANIL, vide *Indigo.*

ANIMAE, ſ. GVMMI vel RESINA ANIME, rectius *aminae*, vel *aminne*: eſt maſſa pellucida ex albo citrineſcens, fragilis, in Hiſpaniola ex arboribus quibuſdam proceris inciſis exſtillans, prunis impoſita gratiſſimi odoris, thuri ſimillima, quo tamen maiora grana refert; in igne tota conſumitur, hinc maiori iure reſina, quam gummi, dicitur. Arbor in noua Hiſpania et Braſilia prouenit, et ab incolis *Ielaiba*, a botanicis *Lebus peregrinus cartilaginoſus, phaſeolo nigro puniceo annulo cincto*, vel *arbor ſiliquoſa animifera Braſiliana*, a *Plumiero Courbaril bifolia, flore pyramidali*, et ab Ill. *Linnaeo Hymenaea courbaril* vocatur. Reſina haec attenuat et reſoluit, neruoſque roborat. Vſus eſt externus in emplaſtris et ſuffimigiis, ad capitis et neruorum affectus. Germ. Gummi Anime. G. *Reſine Animé.* Conf. *Hymenaea.*

ANIMA HEPATIS, eſt vitriolum, ſiue ſal martis, nomen a chymicis impoſitum, quia hoc medicamine morbis hepatis mederi ſe poſſe confidunt.

ANIMA RHABARBARI, eſt tinctura rhabarbari aquoſo et alcaliſato menſtruo extracta, rubicundiſſima, ſic dicta, quod vires eius radicis exhibet, hincque ampliſſimi in medicina vſus eſt.

ANI LEVATORES, ſunt muſculi, qui vtrinque originem habent a parte interna et laterali oſſis iſchii, et quandoque pubis, deſinuntque in ani ſphincterem: partem hanc non tantum ſub ipſa excretione aluina, ſed etiam poſt excrementorum eiectionem, inprimis facto magno conatu, retrahunt, et ſic excretionem promouent, et procidentiam cauent. Ge. Die emporhebende Muskeln des Hintern. B. *Opligters van den Aars.*

ANI PROCIDENTIA, vide *Procidentia ani.*

ANIMAL, dicitur, quod, praeter vitam et vegetationem, ſenſu quoque et motu locali voluntario gaudet. Hoc etiam homini competit, hinc diſtinctionis gratia vox *Brutum* in vſu eſt, quum de animalibus reliquis ſermo eſt. Gr. Ζῶον. G. Ein Thier. A. *An animal.* B. *Dier.* Vide *Regnum.*

ANIMALIS ACTIO, vide *Actio.*

ANIMALIS FACVLTAS, eſt actio, qua homo ſenſum, motum, et principes animi functiones exercet: ſuntque tres, imaginatio, ratiocinatio, et memoria. G. Wirkung der Seele, Lebenskraft. G. *La Faculté animale.* A. *The animal faculty.* B. *De Ligbamelyke Ziel werking.*

ANIMALIS MOTVS dicitur de omni actione, quae pro arbitrio ope muſculorum peragitur. vide *Actio.*

ANIMALIS SPIRITVS, vide *Spiritus.*

ANIMI DEFECTVS, vide *Deliquium animi, Lipothymia.*

ANIMI MOTVS, vide *Affectus* et *Pathema.*

ANISCALPTOR MVSCVLVS, alias LATISSIMVS DORSI: Brachium retro ac deorſum trahit; oritur principio membranoſo et latiſſimo, a proceſſibus ſpinoſis vertebrarum, ab oſſe ſacro ileoque vſque ad ſextam thoracis vertebram, et ab exteriore parte coſtarum quatuor inferiorum in latere corporis: inſeritur in os humeri inter pectoralem et rotundum valido, breui et lato tendine; figura eſt triangularis. Ge. Das breite Rückenmäuslein. G. *Le Grand dorſal.* B. *De Anrs-krabber, Breedſte ſpier van den rug.*

ANISVM, eſt planta vmbellifera, foliis tenuiſſime diuiſis, ſemen aromaticum et carminatiuum proferens. Eſt *Apium aniſum dictum ſemine ſuaueolente, Tournef.* vel *Pimpinella Aniſum foliis radicalibus trifidis inciſis, Linn.* (Pentandr. Digyn.). Semen inter quatuor ſemina calida maiora refertur. Aniſum vnde dictum ſit, tanto incertius eſt, quanto Graeci in ſcribendo ſunt inconſtantiores. Legitur enim ἄνισον, ἄνησον, ἄνησσον et ἄννησον. Ge. Anys, Aniß. G. *Anis.* A. *Aniſe.* B. *Anys.*

ANISVM STELLATVM, ſeu BADIAN. Externa forma capſula ſeminalis ſtellam repraeſentat, quae ex ſex, vel ſeptem radiis conſtat ex eodem centro ortis, qui hiantes grana tot proferunt, quot ſunt radii. Ex India orientali aduehitur, et in Moſcouiam ex Tartaria tranſportatur, vnde forte *Foeniculum*, vel *Aniſum Sibirienſe* vocatur. Fructus eſt arboris, quae *Plukenetio* dicitur: *Euonymo affinis Philippinarum inſularum, Aniſum ſpirans, nuculas in capſulis ſtelliformiter congeſtis proferens*, vel *Illicium aniſatum floribus icoſandris octogynis Linn.* Conuenit virtute, odore et ſapore cum ſemine Aniſi vulgaris, penetrantius tamen, gratius et praeſtantius eſt. Ge. Sternanis. G. *Anis de la Chine, vel Semence de Badiane.* A. *Stellate Aniſe.* B. *Sterre-Anys.*

ANNVA Botanicis dicitur planta intra annum emoritura.

ANNVLARIS CARTILAGO, vide *Cricoides Cartilago.*

ANNVLARIS DIGITVS, eſt is, qui intra minimum et medium locum habet. Ge. Goldfinger, vide *Digitus.*

ANNVLARES fibrae vocantur fibrae muſculares, quae partes cauas, non oſſeas corporis, vt cor, arterias, inteſtina, ventriculum etc. circumdant, et conſtrictione ſua eorum cauum arctant, ſicque contenta propellunt.

ANNVLARIS PROTVBERANTIA, ſiue *Pons Varolii*, a figura dicta; eſt pars quaedam formae oualis medullae oblongatae, in baſi cranii ſita, pluribuſque neruis e cranio prodeuntibus originem praebens. Ge. Die Brücke. G. *Protuberance annulaire.* A. *The annular protuberance.*

ANNVLVS ABDOMINIS, eſt apertura in parte inferiori tendinea muſculi oblique deſcendentis, fibris tendineis cincta: in muſculo oblique adſcendente vero hiatus fibrarum carnearum, pro tranſitu vaſorum ſpermaticorum in viris; in mulieribus ligamenta vteri rotunda transmittit, in herniis inguinalibus vero inteſtina et omentum.

ANNVLVS OSSEVS, in foetu tantum reperitur, et quidem praeciſe ad oſtium tympani locatus, qui facile ab oſſe temporum ſeparabilis eſt, nuduſque apparet cum membrana tympani, quando auris cum eius meatu eſt auulſa: Annulus hic aliquantum oblongae figurae, ad dimidiae circiter lineae ſpatium interruptus eſt, in parte ſua ſuperiori prope eum locum, vbi caput mallei, et pars ſolida incudis in tympanum conduntur. Interruptio haec etiam in adultis videri poteſt, et eo loco membrana tympani immediate adhaeret extremitati meatus oſſei auris externae. Quamuis autem paruus iſte annulus diſtinctus ſit, et facile ſeparabilis in infantibus recens natis, in adultis tamen euaneſcit, et cum meatu oſſeo coaleſcit. Ge. Der knöcherne Ring des Trommelhäutleins. G. *Le cercle oſſeux.* B. *De beenagtige ring.*

ANNVLVS *plumbeus*, vel *aeneus*. Chirurgi eo vtuntur ad firmandum oculum, pro exciſione Pterygii, aliiſque operationibus, in oculo peragendis. Eſt itaque ſpecies *ſpeculi oculi.*

ANNVS CLIMACTERICVS, eſt annus 63. 81. in quibus annis ſecundum vulgi opinionem, hominibus maxime mortis periculum imminet. Illi anni ſemper incidunt in nonum annum, v. c. ſepties nouem conſtituunt tria et ſexaginta. Ita nouies nouem efficiunt octoginta et vnum. Nulla ratio, nec vlla experientia, nobis perſuadere poteſt, homines illis annis magis eſſe morti obnoxias, quam aliis: Imo tantus mortuorum ſexagenariorum affertur numerus, quantus eorum, qui obierunt ſexageſimo tertio, aut octogeſimo primo. Ergo eiuſmodi obſeruatio merito ad nugas et ſuperſtitionem re ertur. Vide *Climactericus annus.* Ge. Stufenjahr. G. *Année Climacterique.* A. *The terms of important changes in the bodies of men.* B. *Moordjaar.*

ANODYNVM, in genere, eſt medicamentum, dolorem tollens, et quatuor medicamentorum ſpecies complectitur; 1. *Paregorica*, quae dolorem tollunt demulcendo; 2. *Hypnotica*, quae dolorem tollunt ſomnum conciliando; 3. *Narcotica*, quae dolorem tollunt ſtuporem inducendo; 4. *Nepenthes*, quod proprie notat medicamentum, dolorem auferens. Ex α priv. et ὀδύνω, doleo. Gr. Ἀνόδυνον, παρηγορικὸν, ἀναισθόνον, πραυντικὸν, πόνυ παυστήριον, παυσίπονον. Ge. Schmerzſtillende Arzeneyen. G. *Anodin.* A. *Any Medicine that allays pain.* B. *Een pynſtillend middel.*

ANODYNVM MINERALE, eſt nitrum antimoniatum.

ANODYNVS LIQVOR, vide *Liquor mineralis anodynus.*

ANOEA, eſt *amentia*, ſiue imaginationis et iudicii abolitio, ex α priv. et νοέω, cogito. Ge. Unſinnigkeit. G. *Egarement, ou alienation d'Eſprit.* A. *Madneſs.* B. *Verſtondeloosheid, onzinnigheid.*

ANOMALA eſt febris, quae nullum certum, vel regularem, typum ſequitur.

ANOMALVS ABSCESSVS *Seuerino* dicitur concrementum quoddam ſubſtantiae ſolidae, quod, foetus cuiuſdam modo, vaſis ſuppoſitis nutritur, augeſcit, et folliculo comprehenditur. Ergo *Tumor tunicatus* eſt.

ANOMEOMOERES, idem quod *Heterogeneum*, ſiue id, quod ex aliis et inter ſe diuerſis particulis conſtat, ex α priv. ὅμοιον, ſimile, et μέρος, pars. Ge. Das aus Theilen ungleicher Art beſtehet. G. *Heterogene.* A. *Heterogeneous or of another kind.* B. *Meerdaantigheid, Veeldeeligheid.*

ANONIS, ſiue ONONIS, eſt herba ſpinoſa, flore papilionaceo (Diadelph.Decandr.*Linn.*): habet caulem tenuem, rotundum, lignoſum, villoſum, rubicundum, ſpinis longis et duris inſtructum; folia oblonga, nigricantia, villoſa, glutinoſa, dentata, odoris ingrati, ſaporis leguminoſi; flores leguminoſos, purpureos, raro albos; flori ſuccedit ſiliqua turgens, longior, breuiorue, biualuis, inſtar veſiculae inflata, in qua haerent ſemina reniformia; ſaporis Viciae. Radix eſt longa, lignoſa, fibroſa, alba, repens, fractu difficilis: Ὄνωνις quidam deducunt ἀπὸ τοῦ ὄνυ, et ὄνημι, quaſi dicas aſini oblectamentum: nam ex Graecis quidam affirmant, aſinos in ea ſe volutare, et dorſum ſub aculeis eius herbae libenter exterere. Aliis vocatur a non iuuando, quod in-

vtilis sit; aratro enim ipsisque aratoribus inimica. Nam non tantum suo ramorum et radicum implexu aratra, inuitis bubulcis, in mediis ramorum sulcis remoratur, (vnde et ipsi *Restae*, seu *Arestae bouis*, *remorae aratri*, nomen impositum, quod arantes boues in opere sistat) sed etiam messores, foenisecas, ac aratores spinis suis acutis admodum laedit; vivax praeterea nimis fruges opprimit, iisque aculeis nocet. Ex ἀ priv. et ἀμός, immitis, rudis, durus, crudelis, saeuus. Vel ab ὀνάω, vitupero, quia duris et lentis radicibus aratrum remoratur. Est quoque species Ononidis non spinosa, aetate forte tantum differens. Radix, quae a quibusdam pro remedio specifico nephritico habetur, inter quinque radices aperientes minores numeratur. Prostat etiam in officinis sal fixum Ononidis Ge. Hauhechel, Stachelkraut, Ochsenbrech. G. *Arrête boeuf*, *Bugrane*. A. *Rest-harrow*. B. *Prang-wortel*, *Stalkruid*, *Ossebreke*, *Ezel-kruid*.

ANOREXIA, est cibi fastidium, cum, vel sine nausea, ab imminuta vellicatione fibrarum neruearum ventriculi, vel a cruditatibus viscidis, aut biliosis, ortum habens, ex ἀ priv. et ὄρεξις, appetitus. Ge. Unluſt zum Eſſen. G. *Degout*. A. *Loathing*, *or Nauseousness*. B. *Spyswalging*, *Hongerloosheid*, *Onlust tot eeten*.

ANOSMIA est imminuta, vel suppressa facultas percipiendi odores. Oritur a catarrho, ab ozaena, siphilitide, polypo, vermibus, siccitate, paralysi, etc. ab ἀ priv. et ὀσμή, odor.

ANSERINA, seu ARGENTINA, est herba sic dicta, quod anseres ea vescantur: dicitur porro *Potentilla*, *Agrimonia Syluestris*, et *Tanacetum syluestre*. vide *Pentaphylloides*. Ge. Gänſerich. G. *Argentine*, *Bec d'Oye*. A. *Silver-weed*, *Wild-tansy*. B. *Zilver-kruid*, *Zilver schoon*, *Ganserik*.

ANTACIDA, sunt medicamenta acidum domantiá, et sunt vel absorbentia, de quibus suo loco; vel diluentia, vt aqua et aquosa; vel obtundentia, quae molli suo lentore inuiscant acria ita, vt acies eorum hebetata amittat noxam; dum simul defendunt membranas, ne offendantur a spiculis acidis; vnde et effecta horum iam impressa tollunt: obsunt tantum quandoque iis, quibus laxa nimis corporis compages vltra labefactaretur. Vel sunt, quae acidum immutant, salia v. c. quae, cum acidis mista, statim cum hisce efferuescunt, itaque motum cient, stimulant, agitantque fibras; postea vero, ipsis cum acidis vnita, constituunt nouam salis speciem, s. sal medium, in quo vis stimulans, diaphoretica, diuretica resoluens, adhuc supereſt. Ea male cedunt tantum iis, quibus vel

nimius motus adest infestus. Antacida quoque sunt, quae acidi generationem amara sua et roborante vi impediunt. Est vox mixta, origine Graeca et Latina. Ge. Die Säure dämpfende Mittel G. *Remedes contre l'Acidité ou les Aigreurs*. A. *Medicines against the Acidity*. B. *Zuur-matigende Middelen*.

ANTAGONISTA, est musculus alteri musculo in actione oppositus: vt adductor et abductor oculi flexores et extensores brachii, etc. ex ἀντὶ, contra, et ἀγωνίζω, certo, oppono. Ge. Antagoniſt. G. *Antagoniste*. A. *Antagonist*. B. *Tegenstander*.

ANTAPHRODITICA, sunt medicamenta aduersus nimiam veneris libidinem. Vocantur quoque ita ea, quae contra luem veneream prosunt, ex ἀντὶ, contra, et ἀφρὸς, spuma. Dicuntur etiam *Antaphrodisiaca*.

ANTARTHRITICVM, est medicamentum aduersus arthritidem, ex ἀντὶ, contra, et ἀρθρῖτις, morbus articularis. Ge. Gichtſtillende Mittel, Mittel gegen die Gicht. G. *Remedes contre la Goutte*. A. *Medicines against the gout*. B. *Flerecyn Middelen*.

ANTASTHMATICA, sunt medicamenta, quae asthmati medentur, ex ἀντὶ, contra, et ἀσθμάζω, anhelo.

ANTECEDENS CAVSA, vide *Proëgumena*.

ANTECEDENTIA SIGNA sunt, quae ante morbum obseruantur, vt praua sanguinis dispositio, quae infinitis morbis causa antecedens existit: vel lassitudo spontanea, quae multos morbos praecedit. Ge. Vorhergehende Zeichen. G. *Signes antecedens*.

ANTEMETICA, sunt medicamenta, quae vomitum nimium impediunt et inhibent, ex ἀντὶ, contra, et ἐμέω, vomo. Ge. Mittel gegen das Erbrechen. G. *Remedes contre le vomissement*. A. *Medicines against vomiting*. B. *Braaken belettende Dingen*.

ANTENDEIXIS, est *Contraindicatio*, siue indicationum contradictio, quae impedit, quod a prima indicatione suggeritur: v. c. pleuritis inflammatoria venaesectionem indicat, cui contraindicant vires debiles: vel saburra ventriculi, vomitorium indicat, quod hernia, vel grauiditas, prohibet. Ex ἀντὶ, contra, et ἐνδείκνυμι, ostendo.

ANTENNAE, vocantur cornicula in capitibus insectorum posita, variae figurae et longitudinis, mobilia, quibus insecta obuia quaeuis explorant, et quorum diuersitas *Linnaeo*, aliisque characteres ad diuidenda et distinguenda insecta suppeditat. G. Fühlhörner. G. *Les antennes*.

ANTEPILEPTICA, sunt medicamenta contra morbum caducum, ex ἀντὶ, contra, et ἐπιλημψία, morbus comitialis.

ANTEPONENS dicitur febris intermittens, cuius paroxysmi iusto citius redeunt.

ANTHELIX, est altera auriculae protuberantia, Helice multo breuior, latior, crassior, depressior, non intorta, eique versus interiora opposita, bipartito, mediante cauitate, principio orta in auriculae parte anteriori et superiori sub intorta helice. Dein vnita, incuruo processu deorsum vergens gracilescit, subsidet et desinit; videtur anfractuosa ipsius helicis continuatio, quae sic quasi vna linea spirali in se ipsam recurrit. Ex ἀντὶ, contra, et ἕλιξ, volumen. Ge. Der Gegenkreiß am Ohr, die innere zweyspaltige Leiste, G. *La bosse ou la grosse eminence oblongue, qui est entourée du pli de l'oreille.* A. *The inmost ring of the ear.* B. *Tegen slangentrek der ooren.*

ANTHELMIA, vide *Spiegelia.*

ANTHELMINTHICA, sunt remedia intestinorum vermes enecantia, vel nidos eorum destruentia. Ex ἀντὶ, et ἕλμινς, lumbricus, vermis. Ge. Wurmmittel. G. *Remedes contre les vers.*

ANTHEMIS, et ANTHEMON, est nomen, quo varii flores denominantur: deriuatur enim ab ἄνθος, flos. Speciatim vero *Anthemis Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.) est genus plantarum flore radiato, quod *Chamaemelum* et *Buphthalmum Tourn.* comprehendit. Alii hoc nomine *Matricariam* denotant.

ANTHERAE, dicuntur summitates, seu cacuminula in florum medietate, filamentis incumbentia et adnexa, quae proprie partes masculinas plantarum constituunt, dum farinam seminalem in loculamentis continent, quae ad germen delata hoc foecundum reddit, eiusque maturitatem efficit. Ge. Staubbeutel. Vide *Apices.*

ANTHOPYLLI, et quibusdam ANTOPHYLLI, et ANTOPHALA, sunt grandes *Caryophylli aromatici*, qui ad maturitatem peruenerunt, nucleo intus duro bifidoque; sapore non tam acres, vt caryophylli, praeterquam in superficie. Anthophylli viribus cum caryophyllis aromaticis conueniunt, et in primis ad hystericos adfectus laudantur. Ge. Mutternägelein. G. *Antoflas de Giroffles, Mere de Giroffles.* A. *Mother cloves.* B. *Moernagelen, Antoffels.* Arab. *Carumfel*, vel *Calafur*, vt et *Arumfel.* In Iaua *Syanke*, vel *Chanque.* In Malaia *Synken.* Anthophyllus est quasi floris folium. Ex ἄνθος, flos, et φύλλον, folium, vide *Caryophylli.*

ANTHORA, est *Napelli* species, quae remedium aduersus Thoram, venenum pessimum, esse creditur. Ex ἀντὶ, ad, versus, et φθορὰ, corruptio. Gall. *Aconit salutaire.* Est *Aconitum* floribus pentagynis, foliorum laciniis linearibus. *Linn.* seu Aconitum salutiferum *Bauh.* Antithora *Cam.* Licet nonnulli vires anthelminthicas et alexipharmacas huic plantae inesse crederent, tamen, ob indolem eius suspectam et forte venenatam, noxamque interdum illatam, medici ab vsu eius prorsus abstinent. Ge. Heilaist, Giftheil, Herzwurzel. A. *Healthfull Wolfsbane.* Vide *Aconitum.*

ANTHOS est *Flos*, sed per excellentiam sic vocatur *Flos Rorismarini.* — Applicatur etiam haec vox sputis cruentis, et sanguineis fibris quasi intertextis, et tandem ad mineralia transfertur: in chymicis notat quintam essentiam, siue elixir auri, item medicinam extractam ex perlis; *Anthos Philosophorum* dicitur modus quidam transmutandi metalla, qui fit per vitriolum.

ANTHRACOSIS OCVLI, est crustosa et corrosiua oculi vlceratio, cum tumore totius corporis, praesertim circa oculos. Causa quandoque est inflammatio oculi. Ge. Brand im Auge. G. *Ulcere de l'oeil caustique ou brulant.* A. *A corrosive ulcer of the Eye.* B. *Een brand oog.*

ANTHRAX, est phyma apice gangraenosum, ambitu inflammatum, scilicet inflammatio valde ardens et acrem suscitans dolorem, cum tumore eleuato, sed non late diffuso; cum pustulis igneis circum se acerrimis, variis in corporis locis absque suppuratione emergens. Caro quasi crusta invritur, color ex rubro ad liuidum, nigrumque, id est inflammatio ad gangraenam vergit. Iam quia vel pestis adest, vel non, anthracis duas constituunt species, quarum altera *pestilentialis*, altera *non pestilentialis* vocatur. Dicitur et *Carbo, Carbunculus, Pruna, Ignis persicus*, etc. B. *Een pest kool, negen oog*, quia nouem aliquando pustulae conspiciuntur. Ge. Kurfunkel. G. *Charbon.* A. *A carbuncle.*

ANTHROPOLOGIA, est de homine doctrina: quae in geminas dispescitur partes: *Anatomiam* nempe; quae de corpore, eiusque partibus agit: et *Psychologiam*, quae de anima. Ge. Beschreibung des Menschen, Anthropologie G. *Description de l'Homme.* A. *Description of the man.* B. *Mensch-beschryvinge.* Ex ἄνθρωπος, homo, et λέγω, dico. Dicitur etiam ita dicitur illa pars Pharmacologiae, quae medicamenta ex humano corpore desumta recenset.

ANTHROPOMORPHOS, *Mandragora* vocatur, cuius radix hominem refert, quod arte fieri potest, ex ἄνθρωπος, homo, et μορφὴ, forma, figura. Ge. Alraun. G. *Mandragore.* A. *Mandrake.* B. *Alrun.* — In historia naturali An-

thropomorpha vocantur animalia, quorum forma aliquantum ad humanam accedit. Ge. Menſchenähnliche Thiere.

ANTHYPNOTICA, ſeu medicamenta ſomnum abigentia, ex ἀντὶ, contra, et ὕπνος, dormio. Ge. Schlafvertreibende Mittel. G. *Remedes contre le ſommeil ou le dormir.*

ANTHYPOCHONDRIACA, remedia ſunt aduerſus mala circa hypochondria contingentia, quae praecipue ex aperientibus et martialibus peti debent. Ge. Mittel gegen die Hypochondrie. G. *Remedes contre l'Hypochondrie.*

ANTIHYSTERICA, ſunt medicamenta contra hyſtericam paſſionem, inordinatum ſpirituum motum compeſcentia, inter quae foetida, antiſpasmodica, et narcotica optima habentur, ex ἀντὶ, aduerſus, et ὑστέρα, vterus, matrix. Germ. Antihiſteriſche Mittel. G. *Remedes contre les Vapeurs.*

ANTIARTHRITICA, ſunt medicamenta, quibus arthritis curatur, ex ἀντὶ, et ἀρθρῖτις, dolor articularis. Ga. *Remedes contre la Goutte.* Vide *Antarthritica.*

ANTIAS, pl. ANTIADES, TONSILLAE, *Cic. Plin. Glandulae colli*, vulgo *Amygdalae.* Ἀντιάδες, μῆλα, a malorum figura; παρίσθμια, σπογγοὶ, *Hipp.* quod ſpongiarum in modum humores imbibere creduntur. Eſt glandula peculiaris ingenii inter arcus faucium, et ad latera, ſub velo vtrimque ad perpendiculum ſedens, vt tamen inferiora diuergant. In vniuerſum oualis eſt, anterius plana, poſterius conuexa, ſurſum craſſior, amygdalae integrae ſimilis, praeter proprium ſtrictum inuolucrum, membrana laxa pharyngis protecta; perforata multis, ad quindecim vſque ſinubus et aliis quidem grandibus. In eiuſmodi ſinum multa foramina minora patent. Alia oſtia ſunt exigua, ſinuum minorum, qui inter ſe conueniunt, ad vſque duodecim. In eiuſmodi ſinum quemlibet etiam glandulae ſimplices ſe aperiunt, quae mucum parant, in eos ſinus effundunt, perque eos in fauces amandant, qui lubricando alimentorum deglutitionem promouet. *Antiades* etiam vocantur tonſillarum inflammationes. Vid. *Pariſthmia.* Ab ἀντιάω, occurro, quia ſibi ex aduerſo in oris termino vtrinque reſpondent. Ge. Die Mandeln im Halſe. G. *Les Amygdales.* A. *The Almonds.* B. *d'Amandelen.*

ANTIBALLOMENA, ſiue SVCCEDANEA, ſunt medicamenta viribus ſimilia, quae alterius defectu quandoque ſubſtituuntur: a pharmacopoeis dicuntur *quid pro quo*, et *ſubſtituta.* Ex ἀντὶ, contra, et βάλλω, iacio, ἀντιβάλλω, in alterius locum ſufficio.

ANTICACHECTICA, ſunt remedia quae cachexiae opponuntur, ex ἀντὶ, contra, κακὸν, malum, et ἕξις, habitus. Vide *Cachexia.* Gall. *Remedes contre la Cachexie.*

ANTICARDIVM, eſt cauitas externa infra mammas ad extremitatem inferiorem ſterni. Ex ἀντὶ, ante, et καρδία, cor. Dicitur etiam *ſcrobiculus cordis.* Ge. Herzgrube. G. *Le Creux de la Poitrine.* A. *The cavity juſt below the ſternum, pit of the ſtomach.* B. *Het herte putjen.*

ANTICHEIR, idem quod *Pollex.* Graecis ita dicitur, quoniam reliquis digitis ex obliquo apponitur. Ge. Der Daumen. B. *Duim.*

ANTICIPANS et ANTICIPATIO, dicitur de morbis, quorum paroxyſmorum periodi citius veniunt indies. Ga. *Paroxyſme qui avance.* B. *Vervroegen van de ziekte.*

ANTICNEMIVM, eſt anterior tibiae pars, ex ἀντὶ, ante, et κνήμη, tibia. Vide *Gaſtrocnemium.*

ANTICOLICA, ſunt medicamenta aduerſus dolorem colicum, ex ἀντὶ, contra, et κωλικὴ, colica. Ge. Mittel gegen die Kolik. G. *Remedes contre la Colique.*

ANTIDINICA, remedia, quibus vertigines curantur, ex ἀντὶ, aduerſus, et δῖνος, gyrus. Ge. Mittel gegen den Schwindel. G. *Remedes contre les vertiges.*

ANTIDOTARIVM liber eſt, qui de antidotis agit; vel locus, in quo praeparantur.

ANTIDOTVM, eſt medicamentum contra lethale venenum, et quod aduerſus venena epota datur, ex ἀντὶ, contra, et δίδωμι, do. Ge. Ein Gegengift. G. *Preſervatif, contrepoiſon, antidote.* A. *An Antidote, or a preſervative againſt poiſon.* B. *Een tegengift, tegen vergift.*

ANTIDYSENTERICA, ſunt remedia aduerſus dyſenteriam, ex ἀντὶ, contra, δύς, difficile, ἔντερον, inteſtinum, et ῥέω, fluo. Ge. Mittel gegen die Ruhr. G. *Remedes contre la dyſenterie.*

ANTIFEBRILE, vide *Antipyreticum.*

ANTIHECTICA, ſunt remedia aduerſus tabem, ab ἀντὶ, contra, et ἕξις, habitus. Ge. Mittel gegen die Abzehrung. G. *Remedes contre la conſomption.*

ANTIHECTICVM POTERII, eſt medicamentum ex detonatione antimonii cum ſtanno paratum, cui vires inſignes in phthiſi et febre hectica incipiente adſcriptae ſunt; licet laudes illae non ſat firmo fundamento niti videantur, quoniam rite praeparatum nil niſi calcem horum mineralium continet. Maiori iure igitur inter remedia minus tuta et ſuſpecta refertur.

ANTIHELMINTHICA, vide *Anthelmintbica.*

ANTIHYDROPICA, sunt medicamenta sanando hydropi idonea, qualia inprimis sunt, quae noxiam aquarum colluviem per aluum, vel vias vrinarias, expurgant. Ge. Mittel gegen die Wassersucht. G. *Remedes contre l'hydropisie.*

ANTILOBIVM, dicitur pars illa exigua in auricula, quae infimae parti, quem lobum appellant, superposita est. Gr. ἀντιλοβιον. Idem quod *Antitragus.*

ANTILOIMICA, remedia pestem arcentia: λοιμὸς enim pestis est. Ge. Mittel gegen die Pest. G. *Remedes, qui préservent de la Peste.*

ANTILYSSVS, est compositio aduersus rabiem, ex ἀντὶ, contra, et λύσσα, rabies. Talis est celebris praecipue *Pulvis Antilyssus Londinensis*, ex Lichene cinereo terrestri et pipere nigro compositus.

ANTIMONIVM, est proprie substantia metallica, solida, ponderosa, obscuri, caerulei, plumbei coloris, striasque habet splendentes et longas. Hoc concretum minerale sulphureo regulinum constat ex sulphure vulgari et substantia regulina, quae posterior iterum ex sulphure minerali, et terra vitrescibili, teneriori principio arsenicali aliquantulum remixta, composita est. — Nonnulli duplex sulphur in antimonio quaerunt, alterum scilicet vulgare, crudius, imparius, sulphuri communi analogum, aut plane simile, alterum purius praestantius, solare; verum, praeter sulphur vulgare, sulphuri communi minerali per omnia simillimum, nullum aliud, multo minus praestantius solare in antimonio vnquam demonstrari potuit. Quod in officinis prostat, liquefactione ex minera, in formas pyramidales vt plurimum effusum est. Inuenitur in Germania, Hungaria et Transyluania. Dicitur quoque *stibium*, *stimmi*, aut *balneum regis*, quia cum auro fusum huius fulgorem pulcherrime promouet. Olim pro veneno habebatur, nec nisi in collyriis adhibebatur. Saeculo decimo sexto vero sensim ab hac suspicione vindicatum in vsum medicum vocatum est. Commendatur non tantum in substantia in morsulis, ad scabiem et dolores rheumaticos pertinaces, verum etiam maximus in officinis praeparatorum ex antimonio medicamentorum numerus prostat, quae efficacia admodum plus minus vehementes in alterando et euacuando effectus exserunt, praecipue pro varia salium in praeparatione adiectorum proportione. Talia sunt e. g. *butyrum*, *regulus simplex* et *medicinalis*, *sulphur auratum*, *kermes minerale*, *flores*, *clyssus*, *antimonium diaphoreticum*, *vitrum* vel *infusum* vel *ceratum*, *tinctura*, *cerussa*, de quibus suo loco vide. Veterinarii quoque, in equorum

et pecudum morbis, antimonium frequenter adhibent, cuius varias praeparationes, maxime actiuas equi stupenda dosi ferunt. Hebr. *Zaddah.* Gr, στιμμι, στιβι. Arab. *Aitmad et Antimad.* Ge. Spießglas G. *Antimoine.* A. *Antimony.* B. *Antimonie, Spiesglas, Spitsglas.* A chymicis etiam varia fortitur nomina.

ANTIMONII CALX, apud nos dicitur puluis ille griseus, in quem antimonium crudum, puluerisatum, lenique igne calcinatum, expulso sulphure, fatiscit, quique puluis rursus valido igne fusus in *Vitrum Antimonii* abit, quod pariter ac calx viribus potentissimis emeticis pollet.

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM, seu *Calx Antimonii* Anglorum, est medicamentum, ex detonatione antimonii cum tribus partibus nitri paratum: quod a quibusdam pro calce fere effoeta proscribitur; ab aliis vero propter vires aperientes, et sudorem sine impetu excitantes, summopere laudatur, et vel aqua edulcoratum, vel non ablutum, saleque suo adhuc imbutum propinatur. Ge. Schweißtreibendes Spießglas, Spießglaskalch.

ANTINEPHRITICA, sunt medicamenta morbis renum medentia. Ex ἀντὶ, contra, aduersus, et νεφρὸς, ren. Ge. Mittel gegen die Krankheit der Nieren. G. *Remedes contre les maladies des Reins.*

ANTIPARALYTICA, sunt medicamenta tam interna, quam externa, contra paralysin probata. Ge. Mittel gegen die Lähmung. G. *Remedes contre la Paralysie.*

ANTIPATHIA, est contrarietas et repugnantia in corpore per se, vel medicamentis. Item fastidium et abhorrentia alicuius rei sine manifesta causa. Ex ἀντὶ, contra, et πάθος, affectus. Ge. Widerwärtigkeit gegen ein Ding, Antipathie. G. *Antipathie.* A. *Antipathie.* B. *Tegenstrydigheid.*

ANTIPERISTALTICVS, est motus intestinorum, motui peristaltico naturali contrarius et alimenta sursum agens.

ANTIPERISTASIS, hoc termino olim denotabatur actio reciproca duarum materiarum, quarum natura et indoles prorsus contraria est, vt frigus et calor, humidum et siccum, sic in aere medio, vtpote frigidiore, accessu caloris, per antiperistasin fulmina generari, sic calcem viuam affusa aqua incalescere per antiperistasin dicebatur. Sed, quae in hoc termino obscura adhuc sunt, rectius ex recentiorum inuentis physicis et chemicis explicari possunt. Ex ἀντὶ, contra, et περὶστημι, circumsisto. Ge. Gegenwirkung. G. *Antiperistase.* A. *A Repulsion on every part.* B. *Een ond-ombezetting, tegen drang.*

ANTIPESTILENTIALIA, sunt eadem, quae *Antiloimica.*

ANTIPHARMACVM, est remedium venenis aduersum. Significat quoque remedium contra quemuis morbum. Ex ἀντὶ, contra, et φάρμακον, venenum, remedium. Ge. Gegengift. G. *Contrepoiſon, Antidote.* A. *An Antidote, or a preſervative againſt poiſon.* B. *Een tegen-gift.*

ANTIPHLOGISTICA, sunt medicamenta, quae nimium calorem, siue ab igne externo, siue a febre interna excitatum, temperant, et hac dote etiam inter antifebrilia recensen merentur. — *Antiphlogiſtica* methodus est, si febres nimium motum humorum temperando curantur.

ANTIPHTHISICA, medicamenta phthisi, seu tabi, aduersantia. Ex ἀντὶ, contra, et φθίσις, tabes. Ge. Mittel gegen die Lungenſucht. G. *Remedes contre la Phtbiſie.*

ANTIPHTHORA, est *Napelli*, vel *Thorae*, species, sic vocata, quod aduersetur phthorae. Ex ἀντὶ, aduersus, et φθορὰ, corruptio, a φθίω, corrumpo. Vide *Anthora.*

ANTIPLEVRITICVM, est medicamentum pleuriticum, seu aduersus morbum lateralem, ex ἀντὶ, ante, et πλευρῖτις, morbus lateralis. Ge. Mittel gegen den Seitenſtich. Gall. *Remede contre la Pleureſie.*

ANTIPODAGRICA, idem quod *Antiarthritica.*

ANTIPVICA, sunt medicamenta, quae suppurationem vel penitus impedire, vel saltem minuere possunt. Ge. Mittel gegen die Eiterung.

ANTIPYRETVCVM, seu ANTIPYRETICVM, est medicamentum febrim temperans et profligans. Ex ἀντὶ, contra, et πυρετὸς, febris. Ge. Mittel gegen das Fieber. G. *Febrifuge.* A. *A Febrifuge.* B. *Een tegen-koortſig middel.*

ANTIPYROTICA, sunt remedia contra ambusta. Ex ἀντὶ, et πῦρ, ignis.

ANTIQVARTANARIVM, et ANTIQVARTIVM, medicamentum est aduersus febrim quartanam. Hinc in specie cortex *China chinae* vocatur *Antiquartium Peruuianum*, seu *Puluis antiquartius.* Ge. Mittel gegen das viertägige Fieber. G. *Remede contre la fievre quarte.*

ANTIQVI MORBI, sunt, qui vltra quadragesimum diem ad annos saepe plurimos extenduntur, ideoque et inueterati dicuntur. Ge. Langwierige, oder Chroniſche Krankheiten. G. *Maladie inveterée.* A. *Chronic Diſeaſes.* B. *Verouderde Ziekte.*

ANTIRRHINVM, est plantae genus, quod folia habet linariae latiora, flores monopetalos, personatos, nectario obtuso vix prominente, bilabiatos, labio superiori erecto, inferiori trifido, vultum leonis formante; totus flos, si a suo calice auferatur, caput refert vitulinum. Post singulos flores pistillum floris calicis quinquefidi fit capsula; quae per maturitatem refert caput canis vel suis. Continet semina exigua, nigra; radix est alba et lignosa; Dici volunt quod florem ferat similem naribus vituli. Ex ἀντὶ, et ῥὶς, nasus, nares; vocatur et *cynocephalos* a κυνὸς, canis, et κεφαλὴ, caput, quia eius fructus canis caput refert. Cum qualitatis sit fatuae, viriumque dubiarum, vix ad vsus medicos adhibetur, nisi forte a superstitiosis ad balnea et suffimigia antimagica expetatur. Ge. Orant, Kalbsnaſe, Löwenmaul. G. *Mouron violet, Muſle de veau, oeil de chat, tête de veau, gueule de veau.* A. *Calfes Snout, Snap dragon.* B. *Orant, apenhoofd, knaptandekens-kruid, kalfs-ſnuit, gaperkens, kalfs-bek, kalfs-muil, kalfs-neus.*

ANTISCOLICA, siue *Anthelminthica*, sunt remedia vermes necantia. Ex ἀντὶ, aduersus, et σκώληξ, vermis. Ge. Wurmmittel. G. *Remedes qui tuent les vers.*

ANTISCORBVTICA, sunt remedia, quibus scorbutus sanatur. Talia sunt vel generalia, vt serum lactis etc. vel specialia, cuivis scorbuti speciei opposita, vt succus citri, aurantiorum, nasturtium, cochlearia, etc. Ge. Antiſcorbutiſche Mittel. G. *Remedes contre le ſcorbut.*

ANTISCORODON, est Allii species, et quidem Allium caule planiusculo bulbifero, foliis crenulatis; vaginis ancipitibus, staminibus tricuspidatis *Linn.* (Hexandr. Monogyn.) Ex ἀντὶ, ante, aduersus, et σκόροδον, allium.

ANTISEPTICA, sunt remedia interna et externa, quae putredini resistunt, ab σήπω, putrefacio. Ge. Mittel gegen die Fäulniß. G. *Antiſeptiques.* A. *Antiſeptics.*

ANTISPASIS, veteribus dicebatur *reuulſio*, quae fit, quando humores in partem aliquam ruentes in aliam corporis partem, vel per remedia irritantia, vel per minorem resistentiam in ea productam, auertuntur. Sic accipi potest revulsio, in inaequali sanguinis periodo, cum in capitis dolore nimium ruat ad caput, et per supplantalia auertatur, ab ἀντισπάω, in contrarium traho. Vide *Deriuatio.* Ge. Ableitung. G. et A. *Revulſion.* B. *Afrekking.*

ANTISPASMODICVM, est medicamentum contractiones et spasmos inhibens, ab ἀντὶ, et σπασμὸς, extractio s. conuulsio. Ge. Krampfſtillende Mittel. G. *Remedes contre les Convulſions.*

ANTISPASTICVM, idem quod *Antiſpaſis.*

ANTISTROPHAE, hoc nomine a quibusdam duae superiores verae costae denotantur.

ANTITASIS, seu CONTRAEXTENSIO, est partium in corpore oppositá locatio, vt est inter hepar et lienem. — Est quoque ossis fracti in oppositum tractio, vel extensio, ita vt alter extendat, alter vero contra extendat. Ex ἀντὶ, contra, et τάσις, tensio. Ge. Gegenſtreckung. G. *Contre-extenſion.* B. *Tegentrekking.* Ab ἀντιτάσσω, ex aduerso ordino.

ANTITHENAR, siue ADDVCTOR, est musculus adducens pollicem manus, vel pedis. Qui ad pollicem manus reperitur, oritur ab osse metacarpi digiti indicis et medii, et inseritur phalangae primae et secundae; qui vero est in pede, oritur a parte inferiori secundi, tertii et quarti ossis metatarsi, et inseritur parti posteriori primae phalangae pollicis. Ex ἀντὶ, contra, et θέναρ, vola.

ANTITHORA, idem quod *Anthora* et eadem origine.

ANTITRAGVS, est prominentia auris externae ab helice oriunda, tragoque oppositá, ad finem anthelicis sita eique terminum figens, satis eleuata. Ex ἀντὶ, contra, et τράγος, hircus. Ge. Der Gegenbock des Ohrs. G. *Le bouton poſterieur, qui eſt au deſſous de l'extremité inferieure de l'Anthelix.* A. *Protuberance oppoſite to the Tragus.* B. *De tegen-bok van het Oor.* Vide *Antilobium.*

ANTIVENEREA, medicamina ad luem veneream. Ge. Mittel gegen die Veneriſche Krankheit. G. *Remedes contre la verole.*

ANTRVM BVCCINOSVM, idem quod *Cochlea auris internae.*

ANTRVM HIGHMORI, est sinus in osse maxillari superiori excauatus, membrana nasi vestitus, hinc muco parando et colligendo inseruiens. Ge. Die groſſe Schleimhöle des obern Kinnbackens. G. *Sinus maxillaire.*

ANVS, dicitur intestini recti extrema pars. Constat ex tribus musculis, duobus nempe leuatoribus, anum tempore necessitatis distrahentibus, et attollentibus, et vno sphincture, siue constrictore, qui anum claudit et occlusum seruat. — *Item* cauitas in cerebro, seu potius foramen in anteriori extremitate ventriculi tertii sub commissura anteriori cerebri situm, et in canalem, qui infundibulum vocatur, et ad glandulam pituitariam dirigitur, patens. — *Item* cutis superans vmbilicum, cuius rugae senii indicium faciunt. *Corrugata vetula* a Barbaris. Gr. πρωκτός. Ge. Die Oeffnung des Maſtdarms, Hintere. G. *l'Anus, le Fondement, le trou du derriere.* A. *The Arſe, or Fundament.* B. *De Aars.*

ANXIETAS, est molestissimus angustiae et impeditae respirationis sensus, inprimis circa praecordia, quae excitatur, quum liber sanguinis transitus per arteriae pulmonalis fines impeditur: saepe autem in ventriculo sedem habet a peregrino quodam et noxio ingesto; vel etiam ab affecto genere neruoso pendet, et hypochondriacis, hystericisque familiaris est. Ge. Beängſtigung. G. *Anxieté, oppreſſion.* A. *Anxiety.* B. *Benauwdheid.*

ANYDRON, vocatur species *Solani maniaci*, dicta forte, quod, qui eam gustauerint, sitiant. Ex ἀ priv. et ὕδωρ, aqua.

AORTA, siue ARTERIA MAGNA, est vas, quod circulari orificio ex sinistro ventriculo cordis oritur; mox emittit duos ramos, qui cordis basin exterius cingentes, *Coronarii* vocantur; adscendit, superato pericardio sursum parum it, mox retrorsum, paulo sinistrorsum, in arcum se flectit versus spinam, descendit deinde. Ramos ascendentes ex ipso arcu tres habet, vnum *Innominatum*, qui mox in arteriam *carotidem dextram* et *subclauiam* eiusdem lateris diuiditur, *carotidem* porro *sinistram*, et *subclauiam sinistram*, quae omnes partibus superioribus prospiciunt. Ipse truncus ex arcu descendens, spinae dorsi arterias intercostales, lumbares et sacras largitur, nec non visceribus ramis emissis, scilicet, arteriis phrenicis, coeliacae, mesentericis et emulgentibus, prospicit. Vlterius deinde facta descensione ad femora et pedes terminum consequitur. Haec ergo arteria omnem sanguinem ex ventriculo cordis sinistro susceptum, per totum corpus ramificationibus suis distribuit. Proprie tamen *Truncus* aortae vocatur tantum ab orificio ventriculi cordis sinistri, vsque ad ortum arteriarum iliacarum. Tota haec arteria similis est reliquis arteriis, nisi quod habeat membranas et fibras fortiores. Arteria nomen habet ab ἀήρ, aer, et τηρέω, seruo, quia antiquis persuasum erat, in ea aërem contineri. Ἀορτὴ vero, ab ἀείρω, attollo, suspendo. Ge. Die groſſe Puls- oder Schlagader. G. *l'Aorte, la grande artére.* A. *The great artery.* B. *De groote Slag-ader.*

APAGMA, est ossis, vel alterius partis, de loco proprio abductio, vel etiam, iuxta *Hippocratem*, fractura, quae prope caput ossis cuiusdam fit. Ex ἀ priv. et πήγνυω, compingo.

APANTHISMVS, est obliteratio alicuius partis in corpore, ita vt prius vestigium amplius reperiri non possit: quod canaliculo arterioso circa cor et venae in hepate foetus existenti, dum postea adolescit, contingit. Ab ἀπανθέω, defloreo. Ge. Verwachſung, das Zuſammenwachſen. G. et A. *Obliteration.* B. *Verwaſſinge.*

APANTHROPIA, est species melancholiae, qua laborantes praecipue hominum consortium fugiunt.

APARINE, seu ASPERVGO, est planta, quae habet caulem tenuem, debilem; quadrangularem, flexilem, aliis plantis adhaerentem, asperum, viridem; folia parua, lata, oblonga, viridia, rubiam referentia, caulem stellae forma ambientia, horridis suis spinis vestibus adhaerentia. Flores paruos, in spicas congestos, in quatuor partes diuisos; stamina quatuor et pistillum vnum; bacca post florem succedit, duo semina fere sphaerica, sibi inuicem adhaerentia, continens, haec semina in medio parum sunt excauata, cutim siccam, nigram et pulpam albam continentem, habentia; radix est valde parua. A *Linnaeo* inter *Galia* refertur, et vocatur *Galium aparine* foliis octonis, lanceolatis, carinatis, scabris, retrorsum aculeatis, geniculis villosis, fructu hispido. Gr. ἀπαρίνη, ῥίνη enim est lima. it, ὁμφαλόκαρπος, et φιλάνθρωπος, vide suo loco. Ge. Klebkraut. G. *Rieole, Grateron.* A. *Cleavers.* B. *Kleef kruid.*

APATHIA, est affectuum vacuitas, ex α priv. et πάθος, patior.

APECHEMA, ab ἀπὸ τῆς ἠχῦς, seu a resonitu, quod sit fractura cranii in parte ei, quae percussa est, opposita. Dicitur etiam *Infortunium*, seu *Contrafissura*. Vide *Contrafissura*.

APELLA, vel RECVTITVS, est is, cuius praeputium est abscissum; qualis mos Hebraeis, Turcis, Aegyptiis etc. familiaris est. Ge. Ein Beschnittener. G. *Circoncis.* A. *Circumcised.* B. *Besneden.* — Sic etiam dicitur, cuius praeputium ita contractum est, vt glandem tegere nequeat. Proprie *Recutitus* vocatur, qui arte defectum praeputii restituit.

APEPSIA, est abolita ciborum in ventriculo concoctio, ex α priv. et πέπτω, coquo. G. Ueble Dauung. G. *Apepsie, Indigestion.* A. *Indigestion.* B. *Onverteering, verteerloosheid.*

APERIENTIA, sunt medicamenta, quae tenuibus particulis profunda penetrando, ea, quae occludunt meatus et crassa sunt, attenuando et expellendo, corporis poros, atque meatus aperiunt. Horum tres classes sunt, quarum prima continet ea, quae vasa laxant. 2. Quae liquida attenuant, resoluunt, ac diluunt. 3. Quidquid, postquam vasa laxata sunt, et liquidum attenuatum, vtraque in motum agit, et circulationem promouet. Sic in officinis prostant quinque radices *aperientes maiores*, apii, foeniculi, asparagi, petroselini, ruscі, et quinque *minores*, graminis, rubiae, eryngii, capparis, ononidis, quarum decoctum, scopo aperiendi propinatur. Sunt etiam *aperientia*, quae roborando solida

obstructiones tollunt. Talia esse putantur e. g. crocus martis aperitiuus, tinctura aperitiua dulcificans etc. Ge. Oefnende Mittel. G. *Remedes desoppilatifs, ou aperitifs.* A. *Aperitive medicins.* B. *Openende dingen.*

APERISTATOS, est vlcus cauum non magnum, nec vlli grauiori noxae coniunctum, ex α priv. et περίστημι, circumsisto. Vnde *Galenus* Ἀπερίστατα ἕλκη, vlcera caua. Ge. Ein hohles Geschwür. G. *Ulcére creux.* A. *A hollow ulcer.* B. *Holle zweeren.*

APERTORIVM, instrumentum est, *Iacobo Rueff* descriptum, quo os matricis nimis arctum diducitur, vt foetus exire possit, eiusdem vsus, quam *Speculum matricis* dictum.

APES, sunt Insecta Hymenoptera, mel et ceram ex plantis colligentia. Plures quidem sunt apum species, sed iuxta *Linnaeum*, proprie *apis mellifera* est apis pubescens, thorace subgriseo, abdomine fusco, pedibus posticis glabris, vtrinque margine ciliatis. Descriptionem sequentem idem Ill. Autor addit: *Regina* (*Foemina*). G. Bienenkönigin. Vnica, altior, oblongior, aculeata. — *Fuci* (*Mares*) ad 1600, inermes, antennis 11 — articulatis. Ge. Drohnen. — *Operariae* (*Spadones*). Ge. Gemeine oder Arbeitsbienen. Ad 20000, antennis 15 — articulatis, ventriculis 2: mellis ceraeque: aculeatae. Ense retrorsum serrato venenato latente intra vaginam cuspidatam. *Respublica* aluearii gynaecocratica est, dum *Foemina* imperans semper inclusa, operariorum custodum satellitio assidue stipata, antennis obuium marem quemcunque salutat, insiliendoque comprimit cum illius vitae dispendio; parit dein oua ad 40000 saepe, quotannis in adaptatis faui cellis: primum neutra, dein mascula, demum nonnulla foeminina; his exclusis, gradu secundo supra calorem aestatis ordinariae, adolescunt laruae sextiduo, nent ad parietes cellae, operiuntur vsquedum adultae euolant, alteroque die mellificant. *Mares*, ignauum pecus, incurii apricantur serenis diebus, gulae dediti. *Spadones* operarii, neutri, indefessi, mel e nectare, ceram e polline florum sedulo legunt ½ milliaris spatio, quoties per coelum licet, reducunt, fauos cereos struunt sexangulari-prismaticos, eosque melle replent, foeminam, mares pulloſque nutriunt, cellas inhabitatas repurgant, immunda auferunt, vigilias et stationes ad portas instituunt, hostes arcent aculei ictu venenato sibi ipsis licet lethali, maresque demum transactis nuptiis expellunt. Hostes in primis sunt motacillae, hirundines, pauones, bufones, mures, crabrones, vespae, pediculi, apes fures, mellonellae, fumus, etc. Flores melliferi non omnes, praecipui sunt

echium, borago, verbascum, serpillum, melissa, etc. inprimis rosmarinus narbonensibus, thymus atticis etc. Vide *Cera, Mel.* Ge. Biene, Imme. G. *Mouches à miel, Abeilles.* A. *Bees.* B. *Bye.*

Apetalae plantae vocantur, quae gerunt florem petalis orbum, sed staminibus diuitem.

Aphaca, est leguminis species (Diadelph. Decandr.). Habet haec planta folia triangularia, integra, ex aduerso bina ex nodis caulium, ex quorum alis prodeunt clauiculae; filiqua est foeta seminibus subrotundis; radix annua, fibrosa. Est proprie species Lathyri, et quidem *Lathyrus Aphaca*, pedunculis vnifloris, cirrhis aphyllis, stipulis sagittato-cordatis *Linn.* seu Vicia lutea, foliis conuoluuli minoris *Bauh.* Ga. *Viseron. Vesse sauuage.* Ex α privat. et φακὸς, lens, quod lentem minime referat. Dicitur etiam *Os Mundae.*

Aphaeresis, est chirurgiae pars, superflua auferens, ab ἀφαιρέω, tollo.

Aphanes *Linn.* est planta minima apetala, tetrandria digynia. Quae olim ad Alchimillae genus referebatur, a qua stylorum numero tamen differt. Ge. Acker Sienau. A. *Pursley pirt, Percepier.*

Aphonia, siue *Loquela abolita*, vnde *muti;* quales primo sunt, qui surdi, et ideo quoque muti nascuntur. Infantes quoque, etsi non in lucem prodeunt surdi, ad tempus tamen muti sunt, donec fari et loqui didicerint. Si linguas varias, quae homines, quos vna coniunxerat ratio, diuersa oratione distinxit, spectemus, nemo, etiamsi vel loquacissimus, non erit mutus. Senes, qui solent bis pueri esse, inter alia muti ex parte fiunt. Qui apoplexia, somno qualicunque, epilepsia paraplegia, hemiplegia, syncope, suffocatione hypochondriaca et aliis morbis laborant, ad tempus muti sunt, aut si placet, obmutescentes: vti etiam, si grauiter consternuntur, contristantur, metuunt, irascuntur, saepe obmutescere solent: denique qui moriuntur, in articulo saltem mortis muti sunt: sed alius quoque casus reperitur, si quis caeteroquin non admodum aeger, mutus euadit, aut aliquandiu aut semper manet. Atque ex his constat mutum quem esse, aut obmutescere, in morbis soporosis, paralysi spinalis medullae, aut vitio linguae, vel aliarum partium, sono, vel voci articulatae proferendae inseruientium, etc. Ex α priv. et φωνὴ, vox. Ge. Sprachlosigkeit. G. *Muet.* A. *Dumbness.* B. *Spraakeloosheid, Stemmeloosheid.*

Aphorismvs, est oratio, quae omnes proprietates brevissimis verbis circumscribit, seu praeceptum brevibus verbis conclusum. Ab ἀφορίζω, determino. Ge. Ein Hauptsatz. G. *Aphorisme, Sentence.* A. *A short Sentence.* B. *Schei-regel, kortbondige spreuk.*

Aphrodisia, i. q. Venus, seu coitus.

Aphrodisiaca, sunt remedia, quae ad venerem incitant. Ab *Aphrodisia.*

Aphrodisia phrenitis, ab Aphrodita, siue venere, dictus est insanus et ardens amor in puellam et coeundi desiderium. Ge. Unsinnige und wüthende Liebe. Ga. *Rage d'Amour, Amour furieux.* A. *A raging desire after Venery.* B. *Dolle verliefdheid.*

Aphrodisivs morbvs, idem quod *Lues venerea* et *Aphrodisia.*

Aphronitrvm, *natron, anatron, nitrum antiquorum, hauarch, alcali fixum minerale, natrum murorum Linn. Sal nudum calcarium, vel alcali fixum muris fornicatis adhaerens. Cartheus.* Alcali compactum *crystallisabile corporibus superficialiter adhaerens. Waller.* Ge. Mineralisches Salz, Alkali. Est substantia salina, a nitro maxime diuersa, quae abvnde in aqua marina continetur, et basin salis culinaris constituit. Adnascitur quoque parietibus fornicum subterraneorum, ibique induratur. In igne efferuescit, neque tamen crepitat; crystallisatione abit in parallelepipeda quadrangularia; cum acido vitrioli constituit sal mirabile Glauberi. Nonnulli quoque *Aphronitrum* vocant sal album, vel flauum calcareum, *Natrum marmoris Linn. Sal neutrum calcareum efflorescens Waller.* quod parietibus fodinarum adnascitur, saporis amaricantis, in aere nitorem amittit, et e cuius solutione cum oleo tartari per deliquium aliquantulum terrae praecipitatur. Est quasi *nitri spuma*, ab ἀφρὸς, spuma, et νίτρον, nitrum. Ge. Mauer-Salz. Kalchbeschlag. G. *Ecume ou fleur de Nitre, Soude blanche.* A. *Scum of the Niter or saltpeter.* B. *Salpeter-schuim.*

Aphthae, sunt parua, rotunda, superficiaria vlcuscula, occupantia os internum, fauces, oesophagum, ventriculum, intestina; varie colorata, alba, flaua, fusca, liuida, nigra; videntur esse exulcerationes tenuissimorum ductuum saliuosorum et mucosorum, factae ex obturatione finis eorum ductuum extremi per humorem lentum viscidumque eo delatum: gustum impediunt, et deglutitionem difficiliorem faciunt. Solent frustulatim decidere et aliquando recrescere; imprimis obseruantur in infantibus, sed et in adultis, morbis acutis et viscerum inflammatione laborantibus. Hinc sunt

vel benignae, vel admodum malignae et gangraenosae. *Oscedo*, *Sereno* et *Isidoro*. *Alcola Arabibus*. Item *Bothor*. Ab ἀφθάνειν, locum occupare: aliis ab ἅπτεσθαι, incendi; et propter albedinem quasi os totum alba farina esset consperſum: G. Der Mehlthund it. Schwämmchen. G. *Les aphthes*. A. *The Thrush*. B. *Mondgezweer*, *de Sprouw*.

APHYLLANTHES, quasi diceres flos non foliatus, est plantae genus flore liliaceo, habens spathas imbricatas, lanceolatas plures; petala sex, obouata, desinentia basi in vngues tenues, limbo patentia, inferne in tubum conniuentia, erecta; filamenta sex setacea, corolla breuiora; antheras oblongas; germen trigonum, turbinatum, stylum filiformem longitudine staminum; stigmata tria oblonga; capsulam turbinatam, triangularem, trilocularem, semina ouata. Ex α priv. φύλλον, folium, et ἄνθος, flos.

APIASTRVM, est Melissa, sic vocata, quia ab apibus adamatur. Vide *Melissophyllum*. Item *Ranunculus*. Vide *Batrachium*.

APICES, seu ANTHERAE, quae in medio calicis, seu folliculi, quo flos clauditur, erumpunt, *Staminum* sunt partes, quae veluti filamenta ab intimo floris sinu prosiliunt. Habent stamina saepius in summo quidpiam crassiusculum, a qua similitudine nomen acceperunt; dicuntur et *capitula*. Geminis constant loculis, aut cistellis cauis, capsula membranacea per medium in duos receſſus diuisis, qui coloratum plerumque puluerem germen per stigma et stilum foecundantem continent: et cuius granula (vt ex optimis obseruationibus constat) in qualibet plantarum specie definitam vtplurimum formam assumunt. Haec autem capitula partim ab apparente illorum figura, partim ab eo, quo funguntur, officio, non inepte *testiculos* appellant nonnulli Botanici; planta enim, ablatis, antequam sua subierunt munia, capitulis, producere pergit semina, quae, quamquam apparent pulcherrima, nunquam tamen prolifera euadunt, eodem perfecte modo, vt in subuentaneis animalium ouis contingit; vnde talia huiusmodi plantarum semina, ex analogia, non foecundatis animalium ouis comparari possunt. Vid. *Anthera*. G. Staubfächer, Staubfäden. G. *Sommets*. A. *The Chives*. B. *Toppen*.

APINTHION, vide *Absinthium*.

APIOS, Tithymali species est. Caulis eius scandens; folia bina, quasi coniugata ad costam in folium impar desinentem; pistillum vagina obuolutum, abit in siliquam tricapsularem, quarum singulae continent semen oblongum; radix tuberosa est, pirum referens, latior a parte superiore, quam ab

ab inferiori, externe nigra, intus alba, plurimum lactis continens. ἰσχὰς, χαμαιβάλανος, Lat. *Raphanus Syluestris*, vulgo *Aard-nood*. *Apios* ab ἄπιος, pyrus, dixerunt Graeci, quod radicis extremum in pyri formam turbinatur. Eadem etiam ratione *Ischas* et *Chamaebalanos* ab iisdem nominata est, quod in ficus et glandis effigiem radicis extremum turbinetur. Quapropter non inepte Latini etiam *Glandem*. aut *Ficum*, seu *Caricam syluestrem*, vocabant: ἰσχὰς, enim est *Carica*, quia ἰσχνὴ, siccando gracilis facta. Χαμαιβάλανος venit a χαμαὶ, humi, in terra, et βάλανος, nux, glans. Sed *Apios Americana Corn.* est *Glycine Apios Linn.* (Diadelph. Decandr.) foliis imparipinnatis, quato-lanceolatis: Glycine radice tuberosa *Gron.* et *Royen.* vel Astragalus perennis spicatus americanus scandens caulibus, radice tuberosa *Moris.* Planta vero, quam *Fuchsius Apium* vocat, est *Lathyrus tuberosus Linn.* (Diadelph. Decandr.) pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis ouatibus, internodiis nudis, vel Lathyrus aruensis repens tuberosus *Bauh.*

APIVM, est planta umbellata, (Pentandr. Digyn.) quae habet caulem crassum, striatum, excauatum, et viridem; folia Petroselini, sed maiora, viridia, splendentia, polita, trifariam leuiter incisa, ferrata, quae succum odoris penetrantis et ingrati, praesertim si folia contunduntur, ac saporis fortis et nauseosi continent. Flos albus vel luteus, cuius calix abit in duo semina striata, crassiuscula, grisea, saporis acris et ingrati, hinc gibba, inde vero plana; radices, carnosae, crassae, rectae, albae, profunde in terra repentes, in multos ramos plerumque diuisae, in omnibus satis longae: a Cicuta distinguuntur odore et sapore; in plerisque radix est annua, sed tamen non in omnibus: sapor aromaticus quodammodo. Laudatur valde propter vim diureticam, et inter quinque aperientes radices numeratur. Crescit haec planta in fossis et humidis locis. *Apium* dicitur ab apice, quia olim apices, id est capita, victorum in certaminibus eo coronabantur: alii ab apibus dictum volunt, quod apes apio et petroselino delectentur. Plures dantur Apii species, vt Apium Petroselinum, sylueſtre, montanum, etc. Per culturam *Apium graueolens* multum emendatur, atque sub nomine *Apii dulcis*, seu *Celeri Italorum Tournef.* in re culinaria adhibetur. Semen gaudet viribus carminatiuis atque aromaticis. Σέλινον a Lunae dominio vocatur, nec non *Eleoselinum* ab ἕλος, palus, et Σέλινον, apium. Ge. Eppich, Selleri. G. *De l'Ache*, *Apium*, *Persil des marais*. A. *Smallage*. B. *Eppe*, *Iuffrouw-merk*.

APIVM RISVS, vide *Risus Apium*.

APIVM SYLVESTRE, idem quoque quod *Batrachium*.

APNOEA, eſt reſpiratio ad ſenſum, vel in totum abolita, vel maximus aſthmatis gradus, qualis in ſyncope et hyſterico affectu aliquando contingit. Ex *α* privat. et *πνέω*, reſpiro.

APOCHYLISMA, SVCCAGO, ROBVB, ROB, et ROHOB, eſt ſucci cuiuscunque ex vegetabilibus, vel per ſe, vel cum ſaccharo, aut melle, in duriuſculam ſapae conſiſtentiam coctio et inſpiſſatio. Ab *ἀποχυλίω*, ſuccum extraho. Ge. **Conſerve, eingekochter Saft.** G. *Conſerve.* A. *A Conſerve, Rob.* B. *Conſerve, een Sielei.*

APOCLASMA, eſt partis cuiusuis in corpore abruptio, ab *ἀποκλάω*, abrumpo, defringo.

APOCOPE, eſt partis abſciſſio, ab *ἀποκόπτω*, abſcindo. Vide *Extirpatio.* G. **Abnehmen.** G. *Extirpation.* A. *A Cutting of, an extirpation.* B. *Een Extirpatie, Afzettinge.*

APOCRISIS et APOCRISIA, eſt id, quod ex abundantia quaſi e corpore eliminatur, ab *ἀπό*, ab, et *κρίνω*, ſecerno.

APOCRVSTICVM, eſt remedium, quod conſtringendo et refrigerando, humores in quandam partem corporis depoſitos ibique collectos repellit, ab *ἀποκρούω*, repello. Ge. **Zurücktreibende Arzney.** G. *Remede repellent.* A. *Repelling Medicines.* B. *Een teſamen en terugtrekkend middel.*

APOCYNVM, eſt plantae genus, cuius perianthium eſt monophyllum, ſemiquinquefidum, erectum, acutum, minimum, perſiſtens; petalum campanulatum, ſubrotundum, ſemiquinquefidum, laciniis reuolutis; nectarium corpuſculis quinque, oualibus germen ambientibus, et ſetis quinque, paruis; filamenta quinque vix viſibilia; antherae quinque, oblongae, erectae, acutae, baſi bifidae, conniuentes; germina duo, ouata; ſtyli vix vlli; ſtigmata globoſa, germine fere maiora; folliculi duo longi, acuminati, vniualues, vniloculares; ſemina numeroſa, minima, pappo longo coronata; receptaculum ſubulatum, longiſſimum, aſperum, liberum. Quinque ſpecies Ill. *Linnaeus* recenſet, ſcilicet: A. androſaemifolium, cannabinum, venetum, frutеſcens et reticulatum, reliquas aliis plantarum generibus adnumerat. Omnis haec planta ſuccum lacteum continet. Olim vero plures plantae *Apocyna* vocabantur, quae nunc ab Ill. *Linnaeo* ad *Aſclepiadis* genus relatae ſunt. Hoc et cum Apocyno erecto latifolio et Syriaco factum eſt. vid. *Aſclepias.* In Aegypto Aſclepias et Apocynum vocantur *Oſſar*, et fructus Aſclepiadis giganteae *Linn.* qui pugni magnitudinis eſt atque oblongus, dicitur *Beidel-ſar*, quaſi *Beidel-oſſar*, quod Arabice notat ouum oſſar. Pappo, quo ſemina coronata ſunt, vtuntur incolae ad inſerendum inter ſtragula, et in culcitris. Haec planta omnia quadrupeda, carniuora, et praeſertim canes, in cibum data, necare traditur. Componitur ex *α* privat. et *κύων*, canis. Ge. **Hundskohl.** G. *Apocyn.* A. *Dogsbane.* B. *Hondendood.*

APODACRYTICVM, eſt medicamentum lachrymas excitans: ſed aliis eſt collyrium lachrymarum effuſionem deſiccans et cohibens, ab *ἀποδακρύω*, lacrymas excito.

APOLEPSIA et APOLEPSIS, eſt ſpirituum animalium et ſanguinis interceptio. Vel eſt medius ſtatus inter apoplexiam et paralyſin, aut apoplexiae ſpecies, ſiue ſubitanea et fugax vocis interceptio cum ſenſus et motus omnimoda fruſtratione, ab *ἀπολαμβάνω*, intercipio. Idem quoque quod *Catalepſis. Hippocrates* hac voce quamuis interceptionem, alui, vrinae, etc. indicat.

APOMELI, eſt aqua mulſa, ſeu hydromeli dilutius, interdum idem ſignificat, quod oxymel, ſeu decoctum ex aceto et melle, ab *ἀπό*, de, et *μέλι*, mel, quaſi de melle coctum.

APONEVROSIS, eſt lata expanſio tendinea, in quam nonnulli muſculi terminantur, et qua tum aliis partibus inſeruntur, tum ſubiectos muſculos tegunt, eorumque actionem adiuuant. Talis eſt e. g. aponeuroſis muſculorum abdominis, frontis, occipitis, bicipitis, faſcia lata, etc. cum, ſi muſculus in caudam teretem terminetur, ea proprie tendo dicatur. Ex *ἀπό*, de, et *νεῦρον*, quo ſub nomine veteres et ipſos neruos, et ligamenta, et tendines intellexere. Ge. **Breite ſehnichte Haut.** G. *Aponeuroſe.* A. *A broad Tendon.* B. *Een breede Peeze.*

APOPHLEGMATICA, videatur *Apophlegmatiſmus.*

APOPHLEGMATISMVS, vocatur medicamentum, quod lentam, ſubalbam, pituitoſam materiam, ſecretam ex membrana pituitaria, nares, earumque oſſicula, ſinus frontales, maxillares, oſſis cuneiformis, etc. inueſtiente, nec minus mucum oris, faucium, linguae, laryngis et pharyngis, diſſolvit ac eliminat: ſiue id fiat ſpecie errhinorum, gargariſmatum, maſticatorii, collutorii, linctuum, vel fumi. Hinc apophlegmatiſmus reducitur ad ptarmica, ſiue errhina, ac ſialagoga, aut ſaliuam mouentia, quia haec omnia, quae pituitam educunt, agunt vel per nares eliciendo, vel per os; hinc apophlegmatiſmus dicitur a *φλεγμα*, pituita. Ge. **Schleimauflöſende und abführende Mittel.** G. *Maſticatoire.* A. *A Maſticatory.* B. *Een ſlymzuiverend Middel.*

APOPHTHORA, est abortus, siue foetus immaturi in lucem editio, ab ἀποφθίω, corrumpo. Vide *Abortus.*

APOPHYSIS, PROBOLE, ECPHYSIS, PROCESSVS, PRODVCTIO, PROIECTVRA, et PROTVBERANTIA, est pars ossis, non substantia cartilaginea intermedia coniuncta, vt Epiphysis, sed cum osse continua, et vltra planam superficiem protuberans, substantiae minus densae, tutandis articulis, capitibusque musculorum firmandis inseruiens. Pro diuersa magnitudine, similitudine, situ et vsu variis nominibus denotantur apophyses. Sic dicitur processus, prominentia, protuberantia, tuberculum, tuberositas, vel processus mastoides, styloides, coronoides, coracoides, etc. vel spinosus, transuersus, vel caput, condylus, trochanter, etc. ab ἀποφύω, produco. Ge. Fortsatz. G. *Eminence de l'os ou Apophyse.* A. *Processes of bones.* B. *Uitwassing, uitsteeksel.*

APOPLECTICAE VENAE, sunt venae iugulares, male, ab antiquis *Soporales* dictae.

APOPLECTICA, sunt medicamenta aduersus apoplexiam. Ge. Mittel gegen den Schlag. G. *Remedes contre l'Apoplexie.*

APOPLEXIA, ATTONITVS STVPOR, MORBVS ATTONITVS et SIDERATIO dicitur. Est repentina sensuum internorum et externorum, et motus voluntarii abolitio, in qua scilicet aegri subito concidunt, et iam prostrati, neque mouere, neque loqui, neque, si pungantur, quod sentiant, testari possunt, iacentes supini flaccidis membris, vt in Paralysi, cum respiratione parua ac difficili, siue anhelatione, stertentes, ac si dormirent, palpebris clausis, aut contractis; sed actio cordis, organorumque respirationi inseruientium, vti etiam pulsus et faciei color remanent, nisi grauis sit apoplexia; iam deliquiis et morti manum porrigens, ore etiam patulo, et hiante, ex quo humor, et spuma effluunt, aëris subsidium quasi petunt; denique vrina, alui faeces et semen solent exire, atque, nisi in paralysin mutetur apoplexia, aut aliter soluatur, mors breui instat. Quando cum respiratione pulsus magis magisque deficit, et extrema frigere incipiunt, facies quoque ruborem cum pallore mutare, et stertor, qui ab initio adest, primum maior fieri, deinde minui et cessare, ita actum est: hinc ab *Hippocrate* inter morbos acutos recensetur. Diuiditur a recentioribus scriptoribus in sanguineam et serosam, prout nempe vel sanguis, vel serum, aut in vasis cerebri collectum, aut vere extrauasatum est. Oritur in genere a quacunque causa, medullam oblongatam, vel originem neruorum mediate, vel immediate, comprimente, ficque influxum fluidi neruei in

neruos sensorios et motorios impediente, superstitibus adhuc actionibus vitalibus, quae si compressione increscente quoque aboleantur, apoplexia in mortem transit. Ab ἀποπλήττω, percutio. Vocatur etiam *Paralysis vniuersalis.* Ge. Der Schlag. G. *Apoplexie.* A. *An Apoplexy.* B. *De popleſye, geraaktheid, beroertheid, de hand Gods.* Vide *Hemiplegia, Paraplegia, Paralysis.*

APOPSYCHIA, vide *Lipopsychia.*

APORRHOAE, sunt effluuia vaporosa, per corporis poros et spiracula caetera exhalantia, ab ἀποῤῥέω, defluo. Germ. Ausdünſtungen. G. *Exhalations.* A. *Exhalations.* B. *Uitvloeiſels.*

APOSIA, vel *Oligoposia Platero*, idem quam sitis parua, vel plane abolita.

APOSCEPARNISMVS, est fracturae cranii species, quando pars quaedam ita ablata est, tanquam ascia, aut dolabra, fuisset resecta; ab ἀπὸ, ab, et σκέπαρνος, ascia, dolabra. Aliquando tantum significat os ruptum et diuisum, sic vt in eo teli acuti vestigium sit relictum.

APOSITIA, est alimentorum fastidium, ex ἀπὸ, de, et σῖτος, cibus. Ge. Eckel, Unluſt zum Eſſen. G. *Degout.* A. *Nauseousness.* B. *Een ſpyswalg, hongerloosheid.*

APOSPASMA nominatur, si partium organicarum et compositarum vnitas soluatur, et quae diuersi generis iuxta communem ordinem inter se compacta sint, atque coaluerint, disiungantur, diuisis et abruptis ligamentis, filamentisque illis fibrosis, quibus coniungebantur. Vt cum cutis a membrana, membrana a musculis, musculus a musculo, atque omnino partes, quae prorsus inter se cohaerebant, disiungantur. Apospasma quoque dicitur quaeuis violenta ligamentorum, quae articulos ambiunt, extensio. Ἀποσπασμάτιον est particula auulsa, ab ἀποσπάω, detraho. Ge. Abreiſſung, Abtrennung. G. *Solution.* A. *Separation.* B. *Vanceuſcheuring.*

APOSTASIS, vide *Apostema.*

APOSTEMA *Plinio*, APOSTASIS *Hippocr.* METASTASIS, et ABSCESSVS *Celso.* Est nomen generale, adeo vt a veteribus omnes tumores praeternaturales, qui ex humorum affluxu in satis euidentem molem attolluntur, ita vocentur: vel est exulceratio saepe post crisin relicta: verum *Apostasis* et *Metastasis* in eo quandoque differunt, quod *Apostasis* de accurata crisi (vt vocant), *Metastasis* vero de translatione materiae ab vna parte in aliam dicitur, ab ἀφίστημι, vel μεθίστημι, transfero, seiungo, absistere facio. Interim

tamen apud recentiores potiſſimum notat tumorem pure impletum, qui cauitate quadam non limitata continetur, intra partes ſolidas corporis vi morbi facta; talis maturus eſſe cognoſcitur, ſi ad alternum digitorum adtactum puris fluctuatio percipitur. Triplici generatur modo in quadam parte. 1. Ex praecedenti inflammatione iſtius partis in ſuppurationem conuerſa. 2. Si alicubi in corpore ex facto abſceſſu aliunde deponatur pus, vel 3. ſi materia morbum faciens, prius per totum corpus diſperſa, in vnum locum colligatur, et in pus conuerſa reperiatur; haec duo vltima genera metaſtaſeos quoque dicuntur, aut criſes per abſceſſum. Germ. Ein Geſchwür, Eitergeſchwulſt. G. *Apoſtême, abcés, ſuppuration.* A. *An Apoſtume, an Impoſtume.* B. *Een Apoſteume, Een verzweeringe, Etter-gezwel.*

APOSTOLORVM VNGVENTVM, ſic dictum a duodecim ingredientibus, quae numero Apoſtolorum reſpondent: vlcera mundificat.

APOSYRMA, eſt oſſis, vel cutis, abraſio, ab ἀποσύρω, detraho, abrado.

APOTHECA, eſt vas, aut capſula, in qua medicamenta conſeruantur: ita etiam officinae pharmaceuticae appellantur, ex ἀπὸ, de, et τίθημι, pono, hinc

APOTHECARIVS, qui medicamenta praeparat.

APOTHERAPIA, eſt terminus antiquae medicinae gymnaſticae, qui finem perfectae exercitationis ſignificat, et poſtremam partem, quando ordine adhiberi ſolet vel frictio, vel vnctio, vel balneum, ad laſſitudinem tollendam. Ea pars quoque medicinae, quae hoc docet, *Apotherapeutica* propterea dicitur.

APOTHERMVM, eſt condimentum acre, cuiuſmodi eſt, quod ex ſinapi, oleo et aceto, vel aceto ſolo fit.

APOZEMA, DECOCTVM *Plin.* ἀφέψημα. Pharmacopoei *decoctionem* nominant. Eſt medicamentum fluidum, paratum ex aqua cocta cum *radicibus, lignis, corticibus, herbis, floribus, fructibus, ſeminibus*, etc. quae in aqua alioue liquido coquuntur ad remanentiam vt plurimum vnciarum duodecim, quindecim, vel viginti. Eſtque purgans, laxans, alterans, exſiccans, cephalicum, ſtomachicum, diureticum, ſplenicum, hepaticum, etc. pro diuerſis viribus ingredientium. Ab ἀποζέω, deferueo. Ge. Ein abgeſottener Trank, Decoct. G. *Apoſême, Decoction.* A. *An Apozeme, or decoction.* B. *Een Apozema, een Drank, Afzietſel, Kookſel.*

APPARATVS ſunt inſtrumenta, faſciae, etc. chirurgis ad aliquam operationem, ſeu deligationem, neceſſaria. Germ. Geräthſchaft. G. *Appareil.*

APPARATVS MAIOR et MINOR. Lithotomis loquendi formula eſt: varius enim calculum extrahendi methodos habent. Vna fit apparatu plurimorum inſtrumentorum, eaque tantum in adultis inſtituitur, et *Apparatus maior* ideo vocatur. Altera vero minori cum apparatu fit, et in puerulis, et nonnunquam in adultis, adhibetur. *Apparatus altus*, ſeu ſectio hypogaſtrica, eſt, dum calculus e veſica ſupra os pubis inciſa extrahitur. *Lateralis*, vbi collum veſicae in latere aperitur. Vide *Lithotomia.* Ge. Die große oder kleine Geräthſchaft den Stein zu ſchneiden, der hohe Schnitt, der Seitenſchnitt. G. *Le grand, le petit, le haut appareil, l'appareil lateral.* A. *The great Apparatus etc.* B. *'t groot en 't klein Beſtagel.*

APPENDICVLA VERMIFORMIS, eſt gracilis particula, cylindrica et lente craſſeſcens, qua inteſtinum craſſum infra ilei ingreſſum incipit. Haec in foetu caua et maior eſt, quam in adulto homine, et aliquando etiam dimidiam partem latitudinis ilei habet, hinc in foetu maiorem huius particulae vtilitatem eſſe putatur. Habet meſenteriolum proprium et breuius, a quo contractum in ſpiram curuatur. In foetu faecibus ſaepe et meconio plena eſt. Interius plures mucoſas glandulas continet. Ab ea particula ligamenta coli incipiunt. Ge. Der Wurmförmige Fortſatz des blinden Darms. G. *Appendice vermiculaire.* A. *The wormlike appendix of the blind gut.* B. *'t wormgewyze afhangſel.*

APPENDIX et APPENDICVLA, eſt pars alteri tantum adhaerens, neque proprie partem eius conſtituens. Vide *Epiphyſis. Appendiculatus* botanicis eſt petiolus ramentis ſoliaceis ad baſin.

APPETITVS, eſt ſenſatio, ſeu inſtinctus naturalis, ad cibum potumque reficiendo corpori capiendum. Si illo inſtinctu ferimur ad alimentum ſolidum, *fames* vocatur, *ſitis* autem, quando deſideramus alimentum fluidum. Pendet a naturali conſtitutione et robore humorum et viſcerum digeſtioni inſeruientium. Vide *Fames.* Ge. Luſt und Begierde zum Eſſen und Trinken. G. *Appetit.* A. *Appetite or hunger.* B. *Spys-luſt, appetyt.*

APPETITVS CANINVS, idem quod *cynodes orexis.*

APPETITVS DEPRAVATVS, vide *Pica.*

APPLICATIO eſt illa actio medici, vel chirurgi, per quam remedia quaedam interna externaue corpori communicantur, vel adminiſtrantur.

APPREHENSIO, idem eſt, quam *Catalepſis.*

APSYCHIA, eſt ſummum animi deliquium. Vide *Deliquium animi*, ex α priv. et ψυχὴ, anima.

APTERA vocantur *Linn.* inſecta, quae ordinem proprium in ſyſtemate hiſtoriae naturalis conſtituunt, et quae in omni ſexu alis deſtituuntur. Talia ſunt lepiſma, podura, pediculus, pulex, acarus, phalangium, aranea, ſcorpio, cancer, monoculus, ſcolopendra et iulus.

APTYSTVS, eſt ſaliuae defectus, ita vt quis ſpuere nequeat, ex α priv. et πτύω, ſpuo.

APVS, eſt inſectum alis pedibuſque deſtitutum, quod ad aptera, et quidem monoculos pertinet. Eſt *Monoculus Apus*, teſta ſubcompreſſa antice retuſa, poſtice truncata, cauda biſeta *Linn.* ſeu Scolopendra aquatica ſcutata *Klein.* Alia ſpecies eſt apus piſciformis *Schaeff.* Ge. Kiefenfuß. Hoc etiam nomine denotatur ſpecies hirundinum, quae vocatur *Hirundo apus*, nigricans, gula alba, digitis omnibus quatuor anticis *Linn.*

APYRENA, eſt bacca ſiue nucleo, ab πυρὴν, nucleus.

APYREXIA, dicitur temporis interuallum inter duas acceſſiones, quod a febre liberum eſt: vocatur etiam febrium intermiſſio, ſiue deflagratio. Eius cauſa eſt, quod omnis materia morbifica vno paroxyſmo fere difflatur, et eouſque extenditur earum intermiſſio, donec reliquiae de nouo ad plenitudinem aggeſtae ſint, et febrem excitent. Latinis *Integritas.* Ex α priv. et πυρέσσω, febricito. Ge. Die Zeit zwiſchen zwey Anfällen vom Fieber. G. *Intermiſſion, Diſcontinuation de la fievre.* A. *The remiſſion of a fever.* B. *Tuſſchentyd der koortſen, vryetyd, buiten koorſigheid.*

APYRI vocantur lapides proprium ordinem conſtituentes, qui vitreſcentibus et calcariis opponuntur, quia chalybe ſectiles, nec ſcintillantes, igne vulgari immutabiles, et acido non ſolubiles ſunt. Huc pertinet mica, talcum, amiantus, asbeſtus *Apyron* quoque dicitur, quod ignem non expertum eſt.

APYROTHIVM, eſt ſulphur viuum, quod ignem non eſt expertum. Ex α priv. et πῦρ, ignis.

AQVA, eſt liquor fluidus, inodorus, inſipidus, pellucidus, excolor, qui in certo gradu frigoris in glaciem fragilem, duram, vitream, congelaſcit: maximam partem humorum noſtri corporis conſtituit, iiſque fluiditatem conciliat; cedit etiam homini in potum, vel inſtar medicamenti vſurpatur; hinc inter cauſas procatarcticas ſanitatis et morborum non infimum locum habet pro diuerſa puritate, aut etiam particularum admixtarum indole. Aqua puriſſima eſt aqua niualis et glacialis, quae et leuiſſima eſt, ac ſaponem

celeriter in ſpumam diſſoluit, et legumina decocta emollit, nec ſyrupum violarum alieno colore inficit, hincque minimam quantitatem particularum heterogenearum indicat. Ge. Waſſer. G. *l'Eau.* A. *Water.* B. *Waeter.*

AQVAE in arte obſtetricia ſunt liquor Amnii. Ge. Die Waſſer. G. *Les eaux.* Hinc *Aquarum veſica* eſt amnios, inprimis eius pars, quae orificio vteri iamiam aperto et liquore amnii nondum euacuato veſicae in modum protruditur.

AQVA, Arabibus idem eſt, ac *Suffuſio.* Vide *Cataracta.*

AQVA BENEDICTA RVLANDI, eſt infuſum vinoſum croci metallorum, quod ſummam vim emeticam habet. Conuenit cum vino emetico, ſeu tinctura antimonii Huxhami, ex vino et vitro antimonii.

AQVA DESTILLATA, ſeu STILLATITIA, eſt lympha, ſeu liquor deſtillatione ex quauis re elicitus; eſtque vel per ſe ſimpliciter, vel cum herbis, aliisue rebus, profectus, qui pro diuerſa indole et volatilitate particularum ingredientis diuerſa virtute pollet. — Aqua vulgaris deſtillata etiam aqua ſimplex deſtillata vocatur. Proprie vero *aquae ſimplices* deſtillatae, ſeu *ſine vino* Ge. einfache deſtillirte Waſſer, opponuntur *aquis ſemiſpirituoſis*, ſeu *cum vino*, aut potius ſpiritu vini paratis. Ge. Deſtillirtes Waſſer. G. *Eau diſtillée.* A. *Diſtilled water.* B. *Gediſteleert water.*

AQVAEDVCTVS FALLOPII, eſt canalis parti petroſae oſſis temporum inſculptus, portionem duram nerui auditorii per foramen auditiuum internum ingredientem, et per foramen inter proceſſum maſtoideum et ſtyloideum egredientem recondens atque transmittens. Ge. Waſſergang im Ohr. G. *Aqueduc.* A. *Aqueduct.* B. *De waterloop.*

AQVAE DVCTVS NVCKII, ſunt ductus, quos *Nuckius* ſe vidiſſe, ſibi perſuadebat, qui ſcleroticam perforarent, diuerſi ab arteriis, et fontes eſſent humoris aquei. Magis tamen probabile eſt, vaſcula fluitantia corporis ciliaris hunc humorem de innumerabilibus ſuis oſculis ſeparare, aut illum ex omni vuea et interna corneae ſuperficie exhalare.

AQVAE FERRVGINEAE, ſ. MARTIALES, ſunt aquae minerales, quae ferrum continent. Ge. Eiſenhaltige mineraliſche Waſſer.

AQVA FLORVM OMNIVM, eſt aqua ex ſtercore bouis, gramine veſcentis, deſtillata: ſic dicta videtur, quod haec animalia omnibus pratorum floribus paſcantur. Vires ei coſmeticae, nephriticae, antiarthriticae, et antihyſtericae vulgo tribuuntur. G. *Eau de mille fleurs.*

AQVA FORTIS, ſiue *Spiritus Nitri*, eſt acidum nitri ex

hoc sale per destillationem eductum; ita vocatur propter vires metalla quaedam dissoluendi. Ge. Scheidewasser. G. *Eau forte.*

AQVA INTER CVTIM, idem quod *Anasarca.*

AQVA LVCII. G. *Eau de Luce*, est liquor summe volatilis ex sale succini et alcali volatili paratus, qui recentioribus temporibus magnam famam apud Parisios acquisiuit.

AQVA MINERALIS est aqua fontana, principiis mineralibus imbuta, insigni vi, quae pro natura admistorum differt, ad curandos multos morbos praedita. Ge. Mineralische Wasser. G. *Eau minerale.* Vide *Acidulae, Balnea, Thermae.*

AQVA OPHTHALMICA SAPPHIREA. Ge. Blaues Augenwasser. Ex aqua calcis et pauxillo salis ammoniaci ac cupro praeparatur.

AQVA PERICARDII, est liquor lymphaticus ad ignem coagulabilis, qui in pericardio colligitur; exigua plerumque copia reperitur, videturque cordis humectationi, motusque facilitati (qui liberrimus hic requiritur) inseruire; ne deficiat, in capsula, siue sacculo hoc, colligitur. Num a glandulis basi cordis incumbentibus is humor delabatur, ac per vasa lymphatica in ductum chyliferum relegetur, merito dubitatur, quia hae viae non demonstratae hactenus sunt, nec modus, quo is in ductum chyliferum deferatur. Credendum potius ab extremis osculis arteriarum ibi exhalari, et per vasa resorbentia introsumi rursus, et misceri sanguini. Dicitur et *vrina cordis, seu pericardii* et *hydrocardia.* Ge. Herzwasser, Wasser des Herzbeutels. G. *Eau qu'on trouve dans le pericarde.* A. *The water in the pericardium.* B. *Herte water.*

AQVA PHAGEDAENICA est solutio mercurii sublimati facta in aqua calcis viuae, qua chirurgi ad consumendos callos, carnesque luxuriantes vtuntur. Ge. Aetzwasser.

AQVA REGIA, s. REGIS, ita dicitur, quoniam soluit aurum, metallorum regem: est spiritus acidus nitri, de sale muriatico participans, nam illud sal solum proprium auri menstruum praebet, si acido nitroso addatur. Praeparatur vario modo, dum acido nitroso quarta circiter pars acidi salis communis, siue salis ammoniaci, adiicitur. Ge. Goldscheidewasser, Königswasser. G. *Eau régale, eau royale.*

AQVA SCLOPETORVM, s. VVLNERARIA. G. *Eau d'Arquebusade.* Ge. Arquebusade. Est aqua spirituosa cum pluribus herbis et floribus vulnerariis, quae in ea antea macerantur, destillata, quae ad vulnera sclopetorum inprimis multum laudatur.

AQVA STILLATITIA eadem est, quam aqua destillata.

AQVA VITAE, nomen est spiritus vini, ob vires confortantes hoc titulo donatus: variis cum aromatibus destillatus, spiritus vitae compositos praebet; talis est in officinis recepta *Aqua vitae Matthioli.*

AQVEVS HVMOR, vide *Humores oculi* et *aquaeductus Nuckii.*

AQVALICVLVS, seu INFIMVS VENTER, idem quod *Epiſion, Hypogastrium et Abdomen.*

AQVIFOLIVM, idem quod *Agrifolium*, ab acus et folium.

AQVILA ALBA, chymicis est *mercurius dulcis.*

AQVILAE LAPIS, vide *Aetites.*

AQVILEGIA, AQVILINA, vel AQVILEGIVM, (Polyandr. Pentagyn.) est planta, quae habet caulem exiguum, rubicundum, villosum, ramosum; folia chelidonii maioris, lobata, profunde incisa, caulibus longis adhaerentia; florem plane anomalum, figuram auiculae repraesentantem, coloris caerulei, vel rubicundi, stamina plurima, (triginta ad quadraginta) continentem; pistilla floris quinque abeunt in capsulas quinque cylindraceas, parallelas, rectas, acuminatas, vniualues, ab apicibus introrsum dehiscentes, includentes semina plurima, ouata, carinata, futurae dehiscenti annexa. Radix instar pollicis crassa, alba, fibrosa, saporis subdulcis; crescit in montibus et syluis. Nomen accepit a florum nectariis aduncis instar aquilarum vnguibus. Species officinalis, cuius semen potissimum in vsu est, dicitur *Aquilegia vulgaris* nectariis incuruis *Linn.* seu aquilegia syluestris *Bauh.* Vis ei vulgo inesse creditur pellens, exanthematica, hinc in exanthematibus, ictero, dystocia et scabie a quibusdam adhibetur, vix tamen magno cum effectu, cum semen, per indolem suam mucilaginosam, parum a seminibus frigidis differat. Tinctura florum aquilegiae efficaciam suam maxime acido vitriolico admixto debet. Ge. Agley, Ageley, Ackeley, Klöcklein. G. *Ancolie.* A. *Columbines.* B. *Akelei.*

AQVILINA, vide *Aquilegia.*

AQVVLA, idem quod *Hydatis.*

ARABICVM GVMMI officinarum, Galeno *Thebaicum*, nonnullis *Babylonicum* et *Acanthinum* dicitur: est succus gummosus et glutinosus, insipidus, induratus, facile in aqua solubilis, instar vitri pellucidus, exsudans ex *acacia* vera *Bauh.* seu *mimosa nilotica*, (*Polyg. Monoec.*) spinis stipularibus patentibus, foliis bipinnatis; partialibus extimis glandula interstinctis, spicis globosis pedunculatis *Linn.* Illud vero *Gummi*, quod *Senegalense* dicitur, et earundem cum

praecedente, ſed praeſtantiorum, virium eſt, prouenit ex acacia ſiliquis compreſſis *Pharm. Pariſ.* vel ex *Mimoſa ſenegal* ſpinis ternis, intermedia reflexa, foliis bipinnatis, floribus ſpicatis *Linn.* Vide *Acacia.* Ge. Arabiſches Gummi. Ga. *Gomme Arabique.* A. *Gum Arabick.* B. *Arabiſche Gom.*

ARABIS, eſt Draba, Δράβη, videtur Δ in A mutatum eſſe. Veteribus fuit Naſturtii ſpecies, ſaepe in obſonio adhibita, nobis vix ſatis cognita. Pertinet certe ad plantas flore tetrapetalo cruciformi (Tetradynam.). Hodie tamen exactius Arabis a Draba diſtinguitur, cum Draba ſiliculam ferat ex ouali oblongam, compreſſam, ſtylo fere deſtitutam, Arabis vero ſiliquam compreſſam, longiſſimam, linearem. Germ. Arabiſcher Senf. G. *Drave.*

ARACHIDNA, vel ARACIDNA, videtur dicta ἀπὸ τοῦ ἀράχης, ob ſimilitudinem aliquam, quam cum araco habet, et βόλβος, terrae tuber, cuiusmodi ſimilitudinem quandam habent radices. *Arachidna* phaſeoloides americana *Herm.* eſt planta flore papilionaceo (Diadelph. Decandr.) ſeu *Glycine ſubterranea Linn. Arachydna Cretica Belli Baub.* eſt *Lathyrus amphicarpos Linn.* ſiliquas ſcilicet ſupra terram et ſub terra ferens.

ARACHIS, vel ARACHVS, eſt planta flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius calix bilabiatus eſt; corolla ſupinata; filamenta connexa; legumen gibbum, toruloſum, venoſum, coriaceum. Vnica eſt ſpecies, ſcilicet *Arachis hypogaea Linn.* Arachidna quadrifolia villoſa flore luteo *Plum.* Senna tetraphylla, ſ. Abſi congener hirſuta maderaſpatenſis, folliculos ſub terra condens *Pluk.* Chamaebalanus iaponica *Rumph.* Mundubi *Marcgr.* Varietas huius eſt Arachidnoides americana *Niſſol.* G. *Piſtache de terre.*

ARACHNOIDES TVNICA, ſeu ARANEA TVNICA, vel AMPHIBLESTROIDES, male ARACHNOIDEA, eſt membrana ita dicta ob ſummam, quam habet, tenuitatem, intra duram et piam matrem ſita, quae in ſuperiori cerebri parte, cum pia matre et cerebro ſtricte connectitur, non conſpicienda, niſi flatu per vulnuſculum intra gyros inflictum impulſo in bullulas eleuetur. In inferiori vero parte, praeſertim circa cerebellum, medullam oblongatam, et ſpinalem, laxe circumdat: ita vt ibidem facile et abunde conſpici queat. Quam late cerebri ſuperficies in gyros contorquetur, vnum continuum inuolucrum pellucidum format, tenue, firmulum tamen, vaſis vndique deſtitutum, quando pia meninx plurimis pingitur. Neque in ſulcos deſcendit, ſed a iugo ad iugum tranſit, pontiſque modo ſulco inſternitur, vt vaſa ſulcorum hoc inter velamentum et piam matrem ponantur. — Item tunica oculi cryſtallina, a ſimilitudine araneae telae dicta, quae obtegit neruos viſorios adhuc nudos in cerebro, antequam hi orbitas ingrediantur, et non ſolum eos extrinſecus inuoluit, ſed etiam inter omnes minimas fibrillulas neruos conſtituentes, ſe inſinuat, proſpicuus, ne inter ſe agglutinentur, ſed diſtinctae, vt in ortu maneant. Haec membrana celluloſae totius corporis perquam ſimilis. Ex ἀράχνη, aranea, et εἶδος, forma. Ge. Das Spinnewebenhäutlein. G. *l'Arachnoide.* B. *Het Spinne-webe-vlies.*

ARACK, eſt ſpiritus inflammabilis ex oryza, vel ſaccharo, deſtillatus.

ARAEOTICA, vide *Rarefacientia*, ab ἀραιόω, rarefacio.

ARALIASTRVM; vide *Genſing.*

ARANEA, eſt *herba paris*, ſic dicta, quod eius vua aranearum referat. vide *Paris Herba.*

ARANEA, eſt inſectum ad inſecta aptera referendum, cuius characteres ſunt: pedes octo; oculi octo; os vnguibus, ſeu retinaculis duobus; palpi duo articulati; maſculis genitalia capitata; anus papillis textoriis. Ill. *Linnaeus* XLVII. ſpecies recenſet. Olim a medicis quibusdam in febribus adhibebantur araneae, ſuntque et hodie creduli, qui iis vt amuleto antiloimico vruntur. Tela araneārum inter remedia iſchaema refertur. Ab ἀράω, apto, quod telas ad muſcarum aucupium praeparet. Ge. Spinne. G. *Araignée, ou Aragne.* A. *A Spider.* B. *Een Spinnekop.*

ARANEA TVNICA, idem quod, *Arachnoides.*

ARANTIA, idem quod *Aurantium.*

ARBOR, et ARBOS. Gr. Δένδρον, et Δένδρος, quia δεινῶς δέρεται; grauiter et moleſte decorticatur: vel a δέμω, ſtruo, aedifico, quia arborum ope domus, etc. aedificantur. Arbor eſt, quidquid a radice ſtatim ſimplici caudice, brachiatum ramis, furculoſum, diſſolutuque contumax aſſurgit. Vel arbor vocatur planta perennis, excelſa, ſimplici trunco, ſeu caudice craſſo, duro, ligneo, brachiatoque donata. Ge. Ein Baum. G. *Arbre.* A. *A Tree.* B. *Een Boom.*

ARBOR DIANAE, ſ. ARBOR PHILOSOPHORVM, eſt quaedam cryſtalliſatio mercurii et argenti in aqua forte affuſa aqua pluuiali diluta diſſoluti, fruticis ſpeciem acquirens. Similis produci poteſt cryſtalliſatio ex ſolutione ferri, quae vocatur *Arbor martis.*

ARBOR VITAE, ſ. *Thuya*, eſt arbor cupreſſo maxime adfinis, (Monoec. Monadelph.) amentifera, conos ferens ſubouatos, ſquamatos, minimos. Arbor vitae dicta, vel quod

diutiſſime viuat, vel quod frondes ſemper laete vireſcant. Videtur eſſe eadem, quae θύα et θυία Graece dicitur, cuius lignum inter pretioſiora refertur. Ge. Lebensbaum. G. *Arbre de Vie.* A. *The Tree of life.* B. *Boom des Levens.*

ARBVTVS, recentioribus botanicis proprie eſt genus plantarum, (Decandr. Monogyn.) cuius character eſt calyx quinquepartitus; corolla ouata, baſi pellucida, bacca quinquelocularis. Species eius ſunt quinque, quarum quinta eſt *Arbutus vua vrſi*, caulibus procumbentibus, foliis integerrimis *Linn.* ſatis hucuſque virtute ſua, adſtringente, non quidem lithontriptica, tamen certe antinephritica celebris. Ge. Sandbeere, Bärentraube. G. *Bouſſerolle.* A *Redwort, Bearberry.* Vide *Vua vrſi.* — Species vero, quae proprie arbutus vocatur, eſt *Arbutus vnedo Linn.* caule arboreo, foliis glabris, ſerratis, baccis polyſpermis, arbuſcula, cuius truncus habet corticem aſperum et ſtriatum: in ſuperiori parte rami ſunt rubicundi; habet folia oblonga, lata inſtar lauri, ſubrotunda, polita, viridia, dentata, vel ſerrata; florem monopetalum, campaniformem, globoſum, in vrceolum formatum; piſtillum calicis fit fructus globoſus, carnoſus, edulis, ante maturitatem flauus, poſtea ruber, facie externa fragi, quinquelocularis, in ſingulis loculis ſemina plura placentae accreta ſunt. Haec arbuſcula ſaepe ad maximarum arborum altitudinem creſcit in Flandria; fructus eius *Memaecylon*, aut *Vnedo*, vocatur, quia, ſi homo plus ex his, quam vnum, comedat, creditur, illum ſe inde male habere. Folia et cortices ſunt adſtringentes, hinc conducunt in diarrhoea. — Arbutus nomen accepit, quod inter arbuſta creſcat: vel, vt aliis placet, ab *arbor*. Gr. Κόμαρος, an a κομάω, comatus ſum? Germ. Erdbeerbaum. G. *Arbouſier, l'arbre à fraiſes.* A. *The Strawberrytree.* B. *Haag-appel-boom, Aardbeſieboom.*

ARCANVM, nominatur aliquod medicamentum, quod tanquam aliquid ſecreti habetur, tum in eius praeparatione, tum in eius adminiſtratione dextra. *Theophraſti arcanum* eſt quinta rei, eſſentia ſumme exaltata, ſeu, vt ait idem, eſt virtus rei millecupla exaltatione emendata. Quatuor imprimis arcana iactitat. 1. Arcanum primae materiae. 2. Lapidis philoſophorum. 3. Mercurii vitae. 4. Tincturae. Aliis eſt extractum in ſpecie ſic dictum, forte quod in arcis ſeruetur. Plura proſtant remedia, quae *arcanorum* nomine inſigniuntur, licet ſatis cognita ſit eorum praeparatio. Sic *arcanum corallinum* eſt mercurius praecipitatus ruber, aut ſpiritu vini deflagrante, aut liquore alcalino affuſo cicuratus, quo chirurgi externe vt remedio ſeptico, interne, minus tamen tuto, ad ſaliuationem prouocandam, vtuntur: *Arcanum duplicatum*, ſeu *Panacea Holſatica*, eſt ſal medium compoſitum ex acido vitriolico et alcali nitroſo, atque vt remedium digeſtiuum adhiberi ſolet: *Arcanum duplicatum catholicum Wedel.* eſt amuletum ex radice colchici et plantaginis, contra morbos malignos, ab hoc autore ſummopere laudatum: *Arcanum tartari*, eſt terra foliata tartari, ſeu ſal tartari aceto vini ſaturatum, et in ſal medium vegetabile conuerſum, quod praeſtantiſſimis viribus incidentibus et reſoluentibus gaudet. Ge. Geheimniß, geheimes Mittel. G. et A. *Secret, Myſtery, Noſtrum.* B. *Geheym.*

ARCEVTOS, eſt *Iuniperus:* dicitur παρὰ τὸ τὴν ἀρὰν κεύθειν, quod celet noxam (ἀρὰ enim eſt noxa) et κεύθω, celo, vel διὰ τὸ ἔχειν τὰς ἀκάνθας κεκρυμμένας, quod ſpinas habet occultas. Vide *Iuniperus.*

ARCHANGELICA, eſt *Angelica ſatiua Bauh.* ſeu Angelica maior *Dod.* ſeu *Angelica archangelica* foliorum impari lobato *Linn.* Habitat in Alpibus Lapponiae. Ab ἀρχή, principatus, et angelica, de qua antea; ſic dicta, quod caeteris maior ſit: vide *Angelica.* Ge. Große Engelwurz, Angelikwurz. G. *Archangelique.*

ARCHE, eſt morbi initium, ab ἄρχομαι, incipio, et proprie ſignificat illud tempus, non quo aeger incipit lecto ſuo affigi, ſed quo ex ſtatu ſano in aegrotum tranſit; praeludium, inuaſio. Vide *Acme.*

ARCHEVS, eſt (vt quidam veteres chymici loquuntur) ſummus, exaltatus, et inuiſibilis ſpiritus, qui ſeparatur a corporibus, exaltatur et aſcendit, occulta rerum virtus, generalis omnibus artifex, et medicus. *Item* Archiatros, ſupremus rerum medicus, qui rei cuique ſuum *Archaeum* peculiarem, et membro cuilibet occulte per aërem diſtribuit, ex cuius vitio morbi archeales oriuntur. *Item Archaeus* primus in rebus, vis eſt occultiſſima res omnes producens, ex *Iliaſte*, diuina virtute nimirum ſuffulta duntaxat. Vocabulum eſt *Helmontio* frequentiſſimum. Ge. Der ſubtilſte Geiſt, fürnehmſte Kraft. G. *Archée.* B. *Kracht, elementſcheider, geeſt.*

ARCHIATER, eſt medicus ſupremus; vel qui caput et dux aliorum medicorum eſt. Ideoque primarius, vel ſenior, dicitur. Ita principum et magnatum medici κατ' ἐξοχὴν archiatri vocantur, ex ἀρχή, principium, et ἰατρός, medicus. Ge. Leibarzt, Stadtarzt, fürnehmſter Arzt. G. *Archiatre, le premier Medecin.* A. *The Chiefeſt Phyſician.* B. *Een Opper-genees-heer, Stads-Doctoor, Stads-genees-heer.*

ARCHIGENI MORBI, ſeu acuti, ab ἀρχή, principatus, et

γεννάω, gigno; quod nempe imperium in ſanitatem teneant. Vox male compoſita et paucis probata.

ARCTOSCORODON, eſt *Allium vrſinum*. Ex ἄρκτος vrſus, et σκόροδον, allium. Eſt *allium vrſinum* ſcapo nudo ſemicylindrico, foliis lanceolatis petiolatis, vmbella faſtigiata. *Linn.* G. Waldknoblauch, Bärlauch, Hundsknoblauch, Ramſe. G. *Ail d'ours.* A. *Ramſons.* B. *Beeren-look, Das-looks.*

ARCTOSTAPHYLOS, eſt vrſi vua, ſeu vaccinium rubrum, ex ἄρκτος, vrſus, et σταφυλή, vua. Vide *Arbutus, Vua Vrſi*, et *Vaccinium.*

ARCVALIA OSSA, dicuntur aliis *oſſa ſincipitis*, aliis *oſſa temporum*: hinc *ſutura arcualis* eſt eadem, quae *coronalis.*

ARCVATVS MORBVS, vide *Ictерus.*

ARDEA AVIS, ſic vocatur genus auium ad aues grallas *Linn.* pertinentium, cuius characteres ſunt: Roſtrum rectum, acutum, longum, ſubcompreſſum, ſulco e naribus verſus apicem exaratum; nares lineares; pedes tetradactyli. Hoc quatuor genera inferiora comprehendit, ſcilicet: *Ardeas criſtatas, grues, ciconias*, et *ardeas* proprie ſic dictas. Profiat in officinis axungia, vel pinguedo ardeae. Dicitur ex arduo, quia volat in altum. Gr. ἠρωδιός. Ge. Reiher, Reigen. G. *Heron.* A. *Heron, Hern.* B. *Reiger.*

ARDENTES FEBRES, ſunt, in quibus praeter alia ſymptomata, magnus aeſtus, ardor et ſitis deprehenduntur, vt in *cauſo et lipyriis.* Vide *Cauſus.*

ARDOR, ſeu *aeſtus cauſonia*, eſt calor in corpore noſtro intenſe auctus. Ge. Große und brennende Hitze. G. *Chaleur, Ardeur.* A. *Vehement or parching heat.* B. *Hitte.*

ARDOR VENTRICVLI, doloris ventriculi peculiaris ſpecies eſt, quae tamen ſimul etiam oeſophagum moleſtat, quám τοῦ στομάχου καῦσωνα, *ardorem ſtomachi*, et nonnulli *ebullitionem, ardoremque* ſtomachi *ebullientem* nominant: quibusdam *ſoda* dicitur. In eo ardens quidam dolor in ventriculo et gula percipitur, qui vrendo quaſi moleſtat. Malum hoc ſanis etiam ſaepe familiare eſt; tum cibum ſumentibus, tum ieiunis, imprimis cum eructant, intus incluſo quaſi flatu igneo et erumpere non valente. Nonnunquam tamen et in febribus accidit. Cauſa eius eſt efferuescentia quaedam a particulis oleoſis rancidis, aut biliosis, vnde ebullitio, ſiue ardor ventriculi ebulliens perſentitur; vel oritur potius ab acri quocunque, ſiue acido, ſiue alcalino, ſiue muriatico, moleſte os ventriculi afficiente, et ſaepe a defectu muci ventriculum obducentis. Ge. Brennen im Magen, Sodbrennen. Sode.

Sode. G. *l'Ardeur d'Eſtomac.* A. *The Heart-burn.* B. *De Zode.*

ARDOR VRINAE, vide *Dyſuria.*

AREA, *Celſo* arearum duo genera ſunt. Commune vtrique eſt, quod emortua ſumma pellicula, pili primum extenuantur; deinde excidunt, ac ſi ictus is locus fuerit: ſanguis exit liquidus, et mali odoris: increſcitque in aliis celeriter, in aliis tarde. Peius eſt, quod denſam cutim, et ſubpinguem, et ex toto glabram facit. Sed ea, quae Ἀλοπηκία nominatur, ſub qualibet figura dilatatur. Fit et in capillo, et in barba. Id vero, quod a ſerpentis ſimilitudine Ὄφιασις appellatur, incipit ab occipitio; duorum digitorum latitudinem non excedit: ad aures duobus capitibus ſerpit; quibusdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. Illud vitium in qualibet aetate eſt: hoc fere in infantibus. Illud vix vnquam ſine curatione, hoc per ſe ſaepe finitur. Ge. Ausfallen des Haars. G. *La chute des cheveux de la tête et du poil de la barbe, Alopecie, l'élade.* A. *The Falling of ones hair.* B. *Hair-uitvalling, Haireloosheid.*

AREA, eſt inter muſculos, glandulas, etc. quaedam intercapedo, ſeu ſpatium, a circumiacentibus partibus relictum. Ge. Zwiſchenweite. G. *Eſpace.* A. *An empty ſpace.* B. *Tuſſchen-ruimte.*

ARECA, *Faufel, Pinanga*, eſt plantae genus ad palmas pertinens, cuius characteres ſunt: in maſculis floribus, ſpatha biualuis, ſpadix ramoſus, petala tria, acuminata rigida; filamenta nouem, quorum tria exteriora longiora; in foemineis floribus, in eodem ſpadice, ſpatha communis cum maſculis, petala tria, acuminata, rigida, drupa ſubouata, fibroſa, calyce imbricato baſi cincta. Semen ouatum. Species ſunt duae. a) *Areca Catechu Linn.* frondibus pinnatis, foliolis replicatis, oppoſitis, praemorſis, quae ſuccum exſudat, qui inſpiſſatus male *Terra Iaponica*, vel *Catechu*, dicitur. Vide *Catechu.* Partem nucis Indi, vna cum calce oſtreorum, folio Betel, vel Iaburandibae inuoluunt, continuoque ad corroborandas gingiuas maſticant. b) *Areca oleracea, Linn.* ſiue areca foliolis integerrimis *Iacqu.*

AREGON, eſt vnguentum reſolutiuum, relaxans et attenuans, ab ἀείρω, auxilior, opem fero. Inter quatuor vnguenta calida primum locum occupat.

ARENA, eſt terra conſtans petris minerisque pulueriſatis, cuius plures dantur ſpecies. Sed arena quae in corpore humano reperitur toto genere

ab arena terreſtri differt. Eſt enim ex plurimo ſale volatili, pauco oleo et terra genita; ex qua ſaepe calculi vrinarii, ſaliuales, tracheales, fellei, ſ. cholelithi, concreſcunt. Gr. Ψάμμος et Ἄμμος. Lat. *Sabulum* dicitur. Ge. Sand, Grieß. G. *Sable, Gravelle, Gravier.* A. *Sand, Gravel.* B. *Graveelige Zandigheid.*

ARENARIA, eſt plantae genus apud *Linnaeum* (Decandr. Trigyn.) cuius characteres ſunt: calyx quinquephyllus patens, petala quinque ouata, integra; capſula ouata, tecta, vnilocularis, apice quinquefariam dehiſcens, polyſperma. Huius plures ſpecies reperiuntur, quae olim ad *Alſines* genus numerabantur. Sic dicitur, quod arenoſa loca amet.

ARENATIO, eſt ſpecies balnei ſicci, cum aeger pedibus arenae calidae inſidet, aut dum eius corpus arena calida tegitur: vt in hydrope fit. Conf. *Ammocheſia.* Ge. Sandbad. G. *Bain de Sable.* A. *A Sandbath.* B. *Zandbad.*

ARECLA PAPILLARIS, vocatur circulus papillam ambiens, qui in virginibus pallidus eſt, et cuti fere concolor, ſed in lactantibus magis fuſcus euadit. Ge. Der Kreis um die Wärzlein der Bruſt. G. *l'Aréole.* A. *The Circle that ſurrounds the Nipple.* B. *De Tepelkring.*

ARESTA BOVIS, vide *Anonis.*

ARGEMON, ſ. ARGEMA, eſt vlcuſculum oculi album in Iridis circulo, comprehendens partem albi et nigri. Ex ἀργὸς, albus.

ARGEMONE MEXICANA, ſ. *Papaver ſpinoſum* C. B. eſt planta, quae habet caulem rotundum, ramoſum, ſpinas exiguas, et quae medullam albam in ſe continet. Folia ex radice primo erumpentia, oblonga, et anguſta ſunt, ſed quae caulibus adhaerent, ſunt longa, laciniata, non villoſa, ſed mollia, in ſpinas abeuntia; calyx triphyllus, ſubrotundus; flores in ſummitate ramorum creſcentes, coloris flavi, roſacei, conſtantes e petalis quinque, ſubrotundis, erecto-patentibus, calyce maioribus (Polyandr. Monogyn.). Poſt flores ſuccedit pericarpium, ſeu capſula ouata, ſpinoſa, quinquangularis, vnilocularis, ſemiquinqueualuis, includens ſemina numeroſa, minima, nigra, ſubrotunda. Radix exigua eſt, ſatis longa, fibroſa; haec planta creſcit in hortis, et ſolo fere numero, proportione vix explicabili, a papauere differt. Ita dicitur a vi, qua pollet: ſanat enim ἄργεμα, ſeu oculorum vlcuſcula et nubeculas, quae in oculi albo prouenivnt; ideoque ab ἀργὸς, albus. Ge. Stachlichter Mohn. G. *Le Pavot épineux.*

ARGENTINA, idem quod *Anſerina*, ſeu *Potentillae* ſpecies.

ARGENTVM, et Gr. ἄργυρος, eiusdem ſignificationis, eſt metallum coloris candidi, ſonorum, poſt aurum maxime ductile, in igne fixiſſimum, ita vt nihil fere perdat, ſi puriſſimum fuerit; ſimulac ignitur, funditur. Aqua forti ſola ſoluitur. Specificae grauitatis ad aquam eſt, vt 10535. ad 1000. depuratur plumbo, eique reſiſtit, in ſcorias abit cum antimonio et volatile fit. In ſubſtantia, quidquid creduli dicant, vix vlla gaudet virtute medica, ſed in acido nitri ſolutum, euaporatum et fuſum dat *Cauterium lunare*, ſeu *Lapidem infernalem*, quo, vt remedio corroſiuo, vtuntur chirurgi. Proſtat etiam in officinis *Tinctura lunae*, cui vires neruinae attribuvntur. Ge. Silber. G. *Argent.* A. *Silver.* B. *Zilver*

ARGENTVM SOPHISTICVM, eſt mixtura metallica alba, argenteum colorem habens ex cupro, arſenico et parua argenti portione conflata. Ge. Weiß Arſenikaliſch Metall. G. *Argent baché.*

ARGENTVM VIVVM, idem quod *Mercurius.*

ARGILLA, Gr. ἄργιλος, ab ἀργὸς, albus; quia plerumque illa terra alba eſt. Eſt terra foſſilis, conſtans particulis amorphis, impalpabilibus, mollibus, tenacibus, lubricis; humido emollienda, vnctuoſa, plaſtica; igne induranda; aqua forti minime efferueſcens, niſi calcarea ei admixta ſit. Plures dantur ſpecies variorum colorum, vel vitreſcibiles, vel apyrae; huc quoque referendae ſunt terrae bolares et ſigillatae, quarum variae in vſum medicum adhibentur. Secundum recentiores varios argilla ex vitreſcibili terra et acido vitriolico orta eſt. Ge. Thon, Leim. G. *Argille ou Terre glaiſe.* A. *Clay.* B. *Kley.*

ARGYROCOME, eſt Gnaphalii ſpecies (Gnaphalium muricatum *Linn.*) dicta ob argenteos, ſeu albos floſculos, ex ἄργυρος, argentum, et κόμη, coma, pili. Botanici genus *Gnaphaliorum* (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) in tria genera inferiora diuidunt, quorum primum ſpecies chryſocomas, alterum argyrocomas, et tertium filaginoideas comprehendit.

ARGYROPOEA eſt ars, quae docet modum conficiendi argentum e metallis et mineralibus imperfectioribus, tam quae in argentifodinis exercetur, quam quae ope lapidis philoſophorum ex nonnullorum opinione fieri poteſt.

ARIA, i. q. *Aronia*, proprie vero eſt *Crataegus Aria Linn.* foliis ouatis inaequaliter ſerratis, ſubtus tomentoſis, ſ. Sorbus alpina *Bauh.* cuius fructus in Suecia et Heluetia eduntur. Ge. Der Mehlbeerbaum. G. *Alouche de Bourgogne, le Drouillier.* A. *The white Beam, white Leaf tree.* B. *Wilde Sorber-Boom.*

ARIDVRA, TABES est, seu ATROPHIA *particularis*, qua membrum aliquod plane contabescit et consumitur. Forte ab aresc̄ere. Ge. Das Schwinden. G. *Aridure.* A. *Consumption.* B. *Uitteeringe.*

ARILLI, idem quod *Acini.*

ARISARVM, videtur diminutiuum ab *Arum*, quia minor species est, vel ab ἄρον ιερόν. Differentia tamen in eo consistit quod *Arum Tourn.* foliis sagittatis integris a *Dracunculo Tournef.* qui est foliis multifidis, distinctum sit, *Arisarum Tourn.* habet spatham apice bifido, incuruo, spadicem incuruatum. Antherae filamentis innixae sunt. His leuiter recedit ab aro, distinctum tamen non constituit genus, Vide *Arum.*

ARISTALTHAEA, est *Althaea vulgaris*, ab ἄριστον, bonum, et althaea.

ARISTA, Gr. ἀθέρα, ἀθερίνη, ἀθερὶξ, ab areo. Estque vt acus tenuis longa, seu mucro subulatus, et eminet a gluma. In summa aristae quasi apices et cornua sunt spicarum. Ge. Die Grannen. G. *La barbe de l'epi du bled.* A. *The ear of corn, the beard of the ear of corn.* B. *De Baard der Koornaare.*

ARISTOLOCHIA, est plantae genus, (Gynandr. Hexandr.) quod habet flores monopetalos, anomalos, tubulatos, in inferiori parte ventricosos, subgloboſos, occlusos, a parte superiore apertos, et quasi linguam habentes deorsum spectantem. Post florem pistillum fit fructus membranaceus, oualis, sexangularis, viridis, sed post maturitatem fuscus. Hic fructus est diuisus in sex loculos, qui multa semina compressa, exigua, nigra, et sibi inuicem incumbentia recondunt. Plantae huic nomen inditum, quod puerperis, vel potius parturientibus, prosit: quod ἀρίστη sit ταῖς λοχείαις, lochiis nempe expellendis. Alii deducunt ab inuentore quodam, *Aristolocho.* Plures species in officinas receptae sunt, quarum potissimum radices adhibentur. v. g. *Aristolochia serpentaria* foliis cordato oblongis planis, caulibus infirmis flexuosis teretibus, floribus solitariis *Linn.* s. *Serpentaria Virginiana Pluk.*, quae ex Virginia et Carolina ad nos adfertur, et qualitate acri et aromatica gaudet. Ge. Virginische Schlangenwurzel. G. *Serpentaire.* A. *Virginian Snake-root.* Vide *Serpentaria.* — *Aristolochia rotunda*, foliis cordatis subsessilibus obtusis, caule infirmo, floribus solitariis *Linn.* Aristolochia rotunda *Pharm.* — *Aristolochia longa Pharm.* foliis cordatis petiolatis integerrimis obtusiusculis, caule infirmo, floribus solitariis *Linn.* et *Aristolochia clematitis* foliis cordatis, caule erecto, floribus axillaribus confertis *Linn.* s. *Aristolochia vulgaris*, quae posteriores species in Europa australi proueniunt, et viribus incidentibus, pellentibus, emmenagogis pollent, pluresque compositiones ingrediuntur. *Aristolochia fabacea*, seu *Pistolochia Fuchs.* (datur enim etiam *Aristolochia pistolochia Linnaei* et *Clusii*, quae in Hispania provenit, et ad aristolochiae genus pertinet), est radix *Fumariae bulbosae*, caule simplici, bracteis longitudine florum *Linn.* cuius bulbi nonnunquam caui sunt, hinc *cana* vel *non cana* vocatur. Ge. Osterlucey, Holwurz. G. *Aristoloche.* A. *Birthwort.* B. *Hol-wortel, Baarwortel, Osterlucie.*

ARISTOLOCHICA vocantur illa medicamenta, quae fluxum lochiorum, id est sanguinis, qui post partum ex vtero prodit, promouere valent. Ge. Die Kindbettereinigung treibende Mittel.

ARMA sunt in plantis mucrones arcentes animalia, ne laedant plantas.

ARMENIACA MALVS, (Icosandr. Monogyn.) *Prunus Armeniaca*, floribus sessilibus, foliis subcordatis *Linn.* Persicae satis similis, sed truncus crassior, cortice obductus magis nigro. Folia habet populi nigrae, vel pyri, dentata, acuta, saporis acidiusculi; calyx est monophyllus, quinquefidus, vel et in sex segmenta profunde sectus, cauus; flos rosaceus, pentapetalus, petalis natis ex margine calycis coronante cauitatem, petala aliquando sex continet, stamina viginti. Ouarium in imo fundo calycis, instructum tuba longa, fit fructus fere globosus, carnosus, Persicae minoris magnitudinis, ad latera paululum compressus, iuxta longitudinem sulcatus. Continet nucleum osseum compressum, in quo amygdala vna plerumque reperitur, saporis aliquantulum amari, grati; fructus caro ab vna parte rubescit, ab altera flauescit. Est dulcis, tenera, saporis grati; *Armeniaca* forte a natali solo Armenia dicta. Ge. Aprikosen. G. *Abricotier.* A. *Apricot.* B. *Abrikoos.*

ARMENVS, seu ARMENIVS LAPIS, est lapis maculis viridibus, caeruleis et subnigris relucens, sicut *Lapis lazuli* punctis aureis. Numeratur hodie inter mineras cupri, et est cuprum caeruleum, calcareum *Linn.* vel minera cupri calciformis impura, indurata aliorum, seu *caeruleum montanum.* Dicitur *Lapis Armenus*, seu *Armenius.* Gr. Ἀρμένιος λίθος, quod olim ex Armenia solum ad nos translata sit; hodie tamen et in Germania effoditur. Praefertur variecolorato caeruleus. Inter purgantia olim recensebatur ad drachmam et scrupulos quatuor, ob particulas cupreas admixtas, vix ta-

men hodie eum in finem adhibetur, sed tantum ad vsum pictorium, ad inde parandum caeruleum montanum. Ge. Armenischer Stein, Bergblau. G. *Bleu de montagne, pierre d'Armenie.* A. *Armenian-stone.* B. *Armeni-steen.* Arab. *Hagar* et *Hagor.*

ARMERIS FLOS, est proprie *Dianthus* (Decandr. trigyn.) et quidem D. *Armeria Linn.* D. *barbatus ejusd.* floribus aggregatis, et D. arenarius *Linn.* caule vniflоro herbaceo, seu caryophyllus sylvestris *Clus.* Ge. Heidenblümlein, Steinnägel, Karthäuserblumen, Bartnelken. G. *Armoires et Armoiries.* A. *Sweet-williams, Meadow-pink.* B. *Keikens, Duizendschoon, Tuilkens, Hoepeelbloemen.*

ARMILLA MEMBRANOSA, est ligamentum circulare, tendines multiplices vniuersae manus circulo aliquo comprehendens in regione carpi; in varia alia facile diuisibile. Duplicem constituunt dissectores; vnam sinum carpi succingentem reuera vnicam, sed latam robustamque, ab osse pisiformi et vnciformi carpi transuersim ad os semilunare et multangulare maius tendentem, simul omnes tendines flectentium musculorum continentem: alteram, quae est in dorso carpi, atque ex sex inter se connexis, et singulis annuli instar obvolutis circa extendentium tendines, constat. Ge. Armband. G. *Ligament du bras.* A. *Membranous ligament incompassing the muscles of the arm.* B. *d'Armband.*

ARMONIACVM SAL NATIVVM, s. AMMONIACVM, Cyrenaicum, veterum, sub arenis Libycis concrescebat: Ex notis bonitatis, quas *Plinius* indicauit, nostro hodierno factitio simillimum apparet. Natiuum tamen etiam nunc circa montes igniuomos, v. c. circa Vesuuium et Solfataram, nec non in Calmuccorum regione reperitur. Interim maxima pars salis ammoniaci, quae nunc adhibetur, artificialis est. Constat ex acido salis communis vnito cum sale alcalino vrinoso volatili, quod illico, si cum sale tartari humectato misceatur, odore forti eructat. Aduehitur ad nos ex Aegypto, vbi sublimationis ope ex fuligine excrementorum animalium paratur, quae multo sale pasta sunt, sub forma placentarum conuexo-concauarum, et ad varia praeparata officinalia adhibetur. Pollet virtute incidente et resoluente, hinc specificum antifebrile a quibusdam habitum est. Eligatur candidum ac purum, vel nisi satis nitidum fuerit, purificari potest. In libris quorundam Alchymistarum dicitur *sal solare, aquila coelestis, alba mercurialis fuligo, sal mercurialis philosophorum, lapis adir, audix, anacah, alacah, aliocab, alocaph, alcub, alfol, alfatide, alinziadir, alhstiles, alumonodig, amizadir, anoxadic, azanec, butrum, bisazium, lixandram, misatis, mestudar, nusiadal, nysae, ohac, raah, salmiax, turstes.* Nomen accepit forte ab ἄμμος, seu ψάμμος, arena, quia olim credebatur ex arena iumentorum in arenosis Libyae condensari: aut a Ioue Ammone, ad cuius templum per arenosos illos tractus iter faciendum est. Dicitur et *sal mirabile* et *clauis metallorum*, quae fluere facit. Signum eius chymicis est asterismus. Ge. Salmiak. G. *Sel Armoniac.* A. *Salt Armoniak.* B. *Salarmoniak.*

ARMORACIA, est *Raphanus Rusticanus*, siue *maior.* Componitur a Pontica voce armon, et agria. Graecis ἐραφανὶς ἄγρια dicitur. Est planta flore tetrapetalo cruciformi (Tetradyn. siliculos.) et proprie species cochleariae, scilicet cochlearia folio cubitali *Tournef. Cochlearia armoracia* foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis incisis *Linn.* Radicis vsus maxime culinaris est. Pollet viribus incidentibus, stimulantibus, diureticis, antiscorbuticis et antirheumaticis. Ge. Meerrettich. G. *Raifort sauuage.* A. *Horse raddish.*

ARNALDIA, est nomen morbi maligni, lenti, et chronici, quondam in Anglia familiaris, in quo capillorum defluvium maxime notabatur, etc. vnde species luis Gallicae videri posset, prout in initio in his regionibus faeuiit.

ARNICA, Germanis valde laudata herba, inprimis *lapsorum* quaedam quasi *panacea* dicitur. Est genus plantarum (Syngenes. Polyg. superfl.) cuius species officinalis est *Arnica montana* foliis ouatis integris, caulinis geminis oppositis *Linn.* Doronicum plantaginis folio alterum *Bauh.* Infusum eius ob virtutem resoluentem praecipue in casu ab alto commendatur. Praestat tamen folia decoquenda sindone includere, ne lanugo eorum aquae immixta fauces atque ventriculum nimis irritet. A recentioribus quoque in paralysi, nec non folia et radix, vt antisepticum praestantissimum commendantur. Species est indigena. Ge. Wohlverlen, Johannisblume, Fallkraut. G. *Betonie des montagnes, Arnigue.*

ARNOGLOSSVM, est *Plantago*, seu *Agnina Lingua*, quia eius folia linguae agninae simillima sunt. Ex ἀρνὸς, agnus, et γλῶσσα, lingua. Dicitur et *Polyneurum* a neruorum, quibus quasi costis per longitudinem folia eius distincta sunt, multitudine. Ge. Wegerig, Weegrich, Wegebreit. G. *Plantain.* A. *Plantain, or Lambs-tongue.* Vide *Plantago.*

AROMA, est corpus vegetabile, plerumque semen, aut cortex, plurimum olei aetherei continens, hinc gratum fortemque spirans odorem, ac saporem habens penetrantem et

calefacientem, vt caryophylli, cinamomum. Ex ἀρ, vel ἀρι particula intenſiua, et ὄζω, oleo, ὀδμὴ, odor. Ge. Gewürz, Spezerey. G. *Drogue*, *Epice*, *Epicerie*. A. *Sweet ſmelling ſpices*. B. *Riekende Specerie*.

AROMATOPOLA, eſt is, qui aromata diuendit, *Aromatarius* dictus. Germ. Ein Gewürzkrämer, Materialiſt. G. *Epicier*. A. *A Grocer*. B. *Kruidenier*, *Droogiſt*.

ARONIA, eſt *Meſpilus*, an ab Arona, Galliae fluuio? Proprie eſt *Crataegus Azorolus* foliis obtuſis, ſubtrifidis, ſubdentatis *Linn.* (Icoſandr. trigyn.) *Meſpilus aronia* veterum *Bauh.* Ge. Lazeroldpfel. G. et A. *Azerole*.

AROPH, vox eſt formata ex primis litteris vocabulorum aroma et philoſophus; hinc denotat nonnullis crocum, qui alias aroma philoſophorum dicitur, aliis extractum croci; *Paracelſo* denique flores ex aequalibus portionibus lapidis haematitis et ſalis ammoniaci praeparati, ſeu flores ſalis ammoniaci martiales inprimis poſt deliqueſcentiam ita vocantur. Vide *Haematites*.

ARQVATVS MORBVS, ſeu ARCVATVS, idem quod *Ictherus*.

ARRHEPIS, ſic vocatur vndecima vertebra vertebrarum thoracis, vel dorſi.

ARS, dicta eſt, ex ἀρετὴ, virtus, quam Graeci ſcientiam vocant.

ARSENICVM, eſt *Sulphur metallicum*, venenatiſſimum, album, cryſtallinum, ponderoſum, triturabile, igni iniectum odore alliaceo, in aqua calida, magis vero in menſtruis alcalinis, ſolubile. Tum natiuum reperitur, tum maximam partem obtinetur, ſi cobalti cum alcali fixo et ſilicibus in ſmaltum fuſio paratur. Adſcendens flos dat *Arſenicum* album crudum, quod clauſo vaſe, igne valido, fuſum, exhibet Arſenicum album venale: ſi vero Arſenicum funditur cum decima ſulphuris communis parte, *Arſenicum citrinum* fit, venenatum, ſollicite diſtinguendum ab *Auripigmento*, cum lethale ſit vi indomabili. Quoties vero Arſenicum quintae ſulphuris parti ad ignem fuſum admiſcetur, naſcitur illico *Arſenicum rubrum*, venenatum, quod ab *Arſenico* et *Sandaracha* veterum, quae natiua ſunt, differt. Subſtantia Arſenici ſalina, phlogiſto debita arte admixto, *regulum Arſenici* exhibet, ſeu ſemimetallum. Si acidum ſalis cum arſenico eodem modo combinatur, quo id in praeparatione butyri antimonii fit, *Butyrum*, ſeu *oleum Arſenicale* oritur, vti *hepar Arſenici* ex coniunctione eius cum alcali fixo. Summum venenum eſt, a variis tamen in febribus intermittentibus et cancro commendatur. Ge. Ratzenpulver, Hüttenrauch. G. *Arſenic, ou Poudre aux Rats*. A. *Arſenick* or *Orpment*. B. *Rottekruid*. quia mures gliresque hoc comeſto moriuntur. Vide *Cobaltum*, *Auripigmentum*, *Sandaracha*.

ARTEMISIA, planta eſt, quae habet caulem quatuor circiter pedes altum, ramoſum, durum, lignoſum, fractu difficilem, parum villoſum, vt plurimum ad rubrum vergentem. Folia in acutas lacinias diuiſa ſunt inſtar abſinthii, ſed latiora, ſuperne viridia, inferne alba, odorifera, ſaporis dulcis parum ad acredinem vergentis; flores erecti, minimi, villoſi, albidi, vel purpureſcentes, odorati; radix longa et inſtar digiti craſſa, lignoſa, ſaporis ſubdulcis, et aromatici. Ill. *Linnaeo* eſt plantae genus ad Syngeneſ. polyg. ſuperfl. pertinens, cuius receptaculum ſubuilloſum, vel nudiuſculum, pappus nullus; calyx imbricatus ſquamis rotundatis, coniuentibus; corollae radii nulli. Comprehendit illud abſinthium quoque, abrotanum, etc. Species vero, quae in officinis artemiſia dicitur, eſt *Artemiſia vulgaris* foliis pinnatifidis, planis, inciſis, ſubtus tomentoſis, racemis ſimplicibus recuruatis, florum radio quinquefloro. *Linn.* Artemiſia alba et rubra *Pharm.* Gaudet qualitate ſubamara, viribusque roborantibus et vterinis. Proſtat aqua, ſyrupus et eſſentia. Si *Plinio* credimus, ab *Artemiſia*, Mauſoli, Cariae regis, vxore, quae hanc ſibi adoptauit, nomen accepit. Antea *Parthenis* dicta, hoc eſt, *virginalis*, quia virgo Dea nomen illi dederit. Sunt, qui ab Artemide (id eſt Diana, παρὰ τὸ τὸν ὑγιᾶ τίθεσθαι) Iithyia cognominatam putant, quoniam priuatim medeatur foeminarum malis. Quid impedit, nomen impoſitum eſſe, ἀπὸ τοῦ ἀρτέμους, quod eſt incolumis, vel integer. Hinc artemiſia, quod multas incolumes reddat. Ge. Beyfuß, St. Johannesgürtel. G. *Armoiſe ou herbe de Saint Iean*. A. *Mugwort*. B. *Byvoet*, *St. Ians Gordel*, *St. Ians Kruid*.

ARTERIA, eſt vas cylindricum, elaſticum, in corporibus animalibus: conſtans pluribus tunicis, ſibi inuicem adplicatis, quae ſunt *interna*, quam etiam nonnulli *neruea* vocant, *muſcularis*, *nerueo*, intertextis cellulofis. *Interna* eſt tenuis, pellucida, polita, ſufficienti tamen robore praedita: haec caeuum arteriae determinat, et reliquas tunicas, eorumque vaſa tuetur. *Muſcularis* eſt fortis, craſſa, contractilis, ſequax tamen, in plures lamellas ſeparabilis, fibris conſtans orbicularibus, quae, vbi ſe contrahunt, arteriae capacitatem minuunt. *Neruea*, quae alba eſt, tenuis, expanſilis, aliis *tendinoſa*, vel *nerueo vaſculoſa* dicitur. *Celluloſa* con-

ſtat fibris albicantibus, laxis, ſibi mutuo intertextis. In variis corporis partibus tunicam acceſſoriam acquirunt, vt pleuram in thorace, peritoneum in abdomine. Vas hoc ita conſtructum, omnisque generis vaſis, per tunicas decurrentibus, praeditum, in corpore noſtro viuente, impulſo ſanguine expanſum et viciſſim ſe contrahens, ſicque pulſum faciens, magno trunco ex corde oritur, ſenſimque in minimos ramos diuiditur, quorum plurimi extremitatibus patulis exhalantibus in ſuperficie corporis, vel intra cauitates terminantur, alii in venas deſinunt, vel vaſis lateralibus et ſecernentibus originem praebent; omnes vero ſanguinem ex corde verſus extrema propellunt. Ge. Pulsader. G. *Une artére.* A. *An Artery.* B. *Slagader.* Duae ſunt arteriarum trunci e cordis ventriculis oriundi, ſcilicet arteria *Aorta* et *Pulmonalis.* Vide *Aorta.* Arteria quaſi ἀεροτηρία, ab ἀήρ, aer, et τηρέω, ſeruo, quia vetuſtiſſimi phyſiologi, quoniam poſt mortem vacuae reperiuntur, non ſanguinem, ſed ſpiritum, arteriis ineſſe putabant.

ARTERIA CAROTIS, vide *Carotides.*

ARTERIA COELIACA, vide *Coeliaca Arteria.*

ARTERIA MAGNA, idem quod *Arteria Aorta.*

ARTERIA PVLMONALIS, vide *Vena Arteriosa.*

ARTERIA TRACHEA, vide *Aſpera Arteria.*

ARTERIA VENOSA, veteribus ſic vocata, eſt vena pulmonalis, ſiue illud vas, per quod ſanguis ex pulmonibus in ſiniſtrum cordis ventriculum tranſit. Non eſt vna vena; ſed a ſiniſtra cordis auricula prodit, deinde primo in quatuor, poſtea in innumeros ramos, per pulmones diſtributos, diuiditur; ſiue potius formatur ab infinitis venis, ex ſinibus arteriae pulmonalis ortis, quae ſanguinem ex his acceptum in quatuor magna vaſa, et ex his in ſinum venoſum pulmonalem reuehunt; hinc ſatis improprie quaſi vna vena conſideratur, cum ex ſingulo pulmone duo magna vaſa oriantur, in ſinum venoſum delinentia. Ge. Zurückführende Lungenader. G. *Artère veneuſe, veine du poulmon.* A. *The vein of the lungs.* B. *Long-ader, d'Aderlyke Slagader.*

ARTERIACA, medicamenta ſunt, quibus ad vocis laeſionem et tracheae vitia ſolemus vti. Ab arteria trachea nomen accepiſſe videntur, τὰ τῆς ἀρτηρίας τραχείας φάρμακα, arteriae aſperae medela.

ARTHANITA, vulgo *Cyclamen* et *Panis porcinus*, *vmbilicus terrae*, *Chamaebalanus*, eſt herba, quae habet folia ſubrotunda, ampla, ſingularia in vno pedunculo, qui ex apice tuberoſae radicis oritur; pedunculi floriferi, ſimili ortu, ex

ipſo tuberis corpore, enati. Finis abit in tuberculum, cui adnaſcuntur ſegmenta quinque, folioſa, magna, profunde ſecta, calycem formantia; flos parte inferiori tubuloſus, monopetalus, ſupra diuiſus in quinque amplas, longas, ad ima vſque ſectas partes, quae retroflexae circa pedunculum ſe colligunt, donatur quinque ſtaminibus teſticulos gerentibus tubae arcte appoſitos. Ouarium in fundo calycis ſphaericum, inſtructum tuba longa, donata apice tenui, membranaceum, habens in medio placentam ſuſtinentem multa ſemina, rotunda, diuiſum in aliquot partes, per maturitatem dehiſcentes. Radix tuberoſa, craſſa, orbiculata, carnoſa, externe nigra, interne albicans, ima parte fibrillas dimittens, ſaporis acris eſt, pungitiui, exurentis, vbi exſiccata, ingrati. Creſcit in Italia, Germania, etc. in ſyluis. Obſeruatur, quod ſemen aquae commiſſum, non, vt alia ſemina in plantam, ſed in bulbum prius creſcat, vnde deinde planta demum emergit. Plantae genus ad Pentandr. Monogyn. pertinet, duas comprehendens ſpecies, quarum officinalis eſt *Cyclamen Europaeum* corolla retroflexa *Linn.* Cyclamen hederae folio *Bauh.* Radix interdum in vſum medicum adhibetur. Vires ſunt purgantes, draſticae, emmenagogae, extrene anthelminthicae. Proſtat in officinis Vnguentum de arthanita, quod abdomini illitum, aluum mouet, vermeſque expellit. An ab ἄρτος, panis, quia a porcis videtur amari, an ab αἴρω, tollo, ἀρθὲν, ſublatus, quia verno et autumnali tempore ſe eleuat. Ge. Schweinbrod, Saubrod, Erdwurz. G. *Pain de pourceau.* A. *Sowbread.* B. *Verkens-brood, Zeugen-brood, Aard-brood, Aard appel, Aard-noten.*

ARTERIOTOMIA, eſt arteriarum ſectio artificialis, ad ſanguinem in cephalaea, mania, epilepſia, oculorum auriumque dolore et inflammatione euacuandum. Sectio illa fit in arteriis, quae ſub cutis ſuperficie iacent, et ab oſſe quodam ſuffulciuntur, quemadmodum in fronte, temporibus, vel pone aures. Poſt ligaturas, brachiis, aut collo iniectas, arteria inciditur, vt vena, facta deinde ſanguinis euacuatione, emplaſtrum, cum lamina plumbea, aut igarici portio, vulneri applicatur, et faſciis commodis firmatur. Ex ἀρτηρία, arteria, et τέμνω, feco. Ge. Oefnung einer Pulsader. G. *Arteriotomie, Section d'Artére.* A. *Arteriatomy, Opening of an artery.* B. *Een slag-aders ſnyding, of opening.*

ARTHETICA, idem quod *Arthritica.*

ARTHETICA, ſeu ARTHERETICA, eſt herba chamaeſyties, vel quoque primula veris. Sic dicta, quod articulos iuuet, ab ἄρθρον, membrum. Vide *Ina.*

ARTHRITICA, vide *Arthritis.*

ARTHRITIS, siue MORBVS ARTICVLARIS, circa duos, tres pluresue articulos, siue ossium internodia, suas tragoedias exercet. Estque dolor circa articulos tensiuus, dilacerans, coarctans, vere et autumno maxime reuertens, leniter incipiens, sensim magis increscens, interdum non multum auctus ad adactum, colorem et magnitudinem partis in principio vix mutans, ortus ab obstructione in vasis minimis circa has partes, vnde nerui, tendines, ligamenta, periostea corrugantur, et miserrime cruciantur, atque tumor, rubedo, tophi, aliaque symptomata concomitantia oriuntur. Videtur venenum arthriticum esse acrimonia quaedam, quae simul terram calcaream, quae ossium compositionem ingreditur, dissoluit, quae sic intra cauum articuli sensim colligitur, ibique tophos gypseos inducit. Est quadruplex: *Chiragra* in manibus; *Ischias* in, aut circa os ilium; *Gonagra* in genubus; et *Podagra* in pedibus: habet et alia varia nomina pro parte affecta, vt *dentagra*, *omagra*, *rachisagna*, *pechyagra*, etc. Aliquando etiam partes quasdam internas occupat, sed tunc vocatur anomala, vel retrocedens. Vox *arthritis* deriuatur ab ἄρθρον, articulus. Vnde *arthritica medicamenta*, quae arthriticis doloribus subueniunt. Germ. Zipperlein, Gicht, Gliedersucht. G. *La Goutte.* A. *The Gout.* B. *Het flerecyn*, *de pootjes*, *voeteuvel*, *ledenzuge*, *leden krankheid*, *jigt*, *gigt.*

ARTHRITIS PLANETICA, idem quod *Arthritis vaga*, a πλανάω, vagor.

ARTHRITIS VAGA, est morbus articularis, quo dolor vehemens cum tumore et rigore nunc in vno membro est, nunc in altero: *Vaga* dicitur *arthritis*, ex eo, quod constanter vno loco non contineatur, vt *arthritis fixa*, sed nunc in hac, nunc in illa parte sentiatur. Ge. Fliegende Gicht, laufende Gicht. G. *Goutte volante.* A. *Wandering gout*, *Flying gout.* B. *Vliegende ligt*, *ongedurige Gigt.*

ARTHRODIA, est ossium articulatio, cum caput ossis cauitati minus profundae, seu glenoideae iungitur, vnde motus maxime expeditur in quamuis directionem: vti articulatur scapula cum humero: ab ἄρθρον, articulus. Ge. Eine platte Knochenfügung. G. *Articulation.* A. *Coarticulation.* B. *Een t'samenwrigting der beenderen.*

ARTHRON, Graecis etiam μέλος, est articulus, seu duorum, vel plurium ossium connexio, motibus obeundis accommodata. Ge. Gelenke. G. *Articulation.* A. *Ioinring.* B. *Een Lid*, *Gewrigt.* Vide *Articulatio.*

ARTHROSIS, idem quod *Articulatio.*

ARTICOCA et ARTICOCALVS, est *Cinara*, ex ἄρτιος forte perfectum et κόκκαλος, nucleus pineae nucis: quod cinarae fructus pineo fructui similis sit. Ge. Welsche Gartendistel, Artischocken. G. *Artichauts.* A. *Artichok.* B. *Artischokken*, *Pyn-distel.* Dicitur etiam *Strobulus*, *cinara*, *cocalus*, et *scolymus.* Vide *Cinara.*

ARTICVLARIS MORBVS, vide *Arthritis.*

ARTICVLATIO, est coniunctio ossium, ad motum peragendum. Estque duplex, *Diarthrosis*, siue *Articulatio laxior*, ad quam pertinent *enarthrosis*, *arthrodia* et *ginglymus:* et *Synarthrosis*, siue *Articulatio strictior*, cuius species sunt *sutura*, *harmonia*, et *gomphosis.* Gr. ἄρθρωσις. Ge. Gelenk. G. *Articulation.* A. *Articulation or Ioinring.* B. *Gewrigt*, *Zamenvoeging der Leden.*

ARTICVLI, sunt plantarum partes, quae in nodos quosdam intumescunt, a quibus persaepe ramuli prodeunt. Ge. Glieder, Knöpfe an den Pflanzen. G. *Noeuds*, *Boutons.* A. *Knuckles or joints.* B. *Knoopen*, *leden.* Sic *articulata* dicuntur *folia*, dum folium ex apice folii excrescit. *Articulatae siliquae*, geniculis coarctatis interceptae.

ARTICVLI, etiam dicuntur digitorum internodia, σπυρίδες, Galeno, φάλαγγες, Aristotele — Conf. *Arthron.*

ARTOMELI, est cataplasmatis species, quod ex pane et melle paratur, ex ἄρτος, panis, et μέλι, mel. Ge. Ein Umschlag von Honig und Brod. G. *Cataplasme composé de miel et de pain.* A. *Cataplasme made of honey and bread.* B. *Eene gehonigde Brood pap.*

ARTOPTICIVS PANIS, hoc est tostus, ex ἄρτος, panis, et ὀπτάω, id est torreo.

ARTVS, sunt membra, ventribus adnata et articulis distincta, seu extremitates superiores et inferiores trunco adnexae.

ARVM; character huius plantae idem fere, qui Colocasiae: vide *Arisarum* (Gynandr. Polyandr.); habet vero Arum folia oblonga, ampla, triangularia, aurita et sagittata, splendentia, adnata pedunculo affixo in postremo foliorum; flos anomalus est monopetalus, auris asininae instar. In medio eminet pistillum, ad basin plurimis embryonibus stipatum, qui singuli abeunt in baccam globosam, vno vel altero semine rotundo foetam. Radix rotunda, rota alba, nucis avellanae magnitudinis, dum recens est, saporis acris, et adhuc causticа est, vt masticata fauces magis, quam piper, adu-

rat, ſitimque vix delebilem excitet. Species officinalis eſt *Arum maculatum* acaule, foliis haſtatis integerrimis, ſpadice clauato *Linn.* Arum vulgare maculatum et non maculatum *Bauh.* Foecula radicis in vſu eſt, quae ob vires incidentes contra morbos a viſciditate humorum oriundos adhibetur. De Ari etymo haec *Lobelius*, quin, ſi e Graeco non ſit ἄρον ἱερὸν, quaſi ſacrum, vt in iride factum: plebecula, quae *Barbam Aaronis* vocitat, videtur agnoſcere, ex palaeſtino vernaculo, et ornamento Aaronis pontificis. Ge. Papen pint, id eſt, *penem ſacerdotis*, vocant, quod piſtillum promit exacti fere genitalis effigie. It. Deutſcher Ingwer, Zehrwurz. G. *Pied de Veau.* A. *Cuckow pint* B. *Kalfs-voet*, *duitſche Gember*, idque ob acrimoniam.

ARVNDO, ſeu HARVNDO, genus plantarum eſt, quod tantum a gramine differt ratione caulis et foliorum; (*Triandr. Digyn.*). Calyx biualuis, floſculi congeſti, lana cincti: habet caulem altum, nodoſum, et excauatum; folia longa, ſatis lata, rigida, aliquantulum aſpera; flores exiguos molles, in initio coloris purpurei, poſtea cineritii; ſemina pappoſa; radices multas, longas, nodoſas, ſerpentes. Haec planta creſcit in paludibus. Dantur variae arundinis ſpecies. Forte denominatur, quod ad vndas ſeu aquas fluctuantes, creſcat. Gr Κάλαμος. Ge. Rohr. Schilfrohr. G. *Canne*, *Roſeau.* A. *A Reed*, *Cane.* B. *Riet*, *Dekriet.* Vide *Saccharum.*

ARYTAENOIDES, ſeu GVTTALES, et GVTTVRNI. FORMES, ſunt cartilagines duae, quae laryngis caput, vna cum cartilaginibus thyroidea et cricoidea conſtituunt, et in ſuperiori parte a ſe inuicem diducuntur, vnde rima, *Glottis* dicta, apparet. Sumitur quoque pro muſculis quibuſdam rimam glottidis dilatantibus, vel conſtringentibus. Ab ἀρόω, haurio, ἀνοίγω, aperio, et εἶδος, forma. Ge Die Gießkannenförmigen Knorpel. G. *Cartilages Aritenoides.* B. *Spleet-makende kraken-beenen*, *Tregters wyſe krakebeenen of ſpieren.*

ARRHYTHMVS, ſeu CACORHYTHMVS, eſt pulſus ſine modulo, ſeu ordine, ex α priv. et ῥυθμὸς, modulus: proprie notat pulſum, qui nullum rhythmum, ordinem, aut proportionem obſeruat, non vero plane abolitum pulſum, cui opponitur *Eurhythmus*, rhythmum certum obſeruans Arrhythmi ſpecies obſeruantur tres a *Galeno*: *Pararrhythmus*, quando vicinae aetatis rhythmum obſeruat: *Heterorrhythmus*, qui plane alterius aetatis ordinem ſeruat: *Ecrhythmus*, qui nullius aetatis rhythmum ſeruat. Ge. Ein unordentlicher Puls.

G. *Le poulx irregulier.* A. *Irregular pulſe.* B. *Een Pols zonder order*, *ongeregelde Pols.* Vide *Cacorhythmus.*

AS, ſiue ASSIS, vt ex *Varrone* et *Plinio* colligi poteſt, ab aere dicta. *Balbus* ad *Celſum* de aſſe eiuſque partibus, quicquid vnum eſt, et quod ex integrorum diuiſione remanet, aſſem rationatorem vocari ſcribit. Apud nos idem denotat, ac pondo, ſeu vnciarum duodecim libra. Quidam pro duabus drachmis ſumunt. Alii inde diminutiuum *Aſſarium* deriuant, quod duas drachmas valet.

ASA DVLCIS, idem quod *Benzoin.*

ASA FOETIDA, eſt gummi, ex cuius plantae radice *Aſſa*, ſiue *Aſa*, exprimitur. Magna quantitate creſcit in imperio Perſico. Eſtque duorum generum, prima ſarmentoſa eſt, ferme vt ſalix aquatica, ex cuius foliis et ſtolonibus inciſis *Aſſa foetida* exprimitur, quae, vt reliqui ſucci, ſole indurata in conſiſtentiam euadit, qualis eſt ſagapeni. Secunda ſpecies longe foecundior eſt, eſtque ſuccus expreſſus ex radicibus huius plantae, quae craſſiſſimos raphanos referunt, folia autem tithymali foliis ſimilia; cuius radicis exſiccatae odor totas aedes implet. Putant quoque, eſſe ſuccum, ſiue lachrymam *Laſeris*, ſiue *Sylphii*, in Media, Libya ac Syria creſcentis. Grauem naribus ſpirat odorem, quem vulgus nominat foetidum, inſtar allii. Secundum *Kaempferum Hingiſch* aſam fundens eſt planta vmbellifera Leuiſtico affinis, foliis inſtar Poeoniae ramoſis, caule pleno maximo, ſemine foliaceo, nudo, ſolitario, brancae vrſinae, vel paſtinacae, ſimili, radice aſam foetidam fundente, ſeu *Ferula aſa foetida*, foliis alternatim ſinuatis obtuſis *Linn.* (Pentandr. Digyn.). Patria eius ſola eſt Perſia, non Media, Libya, Syria, aut Cyrenaica regio, vnde ex hoc capite facta ſucci apud autores diſtinctio eſt inanis. Aſa foetida nulla ex caulibus vel ſponte fluit, vel arte exprimitur, ſed ex radice manat ſauciata. Haec autem radix mirae eſt longaeuitatis, magna, ponderoſa, nuda, exteriori vultu nigra, in ſolo limoſo laeuis, in ſabuloſo ſcabra ac quadantenus rugoſa, vt plurimum paſtinacae inſtar ſimplex, ſaepe paulo a capite duabus, vel pluribus diuaricationibus brachiata, aliis perpendiculariter demiſſis, aliis incondite et in obliquum extenſis, prout ab obiectis flectuntur. Radix haec quadriennio minor parum lacteſcit, et nunquam ſecatur; quo autem vetuſtior et maior eſt, eo maiorem impertitur lacrymae copiam. Exemta tellure, ſi vel poſtridie ſecatur, lacte tamen ſtillabit, adeo nimirum ſucco diffluit, a quo inſolens pondus obtinet. Succus ex vtriculis ſuis recens emanans candidiſ-

simus, liquidus et pinguis est, flori lactis dulcis exacte simillimus, adeoque omnis exsors lentoris, ad aëris vero solisue contactu colorem subfuscum induit, et coalescens lentorem quoque. Foetor, virtutis index, quo maior est, eo meliorem asam testatur. At ille in recenti lacryma vehementissimus est, cum eo, quem concreta et antiquior redolet, qualem Europa recipit, nullatenus comparandus. Affirmare ausim, inquit *Kaempferus*, vnam drachmam recens effusam maiorem spargere foetorem, quam centum libras vetustioris, quem siccum venundant aromatarii nostrates, succi. Persici Medici ob delicatum nationis genium ab vsu eius fere abstinent, rusticis saltem in colicis torminibus et hydrope praesertim tympanitide curanda vsus innotuit. Apud nostrates, ob vires anthelminthicas et antihystericas, interdum adhibetur, et inprimis vt antispasmodicum vtilissimum laudatur. Vulnera ex imposito recenti succo coalescere dicuntur ad miraculum etc. Dicitur et *Laser*. It. *Stercus Diaboli*. Gr. Ὀπὸς Μηδικὸς, Κυρναϊκὸς, Συριακὸς. Ge. Teufelsdreck, stinkende Asa. G. et A. *Assa fetida*. B. *Duyvels-drek*. *Laser medicum* quibusdam, seu *foetidum*. Arab. *Alit*. Indis *Hin*.

ASAPHATVM, est *Impetigo*. Vide *Saphatum*.

ASAPHIA, est vocis obscuritas, ex laxa, aut mala, organorum constitutione, aut contemperatione, ex α priv. et σαφὴς, manifestus.

ASARVM, est planta officinalis, satis humilis, quae habet folia reniformia, polita, tenera, coloris viridis splendentis, caulibus satis longis adhaerentia; finis pedunculi porrigitur in ouarium, cuius superior pars excurrit in calycem trifidum profunde sectum, ex centro apicis ouarii erigitur tuba crassa, cylindrica, desinens in sex recuruos bisectos apices. Ex ambitu imae tubae accreta circumponuntur eleganti ordine stamina duodecim, instructa testiculis, foecundantibus tubam dictam, patentem vsque in caua ouarii, quod hexagonum diuiditur in sex loculos distinctos, in quibus semina haerent; (Dodecandr. monogyn.). Corolla nulla; capsula coriacea, coronata. Radix perennis, fibrosa, parua, repens, angulosa, nodosa, incuruata, filamentosa, ex fusco rubescens, odoris fortis et grati, saporis acris, nauseosi, et aliquantulum amari cum aliqua adstrictione. Crescit in montibus, vt et in hortis. Species officinalis est: *Asarum Europaeum* foliis reniformibus, obtusis, binis *Linn.* Ob qualitatem amaro-acrem et nauseosam gaudet virtute emetica, hocque fine interdum infusum foliorum adhibetur. Sic dictum volunt, quod in ornatum non veniat, nec in coronas et ad serta addatur. Ex α priv. et σαίρειν, mundare, ornare, vertere. Dicitur et *Nardus sylvestris*, quia radicis odor ad nardum accedit. Germ. Haselwurz, quia circa corylos succrescit. G. *Cabaret*, *Oreille d'Homme*, *Nard sauvage*, *Oreillette*, *Rondelle*, *Girard Roussin*. A. *Asarabacca*. B. *Haselwortel*, *Asarwortel*.

ASBESTVS, vide *Amianthus*.

ASCARIS, seu ASCARIDES, sunt exigui rotundi vermes, ad vermes intestina *Linn.* pertinentes, quorum corpus teres, filiforme, continuum, vtraque extremitate attenuatum est, et qui in intestino recto plerumque hospitantur cui titillationem et molestiam inferunt, atque cum excrementis saepe satis copiose exeunt. Habitat vero etiam in intestinis humanis alia Ascaridum species, quae spithamae fere longitudinem habet, *Ascaris lumbricoides Linn.* A lumbrico terrestri, cum quo magnitudine conuenit, differt defectu annuli eleuati, quo corpus eius cingitur. Corpus habet teres, vtraque extremitate subulatum, cauda tamen subtriquetra. Ab ἀσκέω, moueo, exerceo, quia suo motu molestant. Ge. Würmer, Maden, kleine Bauchwürmer. G. *Ascarides*, *petits vers*. A. *Ascarides*, *little Worms*. B. *Aars-maden*, *Aars-wormejes*.

ASCENDENS, Botanicis dicitur truncus plantarum arcuatim sursum versus.

ASCENSVS, si de morbo dicitur, idem denotat, quam *augmentum*: in chemicis destillatio per *ascensum*, siue sublimationem, opponitur ei, quae per descensum fit.

ASCIA, ad vinculi et deligationis species refertur, quae parum a recto declinat, in obliquum tamen nondum vergit insigniter. Est i. q. fascia spiralis, s. Dolabra. Vide *Fascia Spiralis*, s. *Dolabra*.

ASCITICVS, qui hydrope ascite laborat.

ASCITES, est hydrops, siue collectio lymphae effusae, in cauo abdominis inter peritonaeum et viscera abdominis. Oritur inde abdominis tumor, et lymphae huius ad diuersam corporis inclinationem fluctuatio, quo distinguitur ab *anasarca*, et ab hydrope cystico, vbi nulla, vel obscura, est fluctuatio. Ab ἀσκὸς, vter, quia vtris in modum venter distenditur. Ge. Die Wassersucht, Bauchwassersucht. G. *Ascite*, *Hydropisie Ascite*. A. *A Species of Dropsy so called*. B. *De waterzugt*, *buikwater*.

ASCLEPIAS, est plantae genus ab apocyno parum differens (Pentandr. Digyn.). Species eius quae *Hirundinaria*, vel *Vincetoxicum*, dicitur, habet caules rotundos, flexiles,

ſaepe parte ſuperiori plantas vicinas ambientes; folia coniugata, bina, caulium nodis aduerſa, oblonga, polita, ampla, acuta; flores monopetalos, ad ſuperiora diuiſos, ita vt fraenulum pentapetalum referant, coloris albi, odoris grati. Poſt florem ſuccedit fructus, duabus ſiliquis membranaceis conſtans, oblongus, acutus, per maturitatem dehiſcens iuxta longitudinem, continens ſemina plura, pappoſa, lanugine criſtata, et multiplici ſerie imbricatim ſibi inuicem incumbentia, coloris rubicundi, vel rufi. Radix tenuis, fibroſa, albicans, odoris grauiuſculi, penetrantis, ſaporis in principio dulcis, poſtea acris, amaricantis, aliquantulum nauſeoſi; dat ſuccum lacteo virideſcentem. Haec planta creſcit in montibus et ſyluis. Species haec officinalis eſt *Aſclepias Vincetoxicum* foliis ouatis baſi barbatis, caule erecto, vmbellis proliferis *Linn.* Aſclepias flore albo *Bauh.* Ob virtutem pellentem, diureticam et emmenagogam varias compoſitiones ingreditur. Sunt, qui ei vires alexipharmacas tribuunt et contrayeruam Germanorum vocant. Ab *Aeſculapio*, vel potius *Aſclepiade*, nomen accepiſſe videtur. De Aſclepiade gigantea, ſeu Apocyno Syriaco, ſupra dictum eſt. Vide *Apocynum.* Ge. Schwalbenwurz. G. *l'Aſclepias*, *Dompte venin.* A. *Swallow-wort.* B. *Zwaluwe-wortel.*

ASCYRVM, eſt plantae genus maxime cum *Hyperico* conueniens, a quo tamen capſula ſeminali quinqueloculari differt; nomen ſignificat durum foenum, vnde Ge. Hartheu. Belg. *Herts-hoy:* Gr. a contrario ei nomen impoſuiſſe videntur, σκέρος enim illis aſperitatem ſignificat, quaſi planta non aſpera ſiue glabra, quia vi emolliendi pollet. G. *Aſciron.* A. *St. Peters wort.*

ASEF, idem quod *Hydroa.*

ASELLI, vide *Millepedes.*

ASELLVS PISCIS, dictus a colore aſini. Ge. Stockfiſch.

ASEMA, Gr. Ἄσημα: in genere ſignificant obſcura et praeter ſpem ac ordinem conſuetum euenientia. Sic *criſis aſema* (κρίσις ἄσημος) vocatur, quae extra diem criticum et ſine ordinariis praegreſſis ſignis accidit, morbi praeter ſpem mutatio. Ex α priv. et σῆμα, ſ. σημεῖον, ſignum.

ASITIA, ſiue ANOREXIA et APOSITIA, eſt alimentorum abhorrens faſtidium. Ex α priv. et σῖτος, alimentum, frumentum. Ge. Der Eckel für dem Eſſen. G. *Degout.* A. *A Loathing, or Nauſeousneſs.* B. *Een walg van eten, onluſt tot eten.*

ASODES, vide *Aſſodes.*

ASPALATHVM LIGNVM, huius plantae eſt florum magna

ſuauitas, ſuntque multi et parui: ipſa planta frutex eſt denſis ramis, ſpinis albis, duris, horridis, cortice caudicis albo, ad trium cubitorum et maiorem altitudinem in altum aſſurgens. Verum medici, qui ante nos fuerunt, Aſpalathum neſcientes, *citrinum* ſubſtituerunt *ſantalum*, vel *meum.* Dictum παρὰ τὸ μὴ ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν πληγέντων ἀποσπᾶσθαι, ἤγουν ἀφαιρεῖσθαι, quod non facile euelli, ſiue eximi, queat e corpore eorum, qui in eam impegerunt; eſt enim frutex multis ſpinis horrens. *Plautus* ait, Tyrannos aſpalathi ſpinis apud inferos laniari. *Theocriti Schol.* eſſe ſpinae genus ait venenatae. Ἀποσπάω enim eſt auello, abſtraho. Neque tamen ſatis liquet, quid *Aſpalathi* ſub nomine, *Dioſcorides*, *Plinius*, aut *Galenus*, intellexerint. Hodie denotat genus plantarum (Diadelph. Decandr.) cuius calyx quinquefidus, lacinia ſuperiore maiore; legumen ouatum, muticum, ſubdiſpermum. Species eſt *Aſpalathus ebenus* foliis aggregatis obouato-oblongis, ſubtus tomentoſis, pedunculis biſloris, leguminibus bilobis diſpermis, *Linn.* cuius ligno lignum agallochum ſaepe adulteratur, licet tamen hoc longe plus quam illud, partium reſinoſarum contineat. Ge. Rhodisholz. G. *Aſpalat.* B. *Wilde Galigaan.* Vide *Rhodium.*

ASPARAGVS et ASPARAGOS, eſt plantae genus, (Hexandr. Monogyn.) cuius character eſt corolla ſexpartita, erecta, petalis tribus interioribus apice reflexis; bacca trilocularis, diſperma. Species, quae in officinis et culinis adhibetur, eſt *Aſparagus officinalis* caule herbaceo tereti, erecto, foliis ſetaceis, ſtipulis paribus *Linn.* Haec habet caules craſſos, rotundos, firmos, rectos, foliis carentes in initio, primum virides, deinde albos, edules: folia deinde, vbi creſcit, fert tenuiſſima, proxima foeniculi foliis; flores roſaceos, hexapetalos, nudos, ſex ſtaminibus praeditos, campanulam oblongam referentes. Ouarium natum ex placentula haerente in pedunculi apice intra florem, fit bacca rotunda, mollis, rubra, includens ſemina dura, orbicularia, corneae duritiei, ſaporis ſubacris, ſubdulcis, odoris nullius. Radix numeroſa, longa, parua, ſpongioſa, rotunda, ex vno capite inaequali in plures fibras ſeſe diffundens, externe coloris griſei, interne albi, ſaporis ſubdulcis ſubacris, odoris nullivs, vrinas valde inficiens. Haec inter quinque aperientes recenſetur. Ἀσπάραγος in genere Graecis eſt, quod primum in lucem prodit oleris germen, priuſquam in folia explicetur, ſiue recentiſſimus turio, qui edendus eſt, vt lactucae, lupuli, betae: omnia etiam germina et recentes cauliculi τῶν θάμνων aſparagi dicuntur. Non improbabile videtur, ne-

men ipsi esse datum παρὰ τὸ ἀσπάζεσθαι καὶ ἀσπάσασθαι, quod contrectantes ac salutantes manus findat, spinisque suis laedat, vel a Graeco σπαράττειν, trahere, distrahere, et α priv. quoniam turiones primum prodeuntes nondum distracti sunt in folia tenuissima, quae deinde enascuntur. Extrita priori litera *Sparagus* vocatur. Ge. Spargel. G. *Asperges.* A. *Sperage, or Sparages, corrupte Sparrowgrass.* B. *Aspergies, Spargies, Koral kruid.*

ASPERA ARTERIA, seu TRACHEA, est fistula oblonga ex annulis imperfectis cartilagineis et membranis constans, quae a gutture, siue faucium imo incipiens, gulaeque anterius in umbens, ad quartam, vel quintam, thoracis vertebram in duos ramos diuisa, inque pulmones descendens, per totam eorum substantiam ramificatione multiplici dispergitur. Superior pars *Larynx*, bifurcatio vero *Bronchus* appellatur: quibus et tertia siue extrema, a *Malpighio Vesicularis* dicta, additur. Inseruit aeri ad vocem et respirationem admittendo et emittendo. Asperam vocarunt arteriam, quoniam cartilaginibus intertextis aliquantum riget, et sic ad tactum resistit, secus ac id in aliis corporis arteriis fieri obseruabant veteres, quas etiam aerem continere putabant. Ge. Die Luftröhre. G. *L'Aspre ou Trachée artére.* A. *The Windpipe.* B. *De Longe-pyp, de gorgel-pyp, lugtader.*

ASPERELLA, idem quod *Asprella.*

ASPERVGO est *Linnaeo* planta gymnotetrasperma asperifolia, (Pentandr. Monogyn.) flore monopetalo regulari semiquinquefido, cuius fructus est compressus, lamellis planoparallelis, sinuatis. Ge. Scharffraut, Kleber, groß Kleberfraut. G. *Rapette.* A. *German Madwort, Great Goose Grass, wild Bugloss.*

ASPERGVLA, vel ASPERVLA, est planta folia habens, ex caule stellatim numero sex, vel septem, prodeuntia; flores monopetali infundibuliformes (Tetrandr. Monogyn.) in summitate caulis crescunt, in quatuor partes inciſi, coloris albi; iis succedit fructus, qui continet parua duo semina, agglutinata, quae sunt fere rotunda, in medio excauata: radix parua, fibrosa, in terra repens. Habet haec planta odorem valde gratum; hinc vocatur etiam *Culcitra virginis.* Asperula dicta est, quod ob asperitatem praetereuntium vestibus adhaereat. Species officinalis est *Asperula odorata* foliis octonis lanceolatis, florum fasciculis pedunculatis *Linn.* Matrisylua *Pharm.* Crescit in syluis Europae vmbrosis. Gaudet viribus diureticis et exanthematicis. G. Waldmeister, Sternleberkraut. G. *Asperule.* A. *Woodroof.* B. *Steenkruid, Kleef-kruid.* Vide *Matrisylua.*

ASPERSIO est applicatio humoris, vel pulueris cuiusdam medicati; sed parua copia simul, vel superficialiter.

ASPERVM dicitur, si particulae in superficie alicuius corporis ita locantur, vt aliae cum rigiditate emineant, aliae deprimantur.

ASPHALATVS, vide *Aspalathum* et *Rhodium.*

ASPHALITES est quinta vertebra lumbaris.

ASPHALTOS, ASPHALTIVM, et ASPHALTVM, bitumen solidum coagulatum *Waller.* Pix montana, dura, fragilis, nitida *Woltersd. Bitumen Asphaltum* friabile atrum *Linn.* Est bitumen solidum, fragile, nigrum, resplendens, quod supernatare primum aquis conspicitur, seu lacubus, hinc ad littora propulsum solis ardore, ignis vi, vel et temporis mora excoctum concrescit, densatur, tenacissimumque redditur et splendens: aegre fusile est ad ignem, miscibile ad pinguitudinem olei affusi, et inflammabile, odoris ingrati. Praefertur reliquis *Iudaicum bitumen*, quod mortui maris (Ἀσφαλτῖτις propterea dicti) genitura. Praestat, quod purpurae modo splendet (scil. in nigrore) estque ponderosum, et validum odorem habet; nigrum autem et sordidum vitiosum est, et vocatur *Pissasphaltum*, s. quasi Asphaltum piceum. Nomen παρὰ τὸ σφάλλεσθαι, quamuis ab Asphaltitide lacu, vbi plurimum colligitur, deriuari possit. — Orientales id vocarunt Mum, Mumia, et eo ad condienda cadauera vtebantur. Apud Persas hodie celebris est Mumia, quae nihil aliud est, quam aliqua species olei petrae, sed vbi condensatur, nigrescit instar asphalti. Vide *Mumia.* Asphaltum quoque hodie in quibusdam Heluetiae regionibus et Galliae reperitur. Adhibetur in emplastris et vnguentis digestiuis, et ad Balsama tingenda. Ingreditur quoque Theriacam. Ge. Erdhartz, Judenpech. G. *Bitume Iudaique, Karabé de Sodome.* A. *Iews pitch.* B. *Ioden-lym.* — *Asphalti* nomen imponitur quoque *Trifolio* sic dicto *bituminoso*, quod bitumen oleat. Est *Psoralea bituminosa Linn.*

ASPHARAGOS, idem quod *Asparagus:* sed loco σ Attice scribitur cum φ.

ASPHENDAMNOS et SPHENDAMNOS, est Acer montanus, forte a Σφενδόνη, funda. Ex acere fiunt arcus, et quia vna vox saepe pro altera sumitur, arcus fortasse pro funda sumtus.

ASPHODELVS, est plantae genus flore liliaceo monopetalo (Hexandr. Monogyn.), quod habet corollam sexpartitam, nectarium ex valuulis sex germen tegentibus; florem in basin vsque fere diuisum, nudum, stellatum, ouarium

complectentem inſtar calicis; ouarii apex emittit ſex ſtamina, et tubam longam ex centro, ac fit deinde fructus obtotundus, carnoſus, triangularis, in tria loculamenta, in quibus ſemina triquetra reconduntur, diuiſus. Radix multis tuberibus, ab vno corpore pendulis, conſtat: ſaporis eſt amari et penetrantis. Species officinalis eſt: *Aſphodelus ramoſus* caule nudo, foliis enſiformibus, carinatis, laeuibus *Linn.* Aſphodelus albus ramoſus mas *Bauh.* Creſcit in collibus Hiſpaniae, Luſitaniae, Narbonae. Viribus diureticis, emmenagogis et maturantibus pollere creditur. Dictam volunt, quaſi σπόδελον διὰ τὴν τῶν καιομένων νεκρῶν σποδὸν, *a mortuorum combuſtorum cinere.* Etenim in tumulis Veteres Aſphodelum ſerebant, ne deeſſet cibus mortuis, vti *Porphyrius* in quodam Epigrammate ſcriptum reliquit, vbi tumulum his verbis introducit: Νώτῳ μὲν μαλάχην τε καὶ ἀσφόδελον πολυῤῥίζον, κόλπῳ δὲ τὸν δεῖνα ἔχω. *Foris quidem Maluam Aſphodelumque habeo, intus vero mortuum claudo.* Germ. Goldwurz. Ga. *Aſphodéle.* A. *Aſphodel, Affodill, Kings-ſpear.* B. *Affodille.*

Asphyxia, eſt pulſus ſenſibiliter deficiens, ſiue potius pulſus priuatio, vel defectio, cum non percipitur noſtro tactui motus, atque hoc in omni parte, ita vt quoad noſtros ſenſus nulla vſquam arteria moueri videatur. Sumitur etiam pro *Lipothymia* et *Syncope*, ſed in ſummo gradu, vbi omnia ſigna vitae deleta quoad ſenſum, mortis imaginem ſimulant. Ex *a* priv. et φύζω, ſalio, pulſo. Talis eſt Aſphyxia ſubmerſorum, a fumis, ſuſpenſorum, a muſto, congelatorum, cataleptica, a pathemate, hyſterica, a mephitide, ſideratorum, foricariorum, etc. Ge. Eine tödtliche Ohnmacht. G. *Le pouls manquant.* A. *A Pulſe that is ſenſibly decayed, or not feeld.* B. *Een ongevoelige pols, een pols die allenskens vermindert.*

Aspis, eſt ſerpens ad genus Colubri pertinens (Amphib. ſerpent.) *Coluber aſpis*, rufus maculis dorſalibus fuſcis, alternis, confluentibus in vittam. *Linn.* Habitat in Gallia et Germania. Similis colubro Cherſeae, colore ferrugineo, ſed maior, eiuſque morſus minus noxius putatur. Dicitur ab *a* priv. et σπίζω, ſibilo, quia non ſibilat. Ge. Otter. G. *Aſpic.*

Aspidion, eſt clypeus parvus; ἀσπὶς enim eſt clypeus. Sic vocatur *Alyſſon Dioſcoridis*, quia ſiliquas habet rotundas et paruas inſtar clypei parui.

Asplenivm; hoc nomine plantarum genus denotatur, (Cryptogam. filic.) quarum character eſt: Fructificatio in lineolis diſci frondis ſparſis. Plura habet genera ſecundaria, quorum ſpecies officinales ſunt: 1) *Aſplenium Scolopendrium* frondibus ſimplicibus cordato-lingulatis, integerrimis, ſtipitibus hirſutis *Linn.* Lingua Ceruina officinarum *Bauh.* Ge. Hirſchzunge. G. *Langue de Cerf.* A. *Herts-tongue.* 2) *Aſplenium ceterach* frondibus pinnatifidis: lobis alternis confluentibus obtuſis *Linn.* Ceterach officinarum *Bauh.* Hoc eſt verum *aſplenium officinarum.* G. Milzkraut. G. *Ceterac.* A. *Miltwaſt, Spleenwort.* B. *Miltkruid, Steenuaren.* V. quoque *Splenion.* 3) *Aſplenium trichomanes* frondibus pinnatis: pinnis ſubrotundis crenatis *Linn.* Trichomanes officinarum *Bauh.* Ge. Wiederſtoß, Steinbrech, güldner Wiederthon. G. *Capillaire ordinaire.* A. *Maidenhair.* 4) *Aſplenium ruta muraria* frondibus alternatim decompoſitis: foliolis cuneiformibus crenulatis *Linn.* Ruta muraria *Bauh.* Ge. Mauerraute, Steinraute. A. *White Maidenhair.* Sunt plantae epiphylloſpermae, quae ſcilicet absque viſibili floreſcentia ſemen in dorſo foliorum gerunt, in quibus microſcopii ope apparent capſulae membranoſae ſibi inuicem incumbentes, ſingulae inſtructae funiculo rotundo, elaſtico, qui conſtrictione ſua hunc fructum in duas partes aperiens, ſemina quaedam minima fundit. Radix eſt fibroſa. Creſcunt hae plantae in locis ſaxoſis, vt in muris, praeſertim in Heluetia, Gallia, Italia: ita dicuntur, veluti *adſplenem*, vel, vt alii malunt, quod minuant lienem tumidum et obſtructum. Omnes hae ſpecies gaudent qualitate exſiccante, tonica et roborante, et plerumque in infuſis adhibentur. Aſplenium Scolopendrium praecipue celebres ſpecies pro infuſo Heluetorum, quod ſub nomine *Falltran*, vel *Falltranck* (quod prodeſt in caſu ab alto) cognitum eſt, ingreditur.

Asprella, eſt *Equiſetum maius*, ſic ob aſperitatem dictum; ea enim ciſtae et ſcrinia poliuntur. Ge. Schaftheu, Zinnkraut, Schachtelhalm, Kannenkraut. B. *Polyſtbienen.*

Assa dvlcis, idem quod *Benzoin.*

Assa foetida, vide *Aſa foetida.*

Assarivs, eſt Veterum pondus, continens drachmas duas. Vide *As.*

Assatio, ab assare, eſt quaedam coctio ſicca per ignem, vt Rhabarbari toſtio, Scillae in fornace coctio. Ge. Röſtung. G. *Aſſation, torrefaction.* A. *A Roaſting.* B. *Brading.*

Assimilatio, eſt nutrimentorum aſſumtorum concoctio, attenuatio, cum liquoribus animalibus ſubactio in formam nutriendo corpori aptam.

Assivs lapis, apud *Corn. Celſum*, aliosque veteres, ſaepe memoratus, nomen habet ab Aſſo, Troadis vrbe. Eſt

tophaceus et friabilis, vim habens carnes laxiores et fungosas sine morsu colliquandi. Hinc vocatur etiam *Sarcophagus*, quasi carniuorus. Legitur, veteres inde parasse sarcophagos, id est cistas, quibus mortua corpora includerent, quae intra quadraginta dies vsque ad ossa duriora consumebantur. Ad calcareos lapides, aut vitrioli mineras pertinere videtur.

ASSODES, est febris continua, in qua exteriora moderate calida sunt, intus vero ardor adest, sitis insatiabilis, perpetua corporis iactatio, vigiliae, delirium, et tantum fastidium, vt inde fiat nausea, et vomitus. Ab ἀσάομαι, sicco, exaresco, et εἶδος, forma. Ge. **Ein hitziges Brechfieber.** Ga. *Fievre assode.* A. *Ardent or burning feuer.* B. *Een walgkoorts, een heet-koude koorts.*

ASTACVS, vide *Cancrorum oculi.*

ASTAPHIS, Atticis, vel STAPHIS, est vua solem passa; σταφυλὴ enim est vua.

ASTER, s. ASTER ATTICVS, est planta, quae habet caules rectos, tenues, rotundos, duros, parum villosos, coloris rubri; folia oblonga, villosa, aspera, saporis parum amari et aromatici; ex summitate caulium oriuntur ramusculi, ex quibus flores radiatim dispositi nascuntur, pulchri, visui grati, instar Bellidis dispositi, coloris caerulei, violacei, purpurei, aliquando albi. Flori succedunt semina oblonga, cristata; radix est tenuis, fibrosa, acris, amara, aromatica parum: Gr. ἀστὴρ, stella, quia flores eius stellae in modum explicantur, vel, vt alii scribunt, quoniam eius capitula, in quibus flores Chamaemeli instar emicant, per ambitum diuisa follolis, stellae modo radiata spectantur. *Attici* nomen ei tributum est, quod in Atheniensi agro frequentior, vel melior, quam alibi, proueniat. Dicitur et *Asterion*, et *Asteriscus*: Βυβώνιον, seu inguinalis, quoque vocatur, quia inguinum praesentaneum est remedium. Species haec videtur esse *Buphthalmum spinosum Linn.* Plures vero plantae ex syngenesiis Asteris nomine insigniuntur. Est quoque genus singulare, quod *Asteris* nomine hodie denotatur, flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. superfl.) cuius character est: Receptaculum nudum; pappus simplex; corollae radii plures, quam decem; calycis imbricati, squamae inferiores patulae, et cuius numerosae reperiuntur species, quarum plures ad exornandos hortos coluntur. In vsum medicum vix adhibentur. Ge. **Sternkraut.** G. *Espargoute, Etoillée.* A. *Starwort.* B. *Sterre-kruid.*

ASTERION, et ASTERISCVS, vide *Aster.*

ASTHMA, est respiratio difficilis, parua, et crebra, qualis currentibus, aut quouis alio modo ad vehementem motum adductis, contingit, sine febre, sed cum stertore et sibilo. Atque haec duo phaenomena ab Asthmate abesse nequeunt, tussis tamen primo sicca, paulo post humida, raro non adest, si vnquam absit. Praeterea anxietate laborant, et incedere, saepe etiam stare, nunquam absque incommodo in lecto decumbere, praesertim molli, nequeunt, sed a loci angustia valde etiam laeduntur, vnde feneſtras apertas volunt et libero aëre frui. Nonnullis adest cachexia, vel febris, pleuritis, haemoptoë, hydrops pectoris, ventris distensiones, colica, calculus, palpitatio cordis, animi deliquium, etc. Distinguitur in humidum et siccum. Aliquando periodicum est, et saepe ingruit suppressa euacuatione, qua durante non aderat, et hoc difficilius est, quo minus tussi phlegmata eiiciuntur. Distinguitur porro in idiopathicum, cuius caussa in pulmonibus est, et symptomaticum, cuius caussa in aliis partibus corporis reperitur. Tale est Asthma hypochondriacum, flatulentum, hysterícum, conuulsiuum, etc. Ab ἀσθμάζω, anhelo. Ge. **Engbrüstigkeit, schwerer Athem, das Keichen.** G. *Asthme, courte haleine, pouſſif.* A. *Shortneſs of breath.* B. *Aamborstigheid, dampige borst, kort-ademing, kort-borstigheid, de Kuch.*

ASTHMATICVS, est is, qui *Asthmate* laborat. Germ. **Engbrüstig.** G. *Asthmatique, pulmonique.* A. *One that is shortbreathed.* B. *Die Engborstig is.*

ASTRAGALOIDES, est planta quae folia habet pinnata, in impar desinentia; siliquam vniualuem cymbae instar, semina reniformia. Sic dicitur, quia astragalo similis est, ex ἀστράγαλος, talus, et planta huius nominis, et εἶδος, forma. Est proprie *Phaca*, seu plantae genus, flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius legumen oblongum est inflatum, sutura superiori depressa versus inferiorem, vniloculare, quod in astragalis biloculare est.

ASTRAGALVS, est plantae genus, flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius character est legumen biloculare, gibbum. Habet vel caules folioſos erectos, vel diffusos, vel lignoſos, vel scapum nudum; folia multa parua, breuia, magis vel minus angusta, acuta, villosa, pinnata, aliquantulum amara, bina quasi coniugata, ad costam in folium impar desinentia; flores leguminoſos, in summitate nascentes, purpureos, aut aliquando albos, sibi inuicem coniunctos. Post florem sequitur siliqua oblonga, rotunda, parua, bilocularis, loculis ad alterum latus magis flexis, rubicunda,

foeta feminibus reniformibus. Radix eſt longa, dura, lignoſa, digiti craſſitiei, corticem craſſum et fuſcum habens, intus alba, ſaporis dulcis. Ignoratur planta, quam *Dioſcorides* Aſtragali nomine deſcripſit. Aſtragali ſpecies maxime vulgaris eſt *Aſtragalus glycyphyllus Linn.* Ge. Wild Süßholz, Waldbockshorn, Gliederweich. G. *Aſtrogale.* A. *Wild Liquorice, Liquorice-Vetch.* — Nomen accepit a feminis forma ἀστραγαλοειδεῖ, talum referente. Alii dictam hanc plantam volunt, quod radicem teretem in ſuperna, infernaque parte planam ac compreſſam habeat. Vel Aſtragali nomen inditum ab adnatis appendicibus ſolidis, duris, ceu cornua implicitis, ad ſimilitudinem flagelli.

ASTRAGALVS, ſiue OS BALISTAE, ſiue TALVS, eſt primum os, tarſum vna cum aliis ſex oſſibus in pede conſtituens, quodque baſis inſtar tibiae ſubiicitur, et cum ea per arthrodiam ita committitur, vt omne fere motuum genus, inprimis tamen extenſionem flexionemque permittat, ſex habens latera, quibus mediantibus connectitur oſſibus vicinis, ſcilicet tibiae, oſſi calcaneo et nauiculari. Ab ἀστράγαλος, talus. Alii ab α priv. et στρέφω, verto, deducunt. Sunt, qui talos leporum et porcorum vt ſpecificum antiepilepticum commendant. Ge. Das Sprungbein. G. *Talon, Aſtragale.* A. *The Hucklebone, Aſtragalus.* B. *De enkel, de enkelaauw, de koot.*

ASTRANTIA, eſt plantae genus flore roſaceo vmbellato (Pentandr. Digyn.) cuius inuolucra partialia lanceolata ſunt, patentia, aequalia, longiora, colorata; flores plurimi abortientes. Habet ſcilicet florem roſaceum, vmbellatum, quinque petalis conſtantem, apice plerumque reflexo; in orbem poſitis et calyci inſidentibus; is autem abit in fructum ex duabus ſiliquis compoſitum, membranaceis, oblongis, plicatis, contortis, ſtriatis, quarum quaeuis continet ſemen oblongum, et anguſtum. Radix eſt fibroſa, nigra, vni capiti adhaerens. Creſcit in ſyluis. Eſt proprie *Aſtrantia nigra* officin. Helleborus niger ſaniculae folio *Bauhinio*, nec non dicitur *Magiſtrantia*, corrupto nomine, aut *Aſterition*, vnde *Oſterutium*, ſeu *Oſtrutium*, ſiue *Imperatoria nigra*: quae tamen nomina proprie ad *Imperatoriam Oſtrutium Linn.* pertinent, quae etiam a multis Aſtrantia vocatur. Vires eius ſunt ſubcalidae, aromaticae, et carminatiuae. Germ. Schwarze Meiſterwurz. G. *Imperatoire, Oſtruche noire.* A. *Black Maſterwort.* B. *Zwarte Meeſterwortel.*

ASTRICTA ALVVS, vide *Aluus Aſtricta*, et *Coproſtaſia.*

ASTRICTORIA, vide *Aſtringentia.*

ASTRINGENTIA, ſ. ADSTRINGENTIA, ſeu ADSTRICTORIA, ſunt remedia, quae interne et externe corpori noſtro applicata, ſic partes eius ſolidas mutant, vt elementa earum propius ad ſe inuicem accedant, ſicque fibrae condenſentur, et vaſorum lumina diminuantur, vnde humorum transfluxus atque effluxus cohibetur. Gr. Στυπτικὰ. Ge. Zuſammenziehende, anhaltende Mittel. G. *Remedes adſtringens, Styptiques.* A. *Aſtringent Medicines.* B. *t' Samentrekkende middelen.*

ASTRION, eſt herba dicta *Stellaria* et *Stella*, ſeu *Cornu cerui*, quia eius plantae folia in modum ſtellae humi decumbunt; ἀστὴρ, enim eſt ſtella. *Aſtrion*, ſ. *Aſtroites*, quoque dicitur Helmintholithus, (Foſſil. petrific.) ſeu petrificatio *Aſteriae minutae Linn.*

ASTROBOLISMVS, eſt ſideratio, item ſphacelus, ab ἀστὴρ, aſtrum, et βάλλω, iacio.

ASTROLOGIA, eſt doctrina de aſtris, eorumque influentiis, viribuſque in corpus non tantum humanum, ſed in quaeuis terreſtria, quas veteres Aſtronomi Aegyptii mirae efficaciae finxerunt, a quibus ad medicinam poſtea ineptiſſime harum cognitio translata eſt, dum ex influentiis aſtrorum cauſas morborum, ſanitatis, medelarum, longaeuitatis, explicare coeperunt. Ex ἀστὴρ, ſtella, et λέγω, dico. Germ. Sternbeuterkunſt. G. *Aſtrologie.* A. *Aſtrologie.* B. *Kennis der Sterren, Sterre-kyk-kunde.*

ASTRVM DVPLICATVM, ſic vocatur remedium, cui maxime vires cardiacae attribuuntur, et quod ex tinctura antimonii et coralliorum, eſſentia ambrae et moſcho componitur.

ATAXIA, in genere priuationem, vel defectum, ordinis decentis ſignificat; in ſpecie eſt defectus in requiſito ordine dierum criticorum, ſecundum veteram hypotheſin. Pulſus quoque dicitur ἄτακτος, inordinatus, qui nullum magnitudinis, celeritatis, aut aequalitatis, ordinem obſeruat; cui opponitur ordinatus, contrario modo ſe habens: ſic et febris erratica dicitur ἄτακτος, quae nullum ſeruat typum, vel ordinem, in periodis. Sic etiam menſium inordinatus fluxus *Ataxia menſium* vocatur et fluidi neruei inaequalis motus, ſeu neruorum agitatio inordinata, *Ataxia ſpirituum.* Ex α priv. et τάσσω, ordino.

ATAXMIR, dicitur cura oculi, quae adhibetur, quando pili praeternaturaliter in palpebris oculi ſub pilis naturalibus excreſcunt, ipſique oculo nocent. Vox eſt Arabica ab *Albucaſe* vſurpata. Vide *Trichiaſis.*

ATECNIA, ex α priv. et τίκτω, pario, idem quod *Agonia*

ATHANASIA, eſt *Tanacetum*, ſic dictum, quod eius flores non facile marceſcant: vel potius, quod homines a vermibus leuet: hiſce enim laborantes videntur nec viuere poſſe, nec mori, ex α priv. et θάνατος, mors. Vide *Tanacetum*. — Hoc nomine etiam inſignitur compoſitio quaedam obſoleta, quae ad opiata pertinet.

ATHANATOS, eſt *Lychnis Coronaria*, ſic appellata, quod eius flores colorem viuidum diu retineant. Ex α priv. et θάνατος, mors. Vide *Athanaſia*.

ATHANOR, eſt furnus chymicus, ea ratione confectus, vt aequalis et lenis calor diutiſſime in eo conſeruari queat, modo debita carbonum quantitas ſemel de die tantum adponatur. Aliis habetur fornax ſublimatoria, quae lapidi philoſophorum elaborando inſeruit. Athanores primus *Raymundus Lullius* nominat, et immortalem ignem ſignificare dicit. Dicitur quoque *Niger Henricus*, vel *Piger Henricus*, et *vterus chymicus*. Ge. Ein Ofen, genannt fauler Heinrich. G. *Four à diſtiller pour la pierre Philoſophale*. A. *Slow Henry*. B. *Luye Hendrik*.

ATHENATORIVM, eſt coopertorium vitreum ſuper cucurbitam, habens collum gracile et ſpiſſum, quod intrat cucurbitam, neutiquam illam ambiendo; inſeruitque praecipue ſublimationibus.

ATHEROMA, eſt tumor cyſticus, ſeu propria tunica materiam pultaceam continens, indolens, digitis non facile cedens, nec preſſus cauitatem relinquens, natus plerumque in folliculo adipoſo, vel in cauernis glanduloſis, a materia tali collecta, vel ſtagnando ſic facta. Ab ἀθήρα, pultis genus; vnde ἄθηρ, ariſta, ex cuius granis puls ſolebat parari. Ge. Eine Breygeſchwulſt, Bälgleingeſchwulſt. G. *Atherome*. A. *A Kind of Swelling ſo called*. B. *Een Pap-gezwel, Bry-puiſt*.

ATHLETICVS STATVS, ſ. HABITVS, dicitur tam bona corporis conſtitutio, quae ad perfectum ſanitatis gradum peruenit, hinc cum ſummo periculo coniuncta, quoniam non, niſi in deterius, mutari poteſt. Gr. Ἀθλητικὴ ἕξις.

ATHLIPTOS EISBOLA, deceſſio febris incomprehenſibilis, ex α priv. et θλίβω, quaſſo, et εἰσβολή, acceſſio.

ATHYMIA, eſt animi defectio et anxietas, ex α priv. et θυμός, animus. Ge. Ohnmacht. G. *Pamoiſon, Defaillance*. A. *Fainting*. B. *Een Onmagt*.

ATINIA VLMVS, ſic dicta a ciuitate Campaniae, *Atina* appellata.

ATLAS, eſt vertebra prima colli, immediate capiti ſubiecta; ſic dicitur, quia caput ſuſtentare videtur, corpore et

apophyſi ſpinoſa caret; eius ſubſtantia reliquis ſolidior; ſupra et infra recipit, et non recipitur. Caput in eius anteriori parte per apophyſes duas oſſis occipitis in duas cauitates glenoideas articulatur, quo in articulo caput flectitur et erigitur: foramen proprium, pro tranſmittenda medulla ſpinali, eſt omnium maximum; proceſſus tranſuerſales reliquis longiores; peculiare quoddam ligamentum habet ſemicirculare, quod proceſſum dentiformem ſequentis vertebrae amplectitur. Ab ἀτλάω, ſuſtineo, perfero. Ge. Das erſte Halswirbelbein. G. *Atlas, la premiere vertebre du col*. A. *The Atlas whirlebone*. B. *Het booſtdragende Wervelbeen, de Atlas*.

ATLE, eſt vox Aegyptia, nobis *Tamariſcus domeſtica*.

ATMOMETRÓN, eſt inſtrumentum, quo aquae calidae vapores et earum altitudinem metiuntur. Ex ἀτμός, vapor, et μέτρον, menſura.

ATMOSPHAERA, eſt proprie maſſa illa fluida et elaſtica a vaporibus et exhalationibus genita, quae globum noſtrum terraqueum, vt et reliqua corpora mundi, ad inſignem altitudinem ambit, et pro diuerſa ſua indole varios etiam in corpore noſtro effectus producit.

ATOCIA, ſeu ATECNIA, eſt ex α priv. et τίκτω, pario. Vide *Agonia*.

ATOCIVM, eſt nomen ſpurium, alias Lychnis ſyluestris: eſt, quod nondum peperit: quia ſpecies flore pleno ſemen non ferunt, ex α priv. et τίκτω, pario.

ATOMVS, eſt minima, ſiue vltima, corporis particula, ex quarum congregata in vnum multitudine corpus quoduis ſui generis componitur; et in quas, ſeparando partes iterum ab inuicem, vltimo diſſoluitur. Talis ergo particula eſt in diuiſione vltima, ergo vlterioris diuiſionis vera actione incapax, vnde conſtantiſſima, taliſque ſemper permanens; qualem pro principio omnium corporum aſſumſit *Epicurus*. Verum vſurpatur haec vox plerumque laxiori ſenſu, qua denotantur particulae corporum ſubtiles, quae ſingulae ſenſus humanos fugiunt, adeoque indiuiſibiles noſtra poteſtate habentur, ex α priv. et τέμνω, ſeco. Ge. Stäublein. G. *Atome*. A. *An Atome, or Small particule*. B. *Ondeeltje*. — *Atomus* quoque vocatur animalculum nudis oculis vix viſibile, et quod Ill. *Linn.* ad Inſecta Aptera refert, nominatque cancrum macrourum linearem, articulatum, manibus adactylis, pedibus vndecim. Oculo maxime armato viſum, granum ſabuli magnitudine aequat.

ATONIA, eſt languor, infirmitas et remiſſio fibrarum,

qua insitus earum nisus se constringendi deficit, ex *a* priv. et τείνω, tendo. Ge. Schlappheit, Schwachheit. G. *Atonie.* A. *Loss of Strength.* B. *Slapheid, Magteloosheid.*

ATONIA TON BLEPHARON, vide *Phalangosis.*

ATRA BILIS, vide *Melancholia.*

ATRACTYLIS, est Cardui, seu Cnici sylvestris, species, sic dicta est, quod ex eius scapo longo, laeuique, rusticae mulieres fusos conficiant: ἄτρακτος enim est fusus. Est *Carthamus lanatus Linn.* Ge. Spindelkraut. G. *Saffran sauvage.* A. *Kind of Thistle.* B. *Wilde of Bastaart Saffraan.* Hodie tamen botanici hoc sub nomine genus plantarum denotant, (Syngenes. Polygam. aequal.) cuius corollae radiatae sunt, corollulae radii quinquedentatae, quo plures species referuntur.

ATRAGENE est i. q. *Clematis Viorna.*

ATRAMENTVM scriptorium quid sit, omnibus notum est. Veteres autem ita vocabant *Chalcanthum*, s. recentiorum Vitriolum. Saepe cum additamento dicebant *Atramentum sutorium.* — *Atramentarius* lapis *Waller.* Vitriolum atramentarium mineralisatum lapide friabili *Linn.* Vitriolum rude minerali alio mixtum *Woltersd.* est minera Vitrioli, quae si rubra fuit, *Chalcitis*, si cinerea, *Sory*, si flaua, *Misy*, et si nigra, *Melanteria* veteribus dicebatur. Germ. Dinten- oder Atramentstein.

ATRAMENTVM SYMPATHETICVM ita vocantur varii liquores, qui nullum, vel debilem tantum, colorem habent, cum quibus characteres pingi possunt, quos nemo videt, qui vero vario modo, pro varia horum atramentorum natura, visibiles reddi possunt. Ge. Sympathetische Dinte. Ga. *Encre de sympathie.* Ex plumbo et auripigmenti cum calce solutione, s. tinctura sulphuris volatili; ex cobalto, etc. aliisque pluribus rebus tale atramentum parari potest.

ATRAPHAXIS, Latinis *Atriplex*, Atticis, *d* litteram in *t* mutare frequenter amantibus, dicta est, quod ἀθρόως αὔξει, id est, statim in amplitudinem adolescat. *Chrysolachanon*, siue *Auretum Olus* dixerunt, a luteo, quem profert, colore. Vel dicitur παρὰ τὸ ἀθρόως αὔξειν, vtpote quae octauo a satu die prodeat.

ATRETVS, est, cui anus, aut genitalia non sunt perforata, siue id ex natura fuerit, vel morbo; carne videlicet, aut membrana supercrescente, et meatum obstruente. Ex *a* priv. et τιτρόω, perforo. Hoc vitii genus vocatur *Atresia*, quasi Imperforatio. Ge. Verwachsen. G. *Atrésie.* A. *No perforated in a party.* B. *Eene Toegroeijing van den Aars, of andere deelen.*

ATRIPLEX et ATRIPLEXVM, est plantae genus, (Polygam. Monoec.) cui sunt folia ampla, acuta, betam referentia, sed minora, molliora, puluerem farinaceum habentia, coloris pallide virentis, saporis insulsi. Calyx est pentaphyllus in flore hermaphrodito stamina quinque corolla nulla; in foemineo, qui in eadem planta est, calyx diphyllus; in centro semen orbiculatum, planum, vel quodammodo ouatum, saporis, dum recens est, nidorosi. Est et capsula inuolutum, in iis, vbi flos fructui contiguus; vel ouarium subrotundum, tubis suis instructum, arcte comprehenditur a duobus foliis angulatis seu cordiformibus, planis, in iis, vbi flos mas a fructu remotus est. Radix recta, longa, fibrosa. Numerosae sunt huius generis species; illa tamen, quae maxime adhibetur, est *Atriplex hortensis* caule erecto herbaceo, foliis triangularibus *Linn.* Atriplex hortensis rubra *Bauh.* Atriplex satiua *Pharmac.* Qualitas eius aquosa, oleracea, insipida est, hinc viribus diluentibus, humectantibus, emollientibus, et refrigerantibus gaudet. Vsus tamen eius magis culinaris, quam medicus est. Videtur corrupta vox a voce Atraphaxi, vel ab atro colore, vt quidam aiunt, quod homines liuidos et decolores faciat. Gr. Ἀτράφαξις, et χρυσολάχανον. Ge. Melde. G. *Arroche, bonne Dame, Prudes Femmes, Follettes.* A. *Orrage, white Drache.* B. *Melde.*

ATROPA, vide *Belladonna.*

ATROPHIA, siue TABES, φθόη, φθίσις, φθινὰς νόσος, *Plut.* πυκεδὼν πύη, *Aretaeo.* Est, cum totum corpus, vel aliqua pars alimentis non reficitur, sed sensim gracilescendo emarcescit. Raro morbus solitarius est, sed plerumque alios adfectus, inprimis chronicos, comitatur vel sequitur, quatenus humores inde tale vitium contrahunt, vt particulis ad nutriendum aptis destituantur, vel etiam organa humorum elaborationi inseruientia simul adficiuntur. *Tabes* saepe tantum sumitur, pro vlcere pulmonum, quo corpus vniuersum sensim colliquescit. Si pars tantum corporis marcescat, rectius *Aridura* dicitur. Vide *Aridura.* Plerumque tamen Atrophia vocatur impedita nutritio et incrementum corporis, qualis frequenter in pueris ab obstructione glandularum mesentericarum accidere solet. Ex *a* priv. et τρέφω, nutrio. Ge. Schwindsucht, Auszehrung. G. *Consomption, Chartre.* A. *A Consumption.* B. *Voedeloosheit, een Teringe, Voedens gebrek.*

ATTA, *Festo*, qui propter vitium pedum terram attingit potius quam calcat. Germ. Der mit den Füssen schlurfet.

G. *Trainepieds.* A. *One that rather toucheth than treadeth on the ground.* B. *Die de aarde ſchrommt aan te raken, Sleepvoeten.*

ATTENVANTIA, ſeu INCIDENTIA, ſunt medicamenta, quae acutis ſuis particulis craſſos et viſcidos humores incidere et diſcindere poſſunt in particulas minores: vel ſunt potius illa, quae vim habent ſingulas liquidi moleculas in minutiores reducendi, niſum particularum ad cohaerendum tollendo, ſicque liberiorem motum humorum efficiunt. Gr. Λεπτυντικὰ et Τμητικὰ. Ge. Verdünnende Mittel. G. *Remedes attenuants.* A. *Attenuating medicines.* B. *Verdunnende middelen.*

ATTENVATIO, eſt particularum alicuius medicamenti comminutio, vt eo melius et promtius minora vaſa permeant. Ge. Verdünnung. G. *Attenuation.* A. *Attenuating.* B. *Verdunnung.*

ATTENVATA botanicis dicuntur folia, verſus apicem ſenſim craſſitiem perdentia.

ATTONITVS MORBVS, idem quod *Apoplexia Celſo*: proprie cui caſus fulminis vicini, aut tonitru ſonitus ſtuporem afflauit. Gr. Ἀποπληκτος, Ἐμβρόντητος. Idem quod *Sideratus.*

ATTRACTYLIS, idem quod *Atractylis.*

ATTRAHENTIA ſunt, quae tenuibus ſuis particulis, ſolida irritando, poros aperiendo, humoreſque contentos alliciendo foras, vbi minor eſt reſiſtentia, non tantum partes in tumorem attollunt et rubore ſuffundunt, ſed ſaepe etiam plures vapores et humores, quam per denſam cuticulam erumpere poſſunt, e cute et carne expellendo, ſub cuticula colligunt, eamque in veſiculas attollunt, atque non raro etiam feſtucas et aculeos infixos educunt. Huc pertinent *Dropaces*, *Phoenigmi*, *Sinapiſmi.* Gr. Ἑλκτικὰ, Ἐπισπαστικὰ, Ἐξιπατικὰ, ab ἕλκω, traho. Ge. Anziehende Mittel. G. *Remedes attractifs.* A. *Attracting Medicines.* B. *Uittrekkende middelen.*

ATTRITIO, dicitur ſolutio continui ſuperficiaria cuticulae et cutis a compreſſione et motu oriunda; vti in itinere plantae pedum, vel in obeſis nates atteruntur. Vide *Intertrigo.* Ge. Das Aufreiben, der Wolf. G. *Frottement.* B. *Afſchuuring.* — Sic quoque vocatur *Cardialgiae* ſpecies, qua ventriculus ab aſſumto cibo, antequam excernitur, intenſe dolens, et aeſtuans atteri videtur cum anguſtia et compreſſione anhelitus, vt ſtatim praefocari videatur.

ATYPVS, quod typum nullum ſeruat, ex α priv. et τύπος. De febribus inprimis vſurpatur.

AVCTIO

AVCTIO CORPORIS, eſt conditio quaedam, qua ſolida et fluida corporis animalis non tantum reſtituuntur ab aſſumtis, verum maiorem in extenſionem et copiam increſcunt, quam quotidie vi circulationis diſſipantur. Veteribus dicebatur *nutritio ad incrementum*, quam ſic diſtinxere a *nutritione ad eſſentiam*, qua corpus adultorum in eodem ſtatu conſeruatur. Gr. Αὔξησις. Ge. Zunehmen am Leibe. G. *Accroiſſement.* A. *Augmentation.* B. *Vermeerdering.*

AVCVPALIS SORBVS et AVCVPARIA; ſic vocatur *Sorbus*, quia eius baccis volucres capiuntur. Ge. Vogelbeere. V. *Sorbus.*

AVDITORIVS MEATVS, vide *Meatus Auditorius.*

AVDITORIVS NERVVS, ſiue ſeptimum par neruorum cerebri, oritur a parte laterali et poſteriori medullae oblongatae; diuiditur in mollem et durum, quorum prior ſenſui auditus deſtinatus, per labyrinthi partes, ſcilicet veſtibulum, cochleam et canales ſemicirculares diſtribuitur, haſque partes expanſione ſua veſtit; alter per aquaeductum *Fallopii* cranio egreſſus, auri externae, viciniſque partibus ramos dat, quorum maxime inſignes cum tribus ramis paris quinti ſeſe coniungunt, plexumque facialem, ſeu pedem anſerinum conſtituunt. Ge. Gehörnerve. G. *Nerf auditif.* B. *Gehoorzenuw.*

AVDITVS, eſt ſenſus externus, quo ex vario aëris corpori ſonoro circumſtantis motu tremulo, tympanum in meatu auditorio verberante, aërem in cauitate tympani mouente, et in labyrinthum propagato, ſoni per neruum auditorium, ſenſorio communi communicantur, ibique percipiuntur. Gr. Ἀκοὴ, Ἀκρόασις. G. Das Gehör. G. *l'Ouye.* A. *The Hearing.* B. *Het Gehoor.*

AVELLANA INDICA et MEXICANA, vide *Balanus Myrepſica* et *Cacao.*

AVELLANA NVX, eſt nux arboris coryli, flore amentaceo, (ſcilicet *Coryli Auellanae*, ſtipulis ouatis obtuſis *Linn.* Monoec. Polyandr.) inuolucris calloſis, ſuccoſis, herbaceis, barbatis, hirſutis, adſtringentibus et acidis obſepta, magnitudine vt plurimum dimidio minor iuglande, oblonga, vel globoſa, putamine vmbilicato, per maturitatem flaueſcente, aut rufo, laeui, lignoſo, aut duro ſatis, cui ſubeſt pellicula in domeſticis quibuſdam coccinea, in aliis ſubrufa, in aliis alba, nucleum obueſtiens albidum, firmiuſculum, ſicuti Amygdali nucleus, eiuſdemque ſapore dulci, lacteum emittentem ſuccum. Forte ab auellendo, quia fructus auelluntur. Quidam malunt vocari *Abellana*, forſan ab Abella, vel Abellinum, vel ab Auella, vrbe Campaniae, abundante optimis nucibus, quae dicuntur *Auellanae.* Vocantur etiam κάρυα ποντικὰ, quod in Aſiam Graeciamque e

Ponto venerunt: et λεπτοκάρυα, siue paruae, quod iuglandibus minores sint. Vide *Corylus*. Ge. Haſelnuß. G. *Noiſettes, Avelines*. A. *Haſell-nut*. B. *Haſelnoten*.

AVENA, eſt plantarum cerealium genus, quod habet caulem tenuem; flos eſt apetalus, per faſciculos pendulos diſpoſitus. Singuli nempe flores tribus ſtaminibus conſtant, ex calyce ſurgentibus; piſtillum autem, quod habet ſtylos duos reflexos, deinde abit in ſemen oblongum, tenue, farinaceum, gluma, quae floris calyx fuit, obuolutum; singuli faſciculi ita diſponuntur in ſpicam, vt dependentes veluti paruulas locuſtas bipedes Auena gerere videatur. Species, quae in vſum cedit oeconomicum et medicum eſt: *Auena ſatiua* paniculata, calicibus diſpermis, ſeminibus laeuibus *Linn.* Auena alba et nigra *Bauh.* Qualitatis eſt farinaceae et inſipidae. Apud nos iuſcula ex Gruto, ſ. Auena excorticata, (Ge. Habergrütze) in vſu ſunt, in omni acrimonia vtiliſſima. Auena excorticata quoque cataplaſmatis emollientis loco ſaepe adhibetur. Decoctum auenae a *Lowero* et aliis vehementer in phthiſi laudatur. Auenae nomen quidam deducunt ab auere, quia concupiſcitur: Gr. βρῶμος, forte a βρῶμα, quod cibum ſignificat: nutrimentum enim praebet, quod propter viſcoſitatem difficilius quidem digeritur, ſed decoquendo in aqua febricitantibus vtile fieri poteſt, ob vires magis, quam hordei, refrigerantes. Ge. Haber. Ga. *Aveine, Aveine*. A. *Oats, Haver*. B. *Haver*.

AVERSIO, aliquando ſumitur pro reuulſione; ſaepius vero tantum inappetentiae gradum denotat, vt nauſea excitetur.

AVGMENTVM FEBRIVM, ſeu INCREMENTVM, eſt computatio, a quo tempore febris continuae incendium increuit, vſque dum peruenerit ad ſtatum. Gr. Ἀνάβασις, ab ἀναβαίνω, aſcendo. Vocatur item ἐπίδοσις, ἐπίτασις, αὔξησις. Ge. Das Zunehmen des Fiebers. G. *Accroiſſement de la Fievre*. A. *The increaſe of a Fever*. B. *Opklimminge of Toeneeming der Koorts*.

AVICVLAE CYPRIAE, ſunt paſtilli aromatici, ad modum candelarum fumalium praeparati, Gallis *Oiſelets*, quia accenſi ſenſim ſenſimque auicularum more auolant, locumque odore replent vel a figura.

AVRA SEMINALIS, quibuſdam eſt pars maxime ſubtilis ſeminis maſculini, quae ad ouarium foemininum per vterum et tubas Fallopii penetrans, vnum, vel plura ouula foecundat.

AVRA VITALIS, notat quibuſdam illud in corpore humano principium, a quo omnes functiones vitales pendent, quoque ſublato, vita perit.

AVRANTIVM MALVM, eſt fructus arboris, (Polyadelph. Icoſandr.) *Citrus Aurantium* petiolis alatis, foliis acuminatis *Linn.* quae folia habet rigida, ad baſin duabus vtrinque appendicibus, ſeu lobis, in cordis formam inſciſſis. Calyx eſt inſtar cotylae orbicularis, parum cauus, breuis, quinquefidus, vel et ſciſſus in ſex ſegmenta; flos pentapetalus, roſaceus, multis ſtaminibus infra concretis ornatus. Ex imo centro calycis placenta orbicularis nata ſuſtinet ouarium, fere rotundum, tuba longa inſtructum; fit hoc fructus globoſus inſtar pomi, cortice cinctus, qui in vna ſpecie tenuior eſt, et fragrantior, in altera craſſior; ſi recens eſt, ad oculum apparent folliculi rotundi, tenui lamella tecti, in quibus oleum aromaticum gratum continetur, a quo odor et ſapor aromaticus dependet. Hoc adeo ſcatet, vt preſſus oleum exſiliat, et ad candelam accendatur. Pulpa diuiditur in varia loculamenta, ſucci et veſicularum plena, et foeta ſeminibus callosis. Creſcit haec arbor in regionibus calidis, praeſertim in Hiſpania, Luſitania, et Italia: vocatur *arantium, aurangium, aureum malum, malum auratum*, vel *pomum neurantium*, vel *aneurantium, narangion*. Dici volunt ab aureo colore, quem cortices habent: alii ab vrbe Achaiae, Arantia dicta: alii a gente Perſarum, quae Aranii ſolebat vocari. Succus gaudet viribus refrigerantibus et analepticis, cortex vero corroborantibus, ſtomachicis, carminatiuis. E floribus *aqua naphae* et *oleum*, vel *eſſentia, Neroli* praeparantur. Proſtant in officinis ſyrupus, eſſentia, aqua, ſpiritus, et oleum corticum aurantiorum. Folia aurantiorum a variis recentioribus in epilepſia commendantur. Ge. Pomeranzenapfel. G. *Orange*. A. *An Orange*. B. *Oranje appelen*.

AVREA ALEXANDRINA, eſt ſpecies opiati, ſiue antidoti: ſic dicitur, quod recipiat *aurum*, et a medico *Alexandro* inuenta ſit, vel medicis Alexandrinis primum in vſu fuerit.

AVREVM VNGVENTVM, ab aureo dicitur colore, vel, quod in conſolidandis vulneribus aureum praeſtet effectum. Componitur ex cera citrina, oleo oliuarum, terebinthina, colophonio, reſina, thure, maſtiche, et croco Auſtriaco.

AVREVS ARABVM, ſeu DENARIVS ROMANVS, ſeptima vnciae pars eſt. Pendit enim drachmam vnam et inſuper ſeptimam eius partem. Tres denarii, ſeu aurei, tetradrachmam conſtituunt; quatuor ſcrupulos computatur pendere.

AVRICHALCVM, vocatur aes factitium flauum, ductile et malleabile, colorem auri prae se ferens, compositum ex lapide calaminari et cupro, dum metalli libras 64. et lapidis libras 46. funduntur miscenturque, quae exhibent aurichalci libras 90. Ge. Meßing. G. *Cuivre jaune ou Laiton.* A. *Brass.* B. *Geel Koper.* Albus, s. flauus, cupri color a Zinco admixto pendet, cuius minera lapis calaminaris est. Si laminarum cupri partibus sex fusis adiicitur Zinci probe depurati pars vna, et massa mox effunditur, obtinetur metallum, quod malleum optime admittit, colore proxime ad aurum accedit, et *metallum principis Roberti, tombac*, vel *aurum sophisticum* dicitur. Ge. Prinzmetall, Tombak. G. *Tambac.*

AVRICOMVS, Ill. *Linnaeo* est species *Ranunculi*, et quidem *Ranunculus auricomus* foliis radicalibus reniformibus, crenatis incisis; caulinis digitatis linearibus; caule multifloro. Ranunculus nemorosus folio subrotundo *Bauh.* Habitat in Europae pascuis humidiusculis. Ge. Goldblume, Butterblume, Goldhähnlein. A. *Goldlocks.*

AVRICVLA, est illa pars auris, homini potissimum et quadrupedibus propria, quae in capite extra os temporum vtrinque prominet, substantiae maximam partem cartilagineae et elasticae, tenera cute vestita, pendula, patula, variis cauitatibus et eminentiis inaequalis (vide *Helix*, *Anthelix*, *Scapha*) certae semper et determinatae figurae in hominibus: externo suo ambitu renis circiter, vel phaseoli admodum compressi, oualem figuram referens. In superiori corporis loco posita est, tanquam ad sonum vndique facillime recipiendum, testibus ipsis animalibus in prato humi stratis, vel prono capite incedentibus, gramen mandentibus, ad minimum auditum sonum, quem acutius audire volunt, corpus et caput erigentibus, aptissimo, sensorio communi admodum vicino, adeoque commodissimo. Capiti ad locum ossis temporum ita nexa est, vt ab eo naturaliter paululum vtrimque remota, parum antrorsum et deorsum infundibuli, vel cornu, culi, instar incuruata, promineat et notabili eminentia supra os temporum eleuata sit: vt in recens natis infantibus, vel feris Asiaticis hominibus, nudo semper capite incedentibus, obseruare licet. Propriis praeterea stratis muscularibus antrorsum, sursum et retrorsum mobilis est. Mirabili autem hoc artificio efficitur, vt nunquam vel ab vllo non nimis remoto sonoro centro libere propagati sonori radii, vtramque aurem simul omnes praeterlabi queant, sed semper vel ab aurium alterutra, vel ab vtrisque, necessario satis copiosi recipiantur. Ge. Das äußere Ohr. G. *L'oreille externe.* A. *The ear.* B. *De Oor.*

AVRICVLA CORDIS; numero duae sunt, dextra et sinistra, seu potius anterior, quae simul inferior, et posterior, quae simul superior. Sunt duae cordis appendices, cauae, musculosae, ingentes, a basi longiori in obliquum acumen vergentes, fibris carneis copiosissimis instructae, pene parallelis, vt tamen oblique se secent, quae et a dextro limite totius cauitatis et a sinistro ortae, in arcuum parallelorum speciem, circa anteriorem conuexam superficiem auriculae circumducuntur: septo musculoso inter se distinctae: quarum dextra vno tendine ori venoso dextri cordis thalami innixa, altero duriore in circulum fere formato venae cauae accrescit. Haec ex vena caua cruorem accipit, qui in ventriculum dextrum, et ex eo in pulmones defertur. Sinistra vero est minor, cui sanguis bene praeparatus et solutus, mistus, subactusque cum heterogeneis quibuscunque liquidis a pulmonibus de nouo traditur, vt per sinistrum ventriculum in arteriam magnam, et per eam in vniuersum corpus distribuatur. Plerique sic communi nomine *auricularum* tota haec duo receptacula intelligunt, quae a magnis venis sanguinem accipiunt et vtrique cordis ventriculo tradunt. Alii strictius aliquanto, sub *auris* nomine vnice eam caueam intelligunt, quae carneis lacertis intus percursa marginibus crenatis distinguitur, et eam atrii cordis partem *sinum* vocant, quae extus absque crenis et intus absque cancellis est. Proprie vero auricularum sub nomine intelliguntur tantum appendices paruae, musculosae, cauae, in vtrumque atrium hiantes, et sanguinem continentes, qui interdum, sub nisu fortiori, et respiratione cohibita non omnis ex atriis in ventriculos propelli potest. G. Herzohren. G. *Oreillettes du coeur.* A. *The Auricule or the ear of the heart.* B. *De ooren van 't hert.*

AVRICVLA INFIMA, idem quod *Lobus auris.*

AVRICVLA IVDAE, (*Pezizа Auricula* concaua, rugosa, auriformis *Linn.* Fungus membranaceus auriculam referens. *Bauh.*). Est fungus, habens substantiam fungosam, spongiosam, leuem, coriaceam, membranaceam, auriculae instar, subtus incanam et cineream, supra nigricantem, saporis terrei et aquei insipidi, odoris nullius. Cum truncis arborum, praecipue Sambucorum annosarum, adnascatur, a *Tournefortio* ad Agaricum refertur. Sic dicta est, quod auriculam referat, cui additur Iudae: quia vulgus in ea opinione est, pseudapostolum *Iudam* se ex Sambuco suspendisse,

Gaudet hic fungus viribus refrigerantibus, exſiccantibus et adſtringentibus. hinc in aqua roſarum maceratus interdum in ophthalmia, aut in gargariſmatibus contra anginam, adhibetur. Ge. Hollunderſchwamm, Judasohren. G. *Oreille de Iudas.* A. *Iews ear.* B. *Iudas-Ooren.*

AVRICVLA LEPORIS, eſt *Bupleurum.*

AVRICVLA MVRIS, ſic dicta, quia eius folia piloſa et muris auriculis ſimilia ſunt. Pluribus plantis ab auctoribus hoc nomen imponitur. Sic Auricula muris alpina glabra *Bauh.* eſt *Silene rupeſtris Linn.* (Decandr. Trigyn.). — Auricula muris flore pulchro, folio tenuiſſimo *Bauh.* eſt *Arenaria ſtriata Linn.* (Decandr. Trigyn.). — Auricula muris quorundam, flore paruo, vaſculo tenui longo *Bauh.* eſt *Ceraſtium vulgatum Linn.* (Decandr. Pentagyn.). — Auricula muris offic. eſt *Hieracium pilboſella Linn.* Conf. *Myoſotis.* Gr. Μυὸς ὠτις. Ge. Mausöhrlein. G. *Oreille de Souris.* A. *Mous-ear.* B. *Muiſen-oor.*

AVRICVLA VRSI: variis plantis hoc nomen imponitur, v. c. Verbaſci ſpeciei (*Verbaſcum myconi Linn.*). Proprie tamen Ill. *Linnaeus* auriculas vrſi ad primulas refert (Pentandr. Monogyn.) ſub nomine *Primulae auriculae* foliis ſerratis glabris, cuius multae varietates ob florum elegantiam, colorumque differentiam in hortis noſtris coluntur. Ge. Bärenöhrlein, Auricken. G. *Oreille d'ours.* A. *Bears-ear, Oricula.* B. *Beeren-oor.*

AVRICVLARIS DIGITVS, minimus digitus eſt. Vide *Digitus.*

AVRIGA, eſt faſciae ſpecies, quae in thoracis vulneribus adhibetur, atque in hunc modum iniicitur: media faſcia collum comprehenditur, capitaque obliqua per pectus attrahuntur, ibique inter ſe implicata ſub alis ad dorſum adducuntur, ibi rurſus implicantur, atque ita, donec totus thorax deligatus ſit, modo a poſteriori, modo a priori parte implicantur, extremaque inter ſe deuinciuntur, quo vinculo vtuntur aurigae ad latera continenda. Ge. Die Fuhrmannsbinde. G. *Bandelette de Charretier. Plaſtron.* B. *Voermans-band.*

AVRIGO, idem quod *Ictterus.*

AVRIPIGMENTVM natiuum, ſi reperitur, eſt (*Pyrites Auripigmentum* nudus flauus, micis auratis *Linn.* Arſenicum ſulphure, lapide ſpathoſo et micaceo mineraliſatum, minera flauescente *Waller.*) ſulphuri plurimis dotibus ſimile, friabile, fuſile, facile inflammabile, tumque foetore ſulphureo infeſtum, non acido, volatili; iners, innoxium,

parum venenatum, fuſione rubeſcens, tumque volatilem materiam emeticam praebens. *Arſenicum citrinum* male appellatur. Auripigmentum hoc natiuum, fuſum igne in vaſe clauſo, maſſam dat fragilem, facile conterendam, minii fulgore ſpectabilem, acrem, aut venenatam, quae vocatur *Realgar, Arſenicum rubrum*, vel *Sandaracha.* Vſus eſt pictorius, et, cum calce viua mixtum, *Ruſma* Turcorum, ſeu remedium ad depilandam cutem, vt et *liquorem probatorium* vini Lithargyrio infecti, et *atramenti ſympathetici* ſpeciem conſtituit, cum hic liquor tali vino adfuſus eum ſtatim nigrum reddat. Ge. Operment. G. et A. *Orpiment.*

AVRIS, eſt organum auditus, et notat omnia auditoria organa, iunctim ſumta: diuiditur in tres cauitates, ſcilicet in exteriorem, mediam, et interiorem. Exterior auriculam meatumque auditorium; media tympanum; interior vero labyrinthum comprehendit, etc. Vide *Auditus.* Gr. Οὖς. Ge. Das Ohr. G. *l'Oreille.* A. *The Ear.* B. *Het Oor.*

AVRISCALPIVM vocatur inſtrumentum, quo cerumen, vel alia heterogenea corpora, ex meatu auditorio extrahuntur. Ge. Ohrlöffel.

AVRVM, eſt metallum omnium ponderoſiſſimum, ſimpliciſſimum, molle, maxime expanſile, in igne et aëre fixiſſimum, coloris flaui, rubens ante fuſionem: vel ſincerum, vel argento, aut antimonio, permiſtum in mineris reperitur: quod in Madagaſcar eſt, adeo molle naſci dicitur, vt leni igne inſtar plumbi liqueſcat; ab aqua regis tantum et hepate ſulphuris ſoluitur; vix ſonorum, ſpecificae grauitatis ad aquam, vt 19636 ad 1000. Singulares virtutes cardiacas medici Arabes auro tribuebant, idque variis remediis addebant, inprimiſque in eo deſudabant, vt *aurum potabile* redderent, hodie tamen vix alia ex auro praeparata in officinis proſtant, praeter *Aurum foliatum, Aurum fulminans* et *Bezoardicum ſolare.* Verum enim *Aurum potabile* nonnullorum chymicorum ab aliis in dubium vocatur, quippe cuius vires magis a ſale alcalino in ſpiritu vini ſoluto pendent. Ab Hebr. *Or*, quod exponitur pro luce, vel Sole; vnde Aurora. Ge. Gold. G. *Or.* A. *Gold.* B. *Goud.*

AVRVM FOLIATVM eſt Aurum, in laminas tenuiſſimas redactum, quod in medicina adhibetur, non tantum ad ſplendorem quibuſdam medicamentis conciliandum, ſed etiam ad obducendas pilulas, vt earum odor, vel ſapor, ingratus tegi poſſit.

AVRVM FVLMINANS eſt calx auri flaua, ſiue puluis auri in aqua regia ſoluti, per alcalinum ſalem, inprimis volatilem, praecipitatus, dein ablutus et exſiccatus. Hoc autem nomen obtinuit, quoniam ad certum ignis gradum calefactum magno cum fragore, inſtar tonitru fere, diſploditur. Vires inſignes illi adſcriptae ſunt, quae nondum per experientiam ita comprobatae ſunt, vt tuto fidere liceat; imo a nonnullis propter ſal, metallo intime adhaereſcens, et tormina, quae excitat, pro medicina inſecura habetur. Ge. Knallgold, Platzgold. G. *Or fulminant.*

AVRVM POTABILE, vide *Aurum.*

AVRVM SOPHÍSTICVM, vide *Aurichalcum.*

AVSTERVS, a Gr. αὐστηρὸς, ab αὔω, exſicco, dicitur de eo, quod terreſtris eſt naturae, cum ſalinis tartareis partibus permixtae, vim habens linguam, dum guſtatur, conſtringendi, et, ſi ingeratur, ſolidorum contractionem augendi atque humoribus maiorem cohaerentiam, vel coagulationem, inducendi. Ge. Herbe. G. *Auſtere*, *Apre*. B. *Wrang.*

AVTOGENES; ſic vocatur Narciſſus albo flore: quia eius bulbus, necdum terrae commiſſus, folia emittit: ex ſeſe enim quaſi generatur, aut naſcitur, ex αὐτὸς, ipſe, et γίνομαι, naſcor.

AVTOMATOS, eſt id, quod ſua ſponte mouetur, vt eſt cordis motus, coctiones et fermentationes (vt vocantur) in ventriculo et inteſtinis, ab αὐτοματίζω, ſponte facio. Hinc automatici vocantur motus, qui, nobis inſciis, et nec intellectu, nec voluntate noſtra concurrentibus, in corpore noſtro peraguntur. Opponuntur ipſis actiones et motus animales, ſeu voluntarii, qui ad nutum noſtrum, quando ſani ſumus, peraguntur et ceſſant. Ge. Sich ſelbſt bewegend. G. *Automate.* A. *Automaton.* B. *Zelfs-beweging*, *zelfs-roerſel.*

AVTOPSIA, ocularis alicuius rei inſpectio eſt, ex αὐτὸς, ipſe, et ὄψις, viſus. Notat vero etiam obſeruationes, et memoriam effectuum in morbis, quos vnuſquiſque proprio intuitu obſeruauit.

AVTOPYRVS, eſt panis, ex propria farina coctus, cui nil furfuris adiectum, vel ablatum fuerit; huiuſmodi panis aliis praefertur, quia furfures vt putant vim habent, ob grauitatem, abſtergendi, ex αὐτὸς, ipſe, et πυρὸς, triticum. Vocatur etiam συγκόμιστος. Talis eſt Weſtphalorum panis groſſior. Proxime huc accedit ille, quo ruſtici Germani vtuntur, ex farina non omnino a furfuribus purgata. Ge. Hausbackenbrod. G. *Le pain bis.* B. *Brood van Meel*, *zo als 't van de Molen komt*, *Brood dat angebuilt is.*

AVTVMNVS, dicitur anni tempus tertium, aeſtatem ſequens, et hyemem praecedens, arcturo oriente incipiens, et vergiliarum occaſu deſinens, quod notabile ob morbos mali moris plerumque eius comites. Hinc dicuntur *Morbi autumnales*, *Febres autumnales*, etc. Ab augendo opes, ex *Feſto*. Ge. Herbſt. G. *l'Automne*, *l'Arriere ſaiſon.* B. *De Herfſt.* A. *The Autumn.*

AVXESIS, ab αὐξάνω, creſco, ab αὔξω, augeo, corporis eſt in omnem modum ampliatio.

AVXILIVM, ſeu REMEDIVM, eſt, quicquid contraria agendi vi, morbum impugnare eſt aptum. Eſtque triplex: *Diaeta*, *Pharmacia*, et *Chirurgia.* Vide *Medicamentum.* Ge. Eine Arzney, Hülfsmittel. G. *Aide*, *ſecours*, *aſſiſtance*, *Remede.* A. *Help*, *aſſiſtance*, *aid.* B. *Geneesmiddel.*

AXILLA, eſt cauitas illa ſubter brachium, in adultis pilis conſerta. Lat. *Ala.* Gr. μασχάλη et μάλη. Ge. Die Achſel. G. *l'Aiſelle.* A. *The arm-hole, or armpit.* B. *De Oxel.*

AXILLARES VENAE et ARTERIAE, ſunt illa vaſa ſanguifera, quae a venis et arteriis ſubclauiis ad axillas, et brachium excurrunt. Ge. Die Achſelblutadern. G. *Vaiſſeaux axillaires.* A. *The Veſſels of the armhole, or arm-pit.* B. *De oxels bloed-vaten.*

AXILLARES dicuntur botanicis flores et folia ſub baſi rami inſerta.

AXILLARES GLANDVLAE ſunt glandulae de lymphaticarum genere in cauitate ſubaxillari ſitae, quae ſi intumeſcunt, *Bubones axillares* dicuntur.

AXIOMA, effatum euidentiſſimum, ſimpliciſſimis innixum ideis, quod cuncti mortales ob ſimplicitatem et claritatem vno ore abſque demonſtratione pro vero admittunt: nonnunquam autem eſt propoſitio, ab *Hippocrate*, vel *Galeno*, in obſeruatis quamplurimis fundata, et pro inconcuſſa ab illis habita. Ge. Ein Grundſatz, eine ausgemachte Wahrheit. G. *Axiome*, *verité inconteſtable.* A. *An Axiom, or Propoſition.* B. *Een klare waarheid.*

AXIS, eſt vertebra tertia colli, capiti ſubiecta. Gr. ἄξων. Ge. Das dritte Wirbelbein des Halſes. G. *La troiſieme vertebre du col.* A. *The third Vertebra near the head.* B. *De Axe.*

AXIS botanicis dicitur pars illa teres in centro florum amentaceorum, et nonnullorum fructuum et nucamentorum poſita, circa quam aliae partes diſponuntur. G. *Ame*, *Noyau*, *Poincon.*

AXIS in anatome etiam linea dicitur, quae per medium cauitatis cuiuſdam tranſit. v. c. *Axis vteri*, *pelvis*, etc. Ge. Achſe.

AXVNGIA, Στέαρ ὕειον *Dioſc.* Ὀξύγγιον *Aegin.* pinguedo, vel adeps porci, ſebo mollior. Quia vero huius vnguinis praecipuus vſus fuit in axibus curruum inungendis, hinc illi nomen creatum, et Grammatici omnes pro vnguine vehiculari exponunt. Vocantur tamen plurium animalium pinguedines, quae in officinis proſtant, Axungiae, quarum plerarumque vſus externus, et virtus emolliens eſt. — — Abuſiue id nomen tribuitur terris quaſi vnctuoſis et mollibus; ſic aliqui autores terram ſigillatam albam vocant *Axungiam Lunae*, luteam vero *Axungiam Solis*, credentes, alteram a luna, alteram vero a ſole eſſe impraegnatam. Ge. Schmeer, Schmalz. G. *Graiſſe.* A. *Fat, Greaſe.* B. *Smeer, roet.*

AZOTH, modo mercurium cuiuſcunque corporis metallici denotat, modo medicinam quorundam, quam vniuerſalem putarunt ex mercurio, auro et argento paratam.

AZVR, et AZVTHVM, a voce Arabica, et Perſica, *Lazur*, qua caeruleum pigmentum denotant. Vide *Lazuli Lapis*, et *Caeruleum montanum.*

AZYGOS, dicitur de partibus, quae parem non habent, veluti muſculus *Azygos Vuulae.* Inprimis autem eſt vena ſanguinem reducens venae cauae. Duplici origine in abdomine inter duas diaphragmatis appendices, interdum ex vena renali dextra, oritur, dein thoraeem ingreſſa ſub aorta iuxta dorſi vertebras, accipit venas intercoſtales, et venae cauae ſuperiori inſeritur. Sanguinem ab organis reſpirationi famulantibus in ſe recipit. *Sine Pari*, aut *Iugo* dicta, ex α priv. et ζυγὸς, iugum. G. Ungeparte Ader, die Ader ohne Paar. G. *Veine Azygos.* A. *The veine without a pair.* B. *Ader ſonder paar of weerga.*

AZYMVS, eſt panis non fermentatus, et inſalubris, ex α priv. et ζυμόω, fermento, vnde ζύμη, fermentum. Ge. Ungeſäuert Brod. G. *Pain à chanter, ſans levain, azyme.* A. *Unleavened bread.* B. *Ongebevelt brod, ongezuurt brood.*

B.

BACCA, BACCAE. Gr. Κόκκος, dicuntur foetus, ſeu fructus ſphaerici minores herbarum, frutitum, arborumue, qui diſperſius rariuſque naſcuntur: vel quicunque parui ſunt, ſucculenti et rotundi, vt ribeſia, fraga, baccae lauri, iuniperi, plerumque molles. Tenui membrana tecti ſunt, et ſemina in ſubſtantia pulpoſa nidulantia continent: atque in hoc ab acinis differunt, quod iis denſius proueniant. (Bacca eſt pericarpium, cuius ſemina in molli pulpa haerent; ea vel infiguntur pulpae, vt in fragaria, vel teguntur pulpae ſubſtantia, vt in baccis vuarum, haeque vltimae ſaepe pro numero ſeminum in mono-di-tri-poly-pyrenas diuiduntur). *Bacca*, forte a Baccho, quia vitis, baccas producens, Baccho dicata. Ge. Beeren. G. *Baye.* A. *A Berry.* B. *Bezie.*

BACCAR, BACCARIS, eſt herba odorata. Sic dicitur quaſi πάγχαρις, *omnibus grata*, propter eximiam fragrantiae gratiam in radice cinamomum redolente, vel nomen accepit ἀπὸ τῦ βακχάω, χάρις, quod ex eo coronae bacchantium more, vt ex hedera, geſtatae ſint. Hodie denotat plantae genus ad Syngeneſ. Polygam. ſuperfl. pertinens, cuius character eſt: receptaculum nudum; pappus piloſus; calyx imbricatus cylindricus; floſculi foeminei hermaphroditis immixti.

BACCHIA ſunt vari faciei cum nodis maculiſque coloratis, chronicis.

BACCHICA, vide *Hedera.*

BACCINIA et BACCINIVM, eſt *Vaccinium*, ſic dictum, quod baccas producat.

BACILLI, nomen imponitur medicamentis figura bacillorum oblonga, ſeu tereti, vt bacilli, ſeu candelae odoriferae. — Item et bacilli ex glycyrrhiza cocta, ab vna extremitate contuſi, qui linctui inſeruiunt, vt olim in affectibus pulmonum et tuſſi, vel aſthmate, a Galenica et Arabica medicorum turba praeſcribebantur. — Item vocantur candelae fumatoriae.

BADIAGA, eſt planta aquatica, ad *Algarum* ordinem pertinens, ſpongioſa, ex multis fibrillis herbaceis quaſi contexta, fragilis et friabilis, ſi ſicca; ſemina ſunt grana rotunda, coloris albidi, in altera parte inſtar lapidum cancri excauata: odor plantae eſt teter et piſculentus. Eſt planta apud Moſcouitas in frequenti vſu contra liuores oculorum et aliarum partium a verberibus, quos puluis impoſitus vna nocte tollere dicitur. Vide de hac Comment. Petropol. Vol. 2.

BADIAN, vel BADIANA, eſt *Aniſum ſtellatum.*

BALAENA, vide *Cete.*

BALANDA, aliis VALANIDA, eſt *Eſculus*, cuius fructus glandiformes ſunt. Ex βάλανος, glans, et εἶδος, forma.

BALANEVM, vide *Balineum.*

BALANOCASTANVM, eſt radix tuberoſa, quae etiam *Bulbocaſtanum* appellatur. Ex βάλανος, glans, et κάστανα, caſtanea.

BALANVS, seu GLANS, est penis suprema pars, praeputio tecta. Βάλανος, Κύτταρος, *Suidae* et *Hesychio*. Ge. Die Eichel. G. *Le Gland*. A. *The head of the yard*. B. *Het hooft der mannelyke roede*. — Item *clitoris Muliebris*. Vide *Clitoris*.— Sic etiam oblongi et duri quidam fructus et radices appellantur, vt iuglans, quasi Iouis glans.— Item glans Quercus, Bulbocastanum, etc. Ge. Eine Eichel. G. *Gland*. A. *A Acorn*. B. *Eckels, vollen*. Item *Suppositorium*, et *Glans*. Quae suo loco vide.

BALANVS MYREPSICA, siue NVX VNGVENTARIA, AVELLANA INDICA, venit ex Aegypto, Arabia, Aethiopia, Syria et Barbaria. Fructus est arboris Tamarisco simili, magnitudine auellanae nucis, intus nucleum continens pinguem et oleosum, veluti Amygdalae. Plinio dicitur *Myrobalanum* Arab. *Habel Ben*, vel *Ban*, ab aliis *granum Ben*, in officinis *Ben*. Turcis *Hebelben*. Vsus internus ob vires drasticas suspectus est. Oleum expressum lentigines tollere, nitidamque reddere cutim dicitur. Ex βάλανος, glans, et μύρον, vnguentum. Vide *Ben*.

BALATRO, siue BAMBALIO, est vitium linguae in laxitate consistens musculorum, aut vinculi, in quo adest nimia oris saliua.

BALAVSTIVM, est flos mali punicae (Icosandr. Monogyn. *Punica Granatum* foliis lanceolatis, caule arboreo *Linn.* Malus punica satiua *Bauh.*) coloris punicei, saporis adstringentis, cuius vsus frequentissimus in gargarismatibus est. An a βλαστεῖν, germinare. Ge. Granatapfelblüthe. G. *Les Balaustes ou fleurs du Grenadier*. B. *Granaatappel bloeisel*.

BALBVTIES, Gr. Ταυλότης, Ταυλισμὸς, Ψελλότης, et Ψελλισμὸς. Huc pertinet *Blaesitas* et *Blaesa lingua*; *Balatro*, et *Bambalio*. Est vitium in musculis et organis loquelae, vel idiopathicum, vel symptomaticum, vt in apoplexia, hemiplegia, etc. Estque vox tarda et interrupta, varie flexa, et in quibusdam literarum pronuntiationibus admodum difficilis, hinc, cum eas efferre non possunt, alium sonum et inarticulatum, siue sibilum, et aspirationem eo conatu, quo difficultati mederi volunt, adspergunt, subinde silent, mox contentiore voce excutiunt incondita quaedam, incongrua oris et linguae contorsione. Porro tremulo sono certa vocabula loquuntur, et os habere solent humore nimium madens, quem saepe cohibere non possunt, quin effluat. Tandem hoc habet balbuties, quod alio tempore maior sit, alio minor: hinc sani, et qui bene loquuntur, nimium si festinent, vel delirantes, saepe balbutiunt. Ge. Das Stammeln. G. *Beguayement*. A. *A Stuttering, stammering*. B. *Stameling*.

BALINEVM, BALANEVM, siue BALNEVM, est proprie fomentum aquosum, calidum, vel frigidum, superficiei corporis externae, cute tectae, adplicatum, corpori potissimum curando, detergendo, emolliendo, alliciendo, fouendo, quin et sudando deputatum: nam est totius corporis lotio. Non raro tamen et pro lotione partium solummodo inferiorum sumitur, quas *Insessus* et *Semicupia* vulgo vocant. Estque vel *Siccum*, vel *Humidum*. Sicca balnea parantur ex cineribus, sale vulgari, arena, chalybe limato, etc. *Humida* sunt vel *vaporosa*; vel *aquosa*. *Vaporosa* fiunt et coctione radicum, herbarum, florum, seminum, etc. cuius vapor tantum suscipitur. *Aquosa* sunt vel *artificialia*, quae parantur ex decoctis medicamentis. Vel *mineralia*, quae, si calidae scaturiant, *thermae* vocantur, quarum aquae salinas, terreasque particulas, elasticum spiritum, ferrum, etc. maiori, vel minori copia continent. Vide *Thermae*. Ex βάλλω, pello, et ἀνία, tristitia, seu morbus. Sed haec potius est allusio, quam etymologia vera. Proxime enim venit a βαλανεύς, *balneator*, et hic forte a βάλανος, glans vnguentaria. Ge. Ein Bad. G. *Un Bain*. A. *A Bath*. B. *Water-Bad, Bad*. Conf. *Balneum*.

BALISTAE OS, vide *Astragalus*.

BALLOTE, est planta (Didynam. Gymnosperm.), quae habet caules fortes, quadratos, lanuginosos, rubicundos, folia sibi inuicem opposita, maiora, et oblongiora marrubio albo, cordata, indiuisa, serrata, melissam referentia, sed obtusiora, magis rugosa, in margine incisa, coloris viridis subfusci, odoris foetidi; flores monopetalos, labiatos, (labio superiori crenato concauo) verticillatos, coloris rubri; semina quatuor oblonga, in capsula hypocrateriformi quinquedentata, quae flori tanquam calyx inseruit, inclusa; radix fibrosa, perennis: sic dicitur παρὰ τὸ βάλλειν, καὶ οὖτα, quod ad inueteratos aurium dolores sit efficax. Vocatur *Marrubium*, a foliorum similitudine, et *Nigrum*, a caulis colore, qui niger est respectu Marrubii albi. Habet odorem virosum, vt castoreum. Ge. Schwarzer Andorn. G. *Marrube noir ou Marrube puant*. A. *Stinking Horehound*. B. *Swarte Malrove, stinkende Andoren*.

BALNEVM, vide *Balineum*. — Vtuntur tamen etiam hoc vocabulo chymici vario modo. Habent enim *Balneum* arenosum, cinereum, martiale, etc. cum retorta, vel cucurbita, in arena, vel in cineribus, vel chalybis limatura, col-

locatur. *Balneum Maris*, quod hoc signo notatur B. M. et M. B. est, cum eadem instrumenta aquae calidae imponuntur; et cum *vaporosum*, s. *rorsi*, dicitur, instrumenta tantum vaporem aqueum excipiunt, vel corpora sudationi exponuntur. Ge. Im Bade destilliren. G. *Bain*, *Bain Marie*, *Bain de vapeur*. A. *Destillation in the Bath*. B. *In 't Bad distilleren*.

BALNEVM LACONICVM, i. q. *Sudatorium*, s. Caldarivm. Ge. Eine Schwitzstube.

BALSAMATIO, idem quod *Conditura*.

BALSAMELLA, idem quod *Balsamina*.

BALSAMICA proprie vocantur lacrymae plantarum inflammabiles, odoriferae, mollioris consistentiae, qualia etiam *Balsami* nomen retinent. Sed alia etiam medicamenta composita, simili virtute condiente praedita, eodem nomine gaudent, quippe quae huiusmodi balsama natiua ingrediuntur. Ge. Balsamische Mittel. G. *Balsemagtige middelen*. Conf. *Balsamus*.

BALSAMINA, seu BALSAMINA FOEMINA, (*Impatiens Balsamina Linn.* Syngenes. Monogam. Corolla plerumque pentapetala, pedunculis vnifloris aggregatis; foliis lanceolatis, superioribus alternis, nectariis, flore breuioribus), habet caules crassos, rectos, ramosos, succulentos, aliquando in parte inferiori rubicundos. Pistillum duobus foliolis stipatum, floris meditullium occupat, abitque deinde in fructum, nunc ex vtraque parte turbinatum, nunc siliquae aemulum, valde contractilem, vi elastica hac illac dissilientem, seminibusque foetum, axi, seu placentae, affixis. Radix fibrosa, alba est. Mirum, vnde ipsi Balsaminae nomen, nam minime balsamum refert, neque est apta ad balsamum conficiendum, sed potius venenata creditur. G. Balsamapfel, Springkraut. G. *Balsamine*. B. *Balsemappel*.

BALSAMINA mas est *Momordicae* species.

BALSAMITA, (*Tanacetum Balsamita* foliis ouatis integris ferratis *Linn.* (Syngenes. Polygam. superfl.) Ageratum foliis serratis *Bauh.*) Est planta, quae habet caules canaliculatos, villosos, ramosos: folia oblonga, in margine incisa; flores flosculosi in summitate caulium congesti sunt, embryonibus insidentes, calice squamoso et quasi hemisphaerico comprehensi; embryones abeunt in semina pappis nequaquam instructa. Radix menthae odore refert, fibrosa est; dicitur et *costus hortorum*, *menta corymbifera*; deriuatur, ob odorem potentem, a voce ba samum. Ge. Kostwurz, Frauenmünze. G. *Coq*, *Herbe du Coq*, *Pasté*. B. *Bak-kruid*.

BALSAMVM, *Balsamum Gileadense*, *Balsamum de Mecca*; eius planta frutex est, seu arbuscula, tres cubitos ad summum alta, folia alens, rutae foliis similia. *Amyris Opobalsamum* foliis pinnatis, foliolis sessilibus *Linn.* (Octandr. Monogyn.). *Syriacum* dicitur rutae folio. Nascitur sponte in Arabia felici, vnde olim in Iudaeam, et hodie in Aegyptum translata, loco quodam occluso, Cairo vicino, quem *Matteam* vocant, colitur. Eius fructus dicitur *Carpobalsamus*; ramusculi *Xylobalsamum*; succus *Opobalsamum*, et Balsamum verum, consistentiae magis, vel minus spissae, coloris aurei, odoris fragrantis et saporis amari, vix tamen, quoad vires, reliqua balsama naturalia superans. Fructus eligatur recens, plenus, ponderosus, gustu mordax. Ramusculi probantur recentes, tenues et odorati. — Ex *Pinobalsamea Linn.* resina liquida ex strobulis inprimis exsudans ad odorem balsami veri Gileadensis accedit, vnde haec arbor Ge. Die Gileadsche Balsamtanne dicitur. G. *Baumier de Gilead*. B. *The Balm of Gilead*. Balsamus hic saepe loco veri substituitur. Confr. *Balsamum Canadense*. Dicitur κατὰ τὸ βαλὸν, καὶ σμᾶσθαι, quod coeleſtem ac diuinam messem reddat. *Hesychius*, βαλὸν, ὕδὸν καὶ ἱερεῖον, καὶ βαλὸς, polum, coelum. Vel *Balsamum* dicitur, quasi *Belsamin*, quod in Orientalibus linguis exercitati dicunt esse, princeps aromatum. *Pausanias*, si recte scribitur, πάλσαμον vocat. Alii Βλάσαμον. Aegyptii *Balassan* nominant. Ge. Balsam. G. *Baume*. A. *The Balsam-Tree*. B. *Balsem*.

BALSAMVS, vel BALSAMVM. Balsami vocabulum pluribus in officinis pharmaceuticis vsurpatur significationibus, pluraque medicamenta balsamorum sub nomine prostant. 1. Denotat genus quoddam *odoramenti* crassiusculi instar vnguenti, vel linimenti, et haec significatio vsitatissima est, e. g. Balsamus rosarum, apoplecticus, et similes. Pleraque haec balsama conficiuntur, dum olea aetherea cum oleo nucis moschatae expresso et odore suo spoliato, quod ideo corpus pro balsamo vocari solet, miscentur. 2. Solent quoque ex gummi resinisue cum spiritu vini liquores destillari, vel digeri, qui extrinsecus illinuntur, balsamique nomine veniunt; vt balsamus neruinus, sciaticus, commendatoris, et similes. Tales plerique *balsami vitae* nominantur. 3. *Inunctorium* liquorem significat, eumque oleo crassiorem, linimento liquidiorem. 4. Balsami nomen sibi vindicarunt *salia fusa et liquata*, vt balsamus salis gemmae. 5. Sunt *singulares* quaedam *praeparationes*, quibus Balsami nomen imponunt; vt balsamum sulphuris, etc. 6. Tandem etiam lachrymae quaedam arboreae balsami vocantur, vt balsamus

Copayuae. 7. Balſamus eſt, quo cadauera condiuntur. Atque ſic commode Balſama in *natiua*, ſ. *naturalia*, ſcilicet ex quibuſdam Vegetabilibus exſtillantia, et in *artificialia* diuidi poſſunt. Ad artificialia pertinet *Balſamus* ſic dictus *vitae Hoffmanni*, ex oleis deſtillatis in ſpiritu vini ſolutis, qui etiam interne nonnunquam datur. Ge. Balſam. G. *Baume*. A. *Balme or Balſame*. B. *Balſem*.

BALSAMVS ARCAEI, ab inuentore ita dictus, et inter digeſtiua celebratiſſimus, componitur ex gummi elemi, terebinthina, ſeuo hircino, et pinguedine porcina, lege artis, ea proportione, quae in diſpenſatoriis praeſcribitur, inter ſe commiſtis.

BALSAMVM CANADENSE, eſt reſina liquida *Abietis Canadenſis*, ſ. *Pini Canadenſis Linn.* ex inciſuris in hac arbore factis exſtillans. Ex *Pino balſamea* ſimilis, gratioris odoris, profluit. Vide *Balſamum Gileadenſe*.

BALSAMVS DE COPAIBA, vide *Copayuae Balſamum*.

BALSAMVS EMBRYONVM nomen habet ab vſu, quem ei interne et externe adhibito adſcribunt, nempe foetum in vtero materno roborare, matrem reficere, hinc abortum praecauere. Componitur e variis aromatibus cum vino Hiſpanico, et aquis quibuſdam ſtillatitiis, infuſis, digeſtis, dein ſecundum artem deſtillatis. Ge. Kinderbalſam.

BALSAMVS INDICVS, vide *Balſamus Peruuianus*.

BALSAMVM IVDAICVM, idem quod *verum*.

BALSAMVS LVCATELLI in phthiſi commendatus, conſtat ex oleo oliuarum, terebinthina Veneta, cera flaua, balſamo Peruuiano, et ſantalo rubro, cum vino canarino coctis.

BALSAMVS PERVVIANVS, vel INDICVS, eſt balſamus, ex locis, vnde affertur, nomen habens: colligitur leni inciſione ex arbore quadam in Peru et Braſilia, cuius apud varios auctores non eadem eſt deſcriptio. (*Peruifera*. Securidacae an ſpecies? *Linn.* Hoitziloxitl *Hernandez.*). Habetur hoc nomine in officinis liquor oleoſus, limpidus, ex albo flaueſcens, terebinthina tenuior, ſaporis acris et amaricantis, odoris aromatici, atque is quidem *Balſami Peruviani albi* nomine venit, et genuinus apud nos admodum raro inuenitur. *Balſamus* vero *Peruuianus niger* ex eiuſdem arboris cortice et frondibus coctione elici, et poſt hanc aquae ſupernatare dicitur, conſiſtentiae mellis, coloris ex rubro nigricantis, odoris aromatici, ſaporis amaricantis. Ad nos allatus in aqua, licet feruida, maximam partem fundum petit; in ſpiritu vini et oleis deſtillatis facile ſoluitur, ſed

ſed connubium oleorum pinguium et expreſſorum reſpuit. Magnas ei laudes adſcripſerunt, hinc interne in variis pectoris affectibus, plerumque vitello oui ſolutus, externe in balſamis et vnguentis vulnerariis frequenter praeſcribitur. Ge. Peruvianiſcher Balſam. G. *Baume de Perou*.

BALSAMVS RACAZZIRA, ſ. RHADASIRI, inter Indiae rariora praecellens, virtutibus Copayba habetur ſuperior, et ad gonorrhoeas praecipue commendatur.

BALSAMVS TOLVTANVS, natiuus eſt Americae meridionalis et cum primis prouinciae Tolutanae, ſtillans ex inciſo cortice arboris, pino, vel, vt alii volunt, pruno, ſimilis, nobis nondum ſatis cognitae: colorem habet aureum, odorem gratum, citro haud abſimilem, conſiſtentiam ſpiſſiuſculam: viribus cum Peruuiano conuenit, ſed rarior eſt. Saepiſſime tamen cum hoc adulterari dicitur. Immo ſunt, qui balſamum Tolutanum album et nigrum eundem cum balſamo Peruuiano eſſe credant.

BAMBALIO, idem quod *Balatro*.

BAMBAX, idem quod *Bombax*.

BAMIA MOSCHATA, idem quod *Abelmoſch*.

BAMMA, eſt tinctura, ſeu liquor, in quo aliquid tingitur, aut madefit, vt panis iuſculo immerſus, a βάπτω, immergo. Ge. Brühe, da man was eintunkt, einweicht. G. *Immerſion, Trempement*. A. *A Liquor in which any thing is dipped*. B. *Een Indoopſel*.

BANILLA, idem quod *Vanilla*.

BAPTISECVLA, vide *Cyanus*.

BARAS, Arab. Idem quod *Alphus*.

BARBA, eſt labiorum et menti pars piloſa. Ge. Der Bart. G. *La Barbe*. A. *The Beard*. B. *De Baard*.

BARBA, botanicis dicuntur pili paralleli in quibuſdam partibus plantarum prouenientes. *Barba* quoque vocatur pars inferior galeae oppoſita florum monopetalorum irregularium, ſeu labiatorum, quae vel integra, vel bi- vel tripartita eſt.

BARBA CAPRINA, vel CAPRI, herba eſt, quae ita vocatur a florum figura, quae caprinam barbam referre videtur. Vide *Vlmaria*.

BARBA HIRCI, idem quod *Tragopogon* et *Vlmaria*.

BARBA IOVIS; variis plantis papilionaceis hoc nomen datur. Inter eos inprimis eſt: *Anthyllis Barba Iouis Linn.* (Diadelph. Decandr. fruticoſa, foliis pinnatis aequalibus tomentoſis, floribus capitatis.) Barba Iouis cretica eſt *Anthyllis Hermaniae Linn.* — Si ſtannum in amalgama redactum cum duplo

mercurii ſublimati deſtillatur, et acidum, ſ. *ſpiritus ſalis fumans Libauii*, praeparatur, ſtanni non parca portio ſub forma floccorum albiſſimorum collo retortae accreſcit, quos chemici *Barbam Iouis* dicunt.

BARBAREA, eſt herba *S. Barbarae* dicata. Eſt *Eryſimum Barbarea Linn.* Ge. Winterkreſſe, St. Barbenkraut. G. *Herbe de St. Barbe.* A. *Wintercreſſes. Kriket.* B. *Winter Kerſſe.*

BARDANA, eſt *Lappa.* Forte a Bardus, hoc eſt hebes, quia folia habet mollia et hebetia. Vide *Lappa.*

BAROMETER, eſt inſtrumentum quo mediante mercurio vaſe vitreo incluſo grauitas et elaſticitas aëris metitur, a βάρος, ouus, et μετρέω, metior.

BARYOCOCCALON, eſt *Stramonium*, ſiue pomum ſpinoſum, ac ſi diceres, quod ſit nux, grauem ſomnum producens, ex βαρὺς, grauis, et κόκκαλος, nucleus.

BARYECOIA, eſt audiendi grauitas, ex quocunque vitio organi auditus oriunda, ex βαρὺ, graue, et ἀκούω, audio. Gr. βαρυηκοΐα. Ge. Schweres Gehör, Taubheit. G. *Surdité.* A. *Hardneſs of hearing.* B. *Swaarhorigheid.*

BARYPHONIA, eſt loquendi grauitas, a βαρὺ, graue, et φωνὴ, vox. Ge. Schwere Sprache. G. *Difficulté en parlant.* A. *Difficulty of ſpeaking.* B. *Een moeyelykheid in het ſpreken.*

BARYPICRON, eſt abſinthium latifolium: quaſi diceres, ſupra modum amarum. Ex βαρὺ, graue, et πικρὸν, amarum.

BASILARE OS, vulgo denotat *Os Sphenoides*; et *Palati os.* Significat quoque *Occipitis os*, quod et *Os prorae*, *Os membriae*, vel *Os pyxidis* dicitur. Gr. Ἰνιον. Ge. Das keilförmige Bein. G. *l'Os ſphenoide.* B. *Het Wigge-been.* Proprie tamen oſſis occipitis proceſſus cum oſſe ſphenoideo connexus *proceſſus baſilaris* vocatur, quia baſin cranii conſtituit.

BASILICA, eſt vena brachii interna, continuatio trunci venae axillaris, *hepatica* etiam dicta, a βασιλεύω rego, quia hepar princeps organum ſanguificationis a veteribus aeſtimatum fuit. Ge. Die Leberader. G. *La veine baſilique.* A. *The baſilick vein.* B. *Lever-ader.*

BASILICVM, eſt medicamentum viribus pretioſum, et caeteris excellens, a βασιλεύω, rego: hoc nomine tamen plerumque officinale vnguentum quoddam digeſtiuum inſignitur.

BASILICVM, eſt ocimum, herba odorifera. Eſt planta flore monopetalo labiato, (Didynam. gymnoſperm.) *Ocimum baſilicum Linn.* foliis ouatis glabris, calycibus ciliatis. Pollet vi neruina, cordiali et pellente. Ge. Baſilien- oder Baſilickenkraut: G. *Baſilic.* A. *Baſil.* B. *Baſilicum.* Sic

dicta ob vires, quas praeſtat, regias. Βασιλικὸν eſt regium: a βασιλεὺς Rex.

BASIOGLOSSVM, eſt par muſculorum linguam deprimens et retrorſum trahens, ortum a baſi oſſis hyoidis, finitur prope linguae cuſpidem, fibris ſecundum longitudinem, et aliquatenus oblique ad latus excurrentibus: ex βάσις, fulcimentum, et γλῶσσα, lingua. Ge. Die Grundmuskeln der Zunge. G. *Muſcles baſiogloſſes.* A. *Muſcles that depreſs the tongue.* B. *De Tong neerdrukkende Spieren.*

BASIOPHARYNGEI, ſunt duo exigui muſculi a baſi oſſis hyoidis orti, pharyngi inſerti, oſque hyoides verſus pharyngem trahentes.

BASIS, dicitur de omni parte, quae aliis ſuſtentaculo inſeruit; vel quae format vnum ex lateribus partium, quae figuram triangularem habent. Sic *Baſis cordis*, eſt ſuperior pars mucroni oppoſita. Item pars media, ſeu ſuſtentaculum oſſis hyoidis pro lingua: et occipitis os pro ſuſtentando cerebro, etc. *Baſis cranii* eſt pars inferior caui cranii, quae cerebrum, cerebellum et medullam oblongam fulcit. *Baſis* in ſalibus eſt terrea, metallica, vel alcalina eorum pars, quae efficit, vt acida iis admiſta cryſtallos forment. Item in formulis praeſcribendis praecipuum ingrediens: a βαίνω, incedo. Ge. Der Grund, Boden eines Dinges. G. *Baſe.* A. *The baſe of any thing.* B. *Onder-ſteunſel, grond, voet.*

BATATTAS ſunt radices farinaceae eſculentae *Conuoluuli Batattas Linn.* dulcis ſatis ſaporis. In India, nec non in Luſitania et Hiſpania proueniunt. Ge. Batatte. G. *Batate d'Eſpagne.* A. *Batattas.*

BATHMIS, eſt ſinus in oſſe brachii, ſeu humeri, vtrinque ſinguli, in quos cum extenditur flectiturque cubitus, vlnae ipſius coronae, ſiue proceſſus, ingrediuntur: a βαίνω, ingredior. Ge. Armhöhle, Höhle am Armbein. G. *Sinus ou foſſe de l'os du bras.* A. *The inmoſt proceſs of the Shoulder bone that receives the Ulna.* B. *Een Inboek van 't ſchouder-been.*

BATHRVM, Βάθρον, eſt ſcamnum ſeu ſubſellium chirurgicum ab *Oribaſio* deſcriptum, ad reponendas vertebras luxatas.

BATHYPICRON, eſt *Abſinthium latifolium.* Significat profunde amarum, ex βαθὺ, profunde, et πικρὸν, amarum. Vide *Barypicron.*

BATINON MORON, eſt fructus *Rubi idaei*; βάτος enim eſt rubus.

BATIS et BATOS, eſt *Rubus*, vt docet *Nicandri* ſcholiaſtes. Dicitur, quod indomita ſit planta, acceſſumque propter ſpinas, quibus valde pungit, non admittat. Εἴρηται, inquit, βάτος διὰ τὸ ἄβατος εἶναι. A contrario igitur nomen impoſitum, βάτος, a βατεύω, vado, aditus, acceſſus, βατὴ γῆ, terra facilis acceſſus: huius fructus βάτινον vocatur.

BATRACHIOIDES, ſunt variae *Geranii* ſpecies, Batrachio quoad folia ſimiles, quae ab autoribus botanicis hoc nomine inſigniuntur. Tales ſunt, iuxta Ill. *Linn. Geranium phaeum, ſylvaticum, paluſtre, pratenſe, Bohemicum*, etc. (Monadelph. Decandr.). Ex βάτραχος, rana, et εἶδος, forma. *Batrachion* enim eſt *Ranunculus*.

BATRACHIVM Graecis, *Ranunculus* Latinis. Nonnulli *Agreſte apium* dicunt. Apuleius nominat *Sceleratam*. Perperam *Pes cerui* vocatur. Alii *Flammulam*, ab vrendi facultate, appellant. *Batrachion* autem, ſiue *ranunculus*, dicta eſt haud dubie, quod limitibus humidis opaciſque marginibus ranarum more laetetur, aut quod aquis, vbi ranae degunt potiſſimum, gaudeat, aut quod ſub eius vmbra ranae frequenter inueniantur. *Agreſte* vero *Apium*, ſeu *Apiaſtrum*, quod foliis Apium aemuletur. *Scelerata;* eo quod comeſta noxia ſit. Vel, quod magis arridet, quia ſucco eius acri validi ſceleratique mendicantes ſibi crura et lacertos dilaniant, quo poſſint impudentius ſtipem extorquere, atque hac impoſtura pecuniolam aucupari. Βάτραχος eſt rana. Vide *Ranunculus*.

BATRACHVS, RANA et RANVLA, ſeu HYPOGLOSSIS, eſt tumor ſub lingua ſcirrhoſus, cyſticus, ſuppuratorius, vel inflammatorius, continens nonnunquam in folliculo materiam meliceridis ſimilem, linguam tumidam et loquelam difficilem reddens, vnde coaxando vox producitur, a βατραχίζω, ranas coaxando imitor. Comp. ex βοή, vox, τραχεῖα, aſpera, et ἔχω, habeo. Forte etiam, quia velicae ſimilis eſt, quae in ranis ſub ore, dum vocem edunt, apparet. Germ. Eine Geſchwulſt unter der Zunge, Fröſchlein. G. *Le Batracos, ou grenouille.* A. *A Diſeaſe under the tongue.* B. *Een kikvorſch geſwel.*

BATTITVRA vocatur metallorum ſquama, quae inde ſeparatur, dum malleo tunduntur. Ge. Hammerſchlag.

BAVCIA, dicitur *Paſtinaca ſylueſtris*. Forte a iucunditate; βαυκὸς enim eſt iucundus. Alii *Brancam leoninam*, aut *vrſinam*, ita vocant.

BDELLAE, Βδέλλαι, idem quod *Sanguiſugae*. Vide *Hirudo*. *Hippocrati Bdellae* ſunt venae tumidae et varicoſae in faucibus.

BDELLIVM, eſt gummi, aut lachryma reſinoſa, myrrhae guſtu et colore proxima, ſed cuius arboris, incertum eſt. Putant tamen nonnulli, prouenire ex arbore, quam vocant, *Bdelliferam* lacteſcentem aculeatam, foliis quernis, ſpinis geminis ad ortum ſingulorum foliorum. Vide *Dale* Pharmcol. Palmae ſpecies eſſe videtur. Si bonum, guſtu erit ſubamarum, translucidum, cum frangitur, pingue, cum fricatur, odorum, facile molleſcens et flammam concipiens, eamque cum ſtrepitu pertinaciter alens, a βδέλλω, foeteo, pedo. Viribus gaudet vulnerariis, reſoluentibus, emollientibus, thoracicis et emmenagogis. Mithridatium, nonnulla emplaſtra et vnguentum Apoſtolorum ingreditur.

BECABVNGA, ſ. BECCABVNGA, eſt veronicae aquaticae ſpecies, cuius eſt vox male ficta. Eſt planta flore monopetalo rotato multifido. (Diandr. Monogyn.) *Veronica Beccabunga* racemis lateralibus, foliis ouatis planis, caule repente *Linn.* Anagallis aquatica maior folio ſubrotundo *Bauh.* Habitat circa Europae ſtagna et riuulos. Qualitatis quidem ſubinſipidae et oleraceae eſt, bono tamen cum effectu, vna cum acrioribus plantis antiſcorbuticis, plerumque ſub forma ſucci expreſſi, adhibetur. Ge. Bachbungen, Waſſerbungen G. *Mouron d'eau, Berle.* A. *Brook-lime, Becabung.* B. *Beeke-Boom, Water-kers, Boek-bunge, Waterbunge.*

BECION, eſt *Tuſſilago* ſeu *Farfara*. Sic dicitur, quia pectoris morbis medela eſt, βὴξ quippe tuſſis eſt, et βήττω, tuſſio.

BECHICA, ſunt medicamenta tuſſim inhibentia, eiuſque cauſas corrigentia, vel excretionem humorum per ramos aſperae arteriae facilitantia. Lat. *Pectoralia;* a βήττω, tuſſio. Vnde βὴξ, tuſſis. Ge. Arzeney für den Huſten, Bruſtmittel. G. *Remedes pour la poitrine.* A. *Expectorating Medicines.* B. *Borſt-middelen.*

BEDEGARIM, ſeu BEDEGVAR FVNGVS, eſt nidus inſectorum ad ramos *roſae caninae*. Vide *Spina alba*.

BEEN, ſ. BEN, vide *Behen*.

BEHEN, duae radices, ſcilicet *rubrum* et *album* in officinis proſtant. *Behen rubrum* eſt radix *Statices Limonii* (Pentandr. Pentagyn.) ſcapo paniculato tereti, foliis laeuibus eneruiis, ſubtus mucronatis *Linn.* Vtrique vires cordiales et alexipharmacae ab Arabibus attribuuntur. Rarior apud nos harum radicum vſus eſt. Ge. Rother Widerſtoß, rother Behen. G. *Limoine, Behen rouge.* A. *Sea Lauender.* B. *Limoen-kruid.* — *Behen album* eſt ſecundum alios *Centaurea Behen Linn.* Ge. Der morgenländiſche weiße Widerſtoß,

Schachtkraut. G. *Been blanc.* A. *Spatling Poppy, white Been.* B. *Whit Been* vel *Lychnides* ſpecies. — BEN NVX, eſt i. q. *Balanus Myrepſica*, ſeu *Glans vnguentaria.* Arbor, in qua creſcit, eſt *Guilandina moringa Linn.* Vide *Balanus Myrepſica.* Ge. Bennuß, Zeylaniſche Oelnuß. Oleum ad vnguenta varia ac vt coſmeticum adhibetur. Subſtituitur ei ſaepe oleum ſeſami, vel myagri quoque.

BEID-EL-OSSAR, vel BEIDELSAR, eſt *Apocynum Syriacum Plukenet.* vel *Aſclepias gigantea* (Pentandr. Digyn.) foliis oppoſitis planis, amplexicaulibus oblongo-oualibus *Linn.* Succus lacteus interne vires venenatas, externe diſcutientes exſerit. Pappus elegans ad lectos conficiendos adhibetur.

BELEMNITES, eſt lapis, plerumque vltra digiti longitudinem non aſſurgens, teres, in apicem obtuſum deſinens, aliquando plenus, aliquando concauus, terram, vel arenam, recondens, coloris albi, cinerei, aurei, pellucidus interdum, iuxta longitudinem habens rimam. Nomen ἀπὸ τοῦ βέλους, id eſt ſagittae, effigiem repraeſentat: dicitur et *Lyncurius*, quod ex vrina lyncis conflari falſo putent: vel *Dactylus Idaeus*, quod in monte Ida reperitur. Olim in aere naſci et cum fulgure in terram decidere putabatur. Hodie tamen auctores plerique ad foſſilia petrificata referunt, licet archetypus eius nondum cognitus ſit. Eſt *Helmintholithus Belemnites Linn.* Petrificatum Holothurii *Waller.* et *Schreber.* Helmintholithus nautili conici *Gronov.* Tubulus marinus *Klein.* Tubulites polythalamius coniformis, cauitate coniformi baſeos *Woltersdorf.* Sunt, qui ei virtutem antiepilepticam tribuunt. Ge. Pfeilſtein, Luchsſtein, Donnerſtein. G. *Belemnite ou Pierre de Lynx.*

BELENOIDES, eſt proceſſus ſtyloides, cranii, baſi et quidem oſſi temporum, infixus, a βάλλω, iacio, vnde βέλος, ſagitta, et εἶδος, forma. Ge. Der Griffelförmige Fortſatz. G. *Apophyſe ſtyloide.* A. *The proceſſus ſtyloides.* B. *Priem-wys uitſteekzel.*

BELLADONA, *Atropa Belladonna*, caule herbaceo, foliis ouatis integris *Linn.* Solanum maniacum *Bauh.* Eſt planta, quae caules dimittit ad altitudinem quatuor pedum, qui ſunt craſſi, rotundi, ramoſi, villoſi; coloris rubicundi, obſcuri. Folia ſolani, ſed duplo, vel triplo, maiora, et latiora, oblonga, mollia, non angulosa, aliquantum villoſa, aut lanuginoſa. Flores ex alis foliorum erumpunt, monopetali, campaniformes, vt plurimum in quinque partes laciniati (Pentandr. Monogyn.); coloris albi et purpurei: flori ſuccedit fructus fere rotundus, mollis, ceraſum aemulans, niger, ſplendens, in duo loculamenta diuiſus, continens ſemina, placentae affixa, rotunda, vel ouata. Radix eſt longa, craſſa, albeſcens, in multos ramos diuiſa. Haec planta creſcit in ſyluis. Nomen eſt corruptum, ex lingua Italica, et ſignificat pulchram ac ornatam matronam. Alii putant corruptum eſſe ex *Bellonaria*, quo modo ſolanum ſomniferum vocari ſcribit *Apuleius.* Ob vim narcoticam et phantaſticam haec planta multis iam noxis infamata eſt, quas imprudens eſus baccarum attulit. Medici quidam laudant aliqua experimenta ad cancrum vſu huius plantae curandum; alii alia ab ipſa expetunt. Foliorum quoque puluerem nonnulli in multis morbis deſperatis, cancro, hydrophobia, etc. commendant. Draſticam vim habent fructus. Delirium aliquod, cum deglutitionis manifeſta laeſione haec planta inferre ſolet; et necem intuliſſe illis, qui copioſe aſſumſerunt, obſeruatum eſt. Ge. Tollkirſchen. G. *Belle-Dame, Bella donna.* A. *Deadly Nightshade.* — *Bella Donna* eſt etiam ſpecies Amaryllidis, *Amaryllis Belladonna Linn.* Hexandr. Monogyn. ſpatha multiflora, corollis campanulatis aequalibus, vngue reflexis. Lilium rubrum *Merian.* Lilio-Narciſſus polyanthos, flore incarnato; fundo ex luteo albeſcente. *Sloan.* Habitat in India Orientali et Occidentali: apud nos in hortis colitur.

BELLICVLVS MARINVS, i. q. *Vmbilicus marinus.*

BELLIS, BELLVS FLOS, et HERBA MARGARITA, eſt proprie plantae genus, flore compoſito radiato, (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) cuius ſpecies *Bellis perennis* ſcapo nudo *Linnaei Bellis minor Pharm.* eſt. *Maior* vero *officinarum* eſt *Chryſanthemum Leucanthemum* foliis amplexicaulibus oblongis, ſuperne ſerratis, inferne dentatis *Linn.* Gaudent viribus reſoluentibus, vulnerariis et antiſcorbuticis, cumprimis recentes. E Bellide minori conficitur tinctura florum Bellidis, ſeu etiam ex rubra hortenſi, quae varietas eſt. Minor eſt planta parua, humilis, quae habet folia parua, oblonga, laeuigata, in extremitate ſua circularia, repentia, quaedam parum crenata, alia integra. Vbique in pratis nota. Sic fortaſſe vocatur, quod in pratis vbique bellum et laetum aſpectum praebeat, hinc bellus, quaſi pulcher, dicitur; vocatur et *conſolidago*; quia ſucco ſuo glutinoſo vulnera conſolidat. Ge. Maßlieben, Monatblümlein, Gänſeblume. G. *Marguerites, Paſquettes.* A. *Daiſies.* B. *Madelieven, Maagdelieven, Margrieten, Kerſouwen.*

BEN, vide *Balanus Myrepſica* et *Been.*

BENEDICTA AQVA RVLANDI, eſt vinum emeticum ex vitro, vel croco antimonii paratum.

BENEDICTA HERBA, vide *Caryophyllata.* Benedicti epitheton aliis non modo ſimplicibus, ſed et compoſitis, datum fuit remediis, quae blandum effectum ederent.

BENIGNVS MORBVS, eſt, qui nulla vehementia et ſaeua, ſupra ordinarium curſum, habet ſymptomata. Ge. Eine gutartige Krankheit. G. *Maladie Benigne.* A. *A mild diſeaſe.* B. *Een goedaardige Ziekte. Benigna* etiam dicuntur medicamenta, quae ſine vehementia operationes ſuas peragunt.

BENZOIN, gummi reſina eſt, vt dicunt arboris procerae, egregiae formae, recti caudicis, et mediocris magnitudinis, habens viri plerumque craſſitiem. Creſcit in India orientali, et eſt *Croton Benzoe* foliis linearibus ſubrepandis nudis, venis rubris. *Linn. Mantiſſ.* Fructus fert rotundos, ſed compreſſos, magnitudinis paruae nucis auellanae, et incluſi ſunt tunicae, inſtar nucum iuglandium, quae tamen aliquantulum piloſa eſt. Folia profert tenera et mollia, inferius pallido viridia, ſuperius vero ſaturate viridia. Nucleus huius fructus ſaporem habet ingratum et amarum. Arbor quinquennis, vel ſexennis, vſque ad lignum ſecundum longitudinem vulneratur, vnde liquor albus, tenuis, viſcoſus, glutinoſus et pellucidus exſtillat, qui ſolari calore induratur, vnde duplex gummi, album et citrinum, vel craſſius et obſcuri coloris. Eſtque valde odoratum, et ſi bonum, pellucidum, amygdalis ſimile, globulis candidis refertum, thuris aemulum, citrineſcens. Hanc arborem etiam in America creſcere putabant. Arbor Virginiana Benninifera citri, vel limonii, folio *Boerhav. Laurus Benzoin* foliis eneruiis ouatis vtrinque acutis integris annuis *Linn.* (Enneand. Monogyn.); ſed perperam hoc factum eſſe *Linn.* in *Mantiſſa* monet. Reſina tota in ſpiritu vini rectificato ſolubilis eſt. Vires ſunt neruinae, expectorantes, balſamicae. Praeſtant in officinis *Flores benzoes, Magiſterium benzoini Pharm. Brand. Tinctura benzoes,* et quod ex hac et affuſa aqua fit, *Lac Virginis.* Vocatur et *Aſa dulcis.* Ge. Benzoin. G. *Benzoin.* A. *Benjamin, vel Benzoin.* B. *Benzoin.*

BERBERIS, eſt magna arbuſcula, ramoſa, ſpinoſa, corticem tenuem et politum habens; folia oblonga, parua, viridia, in margine inciſa, aliquantulum aſpera, ſaporis acidi. Flores roſacei, (Hexandr. Monogyn.) in paruos racemos congeſti, et multis paruis foliis flauis inſtructi ſunt; his ſuccedit fructus tener, paruus, oualis, ſucco plenus,

poſt maturitatem coloris rubri, ſaporis acidi, adſtringentis, grati; ſemina oblonga, dura, coloris fuſci, in ſe habens. Radix eſt compreſſa, lignoſa, intus flaua: haec arbuſcula creſcit in Europa in dumetis et locis incultis. Dicitur et *Oxyacantha,* idque a ſpinarum acuminatis cuſpidibus. Eſt *Berberis vulgaris* pedunculis racemoſis *Linn.* E baccis, quarum vis refrigerans, attenuans et antiputredinoſa eſt, proſtant in officinis ſyrupus, ſuccus et rotulae, in febribus putridis et cholera conducentes. Cortex internus flauus et amarus leniter purgat, et ictero medetur. *Berberis* eſt vox origine Barbarica, et ab ea voce videtur deſcendere *Barbar, Barbaris,* et *Berberis:* nonnulli deriuant ab *Amyrberis Auicennae,* vnde mutatis quibusdam literis *Berberis* deuolui putant: vocatur etiam *Spina acida* et *Creſpinus,* vel *Criſpinus,* ab Italica voce *Creſpino.* Ge. Sauerdorn, Berbisbeeren. G. *Epine-vinette,* vel *Aigrette.* A. *Barberry-tree, or Pipperidge bush.* G. *Zauſſe-boom, Zuur-boom, Berberiſſe-boom.*

BERIBERI, *Bontio* aliisque morbus familiaris apud Indos: vox eſt barbarica, ſignificans paralyſis ſpeciem, cum quis nictitando genubus et eleuando, ouium inſtar incedat. Acquiritur ſaepe, ſi aeſtu fatigati potum frigidum bibunt auidius, decumbuntue in aere nocturno humido et frigido: motus et ſenſus extremorum hebeſcit cum quadam titillatione, imo quandoque vox ipſa. Curatur frictionibus ſtimulantibus et roborantibus, corporisque exercitatione et decoctis ſudoriferis.

BERTINI OSSICVLA, vide *Oſſicula Bertini.*

BERYLLVS, βήρυλλος, quaſi virillus a virore lapidis. Refertur inter lapides pretioſos. Eſt *Borax berillus* lapidoſus caeruleo-virens *Linn.* Theſſalius, vel aqua marina. Eiusdem, ac Smaragdus, vel chryſolithus, duritiei. In igne colorem amittit, tandemque vitreſcit. Ge. Beryll. G. et A. *Beril.*

BES, alias *Beſſis, Biſſis, Biſſa,* vel *Biſe,* quaſi bis triens, quia $\frac{2}{3}$ duo aſſis trientes, ſeu quod demto librae triente ſupereſt, hoc eſt: Vnciae VIII. vulgo *Marca.* Vox, praeterquam *Celſo, Galeno* et multis aliis vſitata. Olim *Des,* veluti demto triente. Alias libra numularia et octonaria.

BETA, eſt planta culinaria, quae habet folia, ex radice erumpentia magna, polita, ſplendentia, ſatis carnoſa, tenera, viridia, vel albeſcentia, aliquando viridia ſubfuſca, vel rubicunda, ſucco ſaporis nitri plena. Flos eſt apetalus, ſtamineus, in globum collectus, calice quinquefido prehenſus; (Pentandr. Dig.) cuilibet floſculo ſubnaſcitur ouarium, quod eſt vaſculoſum, vno foetum ſemine, fructus tres, quatuorue in

vnum colliguntur. Radix annua, in nonnullis valde carnosa, crassa: inter acetaria mensis apponitur. Dicitur etiam *Cicla officinarum*. Gr. Σεῦτλον, vel τεῦτλον. Nomen accepit, quod figuram litterae Graec. βῆτα, dum semine turget, referat. Nam summitatem in acumine reflexam obtinet. Duae praecipue species in vsu, eoque maxime culinari sunt. 1) *Beta vulgaris* floribus congestis, calycis foliolis basi dentatis *Linn.* Ge. Rothe Rüben. Beta rubra *Bauh.* et *Pharm.* 2) *Beta cicla* floribus ternis, calycis foliolis basi inermibus *Linn.* Beta alba *Bauh.* et *Pharm.* Ge. Mangold, weiße Bete. Nascitur vtraque in Europa australiori. Vtriusque virtus est diluens, humectans et emolliens. Gall. *Bette, Poirée blanche, Bette-rave.* A. et B. *Beet.*

BETEL est planta sarmentosa Indiae orientalis et proprie piperis species; *Piper Betle* (Diandr. Trigyn.) foliis ouatis oblongiusculis, acuminatis, septemneruiis, petiolis bidentatis *Linn.* Piper qui Saururus foliis septi-neruiis oblongo-acuminatis *Burman.* Ob virtutem gingiuas roborantem, qua folia pollent, Indi iis portionem nucis Arecae cum calce conchyliorum inuoluunt, hancque turundam continuo masticant. Vide *Areca.*

BETONICA, est planta, quae habet folia ex radice erumpentia oblonga, satis ampla, viridia, in margine incisa, parum aspera, odoris non ingrati, saporis amari; caulem quadratum, parum rugosum, folia hinc inde bina oppositа habentem; flores in verticillos, deinde ad superiora in spicas digeruntur, galea erecta, imbricata, bifida, barba trifida, segmento medio bifido, maiore. Semina oblonga, in capsula, quae flori tanquam calyx inseruit, inclusa. Radix crassa, fibrosa. Est proprie plantae genus flore monopetalo labiato (Didynam. Gymnosperm.) cuius species officinalis est *Betonica officinalis*, spica interrupta, corollarum lacinia labio intermedio emarginata. *Linn.* Betonica purpurea *Bauh.* et *Tournef.* Prostant in officinis herba, flores, conserua, syrupus, aqua, et emplastrum. Qualitatis est siccae et nidorosae, vires tamen ei neruinae et tonicae tribuuntur, suntque, qui specifice capiti mederi putant. Vsus maxime frequens in infuso. Radix amara, nauseosa, purgans. Κέστρον a Graecis dicta est, hac siquidem voce opus interpunctum, acuue pictum nominauere. Nascitur in pratis, montosis, frigidis et opacis locis, ideoque Gr. ψυχότροφον vocata est, quasi frigus alens. Ab inuentoribus Vetonibus, Hispaniae populis, *Betonica* et *Veronica* appellata est, quod in frigidis locis nascatur. *Antonius Musa*, Augusti Caesaris medicus carmen de Vetonica composuit, merito tamen dubitatur, num eadem sit, quae nostra Betonica, omni quippe fragrantia fere destituta. Dicitur etiam κέφαλον, ab ἀκέομαι, medeor, quia haec planta summi vsus creditur in medicina. Caryophylleus flos etiam vocatur *Betonica*, vel *Tunica*, detractis a betonica duabus literis prioribus. Ge. Betonien. G. *Betoine.* A. *Betony.* B. *Betoni.*

BETVLA et BETVLLA, Gr. Σημύδα. Arbor est, mediocris altitudinis, cuius rami sunt tenues, flexiles, incuruati, cortex exterior trunci est crassus, asper, albus, fissus; interior vero est tenuis, politus instar pergameni, hunc etiam veteres papyri loco adhibebant; lignum album; folia mediocriter lata, acuta, in margine dentata, populo nigrae satis similia, viridia, tenera, polita, saporis amari; (Monoec. Tetrandr.) Flos mas amentaceus, foliosus axi affixus capillaceo longo; fructus loco a flore remoto squamosus, cylindraceus, sub squamis suis recondens semina alata. Ex arbore vulnerata tempore vernali eximia profluit succi quantitas tenuis, limpidi, subdulcis, quo multi, vt remedio diaphoretico, antihydropico et anti-icterico vtuntur. Haec arbor crescit in syluis. Quidam dici putant, quod bitumine scateat; apud *Plinium* enim legitur: *Bitumen ex ea Galli excoquunt:* id quod hodieque faciunt septemtrionales. Vocatur *oleum betulinum.* Malunt alii a batuendo nomen accepisse: batuere enim caedere est. Sic batula, leui mutatione, fit betula. Ge. Birkenbaum. G. *Bouleau.* A. *The Birch-Tree.* B. *Berken-boom.*

BEZOAR, BELZAHAR, BADZAHAR, BEDEZAHER, Arab. Bezoar quidem in genere concrementum calculosum solidum tunicatum in visceribus variorum animalium genitum denotat, magis tamen specialiter apud nos hoc sub nomine venit calculus in et circa ventriculum quorundum animalium ceruis adfinium, seu antiloparum, natus, quiue distinguitur in *Bezoar Orientale*, vel *Occidentale.* Orientale reperitur in *Antilopes.* f. *Gazellae* variis speciebus, quae a *Linnaeo* ad caprae genus referuntur, inprimis in *Capra bezoartica eiusd.* cornubus teretibus arcuatis totis annulatis, quae barbata, seu Algazel *Buffon.* et *Capra Gazella Linn.* seu Pasan *Buffon.* Persis *Pasan* vocantur. Estque animal Persiae ac Indiae orientalis, partim ceruo simile, partim caprae: in cuius ventriculo aliisque cauitatibus internis reperitur. Figuram habet ouatem, rotundam, in meditullio paleam continet, pilos, vel similia; superficies est laeuis et glabra cum splendore,

ſubſtantia e laminis ceparum adinſtar ſibi incumbentibus compacta, variante colore, plerumque atro-virente, hinc dilutius virente, palleſcente, cineritio, fulueſcente, melleo, etc. Odore nullo, niſi conteratur, tum moſchum, aut griſeam ambram redolet. Variat magnitudine et pondere, dantur quoque artificiales, ſed vilipendendi. Omnes lapides Bezoardici non aeque aeſtimantur boni; notam legitimi lapidis profitentur, ſi volae manus cinere aſperſae, vel creta oblitae affrictus, lineam inducat luteam, vel ex luteo virideſcentem. Acus candentis admiſſio, fallax bonitatis teſtis eſt; quia ſi adulterini ex reſinoſa conſtruuntur maſſa, acum vtique admittent; legitimi vero plerique ita indurati ſunt, vt acum candentem reſpuant. Quos *Kaempferus* in natali monte comparauit, et genuinos eſſe nouit, vix candentis acus veſtigium recipiunt, ſed attactu ignis diſſiliunt. Neque eſt nota, addit idem, factitii lapidis, ſi interiores laminae deterioris ſubſtantiae et coloris fuerint: ea enim ex diuerſitate alimenti diſparitas prouenit, dum genitrix beſtia locum paſtus mutat. Pro genuino habet eos, qui inter reſinae et lapidis ſubſtantiam ita ambigunt, vt contuſi in acido nitri, vel ſalis ſpiritu diſſoluantur, ac menſtruum colore ſatis rubente imbuant. Ex lapidis raritate et pretio facile colligitur, Bezoardicos, quibus in pharmacopoeis Europaei vtuntur, non eſſe Perſicos, vti nonnulli volunt, ſed vel ex aliis animalibus, vel ſub alio coelo degentibus, depromtos et ſuppoſitos. *Occidentalis* lapis venit etiam ex capricerua, nulla tamen cornua gerente, Cuguac dicta Peruana. In iis locis animalis, vt de priori dictum, inuenitur, circa rem heterogeneam in cauitate media contentam tunicatim concretus. Orientalibus vt plurimum maior, minusque denſus; ſuperficie ſcabra, colore cinereo, albo, nigro, obſcureue virente, qui optimus. Cum vero occidentales a calculis, qui in animalibus, aliis inprimis ex pecorum ordine in ventriculo reperiuntur vix differant, ex vario brutorum genere videntur deſumi. Vtrumque concrementum morboſum eſt. Vtrique Lapidi Bezoar mirae attribuuntur a quibusdam, inprimis vero a veteribus, vires alexipharmacae et cordiales. Ge. Bezoarſtein. G. A. B. *Bezoar.*

BEZOAR ANIMALE, eſt hepar et cor viperarum ſiccatarum et pulueriſatarum.

BEZOAR DE GOA, vide *Lapis de Goa.*

BEZOAR, ſ. BEZOARDICVM MINERALE, eſt praeparatio e regulo antimonii cum tripla portione nitri detonato fuſo. Chymici ſuperioris ſeculi ex butyro antimonii, acido nitri praecipitato et calcinato parabant. *Bezoar Iouiale* eſt idem, quod *Antihecticum Poterii*, *martiale* vero eſt calx rubiginoſa, quae obtinetur, ſi antimonii et ferri partes aequales cum triplo nitri detonantur. — Nonnulli etiam *Bezoar minerale* terram quandam vocant, quae in Sicilia reperitur, et cui vires alexipharmacas adſcribunt.

BEZOARDICVM, eſt medicamentum alexipharmacum venena et malignitates expellens. Deriuatur nomen a lapide Bezoar. Ge. Gegengift. G. *Contre-poiſon.* A. *An Antidote.* B. *Een Tegengift.* Conf. *Bezoar.*

BIBENELLA, et BIPENVLLA, i. q. *Pimpinella.*

BIBITORIVS MVSCVLVS, ſ. RECTVS INTERNVS, ſeu OCVLVM ADDVCENS, poſitus in maiori angulo oculi, ortus ex foramine orbitae irregulari, anterius bulbo implantatur. Sic dictus, quod introrſum naſum verſus oculum ducat, bibentesque cantharum inſpicere cogat. Ge. Das Trinkmuskelein. G. *Muſcle Adducteur de l'oeil.* A. *The drinking muſcle.* B. *De Drinkſpier.*

BIBLIOTHECA, quaſi βιβλίων θήκη, librorum theca; βίβλος autem ſignificat plantam, quae papyrus dicitur, qua olim chartae conficiebantur.

BICEPS MVSCVLVS, hoc nomen imponitur duobus muſculis, quorum vnus eſt tibiam, alter cubitum mouendo dicatus: qui tibiam flectit, oritur vno capite in tuberoſitate oſſis iſchii, altero in inferiore et exteriore parte femoris, et inſeritur in epiphyſi ſuperiori fibulae. Qui autem cubitum flectit, oritur vno capite a proceſſu coracoideo, altero a cauitate glenoidea ſcapulae, inſeritur tuberculo radii; eius vero aponeuroſis muſculos antibrachii involuit. Ge. Die zweyköpfige Muskeln. G. *Muſcle biceps, ou jumeaux.* A. *The Muſcle with two heads.* B. *De tweehoofdige ſpier.*

BICONGIVS, eſt menſura, duodecim ſextarios continens, dicitur continere viginti quatuor libras vini.

BIDENS, eſt plantae genus (Syngeneſ. Polygam. aequalis) cuius ſpecies maxime vulgaris *Linnaeo tripartita* dicitur. Rarius in officinis adhibetur. Tribuunt tamen ei vires vulnerarias. Ge. Waſſerboſt, Färbekraut, gelb Färbekraut. G. *Eupatoire femelle batarde.* A. *Waterhemp agrimony.* B. *Water-voelkens-kruid-wyfje.*

BIENNIS, dicitur planta altero anno florens, et deinde emoritura.

BIFIDVS et BIFVRCATVS dicitur, quod prius, vel natura ſua, ſimplex, poſtea, ac contra legem naturae, in

duas partes finditur, et duo crura, furcae inſtar, acquirit; ſic muſculi habentur bifidi, ſpina bifida, peluis, vel vreteres bifurcati, etc.

BIFOLIVM, eſt *Ophrys*, et quidem ea ſpecies, quae *Linnaeo ouata* dicitur. Ge. Zweyblatt, Rattenſchwanz. G. *Double feuille.* A. *Tway-blade.* B. *Tweeblad.* Adſtringentis virtutis eſt.

BILIS, eſt duplex, vel quae in hepatis acinis a ſanguine per venam portae allato ſegregatur, vel in veſicula fellea continetur: vtraque per ductum choledochum in inteſtinum duodenum defertur, vt ibi ciborum vlteriori perfectioni inſeruiat, et faeces, a ſecretione chyli relictas, foras conuehat. *Bilis* chemice examinata conſtat ex oleo, ſale volatili, terra et pauca aqua. Ordinario flaua vtraque eſt; tamen quae in veſicula continetur, ſeu *cyſtica*, eſt profundius flaua, ſpiſſior, amarior, quam quae ex hepate continuo deſtillat. Et prior parua tantum copia, compreſſu externo, cumprimis a ventriculo cibis diſtento, excernitur, et alteri permiſcetur; hepatica vero dilutior, pellucidior, blandior, perpetuo deſcendit, et ſola actione circumductorum humorum, ac reſpiratione expellitur. Vtraque haec bilis humor eſt ſaponaceus, abſtergens, olea aquae miſcibilia reddens, reſinas, gummi, tenacia quaeque reſoluens, attenuans, homogenea faciens, ſi cum his conteritur, alvumque leniter ſtimulans: nec alcalica eſt, nec acida, ſed oleo, ſale, terra inprimis concreuit aqua dilutis, non combuſtibilis, niſi ſicca prius. Haec tamen bilis cyſtica plus, hepatica minus praeſtat; vnde diuerſitas quaedam videtur in iis. Praeternaturaliter et morboſe vero *vitellina*, *porracea*, *aeruginoſa*, vel *glaſtea* eſt, quae colorum diuerſitates ſolummodo ex ſpiſſitudine varia, et mora in cauo communi contracta proueniunt. Bilis igitur eſt liquidum ex ſanguine ſecretum, neque bilis dicitur, niſi quando a ſanguine ſegregata fuerit; ideoque veterum ſententia de humore bilioſo, inuenta circulatione ſanguinis, prorſus corruit. Vide *Humores ſanguinei*, *Celſo* Fel. χολὴ ξανθὴ, aut κροκοειδὴς, γλυκὺ, quaſi dulce a contrario ſenſu, cum ſit amariſſimum. Germ. Die Galle. G. *Fiel*, *Bile.* A. *The Gall or Bile.* B. *Gal.*

BILIOSVS, dicitur, praeſertim veteribus, qui multa bile abundat, et hinc ob temperamentum illud in quosdam inclinat morbos; ſed ex recentiorum nonnullorum ſententia bilis quidem deficere, aut inertia peccare, bona vero nunquam abundare, et noxae potius ab impedita debita ſecretione particularum bilioſarum prouenire poſſunt. Germ.

Gallreich, der viel choleriſche Feuchtigkeit hat. G. *Bilieux*, *cholere.* A. *Bilious or Cholerick.* B. *Gal-agtig.*

BILIOSVS HVMOR vocatur materia morbi ſubpinguis, ſaponacea, acris, calefaciens, amara, flaui coloris. Hoc ſenſu diarrhoea, vrina, ſputa bilioſa dicuntur. *Bilioſi morbi* ſunt in quibus bilis nimis abundat.

BILIS ATRA, idem quod *Melancholia.*

BIOLYCHNION, FLAMMVLA VITALIS, eſt, vt veteres volunt, calor natiuus, qui a parentibus foetui communicatur, ipſumque deinceps comitatur; verum poſtea, cum in lucem editus eſt, ſenſim perit. Sunt, qui Biolychnion ex ſanguine hominis viui praeparari ſomniant, quod flammula magis, vel minus, lucida, vel exſtincta, ſanitatem, morbum, aut mortem abſentis amici indicet. Nil aliud eſt, quam calor natiuus qui ab attritu humorum pendet. Ex βίος, vita, et λύχνος, lumen. Ge. Natürliche Wärme, Lebensfeuer. G. *La chaleur naturelle.* A. *Native heat.* B. *De ingeboren warmte.*

BIPINELLA, vide PIMPINELLA. Nomen habet, quod eius folia binis ordinibus plumatim, ſiue pennatim, digeſta ſunt.

BISLINGVA, eſt *Hypogloſſum*, ſeu *Laurus Alexandrina.* Dicitur ita, quia ſupra eius folium inſuper foliolum habet linguae ſimile.

BISMALVA, ſiue ALTHAEA, eſt officinarum vox barbarica, quaſi duplex malua, vel quae alterum tantum viribus pollet. Vide *Althaea.*

BISMVTHVM; de hoc ſemimetallo vide *Marcaſita.*

BISTACIVM, mutato B in P. fit *Piſtacium.*

BISTORTA, eſt planta, quae habet folia ex radice erumpentia, longa, ſatis ampla, et acuta, magis viridia in ſuperiori, quam in inferiori parte, ex his erumpunt caules rotundi, parua quaedam folia habentes. Flores denſe ſpicati. Calyx coloratus carnei coloris, profunde quinquefidus, (Octandr. Trigyn. ſeu potius in Biſtorta digyn.) In fundo huius floris inuenitur ouarium triquetrum, inſtructum tuba longa, continens poſt maturitatem ſemina triangularia, et ſplendentia. Radix eſt carnoſa, quaſi tuberoſa, et geniculata, ſeu nodoſa, oblonga, pollicem craſſa, in ſe contorta, capillitio donata, foris ex fuſco nigricans, intus ex flauo rubeſcens, ſaporis auſteriuſculi, adſtringentis, odoris nullius; creſcit in locis humidis. Species officinalis eſt *Polygonum Biſtorta* caule ſimpliciſſimo monaſtachyo, foliis ouatis in petiolum decurrentibus *Linn.* Biſtorta maior radice magis intorta *Bauh.* Radix, quae maxime in vſu eſt, viribus adſtringentibus gaudet, quas cum menſtruis et ſpirituoſis et

aquosis communicat. Voluerunt quidam, illam esse Britannicam veterum, sed huius radix est tenuis, cum illa Bistortae sit satis crassa, folia tamen vtriusque satis bene inter se conueniunt. Dicitur *Bistorta*, ob radicem, semel, aut bis contortam. Vocatur etiam *Serpentaria*, *Colubrina*, et interdum *Dracunculus*, vel *Dracontium*. Ge. Natter- oder Schlangenwurz. G. *Bistorte*. A. *Bistort*, *Snake-weed*. B. *Herts-tonge*.

BITVMEN, dicitur omne corpus, quod igni admotum facile flammam concipit, Naphtha atque Petroleo spissius, lentum valde, tenacitate tamen primo adhuc diffluente; ab ignis calore liquescit, in aqua non subsidet, nec miscetur, siue minerale, siue vegetabile, vel factitium fuerit, vnde nomen generale est. Magis tamen proprie bituminis sub nomine quaeuis substantia mineralis fumo odore tristi, colore atra, ad mineras sulphureas pertinens denotatur. Ge. Erdpech. G. *Bitume*.

BITVMEN IVDAICVM, vide *Asphaltos*.

BIVALVES, dicuntur glumae et pericarpia, duabus squamis, vel valuis, constantia.

BIVENTER, vide *Digastricus*.

BLAESITAS, est deprauata locutio, seu impedita quarundam litterarum pronunciatio, a vitio linguae, in conformatione, aut obstructione, peccantis. Ge. Das Lispeln. G. *Begayement*. A. *Lispe*. B. *Lispen*. Vide *Balbuties*.

BLAESVS, etiam est is, cui pedes, siue crura, extrorsum vertuntur; vel cui dorsi spina anterius, vel posterius, incurvata est. Paralyticum quoque significat, a βλαισόω, distorqueo.

BLAPTISECVLA, vide *Cyanus*.

BLAS, est nomen ab *Helmontio* confictum, significans generaliter astrorum motum localem et alternatiuum; sed quid ipse per illud vocabulum proprie significat, forte nescivit, saltem nos nescimus.

BLATERONES, ex βλὰξ deriuatur. Est autem nomen piscis inutilis, vt sunt blaterones homines, multa, sed inutilia, dicentes.

BLATTA, est insectum hemipterum, quasi blapta, ἀπὸ τοῦ βλάπτειν, id est nocendo, quia libros ac vestes erodit. Hinc *Blattaria* herba, quae blattis scatet, vel quia blattas abigit. Ge. Schabe. G. *Blatte*.

BLATTA BIZANTIA, siue VNGVIS ODORATVS, est alicuius conchylii e genere Buccinorum operculum. Odore suaui, colore fusco, figura oblonga, instar vnguis praedita est. Si accendatur, odorem, vt cornu adustum, spargit; hinc vires antihystericae ei tribuuntur.

BLATTARIA, planta est verbascum referens: differt tantum ab eo, quod eius fructus sit magis rotundus; caules habet rectos, fortes, in ramos diuisos; folia eius sunt longa, verbasco angustiora, acuta, in margine incisa, non lanuginosa, coloris viridis nigricantis, in parte superiori splendentia, odoris ingrati, saporis amari; flores monopetali in quinque partes diuisi, parum odori, pedunculis villosis adhaerentes (Pentandr. Monogyn.); his floribus succedit fructus, in duo loculamenta diuisus, qui includit semina minima, nigricantia. Radix rapum refert, est alba, dura, aliquantulum fibrosa. Nomen latinum, a colligendis in se blattis: nam, si alibi reponitur, vel proiicitur, dicunt plurimas blattas super ea colligi. Alii ab eo, quod blattas enecet. Alii a βλάπτω, noceo, quia blattae vestimenta rodunt, et perforant. Haec planta in ophthalmia prodesse putatur. Ge. Schabenkraut, Mottenkraut. Ga. *Herbe aux mites*, *Blattaire*. A. *Mothmullein*. B. *Motten-kruid*.

BLENNA, est mucus crassus per palati foramina et nares destillans, qui prouenit ex glandulis membranae pituitariae, vel Schneiderianae, intestientis internas nares, cauitates ossis maxillae superioris, sinus frontales, ossisque cuneiformis. Ge. Schleim, Rotz, der Unflath durch die Nase. G. *Morve*, *Morveux*. A. et B. *Snot*.

BLEPHARIDES, idem quod *Cilia*.

BLEPHARON, vide *Palpebra*.

BLEPHAROPTOSIS est ectopium, vel delapsus palpebrae.

BLEPHAROXYSTVM, instrumentum est, quo palpebrae in superficie interna raduntur et concinnantur, vel in trachomate, siue asperitudine callosa palpebrarum interiorum, vel ad scarificationem tunicae coniunctiuae. Ex βλέφαρον, et ξυέω, tondeo.

BLESTRISMVS, incontinens est corporis iactatio. Ex βάλλω, iacio.

BLITVM, est planta monoec. triandr. ab Ill. *Linnaeo* ad *Amaranthos* relata (A. *liuidus* et *oleraceus*). Eius duae species vulgares sunt, vna *alba*, altera *rubra*; harum singulae adhuc diuiduntur in duas alias. *Blitum album maius* habet caulem album, ramosum, quatuor circiter pedes altum; folia Betae instar, sed minora; flores sunt parui, apetali, tribus staminibus constantes, ex calyce tripartito surgentibus; pistillum autem abit deinde in semen plerumque oblongum, in capsula vesicae aemula, quae calyx floris fuit, reconditum.

Radix est longa, pollicem crassa, saporis insulsi, vt tota planta: *Blitum rubrum maius*, siue *Blitum nigrum*, cum praecedente omnino conuenit, differt tantum colore; et quod eius folia pleraumque sunt minora. Datur et *Blitum album minus*, et *Blitum rubrum minus*. Refrigerantis et humectantis virtutis, atque iners et vile olus est, et ab insulso fatuoque sapore nomen habet, a Gr. βλαξ, quod bardum, aut stupidum, denotat. Gr. βλιτον, stolidus, insipidus, ignauus. Germ. Majer, Meyer. G. *Blete*. A. *Blite*. B. *Majer*.

BOA, papularum morbus est, cum maculis rubentibus et in tumorem surgentibus corpus rubet. Idem quod *Papula*. Quum lues venerea primum in Europa innotesceret, a quibusdam boarum nomine notabatur. Ill. *Linnaeo* vero *Boa* serpentium genus est ex ordine Amphibiorum serpentum, cui scuta abdominalia et caudalia sunt, absque crepitaculo, inter cuius species variae, inprimis *Boa constrictor*, insignis magnitudinis sunt. G. Hitzblätterlein. A. *Pimples*. B. *Hoodhont, roodjong, roodvonk*.

BOCHETVM, siue DECOCTVM SECVNDARIVM, est alicuius decocti secunda decoctio. Ge. Das andere Absieden. B. *Minder-drank*.

BOCIA, est vas vitreum ventricosum cucurbitae instar. Ge. Eine Blase. G. *Verre ventru*. A. *Bellied glass*. B. *Een buik-glas*.

BOCIVM, idem quod *Bronchocele*.

BOLBOCASTANVM, vide *Bulbocastanum*.

BOLBONAC, vide *Bulbonac*.

BOLBOS, vide *Bulbus*.

BOLETVS, *Linnaeo* fungorum genus est. Fungus scilicet horizontalis, vel pileo donatus, vel sessilis, ex poris, vel tubulis, compositus. Cuilibet tubulorum margini corpuscula quaedam antheris similia adhaerent. *Boletus* vero, s. *Fungus ceruinus*, aut *Tuber ceruinum*, sunt fungi rotundi, magnitudine fere pilae palmariae, et aliquando minores, cortice obducuntur subnigro, intus continent materiam puluerulentam nigerrimam. Pertinent ii ad genus, quod *Lycoperdon* vocatur, et species est *Lycoperdon ceruinum* globosum, solidiusculum, lacerum, centro farinifero, radice instructum *Linn*. Tuberum genus, quibusdam cerui boletus *Bauh*. Βωλιτης nomen habent, teste *Marcello*, ἀπὸ τῦ βῶλος, gleba, et λαν, valde. Ge. Hirschbrunst, Hirschschwamm. A. *A Mushroem spawn, slime of the Hart, Denisballs*. B. *Herts-wannen, herts-spongie*.

BOLETVS IGNIARIVS, vide *Agaricus*.

BOLVS, est medicamentum internum vt plurimum ex

conseruis, rob, syrupis, et pulueribus compositum, habens consistentiam melle paulo crassiorem; et quantitas, quae vnica dosi praescripta, bucca commode excipi potest, vnde et *Buccella* quibusdam audit. Ge. Ein Bissen, Mundvoll. G. *Bolus*, *Bol*, *une bouchée*. A. *A Bolus*. B. *Een brok*.

BOLVS, terrae genus est, et quidem *Argilla Bolus Linn*, ore liquescens. Argilla pinguis *Waller*. Argilla subtilis, aqua in massam vnctuosam dissolubilis *Cartheus*. Particulis praecipue martialibus impraegnata est, vnde coloris varietas pendet. Gaudet viribus absorbentibus et acre inuoluentibus. Estque Armena rubra, quae inprimis in vsu est, Orientalis: Germanica, Bohemica, alba, etc. In omnibus linguis *Bolus* appellatur. Eaedem terrae bolares, si in rotularum formam redactae sigillo impresso signentur, *Terrae sigillatae* vocantur, quarum plures prostant, diuersa, pro regionibus, in quibus reperiuntur, nomina gerentes; vt *Terra sigillata Silesiaca, Melitensis, Lemnia*, etc. In officinis multa medicamenta composita veteribus inprimis vsitata ingrediuntur. Gr. Βῶλος, gleba, ager, a βόω, pasco, et λαν, valde, quod e glebis pabulum animantibus vberrime efflorescat. Ge. Bolus, Bolarerde.

BOMBAX, BAMBAX, et PAMBAX, synonyma sunt. Germanis et Belgis male Baumwolle, nam arboreus tantum frutex est. Sic forte appellatur, quia more vermis bombycis, fructus eius intus cote, in modum serici, est quasi nendo obductus. Vide *Xylon* et *Gossypium*. Ge. Baumwolle. G. et A. *Cotton*. B. *Kattoen*, *Boom-wol*.

BOMBVS, idem quod *Borborygmus*: vel etiam est sonus quidam in auribus, qui in morbis acutis pro malo signo habetur.

BOMBYCES sunt *Linnaeo* proprie phalenae elingues alis reuersis. Inprimis tamen *Bombyx* ea *Phalaena mori Linn*. appellatur, cuius laruae holosericeas telas texunt. Ge. Seidenwurm. G. *Vers à soye*. A. *Silkworm*. B. *Zydworm*.

BONA, vel BOONA, est *Faba*, seu *Phaseolus*. Forte nomen sortitur a Germanico idiomate Bohne, vel a Latino Bonum, quod legumen illud bene nutriat, hominique brutoque salutare et bonum. *Bonn* tamen est nomen Arabicum, quo denotatur ille fructus, ex quo tosto, mol to et aqua fervente infuso paratur potus ille notissimus, quem Arabes *Cahua*, nos *Caffe* vocamus. Nihil huic cum fabis commune esse, hodie satis cognitum est. Vide *Coffea*.

BONDVC, est *Guilandina Bonduc*, et *G. Bonducella Linn*, cuius fructus *Nuces malacenses* dicuntur. Fabae rotundae,

cinerei coloris, intus albae, saporis intense amari, odoris nullius, carminatiuam et pellentem vim habent. Arbor in vtraque India habitat.

BONIFACIA, idem quod *Laurus Alexandrina.*

BONVS GENIVS, est *Peucedanum:* a Graecis prophetis ἀγαθὸς δαίμων appellatur, fortasse ob eximias vires, vel ob prognostica boni ominis, quae ex illo diuinare putabant.

BONVS HENRICVS, est Lapathi, vel Chenopodii, species, scilicet Lapathum vnctuosum folio triangulo C. *Bauh.* vel *Chenopodium bonus henricus* foliis triangulari-sagittatis integerrimis, spicis compositis aphyllis *Linn.* (Pentandr. Digyn.) planta scilicet, quae plures caules habet pedem circiter altos, crassos, multis foliis triangularibus cinctos, quorum quaedam Atriplici, alia Aro similia sunt, sed alba et farinosa, longis pedunculis adhaerentia. Flos est apetalus, constans staminibus quinque ex calyce quinquefido surgentibus: pistillum autem bipartitum, vel tripartitum, abit in semen orbiculatum, planum in capsula veluti stelliformi, quae floris calyx fuit, reconditum. Radix est longa, crassa, in plures ramos diuisa, coloris flaui instar Patientiae. Sic ob vires laudabiles appellatur: forte eius vires primum a quopiam Henrico detectae fuerunt: ideoque *Tota bona* et *Aureum olus* vocatur. Qualitatis est oleraceae insipidae, emollientis. Sunt tamen, qui plantae huic aliquid venenati inesse credunt. Gr. χρυσολάχανον. Ge. Guter Heinrich, stolzer Heinrich. G. *Toute bonne, Bon-Henri.* A. *English Mercury.* B. *Algoede, Goeden Hendrik, Lammekens oir.*

BORAGO, s. BORRAGO, est herba, quae pertinet ad Gymnotetraspermas asperifolias, (Pentandr. Monogyn.) corolla rotata, fauce radiis clausa. Species officinalis, habet caulem rotundum, debilem, excauatum, tenerum, ramosum, setis quasi obductum, terram versus inclinatis: folia ex radice erumpentia, ampla, oblonga, aut fere rotunda, villosa, parum acuta, tactui aspera, plerumque repentia et omnia alterna: flores in summitate caulis nascuntur, caerulei, vel albi, pulchri, visui grati, monopetali, rotati, ex quorum calyce multifido oritur pistillum, mediae floris parti ad instar claui infixum, et quatuor veluti embryonibus stipatum, qui abeunt in totidem semina veluti viperini capitis aemula, nigra, quae in calyce ipso longe ampliato matureſcunt. Radix est crassa, digitum longa, succum viscosum et crassum continens, insipidum. *Borago* mutato B. in C. est *Corago*, quia putatur cor eius plantae vsu roborari, et laetificari, vnde etiam flores eius inter famosos quatuor flores cordiales recensentur, et in officinis ad tincturam et aquam quatuor florum cordialium recipiuntur. Ge. Boretsch, Burretsch. G. *Bourrache.* A. *Borrage.* B. *Bernasse.*

BORAX, est substantia salina, quae Venetiis et ex Batauia ad nos affertur, cuius tamen origo et praeparatio nondum hucusque satis innotuit. Crudum vocatur *Tincal*, quod ex India orientali adfertur, sed purificatum *Borax* dicitur. Putatur esse compositum ex alcali minerali, seu basi salis culinaris, et acido quodam peculiari et leuiori, quod *sal sedativum* vocatur: vel ex sale armoniaco, nitro, tartaro calcinato, sale communi, alumine, quae cum vrina liquentur, filtrentur, et tandem euaporentur; quod tamen falsum est. Cl. *Baumé* asserit, ex argilla cum pinguedine et aquae certa copia commista massaque illa in loco humido octodecim menses seruata, se verum sal sedatiuum obtinuisse. Saporem habet subamarescentem, sed in exitu dulcescentem; magnam aquae copiam ad solutionem requirit, et calorem magnum, sed ad iguem facile fluit, et tunc in spumas assurgentes et tandem in substantiam vitream se effundit. *Dioscorides* dicit, habere porri colorem, sed nostrum album est, instar nitri. Forte a Porro nomen mutuatum, mutato P. in B. Gr. χρυσοκόλλα, siue auri gluten, ita dictum, quia corporum sibi mistorum fluxum in igne valde promouet, sicque metallorum, et inprimis auri, consolidationem efficit. Boraci vires emmenagogae et partum promouentes inesse creduntur. Affuso acido vitriolico, vel per sublimationem, vel per crystallisationem celebre illud *Sal sedatiuum Hombergii*, praeparatur, vel potius separatur: a viribus sedatiuis, antispasmodicis, anodynis et antimelancholicis, seu antimaniacis, ei adscriptis sic dictum. Nomen *Borax* ortum est ex Arabico *Bauracb*, quod illi adhibent nitro designando. Ge. Borax. G. et A. *Borax, Boras.* B. *Borax, Goud-soudeersel.*

BORBORYGMVS, est murmur in intestinis amplis cum sonitu, ortum ab inaequali constrictione fibrarum intestinalium et flatu incluso, hinc pro materia agnoscit saburram et aërem, siue naturalem, siue fermentatione, putredine, efferuescentia, aut motu intestinorum inordinato productum, a βορβορύζω, strepitum edo. Ge. Ein Rurren im Leibe. G. *Borborygme.* A. *Murmuring of the guts.* B. *Kommeling, beslote winden.*

BOROZAII, aut *Zail* Aethiopum, in viris *Asab*, in foeminis vero *Assabarus* dicitur. In vtraque ora fluuii *Senega* grassatur morbus, partes genitales potissimum infestans, quoad symptomata quidem diuersus ab eo, qui vulgo *Gallicus*

dicitur, qui ex immodica venere, cui multum obnoxii sunt, forte etiam a miasmate venereo, ortum habet. Forte *Yaço* Guineensium, s. *Frambaesia.*

BOSCI SALVIA, herba est, a Boscum, vel Boscus, *bois*, in quibus locis crescit.

BOSMOROS, seu BOSPORUS, est frumenti species, forte a βόσκω, pasco, et μέρος, portio: quia frumentum dentibus, vel mola, diuiditur: vel quia a bobus calcando a paleis separatur: βοῦς, et βῶς, dorice est bos, vel etiam ex βῶ, et πείρω, transadigo, transeo.

BOTANICA, est ea scientiae naturalis pars, quae docet nomina. structuram vires, et vsum plantarum, easque certa methodo in suas classes et genera distribuit; *Botanicus* vero dicitur, qui hanc scientiam tractat. Gr. a βοτάνη, herba, gramen. Ge. Kräuterwißenſchaft. G. *La Botanique.* A. *Botany.* B. *Kruid-kenning of-kunde.*

BOTHOR, sunt pustulae oris non serpentes, sed tales, quae facile suppurantur et delentur, etsi nonnunquam leuiter eas suppurare contingat. Estque *Bothor* generalis appellatio etiam pustularum faciei, pulmonis et aliarum partium. Variolae ac morbilli etiam *Bothor* ab Arabibus nominantur, et pro vesiculis pustulisque oculis aduentantibus sumuntur. Alii hoc nomine apostema narium significari putant.

BOTHRION est vlcusculum tunicae corneae multa inflammatione coniunctum; nomen a quadam cum vua similitudine gerens. Ge Ein Hornhauttrǻublein.

BOTRYS, est racemus vuarum vitis; vt et herbae cuiusdam nomen, quae sic, a semine vocatur, quod racematim ramulis adnascitur; siue quod plura eius semina caulibus sic conferta pendeant, vt racemi in vua referant imaginem: a Cappadocibus ἀμβροσίαν vocari autor est *Dioscorides. Botrys* ambrosioides vulgaris *Bauh.* est *Chenopodium Botrys, Linn.* foliis oblongis, sinuatis, racemis nudis, multifidis, (Pentandr. Digyn.) cuius qualitas fragrans visque subinebrians, resoluens, pellens; carminatiua, anthelminthica et antiphthisica est. Botrys ambrosioides mexicana *Bauh.* vero est *Chenopodium ambrosioides Linn.* foliis lanceolatis, dentatis, racemis foliatis simplicibus; cuius infuso mirae a nonnullis virtutes lithontripticae adscribuntur. Facile in nostris regionibus colitur, et a multis vera herba *Paraguay* esse putatur, quod tamen falsum. Ge. Traubenkraut, Krotenkraut, Paraguaythee. Ga. *Piment, Botrys.* A. *Oak of Jerusalem.* B. *Druiven-kruid, Piment.* Vide *Ambrosioides.*

BOVNIAS, vide *Bunias.*

BOVINA FAMES, idem quod *Bulimia.*

BOVISTA, idem est quam *Fungus, Crepitus lupi* dictus.

BRABYLA, prunorum species est; sic dicuntur, quia alvum ducunt, quasi βόρυν βάλλουσα, id est, cibos depellentia, et ὖλα, quasi μῆλα, id est, mala. Vulgo dicuntur *pruna Damascena*, seu maiora dulcia et parua atrocaerulea *Bauh.* Ill. *Linnaeo Brabyla* etiam dicitur arbor ad Caput bonae spei proveniens, Brabeio similis, sed quoad fructificationem maxime diuersa.

BRACHERIVM, idem quod *Amma.* Ge. Bruchband.

BRACHIA, Gr. Βραχίονες, sunt plantarum, praecipue autem arborum rami, quod instar brachiorum hominis extendantur. Ge. Die Aeſte, Zweige. G. *Branches des Arbres.* A. *Branches of trees.* B. *Boom-armen.*

BRACHIATI dicuntur trunci, quorum rami decussatim oppositi sunt.

BRACHIAEVS, vide *Brachium.*

BRACHIALE, idem quod *Carpus.*

BRACHIALIS ARTERIA ex axillari ortum habens sub flexura cubiti diuiditur in duos ramos, qui *radiaea* et *cubitaea* vocantur, quae per manum et digitos distribuuntur. Ge. Armſchlagader.

BRACHIVM, siue LACERTVS, est membrum, constans humero, seu brachio proprie dicto, cubito et manu. Forte a βράχιον, siue βραχύτερος τῆ λοιπῆ τῶν χειρῶν, breuissimus reliquae partis manuum. Vnde *Brachiaeus Musculus internus* et *externus.* Prior cubitum flectens, oritur ex osse humeri, mox intra finem Deltoïdis, et inseritur vlnae tuberculo. Alter a spina interiori humeri prodiens, tendinem suum cum tendinibus extensoris longi et breuis adunat, qui parti posteriori olecrani inseritur, hinc commode *Triceps Brachii* nomine in Historia musculorum Cl. *Albini* describitur. Ge. Der Arm. G. *Le bras.* A. *The arm.* B. *De Arm.*

BRACHYLOGIA, vide *Brachylogus.*

BRACHYLOGVS, est, qui suas sententias breuiter determinat. *Brachylogia* est breuis locutio. Vt sunt *Aphorismi Hippocratis;* a βραχύ, breue, et λέγω, dico. Vide *Aphorismus.*

BRACHYPNOEA significat frequentius breuem, et simul ex longis interuallis factam spirationem.

BRACHYPNOOS, ex βραχύς, et πνέω, spiro, breuis spiritus, qui parum, et raro spiritum ducit.

BRACHYPOTAE, ex βραχύς, breuis, et πίνω, bibo, qui parum, et raro bibunt. Plerumque sunt phrenitici et maniaci, qui ad potus necessitatem non attendunt, vel eam non sentiunt.

BRACTEA botanicis est folium florale, seu flori proximum, facie a reliquis foliis recedens.

BRADYPEPSIA, est tarda in ventriculo ciborum concoctio, orta ex defectu saliuae, liquoris gastrici, fibrarum ventriculi laxitate, pituita viscida abundante, motu corporis et respiratione imminutis. Est minor gradus *Apepsiae*. Ex βραδὺ, tardum, et πέπτω, coquo. Ge. Langsame Verdauung. A. *Slow digestion.* B. *Een langsame verteering, of koking der mage.*

BRANCA, est vox Italica, et significat pedem: sic vocatur *Acanthus f. Branca vrsina:* ideoque a similitudine, quam eius folia cum anterioribus vrsorum pedibus habent. In officinis duae plerumque plantae hoc nomine denotantur, scilicet vel *Acanthus mollis* foliis sinuatis inermibus *Linn.* (Didynam. angiosperm.) Acanthus. f. Branca vrsina *I. Bauh.* Ge. Bärenklau, welsche Bärenklau. G. *Acante, Branc-ursine.* A. *Branc ursine.* B. *Beerenklaauw.* — Cuius vsus plerumque externus, et vis emolliens, demulcens et paregorica est; vide *Acanthus;* vel, male tamen, *Heracleum Sphondylium Linn.* foliolis pinnatifidis (Pentandr. Digyn.) Sphondylium vulgare hirsutum *Bauh.* quod vi diuersissima gaudet. Ge. Bärenklau, Bärwurzel. G. *Berce.* A. *Cow Parsnep.*

BRANCHVS, est rauedo faucium, et asperae arteriae. Raucitas *Plin.* Rauis *Plauto.* A βρέχω, forbeo. Vide *Raucedo.*

BRASILIENSE LIGNVM, ex America ad nos allatum, est rubrum et ad tinctorium vsum adhibetur. Adstringit tamen, et virtute cum Santalo conuenit. An ex *Caesalpinia brasiliensi Linn.?* Ge. Brasilienholz. G. *Bois de Bresil.* A. *Brasilwood.* B. *Brasilien-hout.*

BRASSICA, est planta, (Tetradynamia siliquosa), cuius characteres sunt: calyx erectus, conniuens; semina globosa; glandula inter stamina breuiora et pistillum, interque longiora et calycem. Habet haec planta caulem humilem, crassum, cortice duro obductum, substantia medullosa repletum, saporis acris subdulcis; folia in initio erumpentia sunt ampla, obrotunda, fragilia, rubicunda, succulenta, rugosa, incisa, sinuosa, caulibus longis et crassis adhaerentia, plerumque conuoluta, neruosa, foliis in parte inferiori decisis: altera superioris partis sibi inuicem accumbentia et comprimentia, formant magnum caput obrotundum. Flores sunt quadrifidi et cruciformes, tetrapetali, ex quorum calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum, seu siliquam teretem, longam, cylindraceam, septo intermedio, cui valuae imbricatae vtrimque adhaerescunt, in duo loculamenta diuisam, seminibusque foetam subrotundis. Radix est crassa, multas habens fibras. Gr. Κράμβη; nomen accepit a praesecа, quod ex huius scapo minutim praesecatur, siquidem nunc tonsili, nunc cymoso caule spectatur. Non desunt, qui Brassicam contendant ἀπὸ τοῦ βρέχειν, *a vorando*, nomen accepisse. Estur enim a tota plebecula tum cocta tum cruda, vel muria condita. Alii Brassicam, quasi *Passicam* nominatam referunt, quod ex caule minutatim praesecatur, vt passa fiat. Vide *Crambe.* Haec planta diuiditur in tres species, 1) est, quae habet folia clausa, et dicitur *capitata*, 2) quae folia *explicata* habet, 3) Brassica *cauliflora* dicitur. Haec species rursus plures sub se continent varietates. Coluntur apud nos in hortis. Vsus maxime culinaris. Omnes fere in viribus diluentibus et flatulentis, forte etiam antiscorbuticis, conueniunt. Cum brassica inter omnia vegetabilia celerrime putrescat, maximumque tunc foetorem spiret, eam proxime ad naturam animalem accedere, facillime in primis viis dissolui, inque nutrimentum cedere posse, non iniuste putatur. Ge. Kohl, Kappis. G. *Choux.* A. *Colewort.* B. *Kool.*

BRASSICA MARINA, vide *Soldanella.*

BREGMA, est os sincipitis, quod cum suo pari superiorem caluariae partem constituit, figurae aliquantum quadrangularis, anterius interuentu futurae coronalis coniunctum ossi frontali, posterius interuentu futurae lambdoideae connexum ossi occipitali: laterali vna parte intercurrente futura sagittali connectitur cum suo pari cognomine, altero latere cum osse temporum. A βρέχω, madefacio, quia illa ossa infantibus, et saepe adultis, humida et tenera sunt. Hiatus, qui in infantibus inter haec ossa et ossa frontis fissa adest, dicitur *fontanella anterior.* Ge. Die Vorderhauptsbeine. G. *l'Os Parietal.* B. *Het opperhoofds-been.*

BREVE VAS, seu potius VASA BREVIA sunt arteriosa et venosa. Arteriae scilicet *breues* sunt duo, vel tres, rami arteriae splenicae in extremitatem sinistram ventriculi sese distribuentes; venae vero *breues* sunt rami venae splenicae, a splene ad ventriculum tendentes. Veteres putabant, haec vasa succum melancholicum ex liene deferre in ventriculum, ad excitandam famem: haec autem sententia, licet, horum vasorum decursu vero detecto, dudum explosa sit, tamen ex hac vasorum communione singularem inter haec viscera consensum suspicari licet. Ge. Die kurzen Gefäße. G. *Vaisseaux courts.* A. *The short vessels.* B. *Het korte vat.*

BREVIS CVBITI MVSCVLVS, eſt muſculorum cubiti extenſor, ſecundus dictus et breuis. Oritur ab humeri cervice, poſterius miſcetur cum longo, et humeri os occupat, deſinit vero in illam olecrani partem, cui innitimur. Ge. Der kurze Ellenbogenmuskel. G. *Le muſcle court extenſeur de l'avant bras.* A. *The Short muſcle of the Elbow.* B. *De korte elleboogs ſpier.*

BREVIS SVPINATOR, vide *Supinator.*

BRITANNICA, eſt herba, quae primum celebris facta eſt, quum Romani in Germaniae tractu maritimo, prope Friſios, caſtra poſuiſſent, ibique ſtomacace laborarent, et huius herbae vſu reſtituerentur. Hanc aliqui dicunt in conuallibus locis prope arcem *Bretzen* reperiri, vnde nomen deducunt. Sed male: neque nomen a Britannica inſula deduci debet, vt nonnulli ſtatuunt. Eſt enim vox origine Friſica. Medetur quippe gingiuis ſanguinolentis in ſcorbutico malo, quando dentes vacillant, conſumuntur, atque decidunt. Venit itaque a vocibus *Britten* et *Brit*, quod ſonat *firmiter claudere*, vel *inhaerere*, vt dentes ſanis in alueolis ſolent, deinde additur *Tan*, et vnius litterae adiectione *D* fit *tand:* et *Hica* ſignificat dentium expulſionem: hinc noſtris *Hik*, ſiue ſingultus, quia illa conuulſionis ſpecies cum flatu expellitur. Quamuis quidem, quae fuerit proprie herba Britannica veterum, vix certo determinare liceat, non male tamen a quibusdam pro ea habetur Hydrolapathum, vel Lapathum aquaticum folio cubitali. *Baub.* Lapathum paluſtre *Tabern. Rumex aquaticus Linn.* (Hexandr. Trigyn.) floribus hermaphroditis, valuulis integerrimis nudis, foliis cordatis acutis, cuius eximiae ſunt, praecipue in infuſo vinoſo, contra ſcorbutum et ſtomacacen virtutes. Alia ſpecies Rumicis Ill. *Linnaeo Rumex Britannica* dicitur, ſcilicet Rumex floribus hermaphroditis; valuulis integerrimis, omnibus graniferis; foliis lanceolatis; vaginis obſoletis. Habitat haec in Virginia. Ge. Waſſerampfer. G. *La Britannique, Parelle de marais.* A. *Great Water-dock.* B. *Waterpadig.*

BRIZA, eſt veteribus frumenti ſpecies, ex quo panes conficiuntur. Dicta haec planta ἀπὸ τῦ βρίζειν, quod eſt onerare, aggrauare, et quaſi veterno ſopire; quod huius panis eſu euenire, ſcriptum reliquit *Galenus.* Hodie botanici hoc nomine genus graminum denotant, (Triandr. digyn.) quod vulgo gramen tremulum vocatur, et cuius characteres ſunt: calyx biualuis, multiflorus; ſpicula diſtycha, valuulis cordatis obtuſis; interiore minuta. Huius generis quinque ſunt ſpecies. G. Zittergras. G. *Amourettes tremblantes.* A. *Quaking Graſs.*

BROCHI, ſunt labiones, ſiue qui magna et inordinata labia habent, vel quibus labium ſuperius prominet. Item laquei Chirurgici genus hoc nomine inſignitur.

BROCOLI eſt *Braſſica* Neapolitana.

BRODIVM, eſt liquor, in quo medicamenta vel aſſeruantur, vel diluuntur. Item expreſſus ſuccus ex materia cocta, v. g. ex Capone, ex Paſſulis, etc.

BROMIVM DECOCTVM, i. q. *Decoctum auenae.* Germ. Habertrank. A *Bromos*, auena. Vide *Auena.*

BROMOS, eſt frumenti ſpecies: dicitur βρῶμος et βρόμος, non a foetore, ſed potius quia veterina ea multum veſcantur, vel a fragore, ſonituque, quem ſeges matura, minimo tacta flatu, edit. Alii βρῶμος legunt, a βρῶμα, quod cibum ſignificat. Vocatur aliquando *Auena. Bromus* hodie eſt genus graminum, (Triandr. Digyn.) cuius characteres ſunt: calyx biualuis; ſpicula oblonga, teres, diſtycha; ariſta infra apicem; cuius ſeptendecim ſpecies reperiuntur, quarum pleraeque a multis ad Feſtucas auenaceas referuntur.

BRONCHIA, ſunt aſperae arteriae, ſeu fiſtulae reſpiratoriae ramificationes; quae ex annulis cartilagineis et membranis contractilibus componuntur: quaeque primo in ramos, dein in ramulos innumeros diuiſae, tandem orbiculis ſuis cartilagineis orbatae, deſinunt ſecundum varios in minimas illas veſiculas, praecipuam pulmonum ſubſtantiam conficientes, quae ramulis racemorum inſtar adhaerent. A βρόγχος, guttur. Ge. Luftröhrenäſte. G. *Les Bronches.* B. *De Longe pypjes.*

BRONCHIALIS ARTERIA oritur ex Aorta, vel ſaepius ex intercoſtalibus; nunc ſimplici, aliquando tamen duplici, vel triplici ramo, et bronchiis vbique arcte cohaeret, nutritioni pulmonum dicata. Ge. Luftröhrenſchlagader. G. *Artère bronchiale.* B. *Longepyps-slagader.*

BRONCHIALIS VENA, oritur in latere dextro ex arcu venae ſine pari, in ſiniſtro ex vena ſubclauia, et vtrimque ramos arteriarum bronchialium per ſubſtantiam pulmonum comitatur et ſanguinem reuehit. Ge. Luftröhrenblutader. G. *Veine bronchiale.* B. *Longepyps-bloedader.*

BRONCHIALES glandulae ſunt corpora glanduloſa variae magnitudinis, ad ramificationes bronchiorum poſita, quarum alia ad glandulas lymphaticas pertinent, alia humorem mucoſum, ſaepe nigricantem, ad demulcendam arteriam aſperam ſecernunt.

BRONCHOCELE, eſt tumor, in larynge, aut broncho, vel glandula thyroïdea, apparens, ortus ab humoribus in cellu-

lis adipoſis ſtagnantibus, glandula thyroïdea in tumorem oedematoſum eleuata, vel ab aëre emphyſematis ſpeciem referente, vel a laryngis, per violentiam quandam, ex ſede ſua propulſione. A βρόγχος, media pars aſperae arteriae, et κήλη, tumor. Ge. Luftröhrenbruch, Kropf. G. *Broncocele, ou Goëtre.* A. *A Tumor in the throat.* B. *Gorgel-gezwel, Keel-ſcheur.*

BRONCHOTOMIA, eſt aſperae arteriae, in membranoſa eius parte, quae eſt intra duos annulos, plerumque intra tertiam et quartam, vel quartam et quintam cartilaginem ſectio; qua facta, vulneri immittitur cannula, per quam aër ingredi et exire poteſt: Vſus eſt in angina caput laryngis occupante, ad ſuffocationem inhibendam, vel ſi corpus peregrinum aſperae arteriae inhaeret, aut in ſuffocatis, vel ſubmerſis. Ex βρόγχος, media pars aſperae arteriae, et τέμνω, ſeco. Minus tamen commode vel Bronchotomia, vel Laryngotomia, vocatur, cum nec bronchia, nec larynx, diſcindantur, ſed ipſa trachea in interſtitio duorum annulorum cartilagineorum, hincque magis proprie Tracheotomia diceretur. Ge. Luftröhrenſchnitt. G *Broncotomie; Section du goſier.* A. *An opening made in the wind-pipe, Bronchotomy.* B. *Eene openinge in de longe-pyp.*

BRONCHVS, eſt aſperae arteriae portio media, fiſtuloſa, ex annulis incompletis, ſiue non perfecte rotundis, anterius conſtructa; poſterius per membranam muſculoſam connexis, vbi in rotunditate deficiunt; ſuperior pars *Larynx* dicitur. Conf. *Bronchia.* Inſeruit voci et reſpirationi: a βρέχω, irrigo, humecto. Vetuſtiſſimi enim Phyſiologi docebant, potum omnem ad pulmones demitti; vnde hic canalis totius corporis rigatorius exiſtimabatur. Ge. Die Luftröhre. G. *Goſier.* A. *The wind-pipe.* B. *Het middelſte deel der lucht-ader, longe-pyp.*

BRVCHVS, forte a βρύχω, comedo, vermis eſt, herbas et arborum frondes rodens. Bruchi genus apud *Linnaeum* ad inſecta coleoptera pertinet, ſuntque ei antennae filiformes, ſenſim craſſiores. Dicitur aliis βρύχος, a βρύχω, frendo, ſtrideo.

BRVNELLA, eſt planta (Didynam. Gymnoſp.), quae habet caulem minimum, repentem, lanuginoſum parum, anguloſum, coloris purpurei; folia oblonga, villoſa, rubicunda, ſaporis viſcoſi, aliquantulum amari. Flores ſunt monopetali, labiati in ſpicam ſquamatam, denſam, breuem congeruntur, habentque galeam erectam, integram, cauam, longam, barbam, ſeu labium inferius reflexum, trifidum, obtuſum, laci-

nia media latiore, emarginata, ſerrata; filamenta quatuor, quorum duo longiora apice fere bifurcata: ſemina quatuor obrotunda in capſula, quae flori tanquam calyx inſeruit, incluſa. Radix eſt parua, fibroſa. Creſcit haec planta in ſylvis et montibus. Vide Etymon et vires in *Prunella.* — — Angina gangraenoſa etiam nonnunquam *Brunella* vocatur.

BRVNNERI glandulae; ſic dicuntur glandulae a *Brunnero* deſcriptae, inter tunicas inteſtinorum, praecipue tenuium, contentae, et humorem mucoſum ſecernentes inque inteſtina effundentes.

BRVNVS, i. q. Ignis ſacer, ſ. Ignis S. Antonii, vel Eryſipelas. Vide *Ignis ſacer.*

BRVSCANDVLA, vide *Lupinus.*

BRVSCVS, vide *Ruſcus.*

BRYGMVS, eſt dentium inter ſe colliſorum ſtridor et ſtrepitus, ortus a motu conuulſiuo, muſculos maxillae inferioris occupante, obſeruandus in epilepſia, ſimilibusque morbis conuulſiuis. Gr. Βρυγμός. Ge. Das Zähnklappen, Knirſchen der Zähne. A. *Gnashing of the teeth.* B. *Het knerſen der tanden.*

BRYON, ſeu BRYVM, eſt muſcus, a βρύειν, pullulare, quia muſcus ex arborum corticibus expullulat. *Bryum* hodie eſt genus muſcorum (Cryptogam. Muſc.) triginta duas ſpecies comprehendens. Characteres ſunt: calyptra oblonga, acuminata, obliqua; anthera ſubrotunda, ſeu oblongiuſcula, ore ciliari annulato, tecto operculo conico; pericheetium nullum, ſed tuberculum pro baſi pedunculi. Vide *Muſcus.*

BRYONIA, dicitur a βρύειν, pullulare, quod in adiacentes ſcandens late pullulet: videtur deriuari a βρύον, vua, vel a βρύειν, germinare: vuas enim profert, et plura et longa germina. Gr. Ἄμπελος λευκή, ψιλοθρον. *Vitis alba* dicitur, non quod vitis ſit, ſed quod in vitis ſimilitudinem iuxta parietes proſerpat; clauiculisque vbique adhaereat. *Viticella* idcirco quoque vocatur: vt et *Pſilothrum*, quod eius acinis coria depilari poſſint. Planta eſt, quae habet caules exiguos, ramoſos, teneros, villoſos, intra paruum tempus in magnam altitudinem creſcentes, ſcandentes, plantas vicinas amplectentes. Folia vitim referunt, ſed minora, aſpera, albeſcentia: flores ſunt monopetali, campaniformes, albi, exigui, patentes, quinquefidi, ora radiatim expanſa, calyce tenaciſſime comprehenſi, proprio calyci adnati ita, vt vnum corpus eſſe videantur: maſculi quinque ſtaminibus praediti ſunt tribus filamentis adhaerentes; alii flores ſimiles foeminei, antheris deſtituti, ſtylo trifido inſtructi, innaſcuntur ouario ſu-

pra apicem eius calyce inſtructum. Ouarium innatum fini pedunculi, eſt bacca rotunda, vel ouata, in initio viridis, ſed poſt maturitatem rubicunda, ſuccum flaueſcentem ſaporis ingrati habens, in qua haerent ſemina plura ouata et acuta. Radix longa, craſſa, tuberoſa, carnoſa, albida, flaveſcens, quaſi fungoſa, intus circulis donata, ſaporis acris, mordacis, amaricantis, nauſeabundi, odoris viroſi, dum recens eſt: mitior fit, dum ſeneſcit. Obſeruatum eſt, ad triginta annos viuere, et radicem ad hominis craſſitiem excreviſſe. Creſcit in aqua, et locis vliginoſis. Si radix eſt bifurcata, tunc illam nonnunquam pro Mandragora vendunt, cultro faciem fingunt, et in ſuperna parte infigunt granum hordei, quod deinde creſcens, emittit radices tenues, quae pilos capitis referunt. — *Bryonia* proprie eſt plantae genus, (Monoec. Syngeneſ.) in quo in maſculino flore calyx eſt quinquedentatus, corolla quinquepartita; filamenta tria: in foeminino flore, calyx dentatus, corolla quinquepartita; ſtylus trifidus; bacca ſubgloboſa, polyſperma. Species officinalis eſt *Bryonia alba* foliis palmatis vtrinque calloſo-ſcabris *Linn.* Bryonia aſpera baccis rubris *Bauh.* Proſtat in officinis radix eiusque extractum et foecula. Qualitatis eſt acris et nauſeoſae, et viribus gaudet purgantibus, pellentibus, anthelminthicis et emmenagogis, hinc in hydrope, mania, etc. adhibetur. Radix in cataplaſmate adhibita tumores duros reſoluit. Ge. Zaunrübe, Gichtrübe. G. *Bryone, Feu ardent, Colubrine, Couleuvrée, Vigne blanche.* A. *Bryony.* B. *Quartel beſien, wilde Wyngaart.*

BRYONIA NIGRA, eſt Tamus communis. Vide *Tamus.*

BRYOPTERIS, ſeu DRYOPTERIS, eſt *Filix* querna alba, muſco quercino innaſcens, a βρύον muſcus quercinus, et πτέρις, filix: folia enim alarum in modum habet explicata, a πτέρυξ, ala.

BRYTON, eſt cereuiſia; a βρύω, germino, pullulo, quia hordeum, ex quo cereuiſia coquitur, prius pullulare, et germen emittere debet.

BVBO, eſt inguen, ſiue locus a flexu femoris ad pubem. Item tumor p. n. in inguinibus, a lue venerea, vel peſte, excitatus, in tio mobilis, nec ſubiectis partibus affixus, concolor et oedematoſus, vel rubicundus, haerens in glandulis inguinalibus vel inflammatis, vel ſuppuratis, vel ſcirrhoſis a βουβών, inguen. Si a ſola ſtaſi lymphae non corruptae oriantur, *benigni*, ſi a miaſmate peſtilentiali, venereo, vel ſcrophuloſo proueniant, *maligni* dicuntur. G. Eine Leiſtenbeule. G. *Un bubon, Poulain.* A. *Boil.* B. *Lies-buil, lies-klier, peſt-buil, venus-buil, klap-oor.*

BVBONIVM, vide *Aſter.*

BVBONOCELE, eſt *Hernia*, ſiue *Ramex inguinalis*, hoc eſt, quando inteſtina per annulum muſculorum abdominis, peritonaeo dilatato, iuxta decurſum vaſorum ſpermaticorum, in inguina delabuntur et tumorem p. n. conſtituunt. Nonnunquam pro bubone, ſiue tumore in inguine, ſumitur. Ex βουβών, inguen, et κήλη, tumor. Ge. Ein Leiſtenbruch. G. *Hernie inguinale, ou deſcente dans l'aine.* A. *A Rupture.* B. *Een zwelling in de lies, breuk, darm-ſcheurſel, lies-breuk.*

BVCCA, Gr. Στόμα, Γνάθος, Κόῤῥη. Dicitur oris, vel genarum, pars laxior, quae inflando tumet, vti apparet in tubicinibus. Ge. Die Pauſbacken. G. *Bouche.* A. *The cheek.* B. *De Kaak of mond, het hol der kaken.*

BVCCINATOR, eſt ſtratum fibrarum muſcularium, quod oriens ab alueolis dentium molarium ſuperiorum et inferiorum, vt et ligamento intermaxillari, et ſenſim conuergens, transuerſim ad angulum labiorum tendens huic inſeritur. Perforatur hic muſculus a ductu excretorio glandulae parotidis, ſeu ductu Stenoniano, qui ſaliuam ori infundit. Vſus huius muſculi eſt genas dentibus molaribus apprimere, cibosque inter manducandum delapſos his iterum interponere. Minus ergo commode *Buccinator* dicitur, cum non, vt tubicines ſolent, buccas diſtendat, ſed eas potius conſtringat, atque anguſtet. Ge. Das Backen- oder Trompetermäußlein. G. *Muſcle Buccinateur.* A. *The Muſcle of the cheek.* B. *De Kinneback of Kaak-ſpier.*

BVCCINVM, BVCINUS, et BVCINVM, eſt flos regius, ſic dicitur a ſimilitudine tubarum, quae buccinae dicuntur. — *Buccinum* quoque teſtaceorum genus eſt.

BVCCVLA, eſt carnoſa ſub mento pars. Ge. Unterkehle. G. *Double menton.* A. *The under chin.* B. *De onder-kin.*

BVCELATON, vel BVCCELLA PVRGATORIA; ita electuarium ſpiſſum purgans vocabatur, ex quo boli formabantur.

BVCEROS, eſt *Foenum Graecum*: ſic dicitur, quia eius ſiliquae bouis cornu referant. Ex βοῦς, bos, vacca, et κέρας, cornu.

BVCRANION, eſt *Antirrhinum*, ſic dictum, quod eius florum anterior facies bouis capiti ſimilis ſit. Ex βοῦς, bos, et κρανίον, caput, cranium.

BVFO eſt animal, quod refertur inter Amphibia reptilia, et quidem inter Ranas, quippe quibus eſt corpus tetrapo-

dum, nudum, ecaudatum. Est *Rana bufo* corpore ventricoso, verrucoso, lucido fuscoque *Linn.* Habitat in Europae nemorosis, ruderatis, vmbrosis. Verrucae lacteſcentes venenatae infuso, tactu, habitu vulgo putantur. Delectatur cotula, actaea, stachyde, foetidis. Viuipara, mare, vt fertur, obstetricante. Insecta in fauces fascino quasi reuocat, nocturna, fodiens. Sunt, qui puluerem bufonis exsiccati, vt remedium antipharmacum, nec non contra tineam et cancrum: bufonem contusum lumbisque impositum, vt remedium antihydropicum, et oleum bufonum, contra strumas commendant. Nonnulli etiam bufones viuos cancro exulcerato applicant. Ge. Kröte. G. *Crapaud.* A. *Toad.* B. *Padde.*

BVFONITES, seu BVFONIVS LAPIS, a *Plinio* inter gemmas relatus est, *Mercato Carrapatina* dicitur. Nomen gerit, quod vel ex ossibus bufonum oriri, vel bufones interficere, falso a nonnullis putetur. Lapides hi vnguis circiter magnitudine, conuexo-concaui, coloris grisei, aut rubicundi, maculosi, sunt dentes petrificati piscis maris mediterranei qui rubellio dicitur. Pertinent ergo ad Ichthyodontes scutellatos, orbiculatos, vmbonatos, vel scaphoides, seu molares piscium dentes fossiles. Recensebantur olim, vt alia similia, inter alexipharmaca.

BVGLOSSVM, est planta gymnotetrasperma asperifolia, (Pentandr. Monogyn.) quae habet folia longa, et mediocriter ampla, villosa, aspera, coloris viridis fusci, splendentis. Caulis ad altitudinem vnius, vel duorum pedum assurgit, setis quasi cinctus: in parte superiori diuiditur in plures ramusculos, ex quibus nascuntur flosculi rubri, caerulei, vel albi, monopetali, infundibuliformes, segmentis alicubi orbicularibus, orificio tubi quinque squamulis clauso. Antherae quinque. Ex calyce ad basin vsque secto surgit pistillum, infimae floris parti ad instar claui affixum, semina saporis sunt amygdalarum, obtusa, oblonga. Radix longa, obrotunda, digiti crassitie, intus in plerisque alba, extus nigra; tota planta habet succum viscosum. Dicitur et Lingua bouina. Species officinalis est Bugloſſum anguſtifolium maius *Bauh. Anchusa officinalis* foliis lanceolatis, spicis imbricatis secundis *Linn.* Qualitas quidem oleracea et mucilaginosa est: vis tamen exhilarans ei attribuitur, et flores inter quatuor flores cordiales numerantur. — Prostat in officinis syrupus, aqua, conserua. Ex βοῦς, bos, et γλῶσσα, lingua, quia folia huius plantae figura et asperitate sua linguam bouinam imitantur. Germ. Ochſenzunge. G. *Bugloſſe.* A. *Bugloſs.* B. *Oſſetong.*

BVGVLA, BUGLVM, BVGLA, seu CONSOLIDA MEDIA, est planta gymnotetrasperma verticillata, (Didyn. Gymnosperm.) quae habet duos caules: vnus flores gerit, et est quadratus, alter tenuis et repens est; vterque aliquantulum lanuginosus; folia oblonga, satis ampla, maiora origano, mollia, aliquantulum in margine incisa, saporis subdulcis, postea amari et adstringentis sunt: flores monopetali, vnilabiati, in spica verticillatim oriuntur, labio superiori minimo, erecto, bifido, obtuso, inferiori trifido, media parte procumbente bifida et maiore: semina obrotunda, in capsula, quae flori tanquam calyx inseruiuit, inclusa. Radix fibrosa, saporis adstringentis est. Datur et altera species Bugulae, quae dicitur Consolida media Geneuensis. *Linnaeo* officinalis species est *Ajuga pyramidalis*, tetragonopyramidalis villosa, foliis radicalibus maximis. Prouenit in Europae pratis montanis. Qualitatis est amarae, viriumque subadstringentium et vulnerariarum. Decoctum eius maxime efficax esse remedium in angina suppuratoria et gangraenosa legitur. Nonnulli nomen eius deriuant a Bugloſſa. Ge. Güldengünſel. G. *Bugle ou Conſoude moyenne.* A. *Bugule.* B. *Zegegroen, ingroen.*

BVLAPATHVM, est *Lapathum bouinum*, sed potius *magnum*, quia particula βυ est intensiua. Vide *Lapathum.*

BVLBI, Gr. Βόλβοι. Forte a βυ et λαβή, quod ob crassitiem facile prehenduntur: vel a βάλλειν, quia facile, globuli in modum, proiiciuntur. Sunt radices rotundae, tunicatae, quales sunt ceparum, tuliparum, hyacinthorum, etc. Etiam ad alias radices vox illa transfertur, nempe ad radices tuberosas, vt glandes terrestres, bulbocastana, solani tuberosi et chrysanthemi tuberosi etc. radices. Radix autem bulbosa vocatur, quando plurimis constat lamellis, vel membranis carneis, sibi inuicem parallele impositis, quae deinceps maximam partem in folia explicantur, ex quorum medio floriger caulis exsurgit, quae omnia in autumno pereunt, sed in medio, gemmam relinquunt, quae remanet, et in qua iam tunc noua futura existit planta, quae sequenti vere radices suas emittit, caulem, folia, et flores explicat; atque in huius nucleo medio iam haeret planta anni tertii. Hoc cum tuberosis radicibus bulbosa commune habet, quod citra gemmam mediam, vnam, vel plures minores relinquat gemmulas (prout in magis, vel minus fertili luxuriat solo), quae sequenti plerumque anno nouas fibrillas emittunt, et sui iuris factae matrem deserunt, ac propriis praesunt muneribus. Bulbi igitur, qui sic pro hybernaculo plantae e rudimento foliorum praeteritorum haberi possunt, sunt vel solidi,

ſcilicet carnoſi intus et indiuiſi, vel tunicati, tunicas extra tunicas habentes, vel ſquamati, ſeu ſquamis imbricati, vel caulini, ſeu cauli inſidentes. Germ. Knollen. G. *Racine ronde, Bulbes.* A. *Bulbs or any root that is round.* B. *Bollen, kliſters.* — Nomen hoc etiam datur partibus, quae ſimili fere figura gaudent, veluti bulbo oculi, quippe globo e variis tunicis compoſito, et bulbo vrethrae, ſeu expanſioni ſubſtantiae cauernoſae vrethrae e collo veſicae prodeuntis.

BVLBINA, et BVLBINE, videtur diminutiuum a *Bulbus.*

BVLBOCASTANVM, et *Bunium Linn.* eſt planta vmbellata, gymnodiſperma, (Pentandr. Digyn.) cuius corolla vniformis, vmbella partialis breuiſſima, conferta; fructus ouati. Habet folia tenuiſſime diuiſa, ad Seſeli accedentia, ſed ſaporis debilioris, cauli longo purpureo adhaerentia; flos, ſemina, et vmbella cum ſeſeli quoque conueniunt. Radix eſt bulboſa, nigra cute obducta, carnoſa, edulis, extus nigra, alba intus; pro bulbo habet quaſi nucem caſtaneam: hinc dicitur Italis pancafeole, ex pane, ex caſeo, quia nutrit inſtar panis et caſei. Ex βολβὸς, bulbus, et κάστανα, caſtanea: glans caſtaneam enim ſapit; vocatur etiam glans terrae. Ge. Erdnuß, Erdcicheln, Erdkaſtanien, Grundeicheln, Ackereicheln. Ga. *Glands de terre, Terrenoix.* A. *Earth-nut, Pignut.* B. *Aardnoren, Muizen met ſtaarten, Aard-akers.*

BVLBONAC, vel BOLBONAC, eſt herba, *Lunaria,* ſiue *Viola latifolia* dicta: ſic dici putat *Lobelius* a radice tuberoſa, ſeu bulboſa. Ge. Mondviole, Mondkraut. G. *Lunaire.* A. *Satrin or honeſty.* B. *Pennig-kruid, Penning-bloemen.*

BVLBASPHODELVS, eſt Aſphodelus bulboſus.

BVLBVS, vide *Bulbi.*

BVLIMIA, idem quod *Bulimus.*

BVLIMVS, *Phagedaena, Edacitas praeter conſuetudinem,* Βούλιμος, Βουλιμία, Βύβρωσις, Φαγέδαινα. Eſt fames aucta nimis, quam ſaepe lipothymiae comitantur, *Bouina* dicta. Oritur aliquando a ventriculi fermento nimium acri, et quacunque acrimonia huc delata, vel vermibus, vel actionibus corporis validis, et fibrarum ventriculi et inteſtinorum robore ſummo, vnde fibrae muſculares et nerui irritantur, et animal remedium, ſcilicet alimentum, ſibi appetit; nam et boues et equi hoc morbo laborare dicuntur. Ex βοῦς, bos, ſiue, vt aliis placet, ex particula βοῦ, ſignificationem augente et intendente, et λιμὸς, fames. Ge. Widernatürlicher Hunger. G. *Boulimie.* A. *An unſatiable hunger.* B. *Koe-honger, een onverzadelyke honger, razende honger, eet-zucht.*

BVMELIA, eſt *Fraxinus bubula,* vel, vt aliis placet, *Fraxinus magna:* ex βοῦς, bos, aut ex βοῦ, particula augendi, et μελία, vel μηλία, Fraxinus.

BVNIAS, ſiue NAPVS, ſignificat radicem tuberoſam, craſſam et magnam, a ſimilitudine collium, terraeque tumorum, quos Gr. βουνὸν appellant. In genere ea veteribus hoc nomen *napo* datum fuit. Ill. vero *Linnaeo* eſt *Bunias* plantae genus flore tetrapetalo cruciformi, (Tetradynam. ſiliquos.) cuius ſilicula decidua tetraëdra, angulis inaequalibus, acuminatis, muricata. Ill. *Linnaeus* eius quatuor ſpecies numerat. Ge. Meerſenf.

BVPHTHALMVM, eſt plantae genus flore compoſito radiato, ſeu diſcifloro, (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) cuius receptaculum paleaceum, pappus margine obſoletus; ſeminum latera, praeſertim radii, emarginata; ſtigma floſculorum hermaphroditorum indiuiſum. Habet caules ad altitudinem vnius, vel duorum pedum creſcentes, tenues, lanuginoſos: folia alternatim inciſa, lanuginoſa, dentata, tanaceti minoris ſimilia. Flos eſt radiatus, eiusque diſcus ex plurimis floſculis folio imbricato inter ſe diſtinctis componitur, corona vero ex ſemifloſculis, embryonibus inſidentibus, et calyce ſquamoſo comprehenſis: embryones autem deinde abeunt in ſemina plerumque tenuia et anguloſa, margine inciſo coronata. Radix eſt dura et lignoſa. Dicitur etiam *Oculus bouinus,* ſeu *Cotyla foetida,* quia eius flores oculi imitentur formam et boum potiſſimum oculis ſimiles ſint. Ge. Rindsauge. G. *Oeil de boeuf, Eſpargoute.* A. *Oxe-eye, May-weed.* B. *Koedil, Koeoog, ſtinkende Kamille, Padde-bloem.*

BVPLEVRON, eſt plantae genus flore roſaceo vmbellato, (Pentandr. Digyn.) cuius inuolucra vmbellae maiora polyphylla, petala integra, inuoluta, fructus ſubrotundus, compreſſus, ſtriatus. Habet caulem nodoſum, in ramos diuiſum: folia ſunt ſimplicia, oblonga, ſatis ampla, rigida, dura, nervoſa, acuminata, auriculae leporis ſatis ſimilia, et alterno ordine cauli adnata: flos eſt roſaceus, vmbellatus, quinque petalis conſtans in orbem poſitis, et calyci inſidentibus; abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, hinc gibbis et ſtriatis, inde vero planis. Creſcit haec planta in locis montoſis ad ſepes, et in dumetis. Videtur componi ex βοῦς, bos, et πλευρὸν, coſta, quaſi diceres bouis coſta. Dicitur et Auricula leporis. Ge. Haſenöhrlein. G. *Percefeuille, Oreille de Lievre.* A. *Hares ear.* B. *Haaze oor.*

BVPRESTIS, Gr. Βυπρηστις, inſectum eſt de genere Cantharidum, in arbore pinu degens. Dicitur ex βοῦς, bos, et πρήθω, qui incendit, ex πρήθω, quoniam, ſi bos illud deuora-

verit, inflammatione perit, et tumore abdominis. Hodie hoc nomine denotatur insectum e classe coleopterorum, quod habet antennas setaceas, longitudine thoracis; caput dimidium intra thoracem retractum, et cuius plures dantur species. Ge. Stinkkäfer. G. *Bupreste.*

BVRSA PASTORIS, est Thlaspios species, (Tetradynam. Siliculos). Habet folia oblonga, incisa, instar Erucae, repentia: caules sunt exigui, ramosi, in alas diuisi, folia habentes, quaedam integra, alia profunde incisa, radicalia pinnatifida: flores parui, albi, iuxta caules ordinati, quadrifidi, cruciformes sunt. Post florem sequitur fructus triangularis, basi sursum spectante, compressus, bursam referens, diuisus in duo loculamenta, septo intermedio, respectu valuarum, ad perpendiculum oblique posito, continentia semina exigua, fere obrotunda, nigra. Radix est longa, alba, fibrosa, saporis subdulcis et ingrati. Crescit haec planta in omnibus locis incultis, atque sic dicitur, quod eius folliculi seminales Bursam pastoriam apprime referant. Hinc etiam *Pera pastoris* vocatur. Nonnullis quoque audit *Sanguinaria*, quia propter vim adstringentem in sputo sanguinis, et haemorrhagiis quibusuis conuenit. Ge. Täschelkraut, Blutkraut. G. *Tabouret ou Bourse à Berger.* A. *Shepherds purse.* B. *Herders-tas, Taskens-kruid, Beursekens-kruid.*

BVRSALIS MVSCVLVS, vide *Obturator.*

BVSELINVM, est Daucus vulgaris, quasi diceres *Selinum bouinum*, id est, *magnum.*

BVTOMON, BVTOMVS, IVNCVS FLORIDVS, est planta flore rosaceo, (Enneandr. Hexagyn.) cuius inuolucrum commune, triphyllum, breue; vmbella simplex, corolla hexapetala, petalis alternis minoribus, acutioribus; capsulae sex oblongae, vniualues, introrsum dehiscentes. Habet scilicet caules rectos, crassos, politos, aequales: folia graminea, triangularia, ex radice erumpentia: caulis est nudus, in cuius capite vmbella sustinetur, vel flos tripetalus, rosaceus, antheris multis, stylis sex instructus. Flores in vmbella calyce triphyllo cincta: calyx proprius triphyllus, quem nonnulli ad petala referunt, petala concaua. Floris pistillum abit in fructum, qui constat coniunctis arctissimis sex vaginulis, quae plurima semina plana, oblonga, vtrinque obtusa, exigua recondunt. Radix est crassa, alba, nodosa, fibrosa. Haec planta crescit in locis aquosis, praesertim in pratis, vel circa mare. Vocatur et *Plataneria.* Sic dicitur, quia auide a bobus expetitur; vel quia valde scindit. Ex βοῦς, bos, vel βῶ, particula augente, et τέμνω, seco. Ge. Camelheu, blühende Binsen. G. *Jonc fleuri.* A. *Water Gladiola.* B. *Bloeyend Waterlisch.*

BYTYRVM, Gr. Βύτυρον, quasi βῦς, seu bouis, τυρὸς, caseus, vel coagulum: pars est lactis pinguior ab ipso post praeuiam acescentiam multa agitatione et conquassatione secreta. A chemicis hoc vocabulum translatum est ad liquores pingues quasi aut oleosos, ex mineralibus paratos, vti ex antimonio et mercurio sublimato simul destillatis fit *Butyrum Antimonii*, quod ex acido salis et regulo antimonii constat. Ge. Butter. G. *Beure.* A. *Butter.* B. *Boter, Butyrum Cacao.* V. *Cacoa.*

BVXVS, est plantae genus flore apetalo (Monoec. Tetrandr.) in quo, in flore masculino calyx triphyllus, petala duo, germinis rudimentum in flore foeminino calyx tetraphyllus, petala tria, styli tres, capsula trirostris, trilocularis; semina duo. Eius truncus saepe instar femoris crassus, lignum est durum, compactum, et flauum. Folia oblonga, minima, dura, obrotunda, crassa, polita, semper viridia, splendentia, odoris penetrantis, satis grati. Flores minimi, herbacei, tribus, vel quatuor staminibus constantes, e fundo plerumque tetragono calycis foliati surgentibus; embryones autem in aliis eiusdem plantae locis oriuntur, abeuntque in fructus oliae inuersae quodammodo aemulos, in tres partes apice dehiscentes, in tria loculamenta diuisos, seminibusque foetos in capsula cartilaginosa, vi elastica munita, reconditis. Haec semina sunt fusca, longa, splendentia. Tres potissimum species cognitae sunt, arborescens, humilis, et foliis aureis, vel variegatis. Decocto quidem stipitum, vel ligni, vires diaphoreticae, alexipharmacae et diureticae attributae sunt, quas tamen nec analysis chemica nec obseruationes confirmant. A Gr. πύξος, mutato nempe P. in B. venit a πυκάζω, denso; nam densum habet lignum. Hinc quoque *Bruscus* et *Ruscus.* Ge. Buchsbaum, Burbaum. G. *Buis, Bouis.* A. *Boxtree.* B. *Palm, Bos-boom, Buksboom.*

BYNE, est *Malsum*, siue hordeum madefactum, et germinans, quod postea siccatur; an a βύω et νάω, quia humore impletur? Ge. Malz. G. *Moulture, Bruis.* A. *Malt.* B. *Mout.*

BYSSVM, BYSSVS, putatur fuisse lini praestantissimi species, nascens in India et Aegypto, ex quo pretiosissimae vestes olim contexebantur. Quid tamen proprie Byssus Veterum fuerit, vix hodie satis certo constat. Sunt, qui sericum, qui gossypium, qui substantiam prosapiae mineralis, sunt, qui barbam Byssinam Pinnae marinae, quae hodie adhuc *Byssus* dicitur, fuisse putent. Forte nomine generali Byssi Veteres omnia texta pretiosa denotabant.

BYSSVS hodie est genus Algarum (Cryptogam.) plures species comprehendens, et e fibris simplicibus, vniformibus, lanuginosis, seu puluerulentis constans; quo etiam a nonnullis Conferuae terrestres referuntur. Ge. Haarafter-moß. G. *Byſſe.*

BYZANTINA BLATTA, vide *Blatta Byzantina.*

C.

C in formulis medicis, si vnum sit C calcem, si duo sint C C, cornu cerui denotant: vel concisa, contusa.

CACABVS, seu LEBES, est vas terreum vel cupreum maius, stanno intus obductum, quod climactere supra ignem suspendi solet, in quo medicamenta coquuntur. Ge. Eine Pfanne, Keſſel. G. *Marmite, Chaudron.* A. *A Kettle.* B. *Een Ketel.*

CACALIA, siue LEONTICE, est plantae genus, (Syngenes. Polygam. aequal.) quod inter alias species plantarum etiam eas continet, quae olim ad Kleiniae genus referebantur. Species vero eius maxime vulgaris *Cacalia alpina Linn.* est, seu planta, Tussilagini, vel Petasitidi, non absimilis, quae habet folia magna, fere rotunda, crassa, in margine incisa, angulosa, lanuginosa, inferius alba, petasitidem referentia. Ex his exsurgit caulis villosus, medullosus, in suprema parte in ramos diuisus: flos est flosculosus plurimis petalis constans, quadrifariam diuisis, embryonibus insidentibus, et calyce veluti cylindraceo basi tantum subcalyculato comprehensis. Embryo autem abit deinde in semen oblongum pappis capillaribus longissimis instructum. Radix fibrosa, minimi digiti crassitie. Crescit in montibus. An ex κακὸν, malum, et λαν, valde. Quia forte agris et campis inuisa est.

CACAO, vide *Cacoa.*

CACATORIA FEBRIS, est febris intermittens, saepe etiam continua, (sic dicta *Syluio*) cum alui deiectione multa, vel frequenti, et quandoque simul torminosa, diuerso accessus tempore aegros valde affligens, ac debilitans: etiam *Cathartica* et *Deiectoria* vocari potest. Ge. Purgirfieber. G. *Fievre avec devoyement.* A. *The purging fever.* B. *De kak-koorts.*

CACHECTICVS, est qui cachexia laborat. Ge. Der von ungeſunder Leibesbeſchaffenheit iſt. G. *Cachectique.* A. *One of an ill conſtitution and habit of body.* B. *Zugtig, die in een quaad vel ſteeks, wangedaantig.*

CACHEXIA, est malus corporis habitus, scilicet coloris, figurae, molis in corporis habitu deprauatio, ex humorum vitiosorum dispositione mala, nutritionem corporis proinde deprauante, ortus, vnde febres lentae, tabes, hydrops etc. contrahuntur. In Cachexia facies pallida et mali coloris est, corpus tumidum et inflatum. Cachexia late sumta εὐξίᾳ opponitur, ac vt bonus habitus omnibus partibus sanis communis est, ita malus habitus ab omnibus malis propagatur. Stricte *Cachexia* tantum sumitur pro mala dispositione in habitu corporis. *Euexia* vero pro humorum, siue sanguinis pariter et corporis dispositione bona accipitur. Cachexia pro causa agnoscit, vel liquidi nutrientis deprauatam indolem quamlibet, vel laxitatem fibrarum et vitium vasorum vel defectum facultatis applicantis, vel obstructionem viscerum. Est proprie maior gradus cacochymiae serosae, vel pituitosae, facile in hydropem transiturus, et remedia leniter euacuantia, incidentia, amaricantia, roborantia et martialia exigit. Ex κακὸς, malus, et ἕξις, habitus. Ge. Ungeſunde Leibesbeſchaffenheit. G. *Cachexie.* A. *Diſpoſition, or an ill ſtate of body, a diſtemper.* B. *Ongedaansheid, groene ziekte, wanſtal, wangedaante.*

CACCIONDE, *Pilulae de Caccionde*, sunt pilulae adstringentes, terram de Catechu continentes, a *Bagliuio* commendatae.

CACHVNDE, s. CACHVNDICA CONFECTIO, est Electuarium analepticum a *Lentilio* commendatum.

CACOA, CACAO, CACAVI, est fructus arboris, magnitudine Amygdali, colore fuscus, tenui membrana conclusus. Tota autem siliqua, in qua concluduntur, magnitudinem habet cucurbitae oblongae mediocris sortis, desinitque in acumen. Quatuor eius species recensentur, vnde et quatuor species fructus apud mercatores obueniunt. Prima et secunda species vocantur, *gros et petit caraque*; tertia et quarta species *gros et petit cacaos des Isles.* Arbor, in qua hic fructus prouenit, mediocris magnitudinis est, et vocatur incolis Cacahuaquahutil, seu Cacasal, estque *Theobroma Cacao Linn.* foliis integerrimis (Polyadelph. Pentandr.) Lignum arboris porosum est, cortex laeuis ex brunneo-flauus. Flos rosaceus pentaphyllus surgit ex calyce triphyllo; pistillum abit in fructum cucumeriformem, inaequalem, quinquefariam exasperatum, interne quinquefariam nucleos amygdalis similes et fissiles ferentem. Hi nuclei pingues et subamari multum olei vnguinosi continent. Si cum aqua decoquantur, insignis quantitas pingue-

dinis ſupernatat, quae *Butyrum Cacao* vocatur, et virtute demulcente gaudet. Hoc ſebum vegetabile, diutius licet aſſeruatum, vix rancescit. Fructus hic nobis adfertur ex meridionali America, ex Guatimala, etc. ibique adhibetur loco monetae, atque pauperibus pro eleemoſyna datur; parant ex hoc rum potum Indis vulgarem, tum maſſam *Chocolatam* dictam, quae fit ex dictis granis toſtis et tuſis ac aromatibus mixtis. Vide *Chocolata*. Ge. **Cacaobaum**. G. *Cacaoyer*. A. *Cacao-tree*. B. *Cacao-boom*.

CACOCHOLIA, eſt bilis male diſpoſita, ex κακὴ, mala, et χολὴ, bilis. Ge. **Ueble Beſchaffenheit der Galle**. G. *Indiſpoſition du fiel*. A. *Indiſpoſition of the gall*. B. *Quade geſteldheit der Gal*.

CACOCHYLA ALIMENTA, ſunt ea, ex quibus malus chylus praeparatur.

CACOCHYLIA, eſt deprauata chylificatio, vnde humor alienus et morboſus in primis viis generatur et ad ſanguinem defertur. Ex κακὸς, malus, et χυλὸς, chylus, ſuccus. Ge. **Böſe Verdauung**. G. *Cacochylie*. A. *Depraved Chyle*. B. *Quade chylmakinge*.

CACOCHYMIA, eſt humorum in ſanguine vitioſorum abvndantia: degeneratio ſcilicet ſanguinis, ſeri, vel lymphae, a ſalubri ſua conditione. Veteribus dicitur pro varia diſpoſitione, *vlceroſa, bilioſa, pituitoſa, melancholica, acida, ſalſa*, etc. pro diuerſitate humorum, quantitate, vel qualitate, peccantium. Ex κακὸς, prauus, et χυμὸς, ſuccus, humor, a χέω, vel χύνω, fundo. Germ. **Unreine Säfte**. Gall. *Cacochymie*. A. *Cacochymie or an abundance of ill humours in the body*. B. *Quaad ſappigheit, quade voedzaamheit, quaad-vogtigheit, quaadbloedigheit*.

CACOCHYMICA FEBRIS dicitur lenta, lenis, plerumque erratica, intermittens, vel remittens, quae poſt diu toleratam humorum cruditatem, vel ab ipſa praua humorum diſpoſitione oritur.

CACODES, id quod praui odoris eſt, ab ὄδος, odor. Vomitus cacodes eſt, ſi ea, quae vomitu reiiciuntur, tetrum odorem habent.

CACOËTHES, CHIRONIVM VLCVS, ſiue TELEPHIVM, eſt vlcus curationem reſpuens, quod *malignum* vocatur. Hoc fit, cum vlcus fuerit calloſum, vel ſinuoſum, cui nonnunquam oſſicula decedentia et carioſa ſubiacent, vel ex ipſa aegri diſpoſitione. Ex κακὸν, malum, et ἦθος, mos, conſuetudo: eſt enim vlcus, vel morbus, mali moris. Ge. **Ein böſes Geſchwür**. G. *Ulcere malin*. A. *An evil Ulcer, Boil, or Sore*. B. *Een quaad-aardige ſweer*.

CACOPATHIA, eſt mala paſſio, ex κακὸς, malus, et πάθος, paſſio. Ge. **Ueble Gemüthsbeſchaffenheit**. B. *Quade drift*.

CACOPHONIA, eſt mala vocis prolatio, ex organorum vitio proueniens. Ex κακὸς, male, et φωνέω, voco. Species ſunt aphonia et dyſphonia, ſeu impedita et difficilis loquela. Ge. **Schwere Ausſprache**. G. *Difficulté en parlant*. A. *A bad pronunciation, or an ill Sound*. B. *Quade uitſpraak der woorden*.

CACOPRAGIA, Gr. κακοπραγία, a κακὸς, malus, et πράττω, facio. Eſt ſaepe laeſa functio viscerum nutritioni famulantium.

CACORRHYTHMVS, pulſus eſt arteriarum, nullum ordinem ſeruans. Dicitur etiam *Arrhythmus*. Ex κακὸς, malus, et ῥυθμὸς, ordo. Ge. **Unordentlicher Puls**. G. *Le Pous inegal*. A. *An unequal pulſe*. B. *Een ongelyke pols*. Vide *Arrhythmus*.

CACOSPHYXIA, eſt pulſus vitioſus, ex κακὸν, malum, et σφύζω, pulſo, ſalio. Ge. **Unrichtiger Pulsſchlag**. G. *Le pous mauvais*. A. *A bad pulſe*. B. *Een quade pols*.

CACOTROPHIA, eſt nutritio deprauata ex ſanguinis vitio, vt in lepra, impetigine, etc. Ex κακὸν, malum, et τροφὴν, ſeu τρέφω, nutrio. Ge. **Verhindertes Zunehmen des Leibes**. G. *Mauvaiſe nutrition*. A. *Bad nourishment*. B. *Quade voeding*.

CACTOS, ſ. CACTVS, eſt plantae genus (Icoſandr. Monog.) quod habet calycem monophyllum, ſuperum, imbricatum, corollam multiplicem; baccam vnilocularem, vmbilicatam, vti calyx exaſperatam, polyſpermam. Huc quatuor genera ſecundaria pertinent. I. *Echinomelocacti* ſubrotundi. II. *Cerei erecti*, ſtantes per ſe. III. *Cerei repentes* radiculis lateralibus. IV. *Opuntiae* compreſſae articulis proliferis. Quorum ſingula plures ſpecies ſub ſe comprehendunt. Ge. **Melonendiſtel, Fackeldiſtel, Cereus**. G. *Cierge, Cardaſſe*. An κάκτος quaſi κατάκτονος, παρὰ τὸ κατακτείνειν, interficere, occidere, quod pappi eius noceant, nec periculo careant? certe *Dioſcorides* inter plantas tales et pappos cactos recenſet. Quidam a κάω, vro, quia vrit, ſeu pungit. Vide *Cereus*.

CACVMINA, idem quod *Summitates*.

CADAVER, a cadendo, quod anima ſpoliatum corpus in terram cadat, ex *Iſid*. Ge. **Todte Körper**. G. *Cadavre*.

CADMIA, ſ. CADMIA FOSSILIS, vide *Lapis calaminaris*. Tutia etiam idem ſortitur nomen et vocatur *Cadmia forna-*

cum. Nonnulli tamen etiam *Cobaltum cadmiam fossilem* dicunt. Arab. *Climia*, vel *Chlimia*. Vide *Cobaltum*, et *Tutia*.

CADVCAE dicuntur botanicis partes plantarum, vt folia, stipulae et bracteae, quae breui decidunt, nec per integram aestatem permanent.

CADVCVS MORBVS, vide *Epilepsia*.

CADVS, siue *Ceranium*, est Veterum mensura, continens vini centum et viginti libras, olei vero centum et quinque.

CAELESTIS, est *Iris*; sic dicitur, quia iridi caelesti simili sit. Gr. οὐράνια. Vide *Iris*.

CAELI DONVM, est *Chelidonium maius*; sic appellatur, ob egregias virtutes.

CAELI ROS, est granum mannae; videtur Millii sylvestris esse species.

CAELI ROSA, et CAELI FLOS, est *Lychnis Coronaria*.

CAEMENTATIO, et CAEMENTVM, vide *Cementatio*.

CAEPA, CEPE, et CEPA, est planta, quae habet folia ex radice erumpentia, longa, angusta, fistulosa, acria. Ex his nascitur caulis nudus, rectus, rotundus, fistulosus, in ventrem assurgens turbinatum vtrimque: flos liliaceus, (Hexandr. Monogyn.) hexapetalus, in corymbum collectus sphaericum: pistillum floris fit fructus subrotundus, triloculāris, foetus seminibus subrotundis, et nigricantibus. Radix bulbosa, tunicata, orbicularis, odoris penetrantis et ingrati, saporis acris. Qualitatis est acris et orgasticae, pollet ergo viribus maturantibus, diureticis, diaphoreticis, aphrodisiacis et antholminthicis. Vsus maxime culinaris est, tumque phlegmaticis et scorbuticis prodesse creditur. Gr. Κέφαλον, sic dictum, quod oculi pupillam comprimi cogat. Nam oculos vellendo expressis subinde lachrymis contrahi pupillas certum est: quidam deriuant a κάρη, caput, quia capitata: sed rectius a κόρη, pupilla, et κόειν, claudere, comprimere. *Cepa* vero sic a capitis magnitudine dicitur. Hinc deriuatur Frisica vox *Cipels*. Ge. Zwiebel. G. *Oignon*. A. *Onion*. B. *Ajuin, Uijen*.

CAERVLEVM BEROLINENSE, est pulvis grate caeruleus, qui, dum lixiuium sanguinis cum sale alcalino calcinati, vel etiam, per nupera experimenta, lixiuium ex aliis partibus animalibus, imo et fuliginosis vegetabilibus tostis, cum sale alcalino calcinatis, paratum, miscetur cum solutione aluminis crudi et vitrioli martialis ad rubedinem calcinati, imo solo acido, praecipitatur; affusa aqua edulcorandus: vsus est pictorius. Ge. Berlinerblau. G. *Bleu de Prusse*.

CAERVLEVM MONTANVM, vide *Armenus lapis*.

CAESAREA SECTIO, idem quod *Hysterotomotocia*.

CAESAREVS PARTVS, vide *Partus Caesareus*.

CAFE, est Iasminum Arabicum, castaneae folio, flore albo, odoratissimo *Commelin.* cuius fructus nobis *Coffee* dicitur. Arbor est indigena Arabiae, vnde semina in insulam Iauam translata, eo in loco primum, dein in aliis Indiarum regionibus, et postea etiam in America vberrime propagata sunt. Ill. *Linnaeo* arbor dicitur: *Coffea arabica* floribus quinquefidis dispermis, (Pentandr. Monogyn.) fertque corollam hypocrateriformem; stamina supra tubum, baccam inferam dispermam, semina arillata. Est etiam alia species, scilicet *Coffea occidentalis* floribus quadrifidis, baccis monospermis, quae est Iasminum arborescens, lauri folio, flore albo odoratissimo *Plum.* cuius fructus non adhibentur. Vsus fructuum notissimus est, qui siccati, tosti, contriti, cum aqua infusi, potum exhibent, qui moderata copia hausti ventriculo non molestus est, sed nimia dosi assumtus, propter laxantes aquae calidae vires, primas vias debilitat, et ob qualitatem empyreumaticam neruis infestus est. Sunt, qui decoctum fructuum non tostorum vt remedium specificum antinephriticum commendant. Arbor haec in Arabia in montibus Hadienfibus praecipue colitur. Vocatur *Coffea* etiam Arab. *Boon, Bon* vel *Bunchum*. It. *Gahue*, vel *Gesther*. Incolae ex capsula decoctum parant, gustu et colore simile herbae Theae, quod decocto fabarum praeferunt. Ge. Caffebaum. G. *Cafier*. A. *Coffee-Shrub*. B. *Koffy*.

CAFVR, idem quod *Camphora*.

CAIEPVT oleum, est oleum destillatum, quod ex India orientali ad nos adfertur. Arbor, e cuius semine destillatur, est *Melaleuca leucadendra Linn.* (Polyadelph. Polyandr.) Arbor alba Cayputi *Rumph.* Caieput enim lingua Malaica album lignum significat. Qualitas olei fragrantissima est, visque pellens, carminatiua et emmenagoga. Dosis sunt guttae IV. V. saccharo exceptae.

CALAMAGROSTIS, et CALAMOGROSTIS, est gramen arundinaceum. Ex κάλαμος, virga, calamus, et ἄγρωστις, graminis species.

CALAMBAC, vide *Agallochum*.

CALAMINARIS LAPIS, CADMIA FOSSILIS, CADMIA LAPIDOSA, *Zincum* lapidescens subterreum *Linn.* reperitur in metallorum fodinis in Polonia et Hungaria. Est lapis fossilis, subflauus, non admodum durus, dum accenditur fumum eructans: cuius vsus insignis, dum additus cupro, suum regulum cum eo miscet, illudque colore eleganti flauo

donat, quod aurichalcum vulgare eſt. In medicina magni quoque eſt vſus; toſtus enim et ablutus egregia virtute exſiccante pollet; hinc externe tum in ſubſtantia, tum in variis compoſitionibus, adhibetur. Vide *Tutia*. Ge. Galmey, Galmenſtein. G. *Pierre Calaminaire ou Calamine*. A. *Calaminare-ſtone*. *Kalamint-ſteen, Kalmy-ſteen*.

CALAMINTHA, CALAMINTHVM, eſt meliſſae ſpecies, et quidem *Meliſſa Calamintha* pedunculis axillaribus dichotomis longitudine foliorum *Linn.* (Didynam. Gymnoſperm.). Creſcit in montibus Europae auſtralis, et quidem ad altitudinem circiter vnius pedis, in plures ramos diuiſa angulosos. Folia ſunt obrotunda, parum acuta, villoſa, aut aliquantulum lanuginoſa, ſibi inuicem alternatim oppoſita: flores labiati naſcuntur in pedunculis ramoſis ex foliorum alis, coloris purpurei, galea obrotunda, bifida, barba tripartita: ſemina quatuor nigricantia, oblonga, in capſula, quae flori tanquam calyx inſeruiuit, incluſa. Radix fibroſa eſt. Tota planta habet odorem aromaticum et gratum, gaudetque viribus reſoluentibus, pellentibus, expectorantibus et ſtomachicis. Tres potiſſimum ſpecies Calaminthae in vſu ſunt, ſcilicet 1) Calamintha pulegii odore, ſeu Nepeta C. B. *Meliſſa nepeta Linn.* 2) Calamintha vulgaris, vel officinarum Germaniae C. B. *Meliſſa Calamintha Linn.* vide ſupra, et 3) Calamintha montana flore magno et calyce longo I. B. (*Meliſſa grandiflora Linn.*). Variae tamen quoque Menthae ſpecies Calaminthae nomine inſigniuntur. Dicitur quaſi vtilis Mentha; namque nidore ſuo ſerpentes fugare creditur. Ex καλὴ, vtilis, pulchra, et μίνθα, ſeu μίνθη, mentha. Aliis placet ἀπὸ τοῦ κάλαμος, quod lignum ſignificat, a καίω, vro. Ge. Calamenth, Bergmünze. G. *Calament*. A. *Calamint*. B. *Water of Ried-Mente, Calamenth*.

CALAMITA, nempe *Styrax*, ſic vocatur, quia in calamis excipitur et aſſeruatur.

CALAMVS, *Arundo*: dicitur παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι, quod pulchre demetiatur arundo. Gr. etiam Δόναξ, ἀπὸ τῆς ῥᾳδίου δονεῖσθαι, quod facile a vento moueatur. Ge. Rohr. G. *Canne, Roſeau*. A. *A Reed*. B. *Riet*.

CALAMVS AROMATICVS, veterum quid fuerit, dubitatur. Alii *Acorum* eſſe volunt, alii *Galangam*. *Garzias* dicit, eſſe aromaticum quidem, non vero odoratum, imo et iuncum eſſe duntaxat. Seritur per vniuerſam Indiam. Neque odoratus eſt, niſi e terra euulſus: quantoque viridior, tanto tetriori odore tetrior, teſte eodem Auctore. Dicitur et calamus odoratus Indicus, Alexandrinus, etc. Nobis hodie eſt calamus aromaticus, ſeu *Acorus calamus Linn.* (Hexandr. Monogyn.) planta, cuius ſpadix cylindricus, tectus floſculis, corolla hexapetala, nuda, ſtylus nullus, capſula trilocularis. Duae proſtant ſpecies, ſcilicet *Acorus verus*, ſ. *calamus aromaticus officinarum Bauh.* creſcens in Europae paludibus, et *Acorus verus*, ſ. *Calamus aromaticus radice tenuiore Herm.* in India Orientali et Braſilia proueniens. Radix vtriusque gaudet qualitate aromatica et amaricante, viribusque alexiteriis, pellentibus et ſtomachicis, hinc ad plura medicamenta compoſita recipitur. Vide *Acorus*. Ge. Kalmus. G. *Le Calamus aromatique*. A. *Sweet flag or Calamus*. B. *Welriekend Liſch, Kalmus*.

CALAMVS SACCHARIFERVS, vide *Saccharum*.

CALAMVS SCRIPTORIVS, eſt dilatatio quaedam in baſi ventriculi quarti cerebri, quae deinde per medullam ſpinalem aliquatenus continuata, in mucronem exacuitur, et ab hac figura nomen ab *Herophilo* obtinuiſſe videtur. In huius calami medio longitudinaliter rima aliqua cernitur, quae vero coeca eſt, et ad alias partes non aperitur: haecque calami ſcriptorii crena vocatur. Ge. Schreibfeder im Gehirn. Ga. *Ventricule du Cerveau en forme de plume*. A. *Writing pen in the brain*. B. *De Schryf-pen in de Herſen*.

CALATHVS, eſt rectus turbo, hoc eſt, id quod ex anguſtiis in latitudinem ſe diffundit. Calathi effigiem plane liliorum flores referunt.

CALCANEVM, idem quod *Calx*.

CALCARIS FLOS, eſt *Flos Regius*; ſic dicitur, quod eius flores quodammodo calcaria referant. *Calcar* etiam botanicis a ſimilitudine dicitur petalum, ſeu nectarium florum tubiforme et inflexum, qualia in Delphinio, Linaria, etc. conſpiciuntur.

CALCATRIPPA, i. q. *Delphinium*, ſ. *Conſolida regalis*.

CALCEOLVS MARIAE, SACERDOTIS, MARIANVS, eſt Alismatis ſpecies, cui in medio floris aliquid concauum, inſtar calceoli, apparet. Eſt proprie calceolus, *Cypripedium Linn.* (Gynandr. Diandr.) planta flore polypetalo anomalo, cuius nectarium calceiforme et inflatum, capſula ouata, obtuſe trigona, vnilocularis, tribus futuris dehiſcens, polyſperma eſt. Ge. Marienſchuh. G. *Sabot de Notre-Dame*. A. *Ladies slipper*.

CALCANTHVM, vide *Vitriolum*.

CALCAREVS LAPIS, CALCAREA TERRA, vide *Calx*.

CALCHOIDEA OSSICVLA, idem quod *Cuneiformia oſſicula*.

CALCINATIO, est misti per ignem, aut res corrodentes, (per mercurium, aquam regiam, etc.) in calcem solutio, quae facit, vt a pristina natura admodum deflectant, et in substantiam friabilem, vel puluerem, mutentur. Illa dicitur calcinatio actualis, haec potentialis, quae rursus vel humida est, et per menstrua fit, vel sicca, quo amalgamatio, fumigatio et caementatio pertinent. Ge. Verkalchung. G. et *A. Calcination.* B. *Kalkmaking, Kalkbranding, Verkalking.*

CALCINATIO PHILOSOPHICA, seu SPAGYRICA, vel *sine igne*, est, cum cornua, ossa, aut vngulae, super aquam feruentem per aliquot horas suspenduntur, donec omnem mucilaginem amiserint, et facile in puluerem tundi queant. Ge. Philosophische Verkalchung ohne Feuer. G. *Calcination philosophique.* A. *Philosophical Calcination.* B. *Philoſoophſe Calcinatie.*

CALCIS CREMOR, vide *Calx.*

CALCITRAPA, idem quod *Carduus stellatus.*

CALCVLVS, est praeter sanitatem in corpore humano lapidosa concretio, quae saepe in renibus, vesicis, ductibus saliualibus, aliisque in partibus, ex particulis salinis, oleosis et terrestribus concretis generatur, et quamdiu in corpore manet, per nouam materiae adpositionem magnitudine increscit. Vide *Cholelithus.* In quibusdam gazellis huiusmodi calculi generantur. Vide *Bezoar.* Sed etiam in pecoribus saepe calculi formantur, embryone piloso: dum scilicet in ventriculis pecorum ruminantium deglutitis pilis, indigestibilibus, compactis et compressis in globum crusta lapidea superinducitur. Vide *Aegagropila.* Ge. Der Stein. G. *Calcul.* A. *Stone.* B. *Steen.*

CALDARIVM, idem quod *Laconicum*, vide *Balneum laconicum. Castello* significat ahenum, in quo corpora quaedam feruefiunt.

CALEFACIENTIA vocantur talia remedia, quae actionem vasorum in fluida, hinc eorum motum, attritum, et densitatem augent, quoniam ab hac causa calor nostri corporis pendet et augetur; talia sunt, aromatica, salia volatilia, et spiritus inflammabiles. Gr. Θερμαντικὰ. Ge. Erwärmende Arzeney. G. *Echauffans.* A. *Warming or hearing medicines.* B. *Verwarmende middelen.*

CALENDVLA, nomen accepit, quod singulis fere calendis floreat: sed alii putant, quod sit corruptum nomen a *Caltha*, seu *Calthula.* Ge. Ringelblumen. G. *Souci.* A. *Marigold.* B. *Gouds-bloem.* Vide *Caltha.*

CALENTVRA, est nomen morbi cuiusdam peregrini, quo nauigantes versus Indiam Occidentalem infestantur, dum tropicum appropinquant, et consistit in deprauata imaginatione, cum pulsu debili, aequali, lento, absque febre et calore excedente. Alii tamen hunc morbum ad febres putridas et malignas referunt, eique acidis et analepticis medentur. Calentura enim Hispanis febris acuta est.

CALIDVM INNATVM, vide *Emphytum Thermum*, aut *Biolychnium.*

CALIGO proprie significat tenebras. Medicis vero nonnunquam obscurationem visus denotat, et quidem proprie eam, quae oritur ab obicibus opacis citra pupillam positis, vt est symblepharosis, anchiloblepharosis, blepharoptosis, leucoma, pterygium, staphyloma, etc.

CALIX, CALYX, CALICES, sunt oculi, siue gemmae florum prodromi, vt oculi populi arboris. Vel est pars floris posterior, crassitudine quadam notabili a pediculo distincta, flores vel inuoluens, vel sustinens. Est ergo Calyx cortex plantae in fructificatione praesens, hicque pro diuersitate sua varia sortitur nomina. *Perianthium* est calyx fructificationi contiguus. *Inuolucrum* est calyx a flore remotus. *Gluma* est calyx graminis valuis amplexantibus. *Arista* est mucro subulatus glumae insidens. *Amentum* ex receptaculo communi paleaceo prodit. *Spatha* est calyx longitudinaliter ruptus. *Calyptra* est calyx muſci cucullatus, antherae superimpositus. *Volua* est calyx fungi membranaceus. Vide *Alabastri* et *Perianthium.* Ge. Kelch.

CALLICREAS, siue PANCREAS, est glandula conglomerata, magna, plana, carnei coloris, sub ventriculi parte posteriore collocata, transuersim a duodeno versus lienem extensa. Longitudinem habet octo, vel nouem quasi digitorum transuersorum, et latitudinem digitorum duorum, vel duorum cum dimidio; crassitiem vnius digiti; figuram ad linguam caninam accedentem, latiorem prope duodenum, angustiorem versus lienem. Habet ductum excretorium, qui pancreaticus dicitur, ex multis minoribus conflatum, qui terminatur in homine iuxta ductum communem biliarium in intestinum duodenum, quatuor, vel quinque digitis infra pylorum, et vt plurimum eodem orificio cum ductu choledocho. Ex cuius ductu lympha volatilis et insipida saliuae maxime similis effunditur. *Sylvius de le Boe* cum discipulo suo *de Graaf* succum hunc acidum et subacidum, quandoque austerum et dulcem inuenisse se dicunt, indeque originem fere omnium morborum deducunt. Vsus huius glandulae est, vt et succo suo aquoso bilis amarorem temperet,

eamque diluat, vt haec saponacea sua vi omnia misceat et subigat, sicque ex alimentis laudabilis chyli elaborationem promouere possit. Componitur ex καλὸν, pulchrum, et κρέας, quasi diceres carnem formosam. Ge. Das Rücklein, große Magendrüse. G. *Le Pancreas.* A. *Sweet-bread, the Pancreas, or the Birr.* B. *Groote klier, Buik-klier-bedde.*

CALLIGONVM, idem quod *Polygonon.* Ex καλὸς, pulcher, κάλλιον, melius, et γόνυ, genu, quia geniculata est herba. Est planta ad Polyandr. Digyn. pertinens, cuius calyx pentaphyllus; petala nulla, stylus nullus; fructus hispidus, monospermus, et cuius vnica species prostat, quae est Calligonum polygonoides, vel Polygonoides orientale Ephedrae facie *Tourn.* Ge. Hackenknopf.

CALLIONYMVS, est *lilium conuallium*, ex κάλλιον, melius, et ὄνομα, nomen. Piscis quoque genus a *Linn.* ita vocatur.

CALLITRICHE, s. POLYTRICHVM, est proprie herba capillaris, dicta, quod capillos pulchre tingat. — Callitriche, s. stellaria *Dill.* est planta (Monandr. Digyn.) cui calyx nullus, petala duo, capsula bilocularis, tetrasperma. Ge. Wasserstern. G. *Callitriche.* Ex καλὴ, pulchra, et θρὶξ, capillus. Vide *Polytrichum.*

CALLOSVM CORPVS, vide *Corpus Callosum.*

CALLVS, est durities in cute, absque sensu, orta a vasis integumentorum minimis nimio labore compressis, consolidatis in formam solidi. G. Πάχωμα, τύλωσις, τύλος. G. Dickehaut, Schwiele an Händen und Füssen. G. *Callus, Durillon.* A. *An Hardness in the Skin.* B. *Een Weer, Eelt.* — Item est substantia circa ossium fracturas genita, ossea, sed mollior, effusa huc ex vasis materiam osseam naturaliter vehentibus, et fragmenta ossium fractorum connectens. Ge. Beinnarbe. G. *Cal.* A. *Callus.*

CALOMELAS, est veteribus mercurius cum sulphure diu tritus, et in corpus nigrum redactus; hinc idem, quod *Aethiops mineralis.* Nomen deriuatur a καλὸς, pulcher, et μέλας, niger, ob colorem, et virtutem eximiam in purgando, aliisve casibus, vbi mercurii vsus requiritur. Recentioribus vero ita vocatur mercurius dulcis, qui ad septimam vsque vicem sublimatus est. Ge. G. A. B. *Calomel.*

CALOR NATIVVS, vide *Biolychnium.*

CALTHA, est planta, quae habet caules tenues, nonnihil angulosos, villosos, ramosos, fungosos, viscosos parum: folia oblonga, integra, cauli adhaerentia, carnosa, mollia, villosa, albescentia, satis ampla. Flores discoidei, radiati, rotundi, magni nascuntur, coloris aurei, saporis fortis et

grati, corpna vero ex semiflosculis componitur embryonibus insidentibus, et calyce comprehensis: embryones autem abeunt in capsulas plerumque incuruas et emarginatas, semine foetas vt plurimum oblongo. Radix lignosa est et fibrosa. Dicitur et *Calthula*, quam vocem deinde corrumpentes officinae in *Calendulam* immutarunt. Quamquam verisimile etiam sit, sic nominatam esse, quod omnium mensium calendis fruticare comperiatur. Atque hinc fit, quod nonnulli *Florem omnium mensium* appellent. Haec est *Calendula Linn.* (Syngenes. Polyg. necessar.) cuius receptaculum nudum; pappus nullus; calyx polyphyllus aequalis, semina disci membranacea. Species vero *Calendula officinalis* seminibus cymbiformibus muricatis, incuruatis omnibus. Caltha vulgaris *Bauh.* In Europae australis aruis prouenit. Qualitatis est amarae et subnarcoticae, gaudetque viribus pellentibus, emmenagogis et sudoriferis. — Caltha palustris *Linn.* et C. *Bauh.* ad *Populaginem* pertinet. Ge. Ringelblume. G. *Souci.* A. *Marigold.* B. *Souds-bloem.*

CALVA, *Plin.* Caluaria. *Celso* Cranium, κράνιον, quod cerebrum integat, quasi κράνος, id est, galea, πῶλος, κόγχος *Lycophr.* σκάφιον *Aristoph.* κῦτος, est integumentum capitis osseum. Vide *Cranium.* Ge. Die Hirnschale. G. *Crane.* A. *The Skull.* B. *Het Hooft-schee, Pan van 't hooft, bekkeneel, Hooft-schotel, Herssen-bekken.* — Item pars capitis capillata superior, quae a morbo, vel senectute primo caluescit. Ge. Das Oberste des Haupts. G. *Le Sommet de la tête.* A. *The Top of the head.* B. *De Kruin.*

CALVARIA, idem quod *Calua.*

CALVITIVM, et CALVITIES, apud Graecos vocatum est Φαλάκρωσις, et Μαδάρωσις, quod quidem vitium nihil aliud est, nisi depilatio capitis, potissimum sincipitis, aetate hominibus aduenientes. Ge. Kahlkopf, Glatze. G. *Chauveté ou Calvitie.* A. *Baldness.* B. *Kaalhoofdigheid.*

CALX, CALCANEVM, *Virg.* item Πτέρνα, Σκέλις, est secundum os tarsi in pede, reliquis magnitudine et robore praestantius, astragalo subiacens, oblongum et versus posteriora protensum, vt ei firmius homo insistat, nec lapsu facili retrorsum concidat. Eius tuberositati tendo Achillis, seu extensorum pedis, inseritur. Ge. Die Ferse, das Fersenbein. G. *Le Talon, le Calcaneon.* A. *The Heel-bone.* B. *De Versenen, de Hiel.*

CALX, chymicis dicitur quilibet puluis, per humiditatis et phlogisti ablationem, in partes tenuissimas ac velut impalpabiles redactus, idque intelligendum est de *metallis, mineralibusque*

corrosis, vel calcinatis, vt de calce, antimonii, auri, argenti, etc. Nec non *Vegetabilium* cineres, qui sunt substantiae terreosalinae, et *Animalium* cornua, ossa, etc. per ignis torturam partibus humidis, et volatilibus spoliata, a nonnullis nominantur *Calces*. Proprie vero *Calx* dicitur substantia alba, friabilis, nata, dum terrae calcareae, v. c. creta, et lapides calcarii, cum acido effervescentes, praecipue Marmor rude particulis granulatis micantibus *Linn.* et testae conchyliorum igne exuruntur, haecque est *calx viua*, vsui potissimum mechanico inseruiens, caustica per se et corrosiua. Cum aqua effervescit et incalescit, eique vires antacidas et dissoluentes largitur, quae ergo non solum, accedente calore, sulphura, resinas et pinguedines dissoluit, verum etiam sub nomine *Aquae Calcis viuae* in vsum medicum adhibetur, et externe vires exsiccantes, interne vero sumta, dissoluentes, antacidas, et praecipue, iuncto sapone, vires insignes lithontripticas exserit. Prostat in pharmacopoea Edimburgensi et Londinensi aqua calcis magis et minus composita, in quibus, adiecto ligno, sassafras, vel guaiaco, liquiritia et aromatibus vires exaltantur, aut qualitas septica corrigitur. Vnde caustica vis calcis viuae pendeat, adhuc sub iudice lis est. Ge. Kalk. G. *De la Chaux*. A. *Lime*. B. *Kalk*.

CALYPTRA, est inuolucrum tenue quorundam seminum, illa inclusa tenens, a καλύπτω, occulto. Hodie sic nominatur calyx muscí cucullatus, antherae superimpositus. Ge. Der Saamendeckel. G. *Coeffe ou enveloppe*. B. *Het Zaadhuysje*.

CAMARIVM, vide *Fornix*. Ex καμάρα, fornix, testudo.

CAMAROSIS, s. *Camaroma*, est cranii ictus, in lineam circularem tendens, in quo ossis portio aliqua, in testudinis formam, suspensa relinquitur, estque quintuplex: 1. Cum frangendo os vnum deprimitur, et alterum eleuatur. 2. Quando os absque fissura deprimitur, quod infantibus proprium. 3. Est contusio, in qua margines sunt depressi, et ossis medium in fornicis speciem eleuatum, remanente inferius spatio vacuo. 4. Depressio semet sponte eleuat eo tempore, cum os adhuc sit membranaceum, atque plectri speciem conseruat, donec ossificari incipit. 5. Quando tabula secunda est depressa, et prima semet in priorem statum reducit. A καμάρα, testudo. Ge. Der Hirnschalbruch, Gewölbbruch. G. *Fracture du crane*. A. *The Skull broken and become like a vault*. B. *Verwelfsel-breuk*.

CAMBIVM, est secundum *Auicennam* humor secundarius nutritioni partium inseruiens: primus dicebatur humor Ara-

bibus *Rot*, siue *Innominatus*: secundus, *Gluten*: et tertius, qui proxime in alimentum conuertebatur, *Cambii* nomine veniebat. Sed ea hodie, in explicanda nutritione, exactius determinanda sunt, nisi forte per *Rorem* intelligas chylum, per *Gluten* particularum cohaesionem et quietem, et per *Cambium* chyli assimilationem.

CAMELINE, quibusdam *Myagrion*, forte sic dicitur, quod a camelis valde appetatur.

CAMELOPODIVM, est *Marrubium*, quasi diceres pedem cameli. Ex κάμηλος, camelus, et πούς, pes.

CAMERA OCVLI, seu potius CAMERAE oculi, sunt duae cauitates in bulbo oculi, humore aqueo repletae, scilicet *Camera anterior* est spatium, quod est inter corneae superficiem concauam et inter pupillam et iridem. *Camera* vero *posterior* est inter vueam et lentem crystallinam ciliaresque processus. Ge. Kammern im Auge. G. *Chambres de l'Oeil*.

CAMERATIO, idem quod *Camarosis*.

CAMINI HERBA, est herbae Paraguay optima species.

CAMOMILLA, corrupte, sed melius *Chamaemelum*, vide suo loco.

CAMPANA, chymicis vocatur instrumentum, fumum ardentis sulphuris excipiens, in qua colligitur in tenuem acidum humorem, qui *Spiritus sulphuris per campanam* dicitur.

CAMPANVLA, est plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) cuius corolla campanulata est, fundo clauso, valuis staminiferis, stigma trifidum, capsula infera poris lateralibus dehiscens, et cuius plures reperiuntur species. Ge. Glockenblume. G. *Campanule*. A. *Bellflower*. B. *Klokjes*.

CAMPANVLATA, botanicis dicitur florum corolla, quae ventricosa, scilicet a lateribus gibba et tubo destituta est.

CAMPECHENSE LIGNVM, est lignum densum et durum, rubri coloris, saporis adstringentis et dulcis, quod tinctorio vsui proprie inseruit, sed a recentioribus etiam in decocto et extracto ad diarrhoeas et alios alui fluxus commendatur. Adfertur ex sinu *Honduras* dicto in America. Arbor ex qua hoc lignum obtinetur est *Caesalpina brasiliensis Linn.* vel potius *Haematoxylum campechianum eiusd.* Ge. Campecholz.

CAMPHORA et CAPHORA, item *Cafur*, Veteribus incognita. Est productum alicuius arboris in Sumatra prope Baros, peculiaris indolis, scilicet nec verae salinae, nec oleosae, nec gummosae, nec resinosae, proxime tamen ad olea aetherea coagulata accedens. Procera arbor est et densa, aedificiis struendis perutilis. Caudex recte ascendit. Ramos ordinate explicat: folia sunt magna, carnosa, ante-

rius acuta, camphoramque ſpirantia. Fructus formoſi ſunt auellanae nucis magnitudine, oblonge rotundi, tenui tunica cincti, quae rurſus, inſtar nucum auellanarum, alteri tunicae eleganti forma includitur, colore rubro, purpureo, flauo et viridi, integrum fructum contegit, et tulipae inſtar ſuperius ſeſe aperit. Poſtquam arbor iſta fuerit camphora diues, a foliis, cortice, et externo ligno ſpoliatur, vsque ad medullam, quae finditur, in qua camphora eleganti forma, coagulata et cryſtallina reperitur. In China et Borneo etiam naſcitur, ſed in *Iaponia* alia colitur arbor, quae camphoram praebet, folio tenuiori, molliori, diutiſſimeque odorem camphorae ſpirante; quae eſt laurus camphorifera, *Kaempf.* vel *Laurus Camphora* foliis triplineruiis lanceolato-ouatis *Linn.* (Enneandr. Monogyn.) Arbor ſylueſtris eſt, in Iaponia occidentali et adiacentibus inſulis in laetam vaſtamque tiliae magnitudinem adoleſcens, cuius deſcriptionem vid. apud *Kaempferum* in catalogo plantarum Iaponicarum. Subſtantia quidem, camphorae ſimilis, encheireſi chemica ex omnibus vegetabilibus oleo aethereo ſcatentibus praeparari poteſt. Noſtra vero camphora eſt productum ex albo pellucidum, graueolens ex China, Iapan, aliisque locis ad nos delatum. Omnium optima dicitur, quae ex Borneo venit, ſed ob pretium nimium forte huc non adfertur; Sumatrenſis vero melior eſt Iapanica. Facile accenditur, et ſi conſeruetur in thecis apertis, exhalando diſparet. Camphora non eſt gummi, ſed potius reſina, alba, pellucida, odoratiſſima, volatilis, et tritu difficilis. Ab incolis etiam e fruſtulis radicum et frondium arboris ſupra deſcriptae coctione cum aqua elicitur. Quae ex India affertur, impura adhuc eſt, et in Hollandia iterata fuſione et ſublimatione purificatur. In alcohole perfectiſſime ſoluitur, pellucidiſſima ſpecie, et odoratiſſima, ſed in deſtillatione non illico cum ſpiritu vini tranſit. Simulac guttula huius liquoris limpidiſſimi aquae immittitur, vno momento albeſcens tota camphora iterum apparet in aqua, integrum ſuum corpus reddens; itaque heteroclitum hoc corpus reſinam refert, ſed volatilem. Differt tamen ab aliis reſinis in eo, quod fundatur in ſpiritu nitri, vitrioli, aqua forti, vt in alcohole, vnde, vti diximus, affuſu aquae reuertitur immutata camphorae materies. In aqua non ſoluitur niſi cum ſaccharo, aut amygdalis, trita, vel etiam ſingulari quodam artificio in machina Papiniana ſub magno caloris gradu. Vſus eius in medicina latiſſimus eſt, licet, num frigidae ſit indolis, num calidae, nondum inter omnes conueniat. Calidam eſſe, natura ſalis volatilis oleoſi

fere probat. Gaudet viribus neruinis, pellentibus, alexipharmacis, anthelminthicis, antiſepticis et anodynis, hinc in plurima medicamenta recipitur. Externe, ob virtutem diſcutientem, tum in ſpiritu vini ſoluta, tum variis vnguentis et emplaſtris admixta, applicatur. Nimiam quoque et cantharidum et remediorum mercurialium efficaciam temperare creditur. Ge. Kampfer. G. *Camphre.* A. *Camphire.* B. *Campher.*

CAMPHORATA, ſeu *Camphoratum*, eſt Abrotanum, ſic dictum, quod camphoram oleat. Aliis *Camphorata* eſt *Camphoroſma Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) cuius calyx vrceolatus eſt; dentibus duobus appoſitis, alternisque minimis; corolla nulla, capſula monoſperma: ſcilicet Camphorata hirſuta *Bauh.* Camphoratae congener *Bauh.* et Camphorata foliis confertiſſimis *Hall.* Infuſum eius vt remedium antihydropicum et antaſthmaticum commendatur. *Camphoroſma monſpeliaca Linn.* a nonnullis in hydrope et aſthmate laudatur.

CANALES, ſunt ductus rotundi, intus caui, vtrinque aperti, longi, per quos liquores transeunt: vt ſunt ductus ſaliuales, biliarius, hepaticus, pancreaticus, etc. Gr. πόροι, ductus. Ge. Kanäle, Röhren. G. *Canaux, Conduits, Tuyaux.* A. *Channels, or ducts.* B. *Buizen.*

CANALES, ſ. CAPSVLAE; ita in chirurgia vocantur variae ciſtae, ſeu capſulae, ex ligno, vel metallo, confectae, in quibus membrum fractum, faſciis et ſerulis deligatum collocatur. Ge. Beinläden, Beinbindläden.

CANALES SEMICIRCVLARES, ſunt tres canales oſſei, ſemicirculares a forma dicti, quia nempe ſinguli in ſemicirculi modum curuantur; duriſſimi, cauitate fere elliptica donati, aliquando cylindrica; in medio autem curuaturae anguſtiſſimi, hinc verſus orificia ſenſim dilatati, circa eadem latiſſimi. Veſtibulo a parte poſtica, exteriori, auriculam reſpiciente, in ſede oſſis petroſi poſteriori, ſuperiori et exteriori appoſiti et continuati; membranula tenerrima nervea veſtibuli hic continuata a portione molli paris ſeptimi, praeter proprium perioſteum, veſtiuntur. Sex horum canalium extremitates non niſi quinque oſtia conficiunt in veſtibulo, cum vnum ex illis commune ſit duobus canalibus, maiori ſcilicet et minori; minimus canalis duo habet orificia; quinque haec orificia vnita, vna cum feneſtra ouali, orificio ſcalae ſuperioris cochleae, et quinque aliis minoribus foraminulis, nerueos ramulos transmittentibus, atque adeo per iſtos occluſis, veſtibulum formant. Vnde patet, hos canales in veſtibulum

hiantes eius cauum augere, quemadmodum cellulae apophyſios maſtoideae augent cauum tympani. Hi canales in organo auditus a quibusdam comparantur tubis, cochlea vero fidibus, quibus a ſono concuſſis hic ad ſenſorium commune propagatur. Ge. Die halbrunden Gänge im Ohr. G. *Les Canaux demi circulaires.* B. *Halfronderingsgewyſe Gaten in 't oor.*

CANALICVLATA dicuntur botanicis folia ſupra ſulco profundo longitudinaliter excauata.

CANALIS ARTERIOSVS, vel BOTALLI aut *ductus arterioſus Botalli*, eſt vas inter arteriam pulmonalem et arteriam magnam in foetibus reperiundum, quod in adultis obliteratur: medium eſt inter has duas magnas arterias, et iis continuatus. Oritur ab anteriore parte arteriae pulmonalis, paullo antequam illa ſubit aortam, ſeſeque bipartitur; et priori pariter aortae iam deſcendentis parti ſe inſerit, paulo vltra eum locum, a quo ſubclauia ſiniſtra abſcedit. Niſi rectius dicendum ſit, arteriam pulmonalem in duos ſe diuidere ramos, quorum anterior, vel truncus continuatus, eſt canalis arterioſus, poſterior pulmonalis ad pulmones tendens; canalemque illum cum aorta confluere in vnum, indeque effici aortam deſcendentem. Tantae magnitudinis ille canalis arterioſus eſt, vt prope aequalis ſit tum pulmonali, qua illa vltra eum pulmones petit, tum ipſi aortae, qua cum ea ſe coniungit. Vſus in foetibus eſt, vt ex arteria pulmonali per canaliculum hunc pars ſanguinis in arteriam magnam exoneretur, nec pulmones transfluat, ideo quod ſanguis, (quia foetus in vtero non reſpirat) per pulmones collapſos, vaſa nimis comprimentes, quae veſiculas cingunt, omnis fluere non poſſit. Ge. Der Pulsaderkanal. G. *Le Canal arterieux.* A. *Arterious veſſel.* B. *De slag-ader buis.*

CANCAMVM, quidam laccam eſſe putant, alii animae gummi. *Dioſcoridi* eſt Arabicae arboris lachryma, myrrhae quodammodo ſimilis, viroſi guſtus: quae ad ſuffimenta vſurpant. Hodie *Cancami* ſub nomine venditatur ſubſtantia admodum rara, e quatuor diuerſis ſubſtantiis gummoſis ex arbore quadam Africae et Braſiliae, myrrhae ſimili deſtillantibus conglutinata, quarum vna ſuccino ſimilis in igne liqueſcit, altera, in igne pariter liqueſcens fragrantior, eſt, tertia cornu ſimilis absque odore, et quarta verum gummi *Anime* eſt. Vocatur quoque *Gummi Kikekunemalo*, et in ſuffimentis neruinis adhibetur.

CANCER, vide *Carcinoma.*

CANCER, eſt ſpecies faſciarum, quae capiti tegendo inſeruit. Ge. Krebsförmige Binde. G. *Le Cancer de Galien.* B. *Kreeft-band.*

CANCER OSSIS, idem quod *Paedarthrocace.*

CANCRORVM CHELAE ſunt chelae cancri marini, vel *Cancri Paguri* brachyuri, thorace vtrinque obtuſe nouemplicato, manibus apice atris *Linn.* Vis bezoardica eis attribuitur, et additis coralliis et margaritis puluerem e chelis cancrorum compoſitum *Pharm. Lond.* vel Bezoardicum Anglicum conſtituunt. Chelae cancrorum igne aperto in calcem mutantur, et in omnibus acidis ſoluuntur, praeter vitriolicum, quippe a quo ex aliis menſtruis praecipitantur. Ge. Krebsſcheere. G. *Serres d'écréviſſe.* A. *Crabs-claws.* B. *Kreeft-ſchaaren.*

CANCRORVM OCVLI, ſunt lapides parui, albi, duri, cruſtacei, rotundi, compreſſi, vna parte conuexi, altera planiores, cum ſinu in medio excauati, concreti in ventriculis cancrorum fluuiatilium, ſaporis cretacei, acidum abſorbendi virtute praediti. Vſus hinc in medicina frequentiſſimi ſunt. Si in acido vegetabili, vel minerali diluto, macerentur, pars terrea ſoluitur, remanente parte gelatinoſa animali. Cum acido vegetabili ſaturatis multi virtutem reſoluentem et diureticam tribuunt. Reperiuntur paſſim homines, quibus oculi, vel lapides, cancrorum aſſumti illico purpuram vrticatam breui tranſituram expellunt. Lapides cancrorum igni expoſiti non in calcem abeunt. Ge. Krebsaugen. G. *Yeux d'Ecreviſſes.* A. *Crabs Eyes.* B. *Kreeft oogen.*

CANDELA, eſt inſtrumentum chirurgicum, rotundum, oblongum, tenue, ex flexili materia conſtructum, cuius apex materiam corrodentem continet, quod meatui vrinario penis immiſſum, caruncules conſumit, vel absque corroſiuo explorandis vlceribus vulneribusque inſeruit. Ge. Ein Kerzlein. G. *Une bougie.* B. *Een Kouing-kaarsje.* Vide *Cereus, Cereolus.*

CANDELAE FVMALES, ſunt coni nigri ex variis ſpeciebus aromaticis et puluere carbonum, qui accenſi gratum ſpargunt odorem. Ge. Räucherkerzlein. G. *Paſtille.*

CANDELARIA, ſeu CANDELA REGIA, eſt verbaſcum, quod etiam φλὸξ, flamma et cereus appellatur, quod cerei in modum floſculis ſuis ſe erigat. Vide *Verbaſcum* et *Phlomis.* Ge. Wollkraut. G. *Bouillon.* A. *Mullein.* B. *Wollekruid, Wolblat, Toorts-kruid.*

CANDISATIO, ſoli competit ſaccharo, quod in aqua ſolutum, purificatum, atque quadantenus inſpiſſatum, in cryſtallos concreſcit, idque candiſari vocant. Imponunt autem

solutioni nonnunquam res medicamentales solidas, vt crystallis illis saccharatis obducantur, easque confectionibus adnumerant. Ge. Candirung. G. *Candisation.* A. *Candying.* B. *Candelisering.*

CANDVM, melius *Canthum*, vulgo *Saccharum candi*, siue *candum*, *canthum*, id est, *angulosum*, *candidum*, *crystallinum*, *lucidum*. Est saccharum depuratum, candisando in crystallinam formam sec. art. redactum, ad modum, quo salia crystallisantur. Fit pro viliori vel depuratiori saccharo vel rubrum, vel album. A κάνθος, angulus. Ge. Candelzucker. G. *Sucre Candi.* A. *Sugar-candy.* B. *Kandy-suiker*, *Strok-suiker*, quia bacillos ollis imponunt, vt nempe crystalli ex syrupo spissiori iis adhaereant. Vsus vtriusque et oeconomicus est et medicinalis. *Boerhaauius* saccharum candum rubrum longe praefert albo, ideo quod pulmonibus longe magis amicum sit.

CANELLA, et CANELLA ZEYLANICA, vide *Cinamomum.* Videtur nobis deriuari a canna, hinc *Cannula* et *Canella*; sunt enim cortices cannam referentes.

CANELLA ALBA, vel CINNAMOMEA, i. q. *Winteranum*, seu *Magellanicum corticem* esse, nec ab eo canellam albam differre, nonnulli, sed falso putant. Vide hac de re sub voce *Winteranus cortex.*

CANICAE, sunt furfures, vel potius farina secundaria, quae ex furfuribus et pane constat, hoc est, cui flores cribro ademti sunt. Sic dicitur, quia canes iis pascuntur: hinc *Panis Canicaceus.*

CANICIDA, est Aconiti venenosi species: sic dicitur, quod canes exinde moriantur. Ex canis, et caedo, vel cedo.

CANICVLARES DIES; ita vocatur definitum quoddam tempus triginta trium dierum, in media aestate, mensibus Iulio et Augusto, in quo plerumque aër valde calidus est: ideo notandae medico, quoniam hoc tempus, iuxta *Hippocratem*, purgationi non est idoneum. Vocantur caniculares a Canicula, vel Sirio, stella scilicet primae magnitudinis in capite canis maioris, quae in hoc tempore simul cum sole oritur. Ge. Hundstage. G. *La Canicule.* A. *Dog-Days.* B. *Hondsdagen.*

CANINA APPETENTIA, vide *Cynodes Orexis.*

CANINA BRASSICA, est *Mercurialis*, s. *Cynocrambe.*

CANINA LINGVA, idem quod *Cynoglossum.*

CANINA MALVS, idem quod *Mandragora.*

CANINA RABIES, idem quod *Hydrophobia*, et *Rabies.*

CANINA SENTIS, idem quod *Cynosbaton.*

CANINI DENTES, vide *Dentes* et *Cynodontes.*

CANIRAM, vide *Nux Vomica.*

CANIRVBVS, quasi *Rubus Caninus*, idem quod *Cynosbatos.*

CANIS, est genus animalium, (Mammal. fer.) cuius dentes primores sex; laterales longiores, distantes, intermedii lobati. Inferiores sex, laterales lobati; laniarii solitarii, incuruati. Molares sex, vel septem, pluresue, quam in reliquis feris. Species maxime obuia est: *Canis familiaris*, cauda sinistrorsum recuruata; cuius infinitae fere, ex vario connubio, dantur varietates. Caput vertice carinatum. Labium inferius lateribus dentatis nudis occultatum. Mystaces ordinibus quinque, vel sex. Nares extrorsum recuruato sinu lunares. Auriculae margine baseos superiore reflexo; posteriore duplicato; antico trilobo. Verrucae faciei pilosae septem; futurae velleris octo; collares, sternea, cubitales, abdominales, oculares, lumbares, auriculares, anales. Mammae decem, harum quatuor in pectore. Pedes subpalmati. Edit carnes, vegetabilia farinosa, non olera. Digerit ossa; vomitu a gramine purgatur; cacat supra lapidem, album graecum, septicum summum. Potat lambendo; mingit ad latus, cum hospite saepe centies; odorat anum alterius, odoratu excellit naso humido. Leuissime incedit supra digitos, vix sudat, calidus linguam exserit, cubitum iturus circumit locum, dormit auditu acutiori, somniat. Procis rixantibus crudelis, catullit cum variis, mordet illa illos; cohaeret pene nodoso iunctus, grauida sexaginta tres dies, parit saepe quatuor ad octo, masculis patri similibus, foemineis matri. Fidissimus omnium, docilis, odit ignotos, mordet proiectum lapidem; ad musicam vlulat. Latrat in peregrinos, excepto cane Americae australis; a Mahometanis reiectus. Axungiae caninae ob vim emollientem et expectorantem singulares virtutes in tussi et phthisi, stercori vero ob vim maturantem et septicam, eximia efficacia in febribus intermittentibus, colica, dysenteria et angina olim tribuebatur. Nunc vero rarior, tantumque non explosus eius vsus est. Tibialia tamen ex aluta canina confecta in oedematibus pedum summopere prosunt, cum extensioni minus cedant. Apud veteres catuli conualescentibus commendabantur; canumque et hodie in Guinea vsus cibarius est. Ge. Hund. G. *Chien.* A. *Dog.* B. *Hond.* — *Canina Rabies* vide *Hydrophobia*, *Rabies.*

CANIS CEREBRVM, est *Antirrhinum*, quia folliculi seminales canis capiti mortuo et osseo similes sint.

CANITIES, est mutatio capillorum in colorem album. Canities vero duplex adhuc est, altera quae secundum aetatis cursum, scilicet in senio, obuenit: altera vero, quae vitiosa et morbosa ab *Aristotele* nuncupata est, et ex degenerascente pilorum nutrimento producitur. Ge. Graue, oder weiße Haare. G. *Blanchissure de cheveux.* A. *Greyhair.* B. *Grysheid.*

CANNA et CANA, apud Hebraeos *Kanech*, calamum significat, vnde hoc nomen originem habere videtur. Est vero *Canna*, vel *Cannacorus*, plantae genus, (Monandr. Monogyn.) cuius corolla sexpartita erecta; labio bipartito, revoluto; stylus lanceolatus corollae adnatus, calyx triphyllus est. Pertinet huc canna Indica, vel arundo Indica latifolia *Bauh.* Arundo Indica florida angustifolia *Moris.* et Cannacorus glaucophyllus ampliore folio, iridis palustris facie *Dill.* Germ. Judianisch Rohr. G. *Canne.* A. *Cane.* B. *Rotting.*

CANNA MAIOR, idem quod *Tibia.*

CANNA MINOR, idem quod *Fibulae os.*

CANNA SACCHARIFERA, vide *Saccharum.*

CANNABINA; habitus eius est cannabis, flos mas calyce et staminibus constans in vna planta: ouarium est capsula longa, trigona, foeta seminibus multis, ita vocatur, quia cannabim refert; est Eupatorium cannabinum *Linn. Tournefortius* ad Bidentem refert. — Cannabina vero *Tournefortii* est *Dariſca Linn.* (Dioec. Decandr.) cuius calyx est pentaphyllus, corolla nulla, in flore masculo antherae decem oblongae, in foeminino germen oblongum, styli tres, breues, stigmata simplicia, capsula oblonga, triangularis, vnilocularis; semina numerosa.

CANNABIS, est planta, (Dioec. Pentandr.) quae habet caulem rectum, quadratum, vnicum, villosum, asperum, excauatum, cortice filamentoso tectum: folia digitata instar manus apertae, in quatuor, vel quinque partes diuisa, dentata, viridia, subfusca, aspera, odoris ingrati: flos apetalus est, comprehensus calyce quinquefido, expanso, et stamina quinque habens, in flore masculino. In flore vero foeminino est calyx monophyllus, germen minimum, styli duo subulati longi. Calyces demum arcte clausi comprehendunt nuces globoso-depressas, biualues, quae sub tenui cortice ex cinereo spadiceo glabro includunt medullam albam, saporis subdulcis. Radix est annua, simplex, lignosa, alba, fibris instructa. Colitur haec planta in pratis circa loca humida; distinguitur in marem, siue florentem, sed sterilem, et in foeminam, quae semina fert. Eius vnica species prostat, scilicet: *Cannabis sativa* foliis digitatis *Linn.* Vsus maxime oeconomicus est. Plantae recentis qualitas virosa, stupefaciens. Semina tamen, quae multum olei vnguinosi continent, in emulsione a nonnullis ad restinguendam libidinem, ad gonorrhoeam, ad dysuriam et in tussi commendantur. Quasi Κάναβος dicitur, quod circa fonticulos, sparsasque scaturigines, sponte et sata luxuriet; κάναβοι enim fontes sunt, multiplici riuosparsi. Alii deducunt a canna, quia cannae instar eius truncus cauus fit, *Barbaris Canapus Sativa*, Gr. Χαινοτρόφον, quod magni in vita vsus sit ad robustissimos funes texendos. *Sylueſtrem*, Latini *Terminalem* vocant. Ge. Hanf. G. *Chanvre.* A. *Hemp.* B. *Kennip.*

CANNVLA, est instrumentum chirurgicum, cylindricum, cauum, vtrimque apertum, cum manubrio, per cuius cauum cauteria actualia protruduntur et diriguntur, ne vicinas partes laedant exurendo; inseruitque itidem in operationibus quibusdam, vbi foramen apertum relinquendum, veluti cum in ascite aquam educere tentamus. Ge. Ein Röhrlein. G. *Cannule.* B. *Een holpyp.*

CANON, est instrumentum chirurgicum, quo, mediante acu, vulnera hiantia consarciuntur. Est rectum, vel curuum, pro varia vulnerum ratione. Ge. Röhrlein. B. *Een Kanon*, ob similitudinem.

CANTABRICA PLINII; eam putant esse *Scorzoneram*; In Hispania primum inuenta est, per diui Augusti tempora, idque a Cantabris, vnde nomen retinuit.

CANTARELLI sunt insecta, seu *Vermes* sic dicti *maiales* (*Meloë proscarabaeus Linn.*). Nonnulli oleum infusum ex iis paratum, vt egregium vnguentum neruinum laudant.

CANTHARIDES, sunt insecta pedata, alata, vaginipinnia, oblonga, muscae maioris magnitudine, colore viridi, et aureo, lucente, reperienda in liguſtris, sambucis, rosis, fraxinis, oleastris, in Italia et Hispania. Ill. *Linnaeus* ad *Meloen* refert, antennis moniliformibus, articulo vltimo ouato, nominatque: *Meloën vesicatorium* alarum, viridissimum, nitentem, antennis nigris, qui est Cantharis vulgaris officinarum *Raj.* Qualitatis sunt acris et causticae; tamen a nonnullis tinctura in ischuria, hydrophobia, hydrope et gonorrhoea interne commendata est. Vsus maxime frequens cantharidum externus in vesicatoriis est, dum pro diuersa quantitate pulveris admixti, epithema, vnguenta et emplastra vesicatoria, vel etiam epispastica, praeparantur, et pro varia indicatione optimo cum effectu adhibentur. Etiam ab vsu externo,

vel nimis largo, vel iusto diutius protracto, haud raro stranguria, imo mictus cruentus excitatur, facile tamen lacte, vel emulsionibus, compescendus. Ge. Spanische Fliegen. G. *Mouches Cantharides.* A. *Spanish-flies.* B. *Spaansche Vliegen.*

CANTHARIS in systemate Linnaeano est insectum coleopterum antennis setaceis; elytris flexilibus; thorace planiusculo; abdominis lateribus plicato-papillosis. Genus affine generi Lampyridis.

CANTHVS, siue HIRCVS, est angulus oculi, qui vel maior, siue internus, vel minor, siue externus. Gr. Κανθος. Quorum qui ad nasum sunt, ῥαφαι, et πτυγαι, appellantur, quod inde lachrymae effluunt: et qui ad tempora, παρωπιδες *Poll. Nicandro.* Ge. Der Augenwinkel. G. *Angle ou coin de l'oeil.* A. *The corner of the eye.* B. *De Oog-hoek.*

CANTVM SACCHARVM, vide *Candum.*

CANVM CERASA, vide *Xylosteum*, est Periclymeni species.

CAOVTCHAC, est resina illa elastica, quae ex America meridionali adfertur. Vide *Resina elastica.* Arbor, ex qua obtinetur, *Cecropia peltata Linn.* esse dicitur.

CAPELLA, idem quod *Cupella.*

CAPHORA, idem quod *Camphora.*

CAPHVRAE OLEVM, vide *Cinamomum.*

CAPILLAMENTA; sic dicuntur interdum filamenta illa tenuia, in florum medietate surgentia: seu particulae teretes et oblongae, in capilli modum extenuatae: vocantur ita quoque caudae, quae nectendis sustinendisque capitulis, seu antheris, inseruiunt: interdum tam tenuia sunt, et ita petalis innata, vt vel non appareant, vel ex ipsis quasi petalis oriri videantur. Caeterum diuersus plerumque in quibuslibet florum generibus assignatur locus, vnde masculina organa suam sortiuntur originem: haec autem filamenta, vel simplici, vt in gramineis, vmbelliferis et similibus plantis, vel duplici, vt in Ricino, Lauro, etc. vel multiplici vasorum spermaticorum serie constant, vt in maluaceis et leguminosis obtinet. Vide *Stamina.* G. Die Staubfäden. G. *Filets.* A. *Threads.* B. *De Draadjes in de blom.*

CAPILLARIA VASA, sunt vascula minima, capilli speciem ob tenuitatem referentia. Ge. Haarröhrlein. G. *Les vaisseaux capillaires.* A. *Capillary Vessels.* B. *Hairige vaatjes.*

CAPILLARIS HERBA; sic vocatur capillus veneris, capillus terrae, capillus aureus, muscus capillaris, trichomanes, etc. idque ob capillorum fere similitudinem. Proprie vero capillares vocantur plantae ad cryptogam. filices, et quidem Asplenia, pertinentes, scilicet: Asplenium adianthum nigrum *Linn.* Adianthum capillus veneris *Linn.* Asplenivm trichomanoides *Linn.* Asplenium ceterac et Asplenium ruta muraria *Linn.*

CAPILLARES botanici vocant pappos seminum pilis indiuisis.

CAPILLATIO, est ossis cranii fracturae species, sensum plerumque fallens; fere latens, quia non facile se ostendit, mortis causam saepe adfert, pro diuersa partium internarum laesione: sic vocatur, quia fractura capillum refert. Ge. Ein Spalt in der Hirnschaale. B. *Een Hair-scheur.*

CAPILLORVM DEFLVVIVM, idem quod *Alopecia.*

CAPILLVS, ac si diceres capitis pilus. Ge. Haupthaar. G. *Cheveux.* A. *The Hair of the Head.* B. *Hoofd-hair.* Vide *Pilus.*

CAPILLVS AVREVS, est *Polytrichum:* idque a similitudine capillorum, et aureo colore.

CAPILLVS VENERIS, est planta officinalis, quae ad Cryptogam. Filices pertinet, et quidem *Adianthum capillus veneris Linn.* frondibus decompositis, foliolis alternis; pinnis cuneiformibus, lobatis pedicellatis. Habet scilicet caulem durum et nigrum, fortem: folia filicem referentia, sed ampliora, longiora, minutim incisa, crenata, dura, subrotunda, coniugata, et cauli accrescentia; floribus caret, et fructus nascuntur in sinubus, seu complicatione foliorum, in quibus occurrunt capsulae sphaericae, annulo vi elastica donato munitae, cuius contractione rumpuntur et semina fundunt minutissima. Radix fibrosa, nigra. Appellatur ita forte, quia illa planta pudendi muliebris pilos quodammodo referat; vel a speciosis reddendis capillis: nec alio nomine Veneris vox adiecta est, quam quod haec pulcherrima pingatur. Capillus Veneris, qui in Gallia meridionali et America septentrionali nascitur, reliquis praestantior est. Gaudet virtute roborante, exsiccante et pectorali. Hinc non solum celebris ille syrupus capillorum Veneris prostat, verum etiam in infuso ipsa planta optimo cum successu adhibetur. Ge. Frauenhaar. G. *Capillaire ou Adianthe.* A. *Venus-hair, Maiden-hair.* B. *Venus-hair, Vrouwen-hair.*

CAPISTRVM, est fascia quaedam chirurgica, quae capiti, in luxatione, aut vulnere maxillae inferioris, accommodatur, estque vel simplex, vel duplex. Ge. Die Halfter. G. *Chevestre, Mentoniere, Bandelette de sete.* A. *Head-*

ſwadling-band. B. *Een Hoofd-zwaghel, Hoofd-kap, Halſterband.*

CAPITA, circa herbas denotant rotunda illa ſeminum, aut florum, receptacula. Vide *Codia.* Capita quoque ſunt fines faſciarum. Ge. Köpfe G. *Tetes.*

CAPITALIS FASCIA, eſt faſciae ſpecies ad amputationem extremitatum. Ge. Umgeſchlagene Binde. G. *La Capeline.*

CAPITATAE PLANTAE vocantur, quarum ſinguli floſculi, proprio calyculo ſuſtentati, arcte congeruntur in vnum maius, quod rurſum vno calyce eſt cinctum, communi plerumque. Tales ſunt plantae, quae ferunt flores compoſitos, ſemifloſculoſos, floſculoſos, vel radiatos. (Syngeneſ. Polygam.) Scilicet *capitula* habent, in quibus flores in globum plures congeſti ſunt.

CAPITILVVIVM, eſt liquor, quo caput lauatur. Compoſitum ex *Caput* et *Lauare.* Ge. Kopfbad. G. *Lavement de tete.* A. *Washing of the head.* B. *Een Hoofd-waſſinge.*

CAPITIS DOLOR, idem quod *Cephalalgia.*

CAPITIS GRANVM, eſt *Staphyſagria:* ſic appellatum, quod capitis pediculos enecet.

CAPITITRAHA; ita vocantur varia inſtrumenta, quibus caput foetus in pelui haerens, in partu extrahitur. Germ. Kopfzieher. G. *Tire-tête.*

CAPITIVM, eſt faſcia capitis. *Magnum* eſt faſcia quadrangularis. Ge. Die große oder viereckigte Hauptbinde, oder Mütze. G. *Le grand Couvre-chef, le Couvre-chef en quarré.* Minus vero eſt faſcia capitis triangularis. Ge. Die kleine, oder dreyeckigte Hauptbinde. G. *Le petit Couvre chef.*

CAPITONES, ſunt foetus, quorum caput nimis magnum eſt, quod partus difficilis cauſſa fit.

CAPITVLA, vide *Apices.*

CAPITVLVM MARTIS, eſt *Eryngium*, procul dubio, quia capitula habet armata, et ſpinoſa.

CAPNELAEVM, ſeu PICIS FLOS, Gr. Καπνέλαιον Ge. Rußöhl. Oleum, quod de fuligine deſtillat. Alii vero picem, ſeu reſinam liquidam, ita vocant.

CAPNITES, CAPNIVM, et CAPNOS, eſt *Fumus Terrae*, ſeu *Fumaria.* Ita dicunt vocari, quod eius ſucco, ſi oculi irrigentur, lachrymae, vt a fumo acri, extundantur; deducitur ἐκ τοῦ καίω καὶ πνοή, vt proprie ſic dicatur ἡ ἐκ τῆς καύσεως πνοή: aut παρὰ τὸ κάπτω, ſeu κάπω, τὸ πνέω. Vide *Fumaria.*

CAPNOIDES, eſt *Fumaria* ſiliquoſa.

CAPPARIS, eſt plantae genus, (Polyandr. Monogyn.)

cuius calyx eſt tetraphyllus coriaceus; petala quatuor; ſtamina longa; bacca corticoſa, vnilocularis, pedunculata. Tredecim numerantur ſpecies, inter quas officinalis eſt: *Capparis ſpinoſa* pedunculis vnifloris ſolitariis, ſtipulis ſpinoſis, foliis annuis, capſulis oualibus. *Linn.* Eſt haec ſcilicet arbuſcula ſpinis vncinatis armata, rami parum ſunt recurui: folia rotunda, ſaporis aliquantulum amari. Surculos agit, in quorum ſummitate habet paruos calyces virides, qui ante dehiſcentiam carpti et aceto conditi inter acetaria apponuntur. Si hi calyces, poſtquam ad magnitudinem requiſitam deuenerunt, in planta relinquantur, tum dehiſcunt et fiunt flores albi, roſacei, tetrapetali, expanſi, multis ſtaminibus donati. Flori ſuccedit fructus pyriformis, vel ſiliquoſus, carnoſus, in quo nidulantur ſemina plurima, plerumque ſubrotunda, vel reniformia. Radix eſt longa, craſſa: eius cortex eſt tubuloſus, rugoſus, craſſus, cinereus, ſaporis acris et auſteri; cuius cortices ex radicibus extracti adhibentur, qui ſaporis amari, ſubadſtringentis, acris ſunt, nullius odoris, et annumerantur quinque radicibus aperientibus minoribus. Oleum capparidis praecipue in vnguentis contra obſtructionem et infarctum viſcerum laudatur. A καππαύειν, quod idem eſt ac καταπαύειν, ſedare, quia furoribus medeatur. Nam eſt vox apud *Ariſtophanem* antiquiſſima; itaque non a campis, vt quibusdam placuit, neque ab infimi ſaeculi vocibus barbaricis deriuatur. Ge. Kapernbaum. G. *Caprier.* A. *The Caper-tree.* B. *Kapper-boom.*

CAPREOLARIA VASA, dicuntur ea, quae in modum capreoli mire intorta incedunt, vt ſunt vaſa ſanguinea, teſticulis et ouariis dicata. Ge. Verwickelungen der Gefäße, gekrümte Gefäße. G. *Vaiſſeaux en forme de Tendons de vigne.* A. *Wreathed veſſels.* B. *Wynranks-vaatjes.*

CAPREOLI, ſunt filamenta tenuia, ex caulibus enata, contorta, quibus plantae nonnullae donatae ſunt, vt aliis ſeſe annectant, vti eſt in vite, hedera, clematitum, ſmilacum, etc. ſpeciebus, haeque plantae ſcandentes vocantur. Ge. Die Schlingzweige. G. *Les Tendrons.* A. *Claſp, or Tendrells.* B. *Klawieren.*

CAPREOLVS AVRIS, vide *Helix.*

CAPRICERVA nomen eſt animalis cuiusdam in India Orientali et Occidentali, quod partim capram, partim cervum refert, ſeu *Antilope.* Ideo inprimis notum, quoniam lapidem *Bezoar* ſuppeditat. A *Linnaeo* capris adnumeratur.

CAPRIFICVS, quaſi diceres *Ficus capri*, forte quia a capris expetitur: vel a carpendo, quod parietes et maceries,

atque adeo saxa ipsa sibi obstantia discerpat. *Mart. Marmora Messalae scindit Caprificus.* Gr. Ἐρινεὸς, seu Ἐρινὸς, an ab ἔρις, quod cum arbore velut contendendum sit et luctandum, vt maturet fructus suos. Est arbor, et quidem *Ficus sarica Linn.* (Polygam. trioec.). Caprificus ergo proprie est mas, et ficus satiua foemina. *Caprificatio* vero fit, dum tenthredines, vel culices ficuum, aut arte, aut sponte, a ficu mare ad ficum foeminam deuehuntur, et polline masculino onerati pistilla foeminina foecundant. Ge. Wilder Feigenbaum. G. *Figuier sauvage.* A. *The wild Fig-tree.* B. *Wilde Vygeboom.*

CAPRIFOLIVM, est Periclymeni species, et quidem Periclymenum non perfoliatum germanicum *Bauh.* vel *Lonicera periclymenum. Linn.* (Pentandr. Monogyn.) capitulis ouatis imbricatis terminalibus, foliis omnibus distinctis: cuius folia ramorum nodis adhaerent, bina, per interualla sibi inuicem opposita, oblonga, acuta, mediocriter ampla, mollia, in parte superiori viridia, in inferiori albescentia. Finis pedunculi abit in foliolum, quod a pedunculo perforatur; in hoc foliolo, circa pedunculum perforato, emergunt sex ouaria plerumque longa, vrceolata, quorum apex coronatur corona quinquefida. Intra hanc, vt calycem apicis ouarii innascitur flos monopetalus; inferius tubulosus, superius bilabiatus, superiori labio multifido, simplici, et linguae simili. Stamina quinque ex pariete interno tubulatae partis floris. Ouarium tuba longa apice globoso donata instructum, fit bacca mollis, per maturitatem rubicunda, foeta semine compresso, fere obrotundo, satis duro. Radix longa, repens, liguosa. Sic appellatur, vel quod eius folia a capris auide comedantur; vel quod extremi flexus sint capreolati. Germani tamen et Belgae Geißblatt, vel *Geitenblad*, vocant, quasi hircum oleret, vel hirco quid simile haberet, vel a capiendo, quod circumuoluendo ad se vicinas arbores, aut frutices capiat, aut vocet. Ge. Geißblatt, Speckliljen, Je länger je lieber. G. *Chevre-feuille.* A. *Wood-bine, hony suckle.* B. *Kamperfoelie, Memmekens-kruid.*

CAPRIZANS PVLSVS, ita vocatur, quando in medio sui motus ita interrumpitur, vt sequens ictus concitatior sit, atque ita quasi duplex deprehendatur. Caprizantem pulsum naturae robur notare, et secundae valetudinis exspectationem spondere dictum est; nisi posterior pars distentionis fuerit languidior; cum enim anceps naturae morbique pugna est. *Lomm.*

CAPSICVM, PIPER HISPANICVM, vel INDICVM, est plantae

plantae genus (Pentandr. Monogyn.) cuius corolla rotata et bacca exsucca est. Eius variae sunt species, sed vulgatissima est siliquis longis propendentibus, vel *Capsicum annuum* caule herbaceo, pedunculis solitariis *Linn.* Habet caulem angulosum, durum, villosum, ramosum: folia longa et acuta, instar Persicariae, sed latiora, satis carnosa, coloris viridis, susci, pediculis adhaerentia. Calyx est paruus, brevis, rigidus, expansus: flores monopetali, rotati, multifidi, fructui insidentes. Flori succedit fructus mollis, membranaceus, in duo, vel plura loculamenta diuisus, politus, splendens, in initio viridis, deindē flauus, post maturitatem ruber aut purpureus, foetus seminibus planis, fere reniformibus, coloris flauescentis subrubicundi: radix est breuis, tenuis, multas fibras dans. Crescit haec planta in regionibus calidis, vt in Hispania, India Orientali et plerumque pro pipere habetur Brasilienſi: et nomen hoc *Actuarius* accepisse credit a κάπτω, quod semen huius non tantum mordeat, sed vrat. Vel ἀπὸ τῆς κάψης, quod in capsula, seu folliculo, ac quasi cista, semen ferat. Seminis cumprimis qualitas acris et stimulans est, hinc in asthmate, coryza et anorexia commendatur. Vsus maxime culinaris est in India, vbi ad praeparandum *Achiar* magna copia recipitur. Vide *Achiar.* Dignum enim notatu est, incolas calidarum regionum acerrimorum aromatum vsum sat commode ferre. Ge. Indianiſcher Pfeffer. G. *Poivre d'Inde, Poivre de Guinée, Poivre du Bresil, Corail de Jardin, Piment.* A. *Guinea Pepper.* B. *Brasilie-Peper.*

CAPSVLA, botanicis vocatur vasculum quoddam seminale, includens, vnum, vel plura semina: pro loculamentorum numero fructus *Vni-* vel *Bicapsulares*, etc. vocantur.

CAPSVLA in sensu chirurgico, vide *Canalis.*

CAPSVLAE ATRABILARIAE, siue *Renes succenturiati*, aut *Glandulae suprarenales*, sunt duae glandulae flauescentes, molles, compressae, vtrinque superiori renum parti incumbentes, in quibus angusta cauitas, liquore susco subdulci illita. Habent arterias et venas proprias, quae dicuntur *capsulares.* Figura harum glandularum valde irregularis, quadrata, triangularis, ouata, etc. magnitudo varia, in adultis saepe instar nucis vomicae maioris; in foetu vero maior, et aequalis renibus, imo subinde maior. *Vsus* earum putatur esse, vt lympham in suas cauitates suscipiant, qua sanguis crassus a renibus refluus, et sero maxima ex parte destitutus, diluatur, et ad cursum circularem fluidior reddatur. Cum vero nullus ductus excretorius hactenus detectus sit,

vſus harum incertior videtur, quam vt aliquid certi de his dici poſſit. Eſſe tamen maiorem in foetu, quam in adulto, magnitudo earum in foetibus ſuadet. Ge. Die Nebennieren. G. *Les Glandes ſur-renales communément dites capſules atrabilaires.* A. *The glands next the kidneys.* B. *De Nier doosjes, Nier-klieren*, male *zwarte Gal-blaasjes.*

CAPSVLA COMMVNIS *Gliſſonii* in Hepate, nihil aliud eſt, quam membrana, ſeu vagina a peritonaeo producta, vel potius tela celluloſa denſa, quae a venis et vaſis firmitatem, et album colorem habet, cui porus biliarius, arteria hepatica, nerui, et vena portae in hepate ſimul includuntur. Nomen habet a *Franciſco Gliſſonio*, Anglo, qui in Anatomia hepatis eius conſiderationem ampliorem inſtituit. Nonnulli ei vim quandam ſe conſtringendi, et ita motum ſanguinis per hepar promouendi, ſed falſo, adſcripſerunt. Ge. Die Gallenſcheide. G. *Capſule de la Veine Porte, ou capſule de Gliſſon.* A. *The common Cover of Gliſſon.* B. *De gemeine doos van Gliſſonius.*

CAPSVLA CORDIS, idem quod *Pericardium.*

CAPSVLA LVMBARIS, idem quod *Sacculus chyliferus.*

CAPSVLAE SEMINALES, vel VESICVLAE SEMINALES, ſunt receptacula duo membranacea, celluloſa, parti poſteriori et imae veſicae vrinariae ſubiecta, et inteſtino recto inſidentia. Sunt quaſi inteſtinum coecum, multis appendicibus, quaſi inſertis ſibi coecis inteſtinis, auctum, in ſe revolutum, filisque celluloſis religatum, vt ſic varias cellulas inter ſe communicantes efforment, in quibus ſemen per vaſa deferentia adlatum aſſeruatur, et debito tempore, vtrinque per orificium ductus excretorii ad latera capitis gallinaginis in vrethram effunditur. Ge. Die Saamenbläschen. G. *Capſules ou veſicules ſéminales.* A. *The Seed-boxes.* B. *Zaat-doosjes.*

CAPSVLARIA LIGAMENTA dicuntur membranae denſae, validae, ſubſtantiae fere inter cartilagineam et tendineam mediae, extremitati duorum oſſium articulum conſtituentium arctiſſime adnexae, et ipſi articulo, ad hunc firmandum, circumpoſitae. Ge. Kugelband, Gelenkband. G. *Ligament capſulaire.*

CAPVLVM, eſt palpebrarum, aliarumque partium contorſio, a *κάμπτω*, contorqueo.

CAPVT, eſt pars corporis humani ſuprema, collo ſuperpoſita, in ſe concludens tertium, ſiue ſupremum ventrem: cerebri, cerebelli, et medullae oblongatae, in quibus partibus anima potiſſimum habitare videtur, domicilium praecipuum. In ſumme

poſitum eſt, oculorum gratia. Extus oſſibus tegitur et cute cum muſculis. Laterales partes tempora et ſinciput; poſterior occiput, et anterior frons dicuntur. Infra frontem ſequuntur oculi, naſus, os, mala, mentum, etc. Ge. Das Haupt, der Kopf. G. *La Tête.* A. *The Head.* B. *'t Hooft.*

CAPVT, anatomicis etiam vocatur oſſis extremitas rotunda, ſeu tuberculum, alterius oſſis cauum, articulationis motusque arbitrarii occaſione, ſubintrans, vt in oſſe femoris, humeri, etc.

CAPVT, in vegetabilibus eſt id, quod ſurſum deorſumue in globum extuberat, aut in orbem glomeratur. Si magnitudine ceſſerit, *capitulum* nominatur. Extremam tamen vitis partem *caput* etiam vocant, id eſt, vltimum et productiſſimum flagellum. Radices quoque nonnullae, vt porri et ceparum, extuberant in capitula, vnde et *capitatum porrum* nomen accepit.

CAPVT GALLINAGINIS, ſ. *Verumontanum*, eſt quaedam in vrethrae principio eminentia, iuxta quam ex veſiculis ſeminalibus, tanquam per duos oculos, ſemen in vrethram excernitur, facta, ne ſemen ex vno latere erumpens, in oſculum alterius lateris impingat. Ad latera quoque capitis gallinaginis ductus excretorii glandulae proſtatae aperiuntur. Atque hic a ſimilitudine dictum vocatur quoque *caput galli gallinacei.* Ge. Der erhabene Theil in der Harnröhre. G. *Tête de Poule, et Verumontanum.* B. *Het Hennen-hoofd.*

CAPVT INCLAVATVM, vel INCVNEATVM eſt, ſi caput foetus in partu intra peluim oſſeam tam arcte impingitur, vt nec deorſum, nec ſurſum, moueri poſſit. Pendet hoc vitium a mala conformatione oſſium peluis in matre, vel capitis foetus nimia magnitudine. Ge. Eingekeilter Kopf. G. *Tête enclauée.*

CAPVT MORTVVM, eſt reſidua illa materia, craſſa et ſicca, quae in deſtillationibus omnium corporum, remanet: communiſſime autem remanentiam vitrioli notat, quae dicitur vulgo *Colcothar*, et *Terra damnata.* Ge. Der Todtenkopf. G. *La Tête morte.* A. *Dead head.* B. *De doode kop, doode, overſchot.*

CAPVT-PVRGIVM, idem quod *Errhinum.*

CARABE, idem eſt, quod *Succinum.*

CARANNA, eſt reſina duriuſcula, tenax, non admodum glutinoſa, foris ex cinereo nigricans, ſaporis amaricantis, odoris fragrantis; Tacamahacae ſimilis, niſi quod ſit paulo odoratior, ſplendidior, liquidior et denſior. Adfertur ex Carthagine Indiae Occidentalis, ſeu nouae Hiſpaniae, prouin-

cia, vbi ex vulnerata arbore elicitur, atque illinc foliis latis ac neruosis instar arundinaceorum foliorum inuoluta ad nos peruenit. Saepe illud gummi in cucurbitis excauatis quoque colligitur. Arbor, e qua haec resina elicitur, est Caranna *Dal.* Flahueliloca Quahuitl. *Hern.* Dicitur habere folia oleaginea, in crucis formam composita, et fructus, seu baccas oblongas, quaternas. Ab aliis palmae species esse creditur. Virtus huius resinae balsamica et resoluens est, hinc in balsamis et emplastris contra odontalgiam et arthritidem adhibetur. Ge. Gummi Caranne. G. *Caragne.*

CARBASA, vide *Carpta linteа.*

CARBO, vide *Anthrax.*

CARBO FOSSILIS, vide *Lithanthrax.*

CARBVNCVLVS, idem quod *Anthrax.*

CARCHESIVS est laquei species, quae in chirurgia ad repositionem membrorum luxatorum adhibetur, ex duabus constans habenis, vim habens aequaliter extendendi. Sic dicitur a fune, qui in summo nauis malo habetur, quem Gr. καρχήσιον appellant. Ge. Der Seegellochstrick. Ga. *Lacq d'hune.* B. *De Mars-strik.*

CARCINODES, est tumor cancro similis, ex καρκίνος, cancer, et εἶδος, forma. Ge. Ein um sich fressend Geschwür. G. *Chancre, Cancer.* A. *A Species of a Cancer.* B. *Een kanker-gezwel, de Wolf, de Vret.*

CARCINOMA, CARCINVS, siue CANCER, est tumor in partibus glandulosis productus, ab acribus et obstruentibus humoribus ortum ducens, rotundus, durus, liuidus, interdum inaequalis, in principio plerumque indolens et exiguus, sed postea, cum primis remediis acribus irritatus, celeriter increscens, saepe venis turgidis pedes cancri referentibus conspicuus, doloresque lancinantes inferens. Hic tumor, si integumenta integra adhuc sint, *Cancer occultus*, si vero, exesis iam integumentis, tenuem, rodentem, foetidum ichorem fundit, *apertus*, vel *vlceratus*, dicitur. Ex καρκίνος, cancer, et νέμω, depasco. Ge. Der Krebs, Krebsgeschwüre. G. *Ulcére Chancreux, Cancer, Chancre.* A. *A Cancer, Carcinomatous ulcer.* B. *Kanker-gezwel, Kreefs-gezwel.*

CARCINVS, idem quod *Carcinoma.*

CARDAMANTICE, dicitur et *Iberis*, et CARDAMINE.

CARDAMERIDVM, idem quod *Nasturtium indicum*, seu *Acriuiola.*

CARDAMINE, et CARDAMON, est plantae genus, (Tetradyn. siliquos.) quod habet folia ex radice erumpentia, oblonga, obrotunda, vel pinnata, caulibus longis adhaerentia: flores in summitate caulium crescentes, albi, aut aliquantulum purpurei, tetrapetali, cruciformes. Flori succedit siliqua oblonga, biualuis, cuius valuae per maturitatem helicis instar retroflectuntur, et semina exigua subrotunda magno impetu eiiciunt. Radix parua est et fibrosa. Haec planta crescit in pratis et locis humidis. Species maxime obuia est *Cardamine pratensis*, foliis pinnatis; foliolis radicalibus subrotundis; caulinis anceolatis. *Linn.* Flores a recentioribus in morbis spasmodicis laudantur. Ex κάρα, et δαμῶ, quod caput tentat acrimonia sua. Alii ἀπὸ τῆς καρδίας, quod foueat cor, et in syncope illa, quae cardiaca dicitur, plurimum valeat. Vel ἀπὸ τῦ καρδάμω: imo verum Etymon ἀπὸ τῆς καρδίας censeo: quod cordatos et sapientes efficiat. Ge. Bergkresse, Wiesenkresse. G. *Cardamine, ou Cresson des Prés, ou Passerage sauvage.* B. *Waterkers.*

CARDAMOMVM, habetur *maius, medium* et *minus.* *Cardamomum maius* est *Amomum grana paradisi L.* (Monandr. Monog.) scapo ramoso breuissimo; Grana paradisi officin. *Bauh.* Eius fructus ad nos fertur exsiccatus, oblongus, ficui non absimilis, vmbilicatus, triualuis, trilocularis; in loculamentis membranaceis, striatis, continentur semina angulosa, laeuia, rubicunda, membranis inuoluta, odoris et saporis suauis aromatici. — *Cardamomum minus* est *Amomum cardamomum Linn.* scapo simplicissimo breuissimo, bracteis alternis laxis, vel Elettari *Rhed.* et *Rumph.* Fructus est capsula pyriformis dimidii pollicis longitudine, striata, cortice tenui, trilocularis, in quouis loculamento continens duos ordines granorum angulosorum, striatorum, externe flauorum, intus alborum, saporis acris, amari, aromatici. Huiusmodi capsulae saepe plures racematim coniunctae sunt. *Cardamomum*, quod apud nos *medium* dicitur, et quod capsulas fert duriores, semina oblonga, compressa, angulosa, sulcata, raro admodum ad nos adfertur. Planta similis ei, quae cardamomum minus fert, sed magnitudine caulis, et foliorum, et floribus congestis ab ea differt. Semina harum omnium specierum gaudent viribus calefacientibus, neruinis, emmenagogis, aphrodisiacis et stomachicis, eorumque hinc sat frequens in medicina vsus est. Adfertur ad nos ex India Orientali. A κάρδαμον, et ἄμωμον, habens ob saporem cum cardamomo et amomo similitudinem, vel dictum putant quasi nasturtium suaue. Sed verisimilius nomen accepit ab exotico, vel Arabico, verbo *Cordumeni.* Ge. Kardamomum. G. *Malaguette, Cardamom.* A. *Cardamom, Grains of paradise.* B. *Kardamom, Paradys-Koorn.*

CARDAMON, Graece, *Naſturtium ſatiuum* Latine ſonat. Barbari noſtrae aetatis herbarii *Creſſionem Hortenſem* vocant. *Cardamon* vero Graecis nonnulli dictum eſſe arbitrantur, a καρδία, corde, quod eius morbis medeatur: vide *Cardamina*. Alii diuerſa ratione vſi, fic dictum credunt, quod caput ſuo calore et acrimonia tentet, quaſi καρηδαμον, Nam arcem mentis obſidens ſua ferit acrimonia, et ignea vi praeditum caput tentat. Alii a κέαρ, cor, et δάμάω, domo, quaſi planta cordis deficientes vires reſtaurans. Vide *Naſturtium*.

CARDIA, ſeu κέαρ, eſt cor, ſiue ſaccus muſculoſus quadrilocularis, ſanguinis circulo deſtinatus. Vide *Cor*. A καρδαίνω, palpo, vibro; ideo etiam pro καρδία dicitur καρδία. Ge. Das Herz. G. *Le Coeur*. A. *The Heart*. B. *Het Hart*. — Vocatur etiam ſic *Stomachus*, ſiue ſiniſtrum, aut ſuperius ventriculi orificium. Ge. Der Magenmund. G. *l'Orifice de l'eſtomac*. A. *The Mouth of the ſtomach*. B. *De krop van de Maag*.

CARDIACA, eſt planta Didynam. Gymnotetraſperma, verticillata, *Leonurus Cardiaca Linn.* Marrubio ſatis ſimilis, plures habet caules ad altitudinem duorum, vel trium pedum, craſſos, anguloſos, fungoſos, intus medulloſos: folia Marrubio maiora, ſubrotunda, vrticam referentia, profunde inciſa, ex virido fuſca. Flos monopetalus, irregularis, labiatus, cuius labium ſuperius imbricatum et multo longius eſt inferiore tripartito. Ex calyce ſurgit piſtillum poſticae floris parti ad inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina, angulata, totam capſulam, quae floris calyx fuit, occupantia. Semina triangularia, nigra. Radix fibroſa eſt. Tota planta fortem habet odorem, et ſaporem amarum: creſcit in locis incultis, lapidoſis. Sic dicta quod morbis cordis, vel potius ſtomachi, medeatur: καρδία enim cor vel ſtomachus eſt. Raro tamen in medicina adhibetur. G. Herzgeſpann, Wolfstrappe. G. *Agripaume*. A. *Mother-wort*. B. *Herts-geſpan*.

CARDIACA PASSIO, *Cardiacus morbus, Cardiaca et Stomachica exſolutio*. Idem quod *Cardialgia*. — Item eſt ſuffocatio cordis ex polypo, vel ſanguine coagulato, etc. A καρδία, cor. Ge. Ohnmacht, Sodbrennen. G. *Suffocation de coeur*. A. *Pain of the heart, or mouth of the ſtomach, Heartburning*. B. *Een hartſtikking*.

CARDIACVM, ſeu CORDIALE, eſt medicamentum, cor (vt olim putabant) roborans. Sed potius eſt blandum nutriens, humores, qui deficiunt, reſtaurando idoneum: vel motum ſanguini leni ſtimulo inducens, quo vires corporis augentur, et ſpiritus exhauſti reficiuntur, vnde circulatio per conſequens benignior et facilior redditur. Ex καρδία, cor, et κάω, vro. Ge. Eine Herzſtärkung. G. *Un Cordial*. A. *Cordial Medicines*. B. *Een Hartſterking*.

CARDIALE, idem quod *Cardiacum*.

CARDIALGIA, et CARDIOGMOS, *Plinio Roſio Stomachi*, eſt dolor ingens, morſus, roſio, aut contractio in parte ſuperiori ventris ſub cartilagine enſiformi, vbi haeret ſuperius ventriculi orificium, cui plurimi nerui paris vagi et intercoſtalis inſeruntur. A quacunque materia vellicante in ventriculo contenta, vel inflammatione in illo oritur, eoque dolore cor, ob conſenſum, irritatum, et contractum, lipothymiam pati videtur. Alii tamen hos adfectus diſtinguunt, et cardiogmum vocant dolorem cordis cum eius pulſatione, cardialgiam vero moleſtiam in ſtomacho ſyncopen minitantem. Alii cardiogmum ſolis infantibus tribuunt, a lacte quippe corrupto et ventriculum adficiente orientem. Vide *Cardiaca paſſio*. A καρδία, cor, et ἄλγέω, vel ὀδύνω, doleo. Ge. Das Magendrucken, Herzwehe, Sodbrennen. G. *Douleur d'eſtomac*. A. *Pain of the heart, or mouth of the ſtomach, Heartburning*. B. *Maag-pyn, herte-pyn, herte-weé*.

CARDINALIS FLOS, ſiue Trachelium Americanum, *Lobelia Cardinalis Linn.* (Syngeneſ. Monogam.) vel Rapuntium flore cocdineo; ſic appellatur, quod iſtius floris color ſumme rubicundus cardinalium veſtimenta aemuletur, praeſertim ſole meridiano.

CARDIOGMOS, idem quod *Cardialgia*. Ex καρδία, cor, et ὀδύνω, doleo.

CARDITIS eſt inflammatio cordis et pericardii. Ex καρδία, cor.

CARDOPATIVM, vide *Chamaeleon*, et *Carduus Suarius*.

CARDVVS, an a *Cactos*? eſt herba ſpinoſa. *Carduus*, eſt plantae genus, (Syngeneſ. polyg. aequal.) cuius flores in capitulis collecti ſunt. Calyx ſquamis ſpinoſis ventricoſus et receptaculum piloſum. Eius plures ſpecies dantur, quae fere omnes ſpinoſae ſunt. Ge. et B. Diſtel. G. *Chardon*. A. *Thiſtle*.

CARDVVS BENEDICTVS, eſt planta flore floſculoſo, ſemine pappoſo, (Syngeneſ. Polygam. fruſtran.) *Centaurea benedicta Linn.* calycibus duplicato-ſpinoſis, lanatis, involucratis, foliis ſemidecurrentibus denticulato ſpinoſis. Caulem habet craſſum, hirſutum, duos, vel tres pedes altum, folia oblonga, mediocriter lata, fere inſtar Taraxaci laciniata, hirſuta, aculeata; capitula ſquamoſa, foliolis cincta; ex qui-

bus floſculi tenues, lutei oriuntur; hisque deciduis ſemina ſequuntur oblonga, pappo coronata, teretia, et paruis ſulcis inaequalia. Radix alba, tenuis, annua eſt. Tota planta amarore inſigni praedita eſt, hinc incidendi, attenuandi et abſtergendi virtute laudatur, eſtque inprimis ſtomachicum et vulgatum contra febres intermittentes remedium. Proſtat in officinis aqua, ſyrupus, conſerua, ſal et extractum. Ge. Cardebenedict. G. *Chardon Bénit.* A. *Holy Thiſtle.* B. *Gezegende diſtel.*

CARDVVS FVLLONIVS, vide *Dipſacus.*

CARDVVS MARIAE, LEVCACANTHA, CARDVVS ALBIS MACVLIS NOTATVS *Bauh.* LEVCOGRAPHVS *Dod.* eſt planta flore floſculoſo, ſemine pappoſo: *Carduus marianus Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) foliis amplexicaulibus, haſtato-pinnatifidis, ſpinoſis, calycibus aphyllis, ſpinis canaliculatis, duplicato-ſpinoſis. Creſcit in Italiae, Galliae, Angliae et Germaniae aggeribus. Colitur etiam in hortis. Toti plantae virtutes ſudoriferae, diureticae et reſoluentes tribuuntur. Semen in emulſionibus tanquam ſpecificum contra pleuritidem adhibetur. Ge. Marienditſtel. G. *Chardon-Marie, Chardon laité.* A. *Ladies Thiſtle.*

CARDVVS SATIVVS, idem quod *Cynara.* Germ. Artiſchocke.

CARDVVS SVARIVS et VARIVS, officinis et barbaris *Cardopatium* appellatur, quod nomen haud dubie corruptum eſt, deductumque a dictione *Pancration;* nam ſic olim eſſe nominatum chamaeleonem *Apuleius* teſtatur: aut a carduo vario, a qua dictione, *u* ſc. littera in *p*, et *r* in *s* mutata, in *Cardopatium* facilis eſt lapſus. *Suarius* porro carduus dictus eſt, quod ſues, ſi in polenta exhibeatur, perimat. An cardopatium quaſi *carpatium*, quia ex montibus carpathicis magna in copia affertur? Cardopatii vero nomen a nonnullis *Carlinae* imponitur. Vide *Carlina* et *Chamaeleon.*

CARDVVS TOMENTOSVS, eſt *Onopordon.*

CAREHARIA, eſt Cephalalgiae ſpecies, ſeu grauitas capitis, ſaepe cum leui deſipientia, ex humorum quantitate, aut etiam diſſolutione eorum putrida, virium debilitate, vel vtrisque his cauſis ſimul coniunctis ortum ducens. Ex κάρη, caput, et βαρὺ, graue. Ge. Hauptwehe, Schwere im Kopf. G. *Douleur de tête.* A. *Heavineſs of the head.* B. *Hoofdpyn of Zwaarte.*

CAREVM, CARVM, *Cuminum pratenſe, Carui officinarum,* eſt planta, (Pentandr. Digyn.) quae habet plures caules ad altitudinem circiter ſesquipedis, quadratos, nodoſos, vacuos, ramoſos: folia tenuiter laciniata coſtae per coniugationes innaſcentia. Flos eſt roſaceus et vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, cordiformibus, inaequalibus, in orbem poſitis, et calyci inſidentibus. Abit is in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum exiguis, longiuſculis, inuicem iunctis, griſeis, hinc gibbis, et ſtriatis, inde vero planis, ſaporis acris et aromatici. Radix longa, craſſa, carnoſa, alba, aliquando flaua: nomen habere refert *Dioſcorides* ex regione Caria, nunc Lango: vbi abunde creſcit. Virtus feminis reſoluens et carminatiua eſt. Numeratur inter ſemina quatuor calida maiora. Dicitur etiam *Caros* et *Carui.* Ge. Feldkümmel. G. *Carvi.* A. *Caraway.* B. *Witte komyn, Karwi.*

CAREX, eſt Iunci acuti ſpecies, in arenoſis tumulis circa mare ſuccreſcens; deducunt a caro: forte ob ſolida folia. Hodie *Carex Linn.* Cyperoides *Tourn.* Scirpoides *Monr.* vocatur plantae genus, (Monoec. Triandr.) in quo in flore maſcul. amentum imbricatum, corolla nulla; in foem. amentum imbricatum; corolla nulla, nectarium inflatum tridentatum; ſtigmata tria, ſemen triquetrum intra nectarium: cuius numeroſae dantur ſpecies. Ge. Rietgras. G. *Glayeul de Marais.* A. *Sedge, Sheer-graſs, Bur-rud.* B. *Helm.*

CAREX ARENARIA *Linn.* ſpica compoſita, ſpiculis androgynis, inferioribus remotioribus, foliolo longiori inſtructis, culmo triquetro; Gramen cyperoides minus repens, ſpica diuiſa *Loeſ.* eſt planta officinalis, quae in Europae arena, praeſertim mobili, habitat. Radix, exſiccata ſuaui odore gaudet viribusque aperientibus, diureticis, ſtomachicis et emmenagogis. Sunt, qui ei virtutem bechicam, imo ecbolicam, tribuunt. Nonnulli cum ſarſaparilla viribus conuenire autumant. Ge. Sandrietgras, Eiſenpädenwurzel, deutſche Sarſaparille. B. *Helm.*

CARICA; ſic *Ficus* vocatur a Caria, natali ſolo. — CARICA *Linn.* eſt arbor, ſeu plantae genus, (Dioec. Decandr.) in quo in flore *maſc.* calyx ſubnullus; corolla quinquefida, infundibuliformis; filamenta in tubo corollae, alterna breviora; in *foem.* calyx quinquedentatus, corolla pentapetala; ſtigmata quinque; bacca vnilocularis polyſperma. Species eius, quae *Papaia* dicitur, fructus ſapor ſatue dulcis. In calidioribus ob refrigerantem vim multum comeditur. Ge. Papayabaum, Melonenbaum.

CARIES, TEREDO, TEREDVM et PAEDARTHROCACE, eſt oſſis cancer, ſeu corruptio et exeſio, cum perioſtei ablatione, et mutatione coloris oſſis naturalis in flauum,

fuſcum, vel nigrum, pro maiori minoriue corruptionis gradu, a medulla in eius cauernulis putrefacta, vel aliis humoribus acribus, ibidem ſubſiſtentibus, oſſis laminas corrodentibus, ſeparantibus ab inuicem, orta. Si interna pars oſſis prius corrumpatur, *Spina ventoſa* dicitur. Ge. Beinfäule, Beinfraß. G. *Carie, pourriture et vermouliſſure des os.* A. *Rottenes or Caries of the bones.* B. *Beenvreter, Opeeten der Beenen.*

CARINA, eſt illud rudimentum ſeminale primum, quod a mare communicatum ouo foeminino, ſi incubatur, poſt varias mutationes fit ipſum animal; quodque proprie ſic a figura dicitur; conſtare obſeruatur ex cerebro, cerebello, medulla ſpinali, ex quibus, explicatis, auctis, mutatis, cum aliis accretis coniunctis, animale corpus naſcitur.

CARINA botanicis dicitur petalum inferius ſeu nectarium inter *Alas* poſitum in floribus papilionaceis, quòd in modum carinae nauis excauatum eſt. *Carinata* dicuntur folia, in quibus pars prona diſci longitudinaliter prominet. Ge. Nachenförmige Blätter. G. *Feuilles carinées.*

CARLINA, ſeu CAROLINA, *Chamaeleon albus*, planta officinalis, (Syngeneſ. Polygam. aequal.) *Carlina acaulis* caule vnifloro, flore breuiore *Linn.* quae habet folia ex radice erumpentia, longa, ampla, profunde inciſa, repentia, in orbem diſpoſita, aſpera, aculeata inſtar Carduorum, coloris viridis pallidi: calyx communis, ventricoſus, imbricatus; ſquamis numeroſis, acutis, quarum interiores in orbem poſitae, longiſſimae, nitidae, coloratae, coronantes florem compoſitum, patentes: floris diſcus ſat patulus, conſtans floſculis fiſtuloſis. Semina poſt ſingulum florem ſunt in apice vel pappoſa, vel emiſſis radiis penicilli modo coronata, foliolis exiguis a ſe mutuo diſſectis. Radix ſat craſſa, cauliformis, fibroſa, vt plurimum in ſuperficie cariosa, foramine lenta, coloris foris rufi, intus albidi, odoris grauis et fragrantis, ſaporis penetrantiſſimi aromatici. Sic dicta a *Carolo Magno*, primo eius nominis Romanorum imperatore, cuius exercitus vſu huius radicis liberatus, et praeſeruatus a peſte olim fuiſſe fertur. Vocatur etiam *Leucantha*, a λευκὴ, alba, et ἄνανθα, quaſi ſpina alba. Habitat in Europae montoſis aridis. Radix graueolens, acris, amara et aromatica eſt, viribusque ſudoriferis, ſubemeticis et ſtomachicis gaudet. Ingreditur oruietanum et acetum theriacale. Maſticatam, aut collo ſuſpenſam, ex aliis corporibus robur attrahere fabuloſe dicitur. Eſt etiam *Carlina Gummifera*; caduus pinea, chamaeleo albus *Dioſcoridis*, in Italia et Archipelago naſcens, cuius radix vulnerata ſuccum lacteum, tandem ſpiſſeſcentem, fundit, et quae ixion, ixia, acanthina, maſtiche veterum fuiſſe creditur. Ge. Eberwurz. G. *Carline ou Cameleon blanc ou Chardonnerette.* A. *Carline-Thiſtle.* B. *Eeverwortel.*

CARMINANTIA, ſeu CARMINATIVA, ANTIPHYSICA, dicuntur remedia flatus diſcutientia, ſimulque inteſtinorum dolorem tollentia, vti calamus aromaticus, foeniculum, aniſum, etc. Vel etiam, quae inordinatum fibrarum in tunica inteſtinorum muſculari motum emendant. Carminare proprie ſignificat demulcere carminibus. Veteres enim exiſtimabant, poetas ope ſuorum carminum demulcere poſſe dolores atque motus nimis vehementes; vnde poeſios aeque ac medicinae inuentor habitus eſt Apollo. Ge. Windtreibende Mittel, Blähungstreibende Mittel. G. *Remedes Carminatifs.* A. *Carminative Medicines.* B. *Wind-brekende of dryvende middelen.*

CARNEOLVS, vide *Sardius Lapis.*

CARNIFORMIS ABSCESSVS, diſtinguitur *Seuerino* a Sarcomate, quod ſit durior, firmiore ſubſtantia praeditus, ſubiectae parti affinis, non valde elatus, ſed expanſus, membraneis fibris intertextus, et ad muſculos, inprimis prope articulos, oriri ſuetus.

CARNOSA FOLIA vocantur, quae interna pulpa ſolidiuſcula referta ſunt.

CARNOSA MEMBRANA, ſiue *Caro quadrata*, vel *Palmaris breuis*, haeret in aponeuroſi palmaris longi, dicitur volam contrahere. Ge. Fleiſchhaut. G. *Le Palmaire cutané ou le court palmaire.* A. *Carnous membrane.* B. *Vleeſchig vlies.*

CARO, eſt ſubſtantia muſcularis, conſtans, vt olim putabant, ex fiſtulis, ſanguinem ex arteriis accipientibus, inque venas revehentibus. Veteribus dicitur quintuplex: *muſculoſa, fiſtuloſa*, ſiue *fibroſa*, vt in muſculis et corde. *Parenchymatica*, qualem pulmo, hepar, lien habere dicuntur. *Viſceroſa*, vt inteſtina. *Glanduloſa*, vt pancreas, glandulae mammariae, ſaliuares, etc. *Spuria*, vt gingiuae, labia, penis glans, etc. ſed illa diſtinctio minus concinna eſt, cum nulla caro vera ſit, niſi muſculoſa. Gr. σὰρξ et κρέας. Ge. Fleiſch. G. *Chair.* A. *Flesh.* B. *Vlees.* — CARO etiam ſignificat ſubſtantiam iſtam molliorem fructuum ſucculentorum, quae cortici ſubeſt, quam alias pulpam vocamus, vt *Pulpa*, vel *Caro caſſiae, Cydoniorum, Peponum.* Ge. Fleiſch, das Weiche im Obſt. G. *Chair.* A. *Pulp.* B. *Vlees.*

CARO QVADRATA, vide *Carnoſa Membrana.*

CAROBE, ſ. CAROBA, idem quod *Ceratonia*, ſ. *Siliqua dulcis*.

CAROTA et CARYOTA, credunt, a Germanica voce derivari, *Gar root*, hoc eſt totum rubens, quia radix intus et extus obſcure rubet: ſed errant, nam a Graecis vocem hanc mutuati ſunt Romani. Deriuatur enim a κάρας, ſed Dores κάρατας, dixerunt. Ge. Karotte, rothe Rüben. G. *Betteraue*. A. *Red Beet*. B. *Karoote*. — Et haec quidem eſt radix *Betae rubrae*, ſeu *Betae vulgaris* floribus congeſtis *Linn.* cuius vſus maxime culinaris, et qualitas aquoſa, dulcis et diluens eſt. Vide *Beta*. — Alia vero eſt *Carotta*, ſcilicet *Daucus carotta Linn.* (Pentandr. Digyn.) Vide *Daucus*.

CAROTICA ſunt ea, quae ſoporem inducunt. A καρόω, ſoporem induco.

CAROTIDES ARTERIAE, ſunt duae arteriae ortae ex aorta paulum ſupra cor, vbi incuruari incipit, ſurſum exporrectae verſus caput; vna eſt *dextra*, communi cum ſubclavia, trunco, qui arteria innominata dicitur, oriens, altera *ſiniſtra*, ex ipſo aortae arcu proueniens; vtraque adſcendit ad latera tracheae, nullos ramos dans; in progreſſu vero ad latus laryngis diuiditur in *externam* et *internam*. *Externa*, paulum reflexa, ad fauces, faciem, capitis verticem, et retro aures varie diſtribuitur. Alter vero ramus, ſeu *Carotis interna*, os cuneiforme tranſit. In eo enim peculiaris in vtroque latere canalis inſculpitur, qui *canalis caroticus* dicitur, ſicque rurſus inflexa ductu inſtar S. duplicis canali oſſeo elapſa, τῷ ἐγκεφάλῳ, ſuo ſanguine proſpicit, atque circa nervum ophthalmicum aſcendens, ad latera porrigitur, deinde ad anteriorem cerebri regionem intra ductum neruorum olfactoriorum, ibique cum ſocia alterius lateris communicat. Tum ramis ſuis in ſubſtantiam cerebri eiusque partes diſtribuitur, aliis vero in arteriam baſilarem inſeritur, et per hanc, tum etiam per alios ramulos cum arteriis vertebralibus earumque ramulis, ad expeditiorem ſanguinis in cerebro circulum, coniungitur. *Soporales*, ſeu *Carotides*, vocantur, quia inſignis earum ramus ad tempora aſcendit. *Carpo* et *Celſo* σφαγίτις appellantur, id eſt, iugulares. A καρόω, ſoporem induco. — Melius tamen nomen hoc deducitur a κάρη, vel κάρα, caput. Ge. Die großen Pulsadern am Hals. G. *Arteres carotides*. A. *The carotik Arteries*. B. *De krop-slag-aderen, de slaap-slag-aderen*.

CARPENTARIA; ita millefolium in Gallia vocatur, proprie *Herba Iudaica*; ſic dicitur, quod fabri lignarii ea vulneribus medeantur: eo quoque nomine *Naſturtium hyemale*, ſ. *Barbarea*, appellatur.

CARPESIVM, qualis ſit planta, inter eruditos disquiritur; alii cubebam volunt, alii ruſcum, alii aliud quid. Hodie *Carpeſium* eſt plantae genus, (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) cuius receptaculum nudum; pappus nullus; calyx imbricatus, ſquamis exterioribus reflexis, et cuius duae ſpecies numerantur. Gr. Καρπήσιον, a κάρφος, feſtuca tenuis, vel palea, quae in frugibus aruit: vel e κάρφη, cum verius de caulium, quam radicum ſarmentis dici videtur.

CARPHOLOGIA dicitur, dum aegri in morbis, vel acutis, vel chronicis, a delirio, vel ſpaſmo, floccos e ſtragulis euellunt, paleas colligunt, vel muſcas venantur. Ex κάρφος, palea, vel feſtuca, et λέγω, lego.

CARPIA, a Gallica voce *charpie* originem ducit, vulgo *carpie*. Latinis *linteamentum carptum*, vulſumue e linteis concerptis: *linamentum raſile*. Gr. τιλτὸς μοτὸς, διάσυρος *Aeginetae*, τίλμα *Apſyrto*. *delinamentum ſanarium*; eſt concerptum linamentum, quo vulneri vlceriue immiſſo ſanies inanitur. Ἔμπυος μοτὸς *Hippocrati Linamentum raſile*, e lanugine linteorum eraſa conficitur. ξυσὸς μοτὸς, ξύσμα *Erotiano*, ἄχνη ὀθονίη, *Hippocrati*. Ge. Carpey, ausgefaſelte Leinwand. G. *Charpie*. A. *Lint*. B. *Geſchrabde Wieken*. — *Linamentum tortile* a materia contorta fit, στρεπτὸς μοτὸς. Ge. Karpiemeißel G. *Tente*. A. *Plucking of Lint*. B. *Gedraide wieken*, vulgo *plukſel*.

CARPINVS, eſt plantae genus, (Monoec. Polyandr.) in quo in flore *maſculino*: calyx monophyllus, ſquama ciliata; corolla nulla; ſtamina viginti; in *foeminino*: calyx monophyllus, ſquama ciliata; corolla nulla, germina duo, ſtyli, ſingulis duo; nux ouata. Cortex huius arboris eſt ſcaber et aſper, coloris albeſcentis: rami valde extenſi; lignum durum, albeſcens: folia ſatis ampla, dentata, vlmi ſatis ſimilia. Flos amentaceus eſt, petalodes, axi longo communi adnatus; ſtaminibus multis ſub foliolis natis, in vno loco plantae haerens. Ouarium ouatum apice piloſo, membranaceo inuolucro tectum, et tubis binis inſtructum, fit fructus in eadem planta loco a flore remoto, in ſpicis foliaceis reconditus, oſſeus, vmbilicatus, compreſſus, ſtriatus, foetus nucleo rotundo acuminato. Eius ſpecies ſunt *Carpinus Betulus* ſquamis ſtrobilorum planis. Ge. Hain- oder Hornbuche, Zwergbuche, Weißbuche. G. *Le Charme*. A. *Hornbeam*. B. *Iokhout*, *Hanebeuk*, *Iokboom*. — Et *Carpinus Oſtrya*, ſquamis ſtrobilorum inflatis. Ge. Hopfen- Hagbuche. G. *Le bois dur*. A. *Hop Hornbeam*, *Iron wood*. — Putatur

dici a carpo, vel a κάρφω, ficco, quia lignum habet ſiccum, vel quod facile finditur.

CARPIO, ſ. *Cyprinus Carpio Linn.* eſt piſcis carnis mollis bene nutrientis, parum glutinoſae, qui in aquis dulcibus habitat. *Officula carpionis*, ſ. *Lapides carpionum*, e capite huius piſcis olim, vt alia ſimilia officula, in officinis ob varias iis falſo adſcriptas virtutes aſſeruabantur. Ge. Karpfe. G. *Carpe.* A. *Carp.* B. *Karper.*

CARPOBALSAMVM, eſt Balſami fructus, figurae ouatae, piſi magnitudine, cortice fuſco rugoſo tectus, qui in quibusdam compoſitionibus veterum, et inprimis in theriaca, adhibetur, ſed rariſſime proſtat, hinc recepto hodie vſu baccae Iuniperi, vel Cubebae, ſubſtituuntur. Ex καρπός, fructus, et βάλσαμον. Vide *Balſamum.*

CARPVS, vulgo BRACHIALE, prima palmae pars *Celſo*, καρπός, κτὰς *Heſych.* eſt pars brachii inter partem inferiorem cubiti et manus. Conſtat ex oſſiculis octo, in duos ordines diſtributis. In primo, vel ſuperiori, ordine ſunt 1) Os nauiculare, 2) Semilunare, 3) Triquetrum, ſ. cuneiforme, 4) Subrotundum ſ. piſiforme. In altero, vel inferiori, ſunt 1) Os multangulare maius, 2) Multangulare minus, 3) Magnum, 4) Vnciforme, ſ. vncinatum. Per primum cubitus manui connectitur, ſecundus cum Metacarpo coniungitur. Ge. Die Handwurzel. G. *Le poignet, l'avant bras, Le carpe.* A. *The wriſt.* B. *Voor-han, Gewerf van de hand.*

CARTHAMVS, ſiue CNICVS, eſt planta, (Syngeneſ. Polygam. aequal.) cuius calyx ouatus eſt, imbricatus, ſquamis apice ſubouato-foliaceis. Species officinalis eſt *Carthamus tinctorius Linn.* foliis ouatis integris, ſerrato-aculeatis; Cnicus ſatiuus *Bauh.* Haec caulem vnicum ad altitudinem duorum circiter pedum dimittit, rectum, longum, rotundum, lignoſum, durum, in parte ſuperiore in plures ramos diuiſum: folia ſunt oblonga, mediocriter lata, acuta, venoſa, ad ambitum multis ſpinis inſtructa: ſummitates eius habent multa capita deſquamata, auellanae craſſitie, alba, foliorum capitulo inſtructa. Hiſce floribus delapſis, apparent ſemina oblonga, nuda, hordei grano paulo craſſiora, polita, alba, ſplendentia, cortice duro tecta, et plena medulla alba, dulci, oleoſa, poſtea acri, et nauſeoſa. Radix eſt tenuis. Flores tinctoribus inſeruiunt ad colorem rubrum conficiendum. Fucus quoque, ſ. coſmeticum, ex eis paratur. Flores interdum fraudulenter croco interniſcentur. Qualitas huius plantae nauſeoſa eſt, purgans et diuretica. An a καθαίρω, purgo, et aluus? Vide *Cnicus.* Ge. Florſaffran, wilder

Saffran. G. *Carthame, Safran bâtard.* A. *Baſtard Safron.* B. *Wilde of baſtaard Saffraan.*

CARTILAGO, eſt pars alba, ligamento ſiccior, duriorque; oſſe vero mollior, admodum elaſtica, et lubrica. Obducit oſſium capita et cauia, articularia, inunctaque pingui linimento, ex glandulis ligamentorum ſecreto, articulationem faciliorem reddit, partes varias ab iniuriis externis defendit, et fulcrum praebet, cui proximae partes adnaſci poſſunt. Aliae cartilagines ad formandos canales minus facile comprimendos concurrunt; tales ſunt cartilagines laryngis et annuli arteriae aſperae. Inprimis vero oſſa omnia in initio cartilaginea ſunt, aut in ea formantur. Ge. Knorpel. G. *Cartilage.* A. *A Cartilage.* B. *Krake-been, knor-been.*

CARTILAGINEA botanici dicunt folia plantarum, quae ſunt margine ſuboſſeo.

CARVM, et CARVVM, vide *Careum.*

CARVNCVLA eſt diminutiuum *carnis.* Denotat vox aliquando morboſas quasdam carnis excreſcentias; ſic Celſus polypum narium *caruncularn* vocat. Vel etiam particulas quasdam carneas, quae in fluxu dyſenterico per aluum, et in morbis organorum vriniferorum per vrinam excernuntur. Inprimis vero eminentiae praeternaturales in vrethra, aut a carne luxuriante, aut a relaxatione tunicae internae, genitae, liberamque vrinae excretionem impedientes, ita vocantur, Ge. Eine Caruncel. G. *Caroncule.* A. *Caruncles, Carnoſities.*

CARVNCVLA, vide *Caput Gallinaginis.*

CARVNCVLA LACRYMALIS, ſ. OCVLI, eſt corpuſculum in angulo maiori oculi ſitum, ſpongiolae formam habens, multis protuberantiis hirtum, veluti acinus botryos, colore rubro, factum ex membrana interna palpebrarum, operculi inſtar incumbens ſacculo lacrymali, transſudans ex glandulis ſuis ſebaceis continuo humorem tenuiſſimum, ne areſcat, vel cum vicinis concreſcat partibus. Eius vſus eſt, ne palpebrae contra bulbum oculi perfecte claudantur, ſed per hanc eminentiam cauum maneat, in quo liquidum lacrymarum collectum, per puncta deinceps lacrymalia abſorberi commode poſſit. Oblinit quoque ſebo ſuo partem palpebrarum, quae absque ductibus Meibomianis eſt. Non reperitur haec caruncula in animalibus, quibus cortina, ſeu palpebra tertia, aut membrana nictitans, adeſt. Ge. Das Thränendrüslein, der Drüſenartige Hügel. G. *Caruncule lacrymale.* A. *Caruncule of the eyes.* B. *Het Oogkliertje.*

CARVNCVLAE MYRTIFORMES, ſunt orificii vaginae muliebris corrugationes, ſeu membranoſae inaequalitates

nullo certo numero comprehendendae, quae in parturientibus, et poſt partum, ita obliterantur, vt earum veſtigium ſaepe exiguum remaneat. Vt plurimum conſpiciuntur quatuor; ex hymenis laceratione creduntur oriri, et nunc duae, vel tres, nunc quatuor obſeruantur, eo praeciſe loco, vbi olim hymen erat; varii tamen recentiorum eos ſemper ex hymene dilacerato oriri negant. Partim ſunt adtriti hymenis reliquiae, partim indurati fines columnarum vaginae, denique valuulae mucoſis lacunis praepoſitae in carnis per aetatem ſpeciem induratae. *Carunculae* enim *myrtiformes* aliae pone hymenem ponuntur, quae ſunt apices tumidi, obtuſi, verrucoſi, calloſi, columnarum vaginae, in hymenem innati. Aliae *carunculae* ſunt valuulae ſinubus mucoſis praepoſitae, quando in naturam carnoſam craſſamque per aetatem abierunt. Ge. Myrtenförmige Warzen. G. et A. *Caruncules myrtiformes.* B. *Vleeſchige heuveltjes.*

CARVNCVLAE PAPILLARES, ſunt corpuſcula exigua in renibus, numero octo, decem, duodecim ad viginti. Proprie ſunt faſciculi a concentratione canaliculorum, ſeu tubulorum vrinariorum, ex quibus renum ſubſtantia maxime conſtat, orti, qui vrinam a canaliculis recipiunt et in pelvim deducunt. Ge. Warzenähnliche Drüslein in denen Nieren. G. *Caruncules papillaires ou les Mammelons.* A. *Caruncules in the Kidneys.* B. *Tepelwyze kliertjes.*

CARVS, eſt ſopor profundus, ſine ſtertore, in quo aegri vellicati, compuncti, aut vocati, vix ſenſationis notas oſtendunt; absque febre, vel, vt multi volunt, cum febre; circa morbos enim ſoporoſos maxime diſſentiunt medici: lethargo maior, et apoplexia minor eſt. Differt ab hac, quod ſtertor abſit, et a ſyncope, quod facies non palleat. Cauſa eſt compreſſio originis neruorum, liberum fluidi neruei motum per neruos ſenſorios et motorios ſufflaminans. A *καρος*, ſoporem induco. Ge. Schlafſucht. G. *Le Carus.* A. *A Profound sleep.* B. *Slaapzugt, Slaap-ziekte.*

CARYOCOSTINVM, eſt electuarium, ſic vocatum, quod caryophyllos et coſtum recipiat.

CARYON, nux eſt cuiusuis generis, ſed praeſertim iuglandis: a *κάρα*, caput, quia eſt fructus rotundus, inſtar capitis humani: vel quia capiti grauedinem adferat.

CARYOPHYLLATA, *Geum vrbanum Linn.* floribus erectis, fructibus globoſis, villoſis, ariſtis vncinatis, nudis, foliis lyratis (Icoſandr. Polyg.) Caryophyllata vulgaris *Bauh.* Eſt planta, quae habet folia lobata, id eſt, quibus ad latera excreſcunt alia folia prioribus maiora, coloris viridis fuſci, in margine inciſa. Flos eſt roſaceus, conſtans quinque petalis in orbem poſitis, e diuiſuris calycis monophylli et pelviformis prodeuntibus. Piſtillum abit in fructum fere globoſum, in quo ſemina plurima colliguntur oblonga caudata. Radix craſſior, oblonga, obrotunda fere et fibroſa, coloris obſcuri, odoris caryophylli: vnde nomen habet. Qualitatis eſt ſtipticae, fragrantis, antacidae, gaudetque viribus adſtringentibus, pellentibus, ſudoriferis. Creſcit in nemoribus Europae. Appellatur etiam *Herba benedicta* et *Sanamunda* a diuina ſua efficacia. Ge. Benedictenwurzel. G. *Benoite, Galiot, Herbe benite.* A. *Avens.* B. *Nagel-wortel of kruid.* — Datur et alia ſpecies *Caryophyllatae, aquatica* ſcilicet, flore nutante *Bauh.* ſ. *Geum riuale* floribus nutantibus, fructu oblongo: ariſtis plumoſis. *Linn.* quae in pratis humidis habitat, et cuius radix in intermittentibus laudatur. Ge. Waſſerbenedictenwurzel.

CARYOPHYLLEVS FLOS. — *Caryophyllaei flores*, apud *Tournefortium* propriam claſſem conſtituunt, quae illos flores comprehendit, qui componuntur ex pluribus petalis in orbem poſitis, ex imo calyce tanquam ex tubulo quodam emergentibus. — In ſpecie vero *Caryophyllus (Dianthus Linn.* Decandr. Digyn.) eſt planta florifera, monoangeia, polyſperma, cuius flores caryophyllos olent, vnde nomen, et cuius numeroſiſſimae ſpecies et varietates tum in hortis coluntur, tum ſponte proueniunt. Flores *Dianthi Caryophylli*, ſeu *Tunicae*, ob vires cordiales in officinis proſtant. Ge. Nägelblumen, Grasblumen, Nägeleinblumen, Nelken. Ga. *Giroſflée, Oeillets.* A. *Gilli-flower, or Clove July-flower.* B. *Nagelbloemen, Angelieren, Teſte-bloemen.*

CARYOPHYLLI, CARYOPHYLLI, ac ſi diceres *Nucifolium*, nomen, quod ipſi rei neutiquam reſpondet. *Caryophyllorum* arbores propagantur in India Orientali maturo ipſorum fructu, qui non eſt vulgare illud *Caryophyllum*, in tabernis notum; illud enim rudimentum ſaltem eſt fructuum. Ipſe hic fructus aromaticus immaturus, non aliud videtur eſſe, quam quod verbi gratia, in roſa calycem, et quidem ſpeciatim eius capitulum, tandem fructum Cynosbati conſtituit, ſcilicet calyx floris. Huius pars ſuperior in quatuor cuſpidulas diuiſa cum roſarum illo cortice lacinioſo, alabaſtri nomine noto, conuenire videtur. Ipſe flos ſummitati huic innaſcens, exterius quatuor craſſioribus pelliculis inuoluitur; quae inuicem complicatae globulum illum efformant, ſeu florem nondum apertum, hisque ſe pandentibus, flos demum in conſpectum venit, itidem quatuor foliolis primo candidis, deinde vire-

ſcentibus, ex vmbilico, ſiue quadrato alueolo enatis conſtans, et multis ſtaminulis albis, antherae in modum, quaſi totidem floſculis, prominulum ex vmbilici medio apicem, vel clauum, ſeu piſtillum, vbique cingentibus, conſitus. Baccae quando e viridi, aut pallido, rubeſcere incipiunt, capitulum aperiunt, floremque oſtendunt et earum vindemia inſtat, cratibus imponuntur, ac latis Ari foliis tectae per aliquot dies fumo macerantur, deinde in ſole exſiccantur, donec fuluum illum colorem acquiſiuerint, quali vulgo cernuntur. Arbor vocatur Caryophylliffera, *Ts-hinka* dicta, *Caryophyllus aromaticus Linn.* Caryophyllus aromaticus fructu clauato monopyreno *Pluk.* (Polyandr. Monogyn.) cuius corolla tetrapetala, calyx tetraphyllus, duplicatus; bacca monoſperma, infera. Prouenit praecipue in Moluccis terrisque aridiſſimis. Caryophylli qualitatis ſunt aromaticae, calidiſſimae; hinc etiam in ſubſtantia plura medicamenta compoſita ingrediuntur. Proſtat in officinis tinctura, balſamum et oleum deſtillatum eorum, hoc tamen vltimum plerumque iam oleo quodam expreſſo, et ſubſtantia caryophyllorum reſinoſa admixta adulteratum ad nos adfertur. Vſus eius in odontalgia et carie. G. Nägelein, Würznelken. G. *Cloux de Geroſles.* A. *Cloves.* B. *Nagelen, Kruid-nagelen.* — Fructus porro maturi quadruplo fere maiores ſunt et craſſiores, vulgo *Antophylli* dicti: nucleum continent durum maiores; ſunt et magis ventricoſi minusque acres. Ge. Mutternelken. G. *Antophylles, Meres de Geroffles.* A. *Great cloves.* B. *Moeder nagelen.* — Eſt et alia ſpecies admodum rara, minori forma, ſed magis denticulata, vocatur quae. G. Kronnägelein, Königenelken. B. *Kroon-nagelen, Konings-nagelen.* — Cortex porro quidam ex America, et inſula Cuba, allatus, qui odore et ſapore Caryophyllis neutiquam cedit, dicitur *Cortex Caryophyllorum;* arboris Xocoxochiti, ſeu Piper Tauaſci dictae ab *Hernandez.* Vide *Caſſia Caryophyllata.* — Sunt et alii *Caryophylli, Plinii* dicti, rotundi, magnitudine ribium, colore fuſco, facile friabiles, racematim Botri inſtar ſuccreſcentes. Folia habent magna. Sapor ſeminis intus concluſi, imbecillem caryophyllorum ſaporem refert. Idem ſine dubio ſunt cum granis, quae hodie *Amomum racemoſum* vocamus. Vide *Amomum.*

CARYOTA, vide *Carota.*

CASAVE, ſ. CASSAVE, eſt panis ex radice *Iatrophae Manihot Linn.* in America meridionali cultae paratus. Succus radicis maxime venenatus, hinc ſedulo exprimitur, atque igne radix ipſius torretur. Ge. G. A. B. *Caſſaue,* ſ. *Caſſawy.*

CASCARILLA, eſt cortex cannulatus, ſiue in tubulos conuolutus inſtar cinnamomi; colore corticem Peruuianum vtcunque refert, ſed minus craſſus eſt; ſaporem habet acrem, aromaticum, amarum; odorem, dum incenditur, fragrantem, hinc Nicotianae aliquando admiſcetur. Arbor, e qua hic cortex detrahitur, eſt Eleutheria *Pharm. Lond.* et *Edimb.* Ricinoides Elaeagni folio *Caesb.* *Croton Caſcarilla Linn.* foliis lanceolatis acutis, integerrimis, petiolatis, ſubtus tomentoſis, caule arboreo (Monoec. Adelph.). Fert haec flores exiguos, hexapetalos, albicantes, flauis apicibus, baccam trilocularem, triſpermam. Arboris altitudo decem, vel duodecim pedum eſt. Adfertur ad nos cortex ex America meridionali. Cortex hic antea cortici Peruuiano admixtus fuit, vel ſubſtitutus. *Stiſſerus* eum ſine dubio primus in Europa adhibuit, et ab eo tempore ob qualitatem ſuam amaram et fragrantem, vimque tonicam, largiſſimus eius eſt in medicina vſus, in febribus, diarrhoeis, dyſenteriis, morbis malignis, et affectibus pectoris, in quibus roborantes, diſcutientes et ſedantes vires exſerit. Datur in ſubſtantia, in forma pulveris ad ſcrupulum ſemis, in electuario, in extracto, tinctura et decocto. Ge. Chacarillarinde, Caſcarille. G. A. B. *Chaquerille.* — Caſcarilla eſt vox Hiſpanica, ſcilicet diminutiuum corticis fragilis.

CASEVS conſtat ex lactis partibus tenuioribus et vel ex ſero lactis ebutyrato acidis coacto, vel ex lacte integro formatur. Terreas et acriores lactis partes continet, minus nutrit, et chylum crudiorem ſanguini infundit. Ge. Käſe. G. *Fromage.* A. *Cheeſe.* B. *Kaas.*

CASIA, idem quod *Caſſia.* A veteribus *Caſſia,* Graec. Κασσία, etiam Cinamomum appellatur.

CASSIA ANISATA cortex Indiae orientalis, qui aniſi odorem et ſaporem habet. Ge. Aniſrinde.

CASSIA CARYOPHYLLATA, Caryophyllus aromaticus Indiae Occidentalis, foliis et fructa rotundis, dipyrena *Pluk.* *Myrtus caryophyllata* pedunculis trifido-multifloris, foliis obouatis *Linn.* (Icoſandr. Monogyn.) eſt arbor vtriusque Indiae, cuius cortex conuolutus ad nos adfertur, Cinamomo ſat ſimilis, qualitatis aromaticae et fragrantis, virtutisque ſtomachicae et cephalicae. Sed etiam ſemen huius arboris haud ita pridem in officinas noſtras, vt multi putant, introductum, iisdem viribus, ſummaque ſaporis et odoris ſuauitate ſeſe commendat. Vide *Caſſiae Flores.* Ge. Nägelcinrinde, Nelkencaßie, Nelkenrinde, Nelkenzimmet. G. *Caſſe geroſlée.* A. *Clove Bark.* B. *Genaagelde Kaneel.*

CASSIA CINNAMOMEA, i. q. *Cinamomum*

CASSIA FISTVLA, *nigra*, seu *solutiua, laxatiua*, ita dicta ab effectu, quoniam aluum leniter subducit, et bilioſos humores expurgat. Iſtius fructus arbor eſt Conna *Rheed.* Chiarxambar *Alp.* *Caſſia Fiſtula Linn.* (Decandr. Monogyn.) foliis quinqueiugis ouatis, acuminatis glabris, petiolis eglandulatis. Arbor ſcilicet procera, inſtar iuglandis. Creſcit in Indiis Orientalibus, Aegypto, et Alexandria, habet corticem griſeum, ſaporis adſtringentis; folia pinnata, quae fere cum iuglande conueniunt, ſed acutiora ſunt, inſtar Perſici foliorum. Flores pentapetali roſacei, in orbem poſiti, ſubflaui, odoris gratiſſimi. Piſtillum abit in ſiliquam oblongam, ad longitudinem pedis, rotundam, cylindricam, teretem, lignoſam, aliquando compreſſam, in varia loculamenta diuiſam a diſſepimentis transuerſim poſitis, obductis medulla nigra, liquida, dulci. In ſingulis loculamentis haerent ſemina depreſſa, dura, obrotunda, nitida, coloris flaui. Floribus huius arboris deciduis, ſiliquae adeo indureſcunt, vt a ventis agitatae tantum ſtrepitum edant, vt ad duorum milliarium diſtantiam audiri dictum ſit. Medulla nigra ſiliquarum acidulo-dulcis, ablatis ſiliquis, ſeminibus et ſepimentis, ſcilicet *Pulpa Caſſiae*, quae etiam *Flos caſſiae* dicitur, praecipue ob virtutem demulcentem et eccoproticam in vſu eſt, aliisque laxantibus additur, cum ſola flatus et tormina excitet. Emeticorum antimonialium vim vehementer infringit. Diutius adhibitam, vrinam colore adeo heteroclito inficere lego. — Differt ab hac *Caſſia Braſilienſis*, vel *Caſſia Iauanica Linn.* ſiliquis magis compreſſis et durioribus, et pulpa amara valide purgante. Gr. κασία μέλαινα. Vnde dicatur, non ſatis conſtat. Ge. Caßien, Caßiefiſtel. G. *La Caſſe en baton, Caſſe laxative.* A. *The Caſſia.* B. *Pyp-kaſſie.*

CASSIAE FLORES; hoc nomine iam fructus parui et rotundi in noſtris officinis proſtant, qui cinnamomi odorem et ſaporem habent. Nonnulli putant eſſe fructus *Oſyridis albae Linn.* quae et *Caſia monſpelienſium* dicitur. Alii fructus cinamomi arboris eſſe autumant, alii *Caſſiae caryophyllatae*, quod et veroſimilius eſt.

CASSIA LIGNEA, ſ. XYLOCASSIA, eſt Caſſiae ligneae Malabaricae, ſeu Sumatrenſis, cortex, ſcilicet arboris in India Orientali prouenientis, quae vocatur Caſſia Malabarica *Herm.* Canella Malabarica, ſ. Iauanenſis *Bauh.* *Laurus Caſſia Linn.* (Enneandr. Monogyn.) foliis triplineruiis, lanceolatis. Cinamomi in modum conuolutus, Cinamomo craſſior, odore, ſapore, et viribus longe debilior, colore magis fuſco, maſticata, deliqueſcit in ore, et lentum quoddam, glutinis quaſi ſpeciem, relinquit, id quod Cinamomo non accidit, cuius reliquiae perpetuo ſuperſunt: atque inde apparet hallucinatos fuiſſe illos, qui cortices Cinamomi et Caſſiae ligneae ſibi incumbentes, ab vna eademque arbore detrahi, crediderunt. Cum vero varii etiam alii cortices in tabernis *Caſſiae* ligneae nomine occurrunt, videtur in vniuerſum cortices variarum ſpecierum Lauri, cinamomi odore et ſapore inſtructos, hoc nomine inſigniri. Παρὰ τὸ κάειν dictam volunt, quaſi κεκαυμένην διὰ τῆς ἐνεργείας τὰς αἰσθήσεις: κάειν eſt enim ornare, vel quod ſenſibus fragrantiam largiatur. Vocatur *Cinamomum ſpurium*, *Canella ignobilior*, *Caſſia Syrinx.* Vide *Cinamomum.* Ge. Mutterzimmt, Zimmetrinden. G. *Caſſe en bois.* A. *Caſſia lignea.* B. *Grove Kaneel, Kaſſie.*

CASSIDA, quorundam botanicorum eſt *Scutellaria Linn.* (Didynam. Gymnoſperm.) cuius corolla ringens eſt, labio ſuperiori trifido, inferiori emarginato; calyx galeae cauitatem criſta et operculo repraeſentat. Ge. Schildkraut, Fieberkraut. G. *Toque.* A. *Hooded Willowherb.* Vide *Scutellaria* et *Tertianaria.*

CASSINE (Pentandr. Trigyn.) fruticis genus in Africa proprie creſcens, cuius folia nonnulli *herbam Paraguay*, ſeu *Apalachinen* quoque eſſe autumant.

CASSONADE, eſt ſacchari crudi ſpecies. Ge. Mehl- oder Farinzucker. G. *Caſſonade.*

CASSVTHA, recentioribus Graecis *Caſſytha*, *y* in *u* transeunte, vt fere fieri ſolet, Latinis appellatur. Officinis et Herbariis noſtrae aetatis hinc deflexa priſtini nominis vmbra; *Cuſcuta* dicitur, cum primum *Caſſutha*, dein conuerſa *Caſcutha*, poſtremo *Cuſcuta* coeperit appellari. Sunt, qui *Podagram lini* vocant, quod quaſi compedibus id, cui inſederit, illiget, nec vinctum eo facile poſſit extricari. *Plinius* eius videtur meminiſſe. Eſt, inquit, in Syria herba, quae vocatur *Caſſythas*, non tantum arboribus, ſed ipſis etiam ſpinis, circumuoluens ſeſe; *Caſſythas* enim legendum, non *Caditas.* Iam igitur memoria *Plinii* Caſſythas herba ſuo nomine Syriaco venerat in Latium, quod multis poſtea ſeculis vſurpantes tam Poeni, quam Arabes, ſuis ſcriptis protriuerunt. Conf. *Cuſcuta.*

CASSYTA quoque *Linnaeo* genus eſt, cuius ſpecies maxime vulgaris quoad herbam Cuſcuthae, quoad fructificationem Lauro ſimilis eſt.

CASTANEA, eſt magna et craſſa arbor, cortice tecta poliro, fuſco, maculato; lignum eſt durum, in igne crepitans:

rami valde extenſiles, et magnam vmbram producentes: folia magna, ampla, longa, lata, tenuia, parum aſpera, in margine inciſa, neruoſa. Flos mas in hac arbore primo deprehenditur alio loco, quam ouarium, ſolitarius, ex calyce pentaphyllo, valde ſtaminoſus, per capillamentum tenue axi communi longo affixus, vt fiat amentaceus. Alii flores hermaphroditi conſtant calyce et ſtaminibus atque ouariis apice multifido et tubis ſex diſtinctis, vno illo communi calyce contentis. Ouarium hoc deinde, vbi ſe expediuit, fit fructus echinatus alio a flore primo loco in eadem arbore, ſubrotundus, quadrifariam dehiſcens, vt plurimum, foetus caſtanea ſub coriaceo putamine rubicundo, nucleum continente. Ill. *Linnaeus* Caſtaneam ad Fagum refert (Monoec. Polyandr.) et vocat *Fagum caſtaneam*, foliis lanceolatis acuminato-ſerratis, ſubtus nudis. Creſcit haec arbor in Italia, Gallia, Germania, Hungaria. A Caſtano, Magneſiae oppido, vel a Caſtanide terra nomen habet. Non dicitur a caſtitate, quod quidam opinantur. Alii Caſtanam vrbem Apuliae ſcribunt, non procul a Tarento. Sufficit ab vrbe, vel ab agro quodam nomen, hoc accepiſſe. Vocatur a Virgilio *Nux*. Nuces enim generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore. Appellatus item Διὸς βάλανος, Σαρδιανὴ βάλανος, Δοκιμὸν. *Sardianae* quippe *Glandes* dicuntur, quoniam in Sardinia optimae naſcantur. Vſus caſtanearum, ob qualitatem ſubdulcem et eſculentam, licet etiam flatulentam, maxime culinaris eſt. Sunt, qui iis vires ſubadſtringentes et aphrodiſiacas tribuvnt. Ge. Kaſtanien- oder Keſtenbaum. G. *Marronier, Chataigneur.* A. *Cheſnut-Tree.* B. *Caſtanje-boom.*

CASTANEA EQVINA, vide *Aeſculus.*

CASTANEA PORCINA ſic vocantur tuberoſae radices, *Lathyri tuberoſi Linn.* quae ſub cineribus toſtae ſatis grati ſaporis ſunt. G. Erdfeige, Erdnuß, Saubrod. G. *Tarnote, Geſſe ſauvage.*

CASTOREVM, eſt ſubſtantia oleoſo-ſpiſſa, ſenſim exſiccata, friabilis, inflammabilis, extus griſea, intus flaua, ſaporis amari, odoris grauis, intertexta fibris et membranis, neutiquam in teſticulis caſtoris, ſed in duobus folliculis oui fere magnitudine in inguinibus animalis vtriusque ſexus latentibus, contenta. Ipſum animal, ſeu Caſtor, a quibusdam inter amphibia, ab Ill. *Linnaeo* ad Mammalia glires refertur, et vocatur *Caſtor Fiber*, cauda ouata plana. Habet dentes primores duos ſuperiores truncatos, angulo transuerſo excauatos, inferiores duos apice transuerſos; caudam compreſſam. Numeroſae huius animalis familiae ad ripas fluuiorum aedificia ſua

ſtruere ſolent, et in Germania quoque nonnunquam, frequentius in Moſcouia, Liuonia, Polonia, maximo vero numero in Canada capiuntur. Capto animali illico venatores folliculos abſcindunt fumoque exſiccant. Optimum caſtoreum ex Ruſſia aduehitur, longe eo, quod ex Canada adfertur, ſuperius. Quo odor grauior, ſaporque acrior, eo cenſetur praeſtantius. Caſtoreo tribuuntur vires calefacientes, neruinae, anodynae, antiſpaſmodicae et antihyſtericae, hinc tum in ſubſtantia ad aliquot grana propinatur, tum in tinctura, extracto, aliisque quam plurimis praeparatis. Axungia, ſeu Pinguedo, caſtoris viribus gaudet emollientibus, ſi rancida ſit, reſoluentibus. G. Bibergeil. G. *Du Caſtor.* A. *Caſtor.* B. *Kaſtoor, Beverzwyn, Bevergeel.* — *Caſtorei oleum*, vide *Ricinus.*

CASTRATIO, eſt teſtium exciſio, ſeu priuatio, ne quis coitui aliquid contribuere poſſet: vel in pueris ad conſervandam vocis ſuauitatem, vel quando id ex neceſſitate corrupti teſtis fieri debet. Is, in quo hoc factum eſt, dicitur *Caſtratus*, ſeu *Eunuchus.* Orientales populi eunuchis, quo ad coitum plane inepti fiant, penem et ſcrotum praeſcindunt. Ge. Verſchneidung, Entmannung. G. *Caſtration.* A. *Gelding, or Caſtration.* B. *Lubbing.*

CASVMVNAR, CASSVMMVNIAR, CASMINAR, *Pharm. Lond.* et *Edimb. Bingalle, Riſagon*, eſt radix tuberoſa, geniculata, Galangae ſimilis, plantae nondum ſatis cognitae, Zerumbettae affinis, hoc ſaeculo ex India Orientali in Europam aduecta, quae ob vires aromaticas, ſtomachicas, et nervinas in vſum medicum cum fructu adhiberi incipit. Germ. Caſſumuniar, falſcher runder Zittwer.

CASVS in medicina varias habet ſignificationes; vel enim denotat aliquid, quod ſine praeuia deliberatione accidit; vel corporis lapſum ex loco eminenti; vel obſeruatione detectum morbum.

CASVS VVVLAE, vide in *Cion.*

CATABATICA febris, quae deſcendendo, vel decreſcendo, pergit. Sicque *Anabaticae*, ſeu adſcendenti, vel increſcenti, opponitur.

CATACAMBRA, ſ. CATAGAMBER, ſunt trochiſci ex terra de Catechu et argilla in India orientali parati, adſtringentes, in haemorrhagia et alui fluxu commendati. Vide *Gutta Gamber*, et *Gittugambir.*

CATACLEIS, eſt coſta prima, ſubclauicula dicta, ex κάτω, infra, et κλεὶς, clauis. Ge. Die oberſte Ribbe. B. *De Opper-ribbe.* Veteres in genere ita vocant partem colli et pectoris, vbi ſe mutuo contingunt.

CATACLYSMVS eſt balneum ſtillatitium, dum ſcilicet thermae, vel aquae medicatae, in partem affectam, infirmam, deſtillant. Ge. Ein Tropfbad. G. *La Douche.* Conf. *Embroche.* In cataclyſmo tamen potius totum corpus aqua irrigatur.

CATAGMA, eſt oſſium fractura, ſiue ſeparatio continui in duris corporis partibus, quae externe duro quodam inſtrumento, vi partem affligente, efficitur; cuius differentiae a forma, a parte et accidentibus deſumuntur. Ge. Ein Beinbruch. G. *Fracture d'Os.* A. *The Breaking of bones, Fracture.* B. *Been-breuk.*

CATAGMATICA, ſunt remedia ad fracturae curationem neceſſaria, a κατάγνυμι, frango, κάταγμα, fractura.

CATALEPSIS, *Catochus, Prehenſio*, aut *Congelatio*, eſt ſpecies morbi ſoporoſi, et minor quaſi apoplexiae gradus, cum artuum flexilitate, et ad quosuis nouos ſitus retinendos aptitudine, dum ſcilicet is, qui corripitur, in quo ſitu poſitus erat, immobilis manet, ſiue ſteterit, ſiue ſederit, ſiue aliter flexus fuerit, reſpiratione ſalua, ſaluo pulſu, apertis oculis, ſine motu, loquela, aut ſenſu; nam rarum eſt, ſi ſermones aliorum intelligant, aut cibum, vel potum, quem praebemus, deglutiant. Inter externas cauſas ſunt fulminis ictus, et acre frigus: ſequitur autem inprimis poſt affectus triſtes, vel vehementem amorem. Proxima cauſa videtur eſſe affectio, vel compreſſio, ſenſorii communis, omnes eius mutationes ad aliquod tempus impediens, qua ceſſante, infirmi, alacriores, ac antea, expergiſcuntur, omnium, quae in paroxyſmo geſta ſunt, immemores. A καταλαμβάνω, prehendo, corripio. Ge. Das Staunen, die Starrſucht. G. *Catoche, Catalepſie.* A. *Catochus.* B. *Leden verſtyving.*

CATALOTICA, idem quod *Cicatrizantia*, a κατυλόω, cicatricem induco, vel deleo.

CATAMENIA, ſunt menſtrua muliebria, quae in foeminis puberibus plerumque ſingulis menſibus, ab aucta copia, et hinc intumeſcentia maſſae ſanguineae inducta, turgeſcunt, et foras ex vaſculis vteri, vel vaginae, dilatatis ex muliebribus diuerſa quantitate prorumpunt. Quidam menſtruorum cauſam lunae motibus adſcribunt, hoc autem conceſſo, neceſſum foret, vt vno eodemque tempore omnes ſimul menſtruum fluxum paterentur. Nec ad efferueſcentiam ſanguinis vterini in explicandis menſibus recurrendum eſt, cum ſola plethora, et minor reſiſtentia, quam vaſa vteri ſanguini abundanti opponunt, ſufficiat. Menſtrua in noſtris terris

incipiunt anno duodecimo, decimo tertio, vel decimo quarto. Deſinunt vero circa annum quinquageſimum, verum hoc exacte determinari vix poteſt. Supprimuntur in praegnantibus, et lactantibus. Regula tamen non eſt. Ex κατὰ, per, et μὴν, menſis. Ge. Monatliche Reinigung. G. *Les Menſtrues, les Regles, Sang menſtrual.* A. *Womans courſe, or monthly times, Menſes, Menſtrual fluxe.* B. *De Stonden, Maand-ſtonden.*

CATAPASMA, eſt puluis fragrans, qui odoris ſui cauſa veſtibus inſpargitur. Item puluis fragrans, qui poſt illinitionem, ſtomacho, aut cordi, applicatur, a καταπάσσω, inſpergo. Vide *Diapaſma.*

CATAPHORA, idem eſt quod *Coma*, verum in eo differunt, quod *Cataphora* tanquam genus omnium ſtuporum ſine febri ſumatur. Videtur cari leuioris ſpecies, ſcilicet ſtatus ſomnolentus facile excitabilis, ſine febre, delirio et obliuione. A καταφέρω, deorſum fero, quia aegrorum membra deorſum concidunt. Ge. Die Schlafſucht. G. *Cataphore.* A. *A Deep or dead sleep.* B. *Slaap-ziekte, Slaap-zugt.*

CATAPHRACTA, eſt nomen alicuius faſciae, ſeu ligaturae, quae thoraci accommodatur. Ge. Bruſtbinde. G. *Le Plaſtron.* A. *Breaſt ſwaddle.* B. *Een middelyfs Windzel.*

CATAPLASMA, eſt medicamentum externum topicum pultis conſiſtentia. Praeſcribitur fere duobus modis, nempe vel per coctionem, vel ſine ea. Illud fit frequentius: hoc ſaepe maiorum eſt virium. In illo iubentur aſſumere vegetabilia, ſcopo conuenientia, vt radices, herbas, ſemina, flores, fructus, etc. additis farinis appropriatis, aut illis omiſſis, quae omnia in ſufficiente quantitate liquoris, v. g. aquae, cereuiſiae, lactis, vini, etc. coquuntur ad pultis conſiſtentiam. Hoc paratur fere ex vegetabilibus, minutim conciſis, affuſo tantum liquore ſufficienti, ea ſolum quantitate, vt reſpondeat conſiſtentiae pultis. Poſſunt hic quoque addi farinae, m[illegible]panis, olea, vnguenta, ſicuti quoque in prioris generis cataplaſmatibus. A καταπλάσσω, fingo, formo, illino. Ge. Ein Breyumſchlag. G. *Cataplaſme.* A. *A Cataplaſme, or Poultice.* B. *Een Pap, Papzel, Cataplaſme.*

CATAPLEXIS, hebetudo dentium. Ge. Das Stumpfſeyn der Zähne. G. *Agacement des deuts.* Etiam de debilitate oculorum vſurpatur.

CATAPOTIVM, vulgo *Pilula*, eſt medicamentum internum; quod deglutiendo ad aluum ſubducendam et purgandam, vel etiam alium in finem, in forma globulorum

minorum assumitur. Ex κάτω, deorsum, et πίνω, bibo. Ge. Pillen. G. *Pillules.* A. *Pills.* B. *Pillen.*

CATAPTOSIS, est epilepsiae symptoma, cum homines derepente in terram concidunt. A καταπίπτω, deorsum cado; idem quod *Decidentia.*

CATAPVTIA, nomen habet a Catapotiis, siue pilulis, vel Gr. καταπίνειν, deglutire, quoniam haec grana pilularum instar deglutiuntur. Tres dantur huius species, quarum semina in officinis seruantur, nempe *maxima*, quae est Ricinus Americanus maior semine nigro. *Media*, quae est Ricinus vulgaris, seu *Ricinus communis Linn.* (Monoec. Adelphia) foliis peltatis, subpalmatis, serratis, cuius semen in officinis sub nomine Cataputiae maioris prostat, et *minima*, quae est Tithymalus latifolius, cataputia dictus, vel *Euphorbia lathyris Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) vmbella quadrifida, dichotoma, foliis oppositis integerrimis. Cataputia minor officin. Ge. Springkörner. G. *Epurge.* A. *Garden Spurge.* — Omnium vis est vrens, et vehementissime purgans sursum et deorsum.

CATARACTA, est visus abolitio, quae sensibili opacitate pone pupillam conspicua stipatur. Est haec duplex, *Incipiens*, seu *Suffusio*, vel *Confirmata*, seu *Cataracta* proprie dicta. *Incipiens* est oculi suffusio, cum nempe nubeculae, festucae, aut muscae, ante oculos volare videntur. *Confirmata* vero est, quando vel, vt veteres in omni cataracta fieri putabant, a pellicula tenui pupilla in totum, vel ex parte occluditur, ita vt radiis solaribus debitus ingressus praecludatur, et haec est Cataracta spuria, vel membranosa, longe rarius occurrens; vel, quod longe frequentius fit, quando ipsa lens crystallina opaca fuit facta. Semper apparet rotunda, sed color variat, qui quo magis ad albedinem vergit, eo est melior. Est porro vel *simplex*, vel *complicata* cum aliis oculi vitiis, diciturque pro diuersa specie, alba, purulenta, virgata, radiata, etc. *Incipiens* remedia resoluentibus, vt millepedibus, mercurio, pulsatilla, interdum curatur. Confirmata curatur vel acu per membranam albugineam et corneam ad Cataractam vsque adacta, quae acu deprimenda, et, si resiliat, comminuenda, deinde oculus aqua rosarum et alumine conquassato obligandus, vel per ipsam lentis crystallinae vitiatae extractionem. A καταράσσω, confundo, vel impetuose deturbo, quia saepe subito hic morbus oritur. Aliis a similitudine cataractarum, quae sunt valuae mobiles, quibus aquarum temperatur impetus, quia considerarunt hunc morbum tanquam valuam in humore aqueo, quae visum

interciperet. Sed lubrica omnis est haec etymologia, cum non facile occurrat exemplum, quod probet, ab vllo Graeco scriptore hoc nomen huic morbo datum esse. Vocant illi ὑπόχυμα. Barbari quidam cataractas *Oculos Venetricos* appellarunt; veneticus enim vel venetus, denotat colorem glaucum, vel dilute caeruleum. Ge. Der graue Staar. G. *Cataracte, Suffusion.* A. *A Cataract.* B. *De Staar, een Valvlies.*

CATARIA, vel *Nepeta:* (Didynam. Gymnosperm.) Mentha cataria vulgaris *Bauh. Nepeta cataria Linn.* floribus spicatis, verticillis subpedicellatis, foliis petiolatis, cordatis, dentato-serratis, est planta, cuius caulis ad altitudinem circiter trium pedum adscendit, quadratus, villosus, ramosus. Folia vrticae, vel melissae, in margine incisa, acuta, lanuginosa, albescentia, odoris penetrantis, saporis acris. Flores monopetali, labiati, in summitate ramorum nati, flaui, aut albescentes, in spicam congesti, galea erecta, bifida, subrotunda, barba tripartita, segmento medio excauato, eleganter crenato, amplo; caeterum binis segmentis, vt alis orificium patulum labiorum cingentibus. Semina quatuor, oualia. Radix in multos ramos diuisa, lignosa. Planta saporem aromaticum habet, odoremque quasi ex mentha et pulegio compositum; gaudet viribus pellentibus, cephalicis et anthelminthicis. Plerumque tamen in insessu tantum adhibetur. In ruderatis Europae crescit. Videtur vox inde imposita, quia cati, seu feles, hac planta delectantur et vescuntur. Ge. Katzenkraut, Katzenminze. G. *Herbe au Chat, Pouliot, Menthe de Chat, Cataire.* A. *Nip, Nep, Cat-mint.* B. *Katte-kruid, Nippe.*

CATARRHOPVS, seu CATARRHVS, veteribus dicitur humorum ex capite ad subiectas partes, vt nares, os, pulmones, etc. defluxus; velut in coryza et brancho contingere putabant, quem pro diuersitate loci variis nominibus distinguebant. Vetus est versiculus:

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus.
Ad fauces branchus, ad nares esto coryza.

Destillationes has Graeci καταῤῥοὰς et καταγμοὺς vocant, aliique fluxiones. Ex ipso cerebro nulla in nares via patet. Catarrhi potius sunt obstructiones folliculorum glandulosorum in membranis pituitariis dispersorum, et humorem mucosum praeparantium; hinc etiam partes huiusmodi tunica mucosa vestitae, vt nares, fauces, pulmones, vesica, et intestina, huic morbo maxime obnoxiae sunt, si vel aer

frigidus ſubito eas contingat, vel aer humidus liberam fluidi exhalationem impediat. Quae ergo fluxiones ſummopere a rheumatiſmo differunt. A κάτω, deorſum, et ῥέω, fluo. Ge. Ein Fluß, Huſten, Schnuppen. G. *Catharre*, *Rhume*, *Fluxion*, A. *A Rheum*, *Cold*. B. *Een Zinkinge*.

CATARRHALIS FEBRIS, LYMPHATICA, in genere eſt febris continua remittens, cuius cauſſa in parte ſeroſa ſanguinis, aut qualitate, aut motu et excretione peccante haeret.

CATARRHVS SVFFOCATIVVS, eſt, (vt veteribus placet) quando humores excrementitii a capite ad organa reſpiratoria decidunt, et ſuffocationem minantur. Rectius in genere dicitur eſſe ſummus gradus dyſpnoeae, ſeu reſpiratio ſubito intercepta cum vultus rubore et ſtertore. Huius variae cauſſae eſſe poſſunt: humorum ſcilicet mucoſorum in pulmonibus abundantia et ſubita collectio; debilitas neruorum et vaſorum pulmonalium; vomica ſubito rupta, puſque in arteriam aſperam infundens, polypus abruptus et ſubito in vaſa maiora truſus etc. Eſt ergo adfectus admodum acutus, ſummum, ni celeriter ſuccurratur, mortis periculum inferens. Etymologia tamen vocis in ſola cauſſa ſeroſa ſubſiſtere iubet, et reſpirationem ab aliis cauſſis interceptam ad *Aſthma* et *Apnocam* referre. Ge. Ein Steckfluß. G. *Catarre ſuffoquant*. A. *A ſuffocating Rheum*. B. *Een ſmoorende Zinkinge*.

CATASARCA, idem quod *Anaſarca*. Ex κατὰ, per, et σὰρξ, caro.

CATASCHESIS, eſt diſpoſitio bona, hecticae oppoſita Ex κατὰ, per, et σχέσις, habitus, diſpoſitio.

CATASTASIS, eſt corporis humani, vel temporis, diſpoſitio. A καθίστημι, conſtituo.

CATATASIS, eſt extenſio corporis verſus inferiora. Ex κάτω, infra, et τείνω, tendo.

CATECHV, et inconuenienter *Terra de catechu*, ſiue *Iaponica*: nam maſticando liqueſcit, et in aqua ſolui poteſt. Suecus eſt durus, gummoſus, et reſinoſus, ex purpureo nigricans, punctis albis intertextis, quaſi ſitum contraxiſſet. Venit ex Pegu, Suratta, Magni Mogolis imperio, Malabaria, Bengala et Zeilon. Inter Pinang cum foliis Betel vt plurimum vſurpatur. Si tantillum ori indatur, adſtringit primo, deinde ſaporem dulcem et gratum relinquit, eodem modo, ac folia Theae maſticata. Ex recentiſſima Cl. *Kerr* deſcriptione plantae, ex qua terra Iaponica extrahitur, appareat eam *Mimoſae* ſpeciem eſſe, quae in India Orientali

Coira, vel *Caira*, dicitur. Ex ligno coctione extrahitur extractum, quod incolae *Cutt* vocant, ex quo verbo nomen, quod Europaeis in vſu eſt, ortum. Ad tinctorios quoque vſus in India Orientali adhibetur. Olim putabatur, arborem, ex qua praeparatur eſſe e palmarum ordine, et quidem: *Areca catechu Linn.* frondibus pinnatis, foliolis replicatis, oppoſitis praemorſis. Sed hoc recentioribus obſeruationibus refellitur. Succi vires ſunt adſtringentes. Datur in ſubſtantia, in tinctura et trochiſcis, in variis profluuiis, vbi adſtringere conuenit. Ge. Japaniſche Erde. G. *Cachou*.

CATHARTICA, ſunt *Cauſtica mitiora*, ſeu *Eſcharotica*, ſiue medicamenta, ſuperfluam carnem auferentia et perforantia. Diſtinguenda videntur a cauſticis, quia carnem vivam alterare non debent, ſed quae tenaciter adhaerent, et ſemicorrupta vaſorum ramenta ad viuam vſque carnem reſoluere et detergere; hinc detergentia fortiſſima, ſiue exedentia. Talia ſunt alumen vſtum, vitriolum, mercurius praecipitatus, etc. Ex καθαίρω, deiicio, ſubuerto, detraho. Ge. Aetzende Mittel. G. *Remedes catheretiques*, vel *Cauſtiques*. A. *Cauſtick eſcharoticks*. B. *Brandende middelen*.

CATHARCTICVM, ſeu CATHARMA, eſt in genere medicamentum purgatis, quod ventriculum, inteſtina, et quicquid in corpore heterogeneum et vitioſum fuerit, expurgat, et in communem cloacam, ſeu inteſtina, praecipitat. Vide *Purgatio* et *Vomitorium*. *Cathartica* a veteribus diuiduntur in *cholagoga*, vt *rhabarbarum*, *ſcammonium*, *caſſia fiſtula*, etc. vel *phlegmagoga* et *hydragoga*, vt *colocynthis*, *ialappa*, *mechoacanna*, *diaphaenicum*, etc. vel *melanagoga*, vt *helleborus niger*, *folia ſennae*, *trochiſci albandal*. Sed illa diuiſio a Neotericis iure reiicitur, cum purgantia ita ſpecifice in quosdam humores arbitrarie fictos non operantur, vt creditum. Vocatur item *Purgans*, *Purgatio*, *Medicamentum ventrifluum Aurel.* quod aluum deiicit. Κάθαρσις, καθαρτήριον, ἢ καθαρτικὸν φάρμακον, ὑπήλατον *Hippocrat.* Ἐκκριτήριον *Euſtath.* et *Poll.* Κενωτικὸν φάρμακον *Moſchopulo*. A καθαίρω, purgo, mundo. Ge. Abführende Arzeney. G. *Une purgation ou un Remede purgatif*. A. *A Purgative, or purging Medicine*. B. *Een buikzuiveringe, purgatie*.

CATHARMA, idem quod *Cathartícum*.

CATHARSIS, eſt effectus remediorum *Cathartícorum*, ſcilicet purgatio per aluum.

CATHARTICVM SAL, ſ. EBSHAMENSE, aut ANGLICVM, vel AMARVM, eſt ſal minerale, ortum ex connubio acidi vitriolici cum terra, vel cum alcali fixo minerali, quod eſt ſal mira-

bile Glauberi, valde album, et amarum, in aqua pauca facile ſolubile, in igne liqueſcens et ſpumeſcens, aluum leniter ducens. Eiusdem indolis eſt *Sal aperitiuum Fridericianum*, cuius largiſſimus nunc felixque in Germania vſus eſt.

CATHEMERINA, i. q. *Quotidiana Febris*. Ex κατὰ et ἡμέρα, ac ſi diceres κατ' ἡμέραν.

CATHETER, *Immiſſor*, vel *Demiſſor*, eſt inſtrumentum argenteum, vel ferreum, recuruum et fiſtuloſum, quod per vrethram veſicae immittitur, ad vrinam ſuppreſſam euacuandam, vel calculum in veſica haerentem explorandum; eſtque vel *flexilis* in priorem vſum, vel *immobilis* in poſteriorem ſimul; vel *ſolidus* cum crena, qui in inciſione adhibetur, excipiendo cultello dicatus in ſua crena. *Aenea Fiſtula Celſo*, σίφων *Aeginetae*. A καθίημι, immitto. Ge. **Catheter**. G. *Cathéter*, *Sonde*, *Tuyau pour tirer l'Urine*. A. *A Catheter*. B. *Een Catheter*, *een uitgeholde pyp*.

CATHETERISMVS, eſt adminiſtratio, qua per catheterem, iniectio in veſicam, mediante ſiphone, et cathetere, fit, vel etiam vrina euacuatur, aut calculus exploratur, hinc in vniuerſum eſt catheteris applicatio. A καθίημι, immitto.

CATHOLICVM, ſeu PANACEA, dicitur medicamentum vniuerſale, ſeu commune, omnes vitioſos humores corrigens, vel educens. In ſpecie vero in officinis noſtris proſtat *Electuarium Catholicon*, perantiquae compoſitionis, e polypodio, caſſia, tamarindis, rhabarbaro et ſenna compoſitum, quod ad vnciam dimidiam aſſumtum, aluum leniter ſubducit, cuius tamen vſus maxime frequens hodie in clyſmatibus eſt. Ex κατὰ, per, et ὅλον, totum. Ge. **Ein allgemeines ausführendes Mittel, Panacee**. *Medicine univerſelle*, *Panacée*. A. *A general medicine or Panacea*. B. *Een algemeen Geneesmiddel*.

CATHYPNIA, eſt graui et alto ſomno eſſe oppreſſum. Ex κατὰ, per, et ὕπνος, ſomnus. Ge. **Eine ſehr ſchwere Schlafſucht**. G. *Grand Sommeil*, *on profond aſſoupiſſement*. A. *Deep Sleep*. B. *Een zwaare of vaſte Slaaperigheid*.

CATILLVS CINEREVS, ſeu OBRVSAE CATILLVS, eſt ſpecies catini, ex cineribus lotis facti; cuius vſus eſt ad auri argentique depurationem. Ge. **Kapelle**. G. *Coupelle*. Vide *Cupella*.

CATINVS, idem quod *Cupella*.

CATOCATHARCTICA, ſunt purgantia per inferiora, ex κάτω, infra, et καθαρτικὸν, purgans.

CATOCHE, ſeu CATOCHVS, idem quod *Catalepſis*. A κατέχω, detineo. retinet. Hunc tamen morbum a nonnullis confundi cum Comate vigili monet *Hofmannus*; cum tamen in Comate febris plerumque adſit, *Catochus* vero ſit ſpasmus generalis ſenſim factus ſine febre et dyſpnoea.

CATO PVRGARE, hoc eſt, per inferiora ſ. κάτω, purgare, cui opponitur ἄνω purgare, per ſuperiora purgare.

CATORETICA, CATOTERICA, idem quod *Purgantia*. A κάτω, infra, deorſum.

CATVLOTICA, idem quod *Cicatriſantia*. A καταυλόω, cicatricem induco.

CAVA VENA, vide *Vena Caua*.

CAVCALIS, eſt planta (Pentandr. Digyn.) cuius corollae radiatae, diſci maſculae, petala inflexo-emarginata; fructus ſetis hiſpidus; inuolucra integra. Habet ſcilicet caulem ramoſum, villoſum, ad altitudinem vnius circiter pedis: folia aliquantulum Paſtinacae ſimilia, ſed tenuius diſſecta, villoſa. Flos eſt roſaceus et vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, inaequalibus, cordiformibus, in orbem poſitis, et calyci inſidentibus. Abit is in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus oblongis, quae parte, qua ſe contingunt, plana ſunt, ab altera gibba, ſtriata, echinata, aculeata. Nomen accepit, vel a ſeminum effigie, quae vaſcula hemiſphaerica imitantur: vel quod praearida ſtrepitum edunt: vel παρὰ τὸ κεκαῦσθαι, quod praeter modum retorrida et exoleta ſit. Nonnulli μυίτιν, ſiue pedem gallinaceum, vocarunt, quod extremum folium Gallinae pedi conforme eſt. Καυκὸν dictum teſtatur *Oribaſius*. *Heſychius* καυκεῖνον καυλον, forte καύλιον, καὶ ἄγριον λάχανον, *Cauliculus* et *olus ſylueſtre*. Sic forte dictum, quod ſemen ſimilitudinem quandam cum calceamento muliebri habet, quod καυκίδα vocat *Athenaeus*. Vocatur quibusdam Daucus ſylueſtris, hinc forte ex Daucus, *Daucalis* et *Caucalis*. Ge. **Klettenkörbel**. G. *La Hériſſonnée*. A. *Baſtard Parsley*. B. *Ackerklitten*.

CAVDA, vide *Capillamenta*, et *Coccyx*.

CAVDA botanicis etiam eſt filum ſemen terminans.

CAVDA EQVINA, eſt pars, ſeu extremitas, inferior medullae ſpinalis in fiſtula vertebrarum lumbarium et oſſis ſacri, in plures funiculos nerueos diuiſa; ob ſimilitudinem ſic dicta.

CAVDA EQVINA, vide *Equiſetum*.

CAVDEX, στέλεχον, στέλεχος, κόρμος; dicitur in arboribus et fruticibus id, quod a radice ſupra terram ſimplex aſſurgit, vsque dum in ramos explicatur, et in quod a radice fertur alimonia. Producitur a concurſu plurium radicularum,

in vnum truncum collectarum. Ge. Der Stamm eines Baums. G. *Tronc.* A. *The Stem, or Trunk of Body of a tree.* B. *De Stam.*

CAVERNOSAE, dicuntur partes, quae paruis cellulis, ſpongiae inſtar, donatae ſunt, vt penis. Vide *Corpora Cauernoſa.*

CAVITATES, ſunt ventres maiores, in quibus princeps aliquod viſcus continetur; vt in capite, cerebrum; in thorace, pulmo, cor, etc. in abdomine, hepar, lien, renes, ventriculus, inteſtina, veſica, etc. Eorum vulgo numerantur, tres, caput, thorax, et venter. Sit tamen etiam a diſſectoribus minores corporis cauitates vocantur, vt cerebri et cordis ventriculi. Ge. Hölen. G. *Cavités.* A. *Cavities.* B. *Holligheden.* Vide *Ventriculi.*

CAVLEDON, eſt fractura oſſis transuerſim facta, fracti oſſis partes ita ſeparans, vt e directo non iaceant. A καυλὸς, caulis, virga. Ge. Ein Queerbruch. G. *Fracture en travers ou transuerſale.* A. *Transuerſal fracture, Croſs-breaking.* B. *Een Dwars breuk.*

CAVLIS, vocatur in ſpecie *Braſſica*, quod prae caeteris oleribus inſigni caule vigeat. Vide *Braſſica.*

CAVLIS, idem quod ſupra ſolum ſimplex proſilit, fructificationem et folia eleuans, in herbis nominatur. Sic vtique *Caudex* ad frutices et arbores; *Caulis* ad herbas duntaxat pertinet. *Caulina* dicuntur folia, vel pedunculi, qui cauli inſeruntur. Gr. Καυλὸς. Ge. Der Stengel, Stiel. G. *Tige des Herbes.* A. *The Stalk of any herb.* B. *Stengel, Stronk.*

CAVSA morbi vocatur, quae morbum praeſentem facit, eſtque vel proxima, qua poſita ponitur morbus, vel remotior, ex qua morbi intelligitur poſſibilitas, haecque iterum eſt, vel proëgumena, ſiue diſponens, vel procatarctica, ſiue antecedens, aut occaſionalis. Gr. Αἰτία.

CAVSODES, idem quod *Cauſus.* A καῦσις, vro, et εἶδος, forma. Quibusdam mitior gradus eſt *Cauſi*, ſeu Febris ardentis.

CAVSTICA, ſiue ESCAROTICA, vel CATHARETICA, ſunt, quae cutim et carnem in duram cruſtam, ſiue eſcharam, exurunt, et ſi fortiora ſunt, vel diutius applicata maneant, corrodunt. Sunt proprie illa, quae omnia, quibus applicantur, conſumunt. Vt ſunt aes vſtum, mercurius ſublimatus corroſiuus, lapis infernalis; ferrum candens, etc. quorum priora *Cauſtica potentialia*, poſterius *Cauſticum actuale* vocatur. A καῦσις, vro. Ge. Brennende Arzeneyen. G. *Remedes cauſtiques, catheretiques.* B. *Brandende middelen.*

CAVSTICVM CHIRVRGORVM, vide *Lapis cauſticus.*

CAVSTICVM LVNARE, idem quod *Lapis infernalis*, qui ex acido nitri et argento paratur. Ge. Höllenſtein. Ga. *Pierre infernale.* Vide *Argentum.*

CAVSVS, ſeu FEBRIS ARDENS, ea eſt, quae curſum ſuum cum maiori aeſtu abſoluit, quam in aliis continuis adeſſe ſolet; cum hic ſit vrens fere ad tactum, et inaequalis diuerſis locis; reſpiratione anheloſa et cita: cutis ſiccitate magna; exacerbatione die impari, anxietate et inquietudine ſumma, lingua arida, craſſa, aſpera, et ſubnigra, halitu feruido, ſiti fere intolerabili, delirio, pulſu celeri et duro, vigiliis, aluo vel ſicca, vel liquida bilioſa, vrina pauca, flammea, aliisque ſymptomatibus inſigniorem ſanguinis phlogoſin arguentibus. A καῦσις, vro. Ge. Ein hitziges, brennendes Fieber. G. *Fiévre chaude, ardente.* A. *A burning Fever.* B. *Brandende Koorts.*

CAVTERISATIO, eſt artificialis quaedam partis corporis vſtio mediante cauterio. A καυτηριάζω, cauterio inuro. Ge. Das Brennen. G. *Cauteriſation.* A. *Cauteriſing.* B. *Brandinge.*

CAVTERIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, ex ferro, auro, vel argento, confectum, quod poſtquam incanduerit, actualem inurendi vim obtinet, cuius magnitudo et forma pro diuerſo vſu variat. Hoc *Cauterium actuale* vocatur, et huc quoque Moxae applicatio pertinet. G. *Cautére, Feu Actuel.* A. *Actual Cautery.* — Sed *potentiale* cauterium comprehendit rodentia quaeuis, aut exedentia, medicamenta, quae etiam cauſtica, vel ſeptica, vocantur, ſiue ſint alcalina, ſiue acida. Vſus cauteriorum actualium quidem hodie ad haemorrhagias ſiſtendas rariſſimus, ſed eo frequentior et actualium et potentialium eſt in carie, excitandis fonticulis, etc. A καῦσις, vro. Ge. Aezmittel. G. *Cautére potentiel.* A. *A potential Cautery.* B. *Mogelyke Branding, inëtend middel.* — Gallicis chirurgis *Cauterium* idem eſt, quod *Fonticulus.* Ge. Fontanell. G. *Cautere.* A. *Iſſue.* B. *Fontanel.*

CEANOTHVS *Americanus* foliis trineruiis *Linn.* eſt frutex in America ſeptemtrionali creſcens, cuius radix in morbis venereis ab incolis adhibetur. Folia in America etiam loco theae vſurpantur. Ge. Ceanothus, glatter Celaſter. A. *New Jerſey Thea.*

CEDMATA, dicuntur defluxiones ad articulos, et praecipue ad coxendicem. A κεδάζω, diſſipo, diſpergo. Ge. Ein Gliederfluß. G. et A. *Fluxion, Rhume.* B. *Vloeyingen.*

CEDRIA, CEDRIVM, CEDRELAEVM, eſt terebinthinae, ſ. picis, ſpecies ex Cedro parata, quam in Gallia *Oleum de Cade* quoque dicunt. Nonnulli reſinam ſponte a Cedro effluentem ita nominant. Vide *Cedrus*.

CEDRINVM OLEVM, ſeu OLEVM DEL CEDRO, eſt oleum ex corticibus citri recentibus expreſſum, in quibus in folliculis peculiaribus aſſeruatur.

CEDRONELLA OFFIC. vide *Meliſſa Moldauica*.

CEDRVS, *Pinus Cedrus Linn.* (Monoec. Monadelph.) foliis faſciculatis acutis; Cedrus foliis rigidis, acuminatis, non deciduis, conis ſubrotundis ſelectis *Trew*. Cedrus conifera, foliis laricis *Bauh*. Eſt arbor valde procera, craſſa, erecta, pyramidalis, cariei non obnoxia: cortex politus: lignum duriſſimum, rubicundum, habens odorem cypreſſi. Rami tortuoſi et nodoſi: folia anguſta, viridia, parua, ſquamoſa, Cypreſſi aemula. Flos eſt amentaceus, conſtans foliolis multis donatis apicibus numeroſis: fructus in eadem planta loco a flore remoto natus, eſt bacca turgens oſſiculis angulatis, foetis ſemine oblongo. Haec arbor creſcit in regionibus calidis: in monte Libani elegantiſſima reperitur, hinc ob altitudinem et pulchritudinem, dicitur Arborum Regina. Aeſtate, vigente calore, reſina alba, pellucida, transparens, ſponte absque inciſione defluit, quae inſtar maſtichis granorum indureſcit. Dicitur quaſi a κεάω, vro. Nam vritur ex ea reſina celebris, quae *Cedria* dicitur, vide *Cedria*, vel παρὰ τὸ κέντρον, ab aculeo: planta enim eſt ſpinoſa. Ge. Cederbaum. G. *Cedre du Liban*. A. *Cedar*. B. *Cederboom*. — Plures aliae arborum ſemperuirentium ſpecies, quae vulgo *Cedri* dicuntur, ad Iuniperi, vel Cypreſſi quoque genus pertinent.

CELASTRVS, arbor, ex iis, quae tardiſſime ſuos fructus perficiunt, an a κηλὰς, quatenus *Dies hiberna*, κηλάσεαι, arbores quaedam agreſtes; item vaſa paſtoralia. — *Celaſtrus Linn.* Euonymoides *Isnard*. eſt plantae genus, vel arbor, (Pentandr. Monogyn.) cuius calyx monophyllus ſemiquinquefidus; flos pentapetalus, petalorum marginibus reflexis; capſula colorata, ouata, trilocularis, ſemina pauca, ouata, colorata, ſemi-inuoluta arillo colorato. Ge. G. A. B. Celaſter.

CELE, eſt tumor hernioſus, in quacunque corporis parte natus. A κηλέω, intumeſco. Vide *Hernia*.

CELER PVLSVS eſt, in quo arteria breui tempore diſtenditur et contrahitur, qui proinde ad digitum tangentem vix ſubſiſtere, ſed ſtatim reſilire deprehenditur. Reſpicit ergo *celeritas pulſus* tempus, in quo vna fit arteriae diaſtole atque ſyſtole, *frequentia* vero *pulſus* numerum ictuum intra quoddam temporis ſpatium fientium.

CELLA, vel CELLVLA, nomen eſt, quo anatomici parvas in corpore humano cauitates, ſeu areolas, fibris, vel laminis membranaceis, vel oſſeis, interceptas, et muco tenui, aut oleo et pinguedine, repletas denotant. Botanici vero ita vocant caua illa loca in ſiliquis plantarum, aut etiam in capſulis variis diſſepimentis diuiſis, quibus ſemina includuntur.

CELLVLAE INTESTINI COLI, ſunt alternae dilatationes huius inteſtini, factae a tribus ligamentis iuxta illius longitudinem decurrentibus, idque contrahentibus, in quibus ſtercora aliquamdiu morantur. Ge. Die Zellen des Grimmdarms. G. *Cellules du Colon*. A. *Cauities in the great guts*.

CELLVLOSA MEMBRANA, ſ. TELA, Vide *Membrana adipoſa*.

CELOTOMIA, eſt operatio chirurgica, qua hernia ſcalpello curatur. Noſtris temporibus celotomia vt plurimum tantum in incarcerata hernia inſtituitur. Vide *Herniotomia*.

CEMENTATIO, ſ. CAEMENTATIO. Vide *Cementum*.

CEMENTVM, ſ. CAEMENTVM, eſt puluis ex ſale, ſulphure, carbonibus, arſenico, calce, etc. conſtans, cuius ope *Cementatio* peragitur. In ea metalla in igne inter ſales ſiccos, aut res ſulphureas, calcinantur, ſic vt in limaturam ſeu laminas redactae, cum dictis rebus, ſeu *cemento*, in pyxidem caementatoriam ſtratificentur, et in vaſe tecto in igne collocentur. Hac ratione v. c. ferri in chalybem mutatio fit. Ge. G. A. B. *Cementation*. — Sic *Cementum regium* dicitur, dum aurum ope ſalis gemmae, ammoniaci, et pulueris laterum ab aliis metallis depuratur. Ge. Cement. G. *Du Ciment*. A. *Cement*. B. *Verkalkinge met ſtof*.

CENCHRIAS, eſt Herpetis ſpecies, a ſimilitudine ſeminis Milii, *Herpes miliaris* dicta. A κέγχρος, milium. Vide *Herpes*.

CENCHROS, eſt Milium: forte a κέγχω, aſpero. Milium enim album, ſeu luteum, eſt caule aſpero et hirſuto, vel a κέγχνον, ſiccum; nam Milium eſt ſicciſſimum. Vide *Milium*. — *Cenchrus* nunc dicitur plantae genus ad gramina a quibusdam relatum, (Polygam. Monoec.) cuius inuolucrum laciniatum, echinatum, biflorum. Calyx gluma biflora, altero hermaphrodito: Hermaphroditi corolla gluma mutica, ſtamina tria, ſemen vnicum, maſculi gluma mutica; ſtamina tria. Germ. Stachelgras, Klebgras.

CENEANGIA, Gr. Κενεαγγεῖα, eſt vaſorum ſanguineorum

euacuatio per quamcunque humorum iacturam, vel vacuitas vaſorum per humorum iacturam inducta. A κενόω, euacuo, et ἄγγος, vas.

CENOSIS, a κενόω, euacuo, idem quod *Euacuatio.*

CENTAVRIVM, ſ. CENTAVREVM, vocantur duae plantae valde a ſe inuicem diuerſae, quarum vna dicitur *Centaurium maius*, altera *minus*. *Minus* eſt *Gentiana Centaurium Linn.* (Pentandr. Digyn.) corollis quinquefidis, infundibuliformibus, caule dichotomo, piſtillo ſimplici: Centaurium minus *Bauh.* quod in Europae humidiuſculis prouenit. Eſt ſcilicet planta, quae habet vnum, vel plures caules paruos, angulosos, polítos: folia ſunt coniugata, ſat craſſa, oblonga, hyperici ſatis ſimilia. Haec ex radice, illa ex caule erumpentia. Flos monopetalus, quinquefidus, in vmbellam congeſtus; coloris rubicundi vel purpurei, aliquando albi. Poſt florem ſuccedit fructus ouatus, oblongus, apice leuiter bifido, in duo loculamenta diuiſus, ſemina exigua continentia. Radix eſt exigua, inſipida, lignoſa. Sic appellatur, quod eo curatus dicitur *Chiron* Centaurus, cum *Herculis* excepti hoſpitio pertractanti arma, ſagitta venenata excidiſſet in pedem. Hinc a quibusdam etiam *Chironium* Κενταύριον λιμνήσιον, et λιμναῖον Graecis: *Febrifuga* et *Fel terrae* Latinis. *Limneſion* et *Limnaeum* dicitur, quod ſecundum aquarum ſcatebras ac paludes, quas Graeci λίμνας dicunt, naſcatur. *Febrifuga*, eo, quod febres fuget et procul e corpore pellat. *Fel terrae*, ob ſummam, quam habet, amaritudinem. Ob eandem hanc qualitatem, vimque ſtomachicam et balſamicam non tantum frequens eſt ſummitatum in infuſis vinoſis vſus, verum etiam proſtant in officinis extractum, ſal et conſerua, quibus in cachexia, febribus intermittentibus et arthritide vtimur. Centaurii vox compoſita videtur ex centum, et aurum. Ge. Tauſendgůldenkraut, Erdgall, Fieberkraut, Biberkraut. G. *Petite Centaurée*, *fiel de Terre*, *Centoire*. A. *Little Centory*, *Centaury*. B. *Centaurie*, *Duizend-gulden-kruid*, *Santorie*, *Aard-gal*. — — *Centaurium maius*, eſt planta flore compoſito (Syngeneſ. Polygam. fruſtran.) *Centaurea Centaurium Linn.* calycibus inermibus; ſquamis ouatis, foliis pinnatis, foliolis decurrentibus ſerratis. Centaurium maius folio in plures lacinias diuiſo *Bauh.* *Rhaponticum vulgare officinarum Pharm. Pariſ.* Radici, licet parum et ſapidae et olidae, vires admodum aperientes et roborantes attributae ſunt. Hodie tamen parum in vſum medicum adhibetur. Ge. Großtauſendgůldenkraut. G. *La grande Centaurée*. A. *Great Centaury.*

CENTI MORBIA, vide *Centum Morbia.*

CENTRVM CORPORIS, eſt medium corporis, non mathematice pro centro grauitatis, aut magnitudinis, ſed phyſice iuxta fluidorum motum circularem ſumtum, ideoque ſic cor dici poteſt, a quo, tanquam centro, ſanguis in ambitum corporis propellitur et circulariter relegatur. A κεντέω, pungo; punctum enim eſt medium cuiusque circuli. Ge. Der Mittelpunkt. G. *Centre du corps*. A. *The middle of the body*. B. *Het middel-punt.*

CENTRVM OVALE, (quod a *Vieuſſenio* quoque dicunt), eſt amplum illud medullare ſpatium, quod, diſſecto horizontaliter cerebro, ad corporis calloſi, et duorum anteriorum ventriculorum latera conſpicitur. *Centri* ergo nomine circulus interior albus, circulo, qui cogitari poteſt, exteriori corticali concentricus intelligitur. Hanc medullae amplitudinem phyſiologicae ſpeculationes memorabilem fecerunt, dum a quibusdam pro magno ſpirituum diſpenſatorio habetur.

CENTRVM TENDINEVM, eſt pars tendinea trifolio ſimilis in medio diaphragmate poſita, a qua vndique faſciculi muſculares diaphragmatis vertebris, coſtis, et ſterno adnectuntur, cui pericardium adhaeret, et per quam vena cava adſcendens tranſit. Ge. Der ſehnigte Theil des Zwerchfells.

CENTVM CAPITA, vide *Eryngium.*

CENTVM MORBIA, *Nummularia* maior lutea *Bauh.* *Lyſimachia Nummularia Linn.* (Pentandr. Monogyn.) foliis ſubcordatis, floribus ſolitariis, caule repente, eſt planta, quae plures habet caules tenues, longos, ramoſos, repentes: Folia circinatae fere rotunditatis, ex aduerſo caulis repentia, viridia, ſaporis adſtringentis. Flos monopetalus, rotatus, multifidus, arcte cauli adnatus. Huic flori ſuccedit capſula, vel teſta rotunda, apice per maturitatem diſſiliens, habetque ſemina minima. Radix parua. Creſcit haec planta in locis humidis. Creditur a mirifica ſua, quam in pluribus vlceribus medendis obtinet, facultate ſic appellari; pleriqueque tamen a foliorum ſimilitudine, quae nummi ſpeciem referunt, *Nummulariam* vocant. A nonnullis *Hirudinaria*, quod paſſim terrae hirudinis inſtar affixa ſit, dicitur. Nec deſunt, qui *Serpentariam* appellent, quod referant, ſerpentes hac herba, ſi vulnerentur, ſibi mederi. Viribus gaudet ſaponaceis, ſubadſtringentibus, et vulnerariis, hinc ſuccus expreſſus, vel infuſum, in menorrhagia, leucorrhoea, et laeſionibus internis ſalutariter adhibetur. Ge. Pfennigkraut. G.

Nummulaire. A. *Two Penny-graſs or Money wort.* B. *Penning-kruid, Duyzend kruid.*

CENTVM NODIA, eſt *Polygonum*, conſtans ex plurimis nodis.

CENTVNCVLVS, et CENTVNCVLARIS HERBA. Vide *Gnaphalium.*

CEPA, CEPE, idem quod *Caepa.*

CEPAEA, forte ſic dicitur per ἀντίφρασιν, quod in hortis non naſcatur, vt plura alia, quae in littoribus reperiuntur, vel nomen accepit, quod hortenſi ſolo gaudeat, ac in hortis tanquam luxuriet: κῆπος enim eſt hortus; niſi forte κηπαίας nomen accepit παρὰ τὸ κάπτω, τυτέστι πνέω, ſpiro, quod flatus diſcutiat. — Eſt vero *Cepaea Bauh. Sedum Cepaea Linn.* (Decandr. Pentagyn.) foliis planis, caule ramoſo, floribus paniculatis. In Europa auſtraliori abunde prouenit.

CEPHALAEA, eſt dolor capitis pertinax, inueteratus, et difficulter cedens, vehementes habens exacerbationes, leui de cauſa obortas. A κεφαλή, caput, et ἄγω, laboro, ago. Gradu tamen magis tantum a *Cephalalgia*, quam genere, differre videtur. Ge. Anhaltendes Kopfweh. G. *Cephalée.* A. *A Continual pain of the Head.* B. *Ingewortelde Hoofd-zeer.*

CEPHALALGIA, ſiue CAPITIS DOLOR, ſed recens et tranſitorius, hinc a *Cephalaea*, quae inueteratus dolor eſt, differt. Ita vero appellatur, qui aut totum caput, aut aliquam caluariae partem, affligit. Adeo frequens eſt iſte vt raro inuenias eum, cui per totam vitam nunquam caput doluerit, et certe capitis dolor ex aequo omnes aggredi ſolet, ſi cauſſae adfuerint, atque nemini ferme parcere, ſiue fuerit obeſus, macer, toroſus, ieiunus, ventre plenus, ſobrius, intemperans, aeger, aut quoad caetera ſanus; denique iuuenis, ſenex, vir, foemina, aut quiuis. Imo leuis adſit aegritudo oportet, aut rara felicitas, quando non adeſt *Capitis dolor.* Cauſſae ſunt vel *externae*, vt vulnera, et laeſiones variae, vel *internae*, ſubſtantiam corticalem, aut medullarem, cerebri vario modo adficientes. Hinc *Cephalalgia* eſt vel *idiopathica*, cuius cauſſa in ipſo cerebro eſt, vel *ſymptomatica*, quae cauſſam in toto corpore, aut in remotioribus partibus habet. Talis eſt *Cephalalgia plethorica, catamenialis, haemorrhoidalis, ſtomachica, febrilis, catarrhalis*, etc. vt *cephalaea ſyphilitica, arthritica*, etc. Interdum totum caput, interdum pars quaedam tantum, adfligitur, vnde variae denominationes, vt *Hemicrania, Clauus hyſtericus*, etc. Diſtinguitur capitis dolor porro pro cauſſarum, modi et gradus differentia in *accidentalem*, a ſole, aeſtu, ira, potu, febri, etc. In *habitualem, ſympathicum, leuem, vehementem, acutum, hebetem, breuem, diurnum, perpetuum, intermittentem, fixum, vagum, frontis, a grauedine*, etc. Ex κεφαλή, caput, et ἄλγέω, doleo. Ge. Hauptweh. G. *Cephalalgie, Mal de Tête.* A. *Headach or Pain of the Head.* B. *Hooft-zeweer, Hooft-pyn.*

CEPHALARTICA, ſunt medicamenta, quae caput purgant. Ex κεφαλή, caput, et ἀρτίζω, perfectum reddo. Vide *Apophlegmatiſmus.* Ge. Hauptreinigende Mittel. G. *Remedes pour la Tête.* A. *Medicines which purge the Head.* B. *Hoofd-reinigende middelen.*

CEPHALICA, ſunt medicamenta, quae vel interne ſumta, vel externe applicata, variis capitis adfectionibus, praecipue a cauſſis internis prouenientibus, medentur. Hinc plura proſtant remedia, vt pulueres, infuſa, epithemata, balſama, quae pro diuerſa ſua virtute, maiori, vel minori iure *Cephalica* vocantur. Ge. Hauptſtärkende Arzeneyen. G. *Remedes pour la Tête, ou Cephaliques.* A. *Medicines in the diſtempers of the Head, or Cephalicks.* B. *Hoofd-middelen.*

CEPHALICA, etiam *Vena externa* in brachio dicitur, quia in capitis morbis ſecari ſolebat. A κεφαλή, caput. Tres in ſpecie venae *Cephalicae* vocantur, ſcilicet *Cephalica maior*, quae eſt ramus venae axillaris inter muſculum pectoralem maiorem et deltoideum, et iuxta bicipitem decurrens; Vena *Cephalica pollicis*, quae eſt ramus ad pollicem decurrens venae radialis externae, e cephalica maiori prouenientis; et Vena *Cephalica minor*, e vena iugulari externa oriens, inter deltoidem et pectoralem maiorem ſita, cum cephalica maiori coniuncta. Ge. Hauptader. G. *Veine Cephalique.* A. *The Cephalick veine.* B. *Hoofd-ader.*

CEPHALITIS, eſt inflammatio cerebri, vel cerebelli, in qua cum febre acuta adeſt delirium ſomnolentum, vel mentis ſtupor et ſopor, cum carphologia. Differt a *Lethargo* et ab *Apoplexia*, quod febre acuta ſtipata ſit, et a *Phrenitide* per ſomnolentiam. Cauſſae ſunt vel internae, vel externae, vt vulnera et laeſiones capitis. Affectio eſt acuta fere intra triduum aegros tollens.

CEPHALOPHARYNGAEI, eſt primum muſculorum gulae par, a capitis ceruicisque confinio, ſcilicet ab apophyſi baſilari oſſis occipitis oriens, et in tunicam oeſophagi latius expanſum, ſua actione pharyngem eleuans. Secundum Ill. *Hallerum* non muſculus, ſed tantum celluloſa tela alba eſt. *Albinus* ad conſtrictorem medium refert. Ex κεφαλή, caput, et φάρυγξ, fauces. Ge. Der Schlundkopfmuskel. G. *Les*

Muſcles Cephalo-Pharyngiens. A. *The firſt pair of muſcles of the gullet.*, B. *De slok-darms hoofd-ſpieren.*

CEPHALOPONIA, eſt grauitas, aut dolor capitis. Ex κεφαλή, caput, et πόνος, dolor, labor. Ge. **Hauptwehe.** G. *Peſanteur de tête.* A. *Heaveneſs of the head.* B. *Zwaarhoofdigheit.*

CERA, ſunt apum faui, ex quibus mel expreſſum eſt, et conſtituunt corpus durum, ad calorem ductile, in maiori calore liqueſcens, inflammabile, flauum, lenteſcens, in ſummo frigore duritiem fere friabilem acquirens, ſaporis et odoris mellei, leuius aqua et grauius ſpiritu vini. Videtur reſinae quaedam ſpecies, quam ſucci pingues plantarum ſole calefactarum exſudant in ſuperficiem, aut intra capſulas antherarum gerunt, quae ab apibus colligitur, deglutitur, in earum ventriculo digeritur, et rurſus expulſa in globulos cogitur, poſterioribus pedibus applicatur, in aluearibus deponitur, ibi in cellulas fauorum fingitur, vnde dein, vti dictum, melle ſeparato, foecibusque repurgatis, comparatur in vſus humanos. Microſcopio iam materia ceracea in nonnullis plantis conſpici poteſt. — Ex baccis *Myricae ceriferae Linn.* ſi in aqua coquantur, etiam cerae ſpecies ex albo virideſcens in America ſeptentrionali educitur. — Cera, accedente calore, aliquantum in ſpiritu vini ſoluitur, nullatenus vero in menſtruis aquoſis. Deſtillata tota fere tranſcendit, praemiſſo phlegmate acidulo, ſub ſpecie olei et materiae butyraceae. Praeter vſum largiſſimum externum in emplaſtris atque vnguentis, ſunt, qui etiam vſum internum cerae cum pulueribus terreis tritae in dyſenteria et eroſione inteſtinorum commendant. Talis eſt *Puluis teſtaceus ceratus Pharm. Edimb.* Alii vitro antimonii ceram addunt ad cicurandam eius vim emeticam, vocantque *Vitrum Antimonii ceratum. Oleum cerae* reſoluens atque demulcens eſt; hinc cum fructu, tumoribus quibusdam, pernionibus, fiſſuris mammillarum et in ancyloſi applicatur. Ge. **Wachs.** G. *Cire.* A. *Wax.* B. *Was, Waſch.*

CERAEA, ſunt vteri cornua in brutis, in quibus generatio fit. A κέρας, cornu. Ge. **Mutterhörner.** B. *Hoornen des Baarmoeders.*

CERASVS, *Prunus Ceraſus Linn.* (Icoſandr. Monogyn.) vmbellis ſubſeſſilibus, foliis ouato-lanceolatis, conduplicatis, glabris, eſt arbor, quae habet folia maiora, lucida. Calyx eſt valde cauus, monophyllus, coronatus corona quinquefida, expanſus, per maturitatem retroflexus. Flos eſt roſaceus, pentapetalus, petalis natis ex interſtitiis ſegmentorum ca-

lycis; ſtaminibus triginta foecundus. Ouarium, tuba longa inſtructum, in imo fundo calycis fit fructus pulpoſus, ſubrotundus, vel cordatus, foetus teſta oſſea rotunda, nucleum eiusdem figurae recondente: pediculus fructus valde longus. Haec arbor colitur in hortis, et numeroſae eius dantur ſpecies atque varietates, magnitudine, colore et ſapore inter ſe diuerſae. Fructus gaudet qualitate aquoſa, acidiuſcula, ſapida, viribusque refrigerantibus. Eius flores ceram olent, hinc forte a κηρός, cera. Vel a Ceraſunte, Pontica vrbe τὰ κεράσια, fructus ceraſi. Forte etiam a κάρη, κάρηος, quod ceraſi fructus cordis ſpecie et colore in pomariis noſtris occurant. Fructus, qui *Ceraſa* dicuntur, menſis ſecundis inprimis inſeruiunt. Ex nigris, ſimul cum nucleis contuſis, paratur aqua et ſpiritus ceraſorum, qui cephalicus habetur. Proſtat quoque rob et conditura. Ex arbore etiam exſtillat Gummi, figurae vt plurimum globoſae, coloris flaueſcentis, ſaporis viſcoſi, quod ad inuiſcandam acrimoniam prodeſt. Ge. **Ein Kirſchbaum.** G. *Griotier, Ceriſier.* A. *Cherry-tree.* B. *Kerſe-boom, Kærſe-boom.*

CERAMIVM, vide *Cadus.*

CERATIO, idem quod *Inceratio*, aut ſi cera aliquid obducitur, quod v. c. in praeparatione vitri antimonii cerati fit. Ge. **Ueberziehung mit Wachs.**

CERATIVM, eſt arboris cuiusdam ſiliqua, a κέρας, quia eſt corniculata. Denotat etiam pondus, quod quatuor eſſe granorum ex veteribus intelligimus.

CERATODES, idem quod *Cornea tunica.* A κέρας, cornu, et εἶδος, forma.

CERATOGLOSSVM, eſt proprium muſculorum linguae par, a parte exteriori marginis inferioris cornuum oſſis hyoidis prognatum, et linguae inferiori, poſteriorique parti, et lateribus iunctum. Vſus eſt linguam recta deorſum et retrorſum mouere, quando ambo agunt: ſi vero alteruter contrahitur, in latus mouet dextrum, vel ſiniſtrum. Ex κέρας, cornu, et γλῶσσα, lingua. Ge. **Der breite Seitenmuskel der Zunge.** G. *Les Muſcles Cerato-Gloſſes.* B. *Des tongsbeens-hoorn-ſpieren.*

CERATOMALAGMA, eſt compoſitio emolliens ex cera aliisque parata. A κηρός, cera, et μαλάσσω, emollio. Ge. **Eine erweichende Salbe.** G. *Un Onguent emollient de Cire.* A. *A Compoſition made of Wax.* B. *Een zachte Waſch-Zalf.*

CERATONIA, eſt arbor *ceratia*, ſeu ſiliquas, producens, ex κέρας, cornu, quia ſiliquae cornubus non ſunt abſimiles. *Ceratonia ſiliqua Linn.* Siliqua edulis *Bauh.* (Polygam.

Trioec.) *Hermaphroditus:* calyx quinquepartitus; corolla nulla; ſtamina quinque; ſtylus filiformis; legumen coriaceum, longum, compreſſum, pulpoſum, polyſpermum. *Dioica.* mas et foemina diſtincta. Creſcit in Apulia, Sicilia, Hiſpania Palaeſtina, aliisque regionibus calidioribus Orientis. Siliqua in officinis proſtat, quae qualitate dulci, viribusque demulcentibus et expectorantibus gaudet. Vſus decocti in affectibus renum, veſicae et pulmonum, ipſiusque ſiliquae in ſoda commendatur. Ingreditur quoque ſyrupum diacodii. Ge. Sanct Johannisbrod. G. *Carougier.* A. *The carob-tree.* B. *Sint Jans Brood.*

CERATVM, CEROTVM, CEROMA, vel CERATOMALAGMA, a cera ſic dictum, medicamentum eſt externum, ex cera, oleis, et nonnunquam pulueribus compoſitum, vnguento craſſius, et emplaſtro mollius. Ge. Ein Pflaſter von Wachs. Cerat. G. *Cerat.* A. *Sear cloth.* B. *Een Zalf uit Was, Waſch-pleiſter.*

CERAVNIA tubera dicuntur, quia olim crediderunt ea poſt fulminis ictus naſci. Κεραυνὸς enim fulmen eſt. —

CERAVNIVS LAPIS, vide *Belemnites.*

CERAVNOCHRYSOS, idem quod *Chryſocerauuius* puluis. Ex κεραυνὸς, fulmen, et χρυσὸς, aurum. Vide *Aurum Fulminans.*

CERBERVS TRICEPS, ita Puluis de tribus, ſ. Cornachinus, ex diagrydio paratus vocatur.

CERCHNOS, eſt laryngis quaedam aſperitas, quae inſtar granorum Iuniperi in larynge haerentium ſentitur, vnde tuſſicula ſicca et vox rauca excitatur. A κέρχω, raucedine laboro. Ge. Ein Schaffhuſten. G. *Toux ſeche, ou Coqueluche.* A. *A dry Cough, Chincough.* B. *De Kink-hoeſt.* Vide *Tuſſis conuulſiua.* — P. *Alpinus* hoc vocabulo vtitur, ad denotandum feruorem quendam in gutture, qui in multis acutis morbis et in omnibus moribundis obſeruari ſolet, vbi pulmo, multitudine humoris oppreſſus, ſputa amplius exſcreare nequit.

CERCIS, eſt os cubiti ſecundum, quod etiam *Radius* appellatur, ob radii rotarum aemulationem. A κερκίζω, radio. Vide *Radius.*

CERCIS, arbor eſt, quae nomen accepit, quod folium eius in cacumen inſtar radii textoris, vel cunei, exeat. Κερκὶς enim eſt radius, pecten, et dicitur quaſi κρεκὶς, quod folia eius etiam coelo tranquillo crepent, ſonitumque edant: (dicitur de populo arbore) eſt enim κρέκειν, κρέμειν, pulſare. — *Cercis* eſt proprie arbor, ſeu plantae genus, (Decandr. Monogyn.) cuius calyx

quinquedentatus, inferne gibbus; corolla papilionacea, vexillo ſub alis breui; capſula legumen. Duae inueniuntur ſpecies: *Cercis ſiliquaſtrum,* foliis cordato-orbiculatis glabris, et *Cercis Canadenſis,* foliis cordatis pubeſcentibus. Ge. Judasbaum, wild Johannisbrod. G. *L'arbre de Iudas, le Guainier.* A. *Budtree, Judas-tree.*

CERCOPITHECVS, Κερκοπίθηκος. A κέρκος, cauda, et πίθηκος, ſimia: eſt ſimia caudata. In hac potiſſimum *Galenus* anatomen exercuit, et plura in ſuis libris, notante *Veſalio,* potius ad cercopitheci, quam hominis, naturam deſcripſit. Ge. Meerkatz. G. *Guenon, Cercopithéque.* A. *Monky.* B. *Een Meerkat.*

CERCOSIS, dicitur carnoſa quaedam excreſcentia ab vteri oſculo, aut e vagina, prodiens, et pudendum muliebre replens, quod aliquando exterius progreſſum caudae figuram refert. Hinc idem quod *Polypus vteri.* Alii quoque hoc nomine praeternaturale clitoridis incrementum intelligunt. A κέρκος, cauda. Ge. Auswachs aus der Mutterſcheide, Mutterpolype. G. *Excreſcence de la matrice, Polype.* A. *An Excreſcence hanging out of the Womb.* B. *Een Uitwas des Moeders.*

CEREA, idem quod *Achor.*

CEREALIA, vocantur ſemina quaedam, quae etiam ad frumenta pertinent, vt *triticum, ſecale, hordeum, auena,* et quae trita, ſubſtantiam farinaceam ad panificium ſuppeditant. *Plantae Cereales* ergo ſunt variae graminum ſpecies diuturna et ſucceſſiua cultura emendatae, et ad maiorem perfectionis gradum euectae. etc.

CEREBELLVM, ſiue παρεγκεφαλὶς *Heroph.* ἐγκεφαλὸν *Galeno.* ἐπικεφαλὶς *Poll.* ὀπίσθιος ἐγκέφαλος, quaſi paruum cerebrum, ſub poſterioribus lobis cerebri, inferiori et poſteriori cranii parte ſitum, dura et pia meninge inuolutum, et dura meninge, quod tentorium format, a cerebro ſeparatum. Figuram habet ad globoſam accedentem, ſuperficiem minus gyroſam, quam cerebrum, ſed quaſi ſulcatam, cuius ſulci in medio maximi, at per gradus ſenſim minores, deſinunt in duos proceſſus vermiformes, quorum anterior valuulae cerebri, poſterior oſtio ventriculi quarti incumbit, ſicque ipſum cerebellum medullae oblongatae incumbens ventriculum quartum format. Diuiditur in partem dextram et ſiniſtram. Subſtantiam fere eandem habet, ac cerebrum, ſed corticalis hic longe copioſior, quam medullaris, quae diſciſſa, arbuſculas pulchre repraeſentat, (hinc *Arbor vitae* dicitur) quarum trunci ita dictos pedunculos cerebelli conſtituunt. Eorum medius protuberantiae annulari, poſterior medullae ſpinali

vnitur. Nullae hic adſunt cauitates, vt in cerebro. Cérebellum aeque, ac cerebrum, ſecretioni fluidi neruei inſeruit. Homini omnium minimum, pro ratione cerebri, quod maximum eſt, eſt cerebellum. Ge. Das kleine Gehirn. G. *Le Cerveler, ou petit Cerveau.* A. *Little Brain, or the hinder part of the Brain.* B. *De Achter-herſenen, of kleine Herſenen, Agterbrein, By-herſenen, Minder-brein.*

CEREBRVM, Vitalia capitis *Plin.* ἐγκέφαλος, λευκὸς μύελος *Sophocl.* Stricte ſumitur pro parte anteriore τῦ ἐγκεφάλυ, eſtque viſcus, ſeu ſubſtantia ſui generis, quae exterius tegitur dura et pia matre; plurimis ac gyris anfractibusque dotatur. Exterior ſubſtantia cinerea eſt, ſeu corticalis, in qua, vt multi putant, ſpiritus animales generantur, quem in finem tam innumeras arterias accipit, vt iuxta *Malpighium* tertia pars, aut, iuxta alios, quinta pars ſanguinis, quae ex corde exit, per encephali partes diſtribuatur. Interior alba eſt, ſiue medullaris, quae, vti vulgo creditur, ſpiritus animales ex corticali recipit, eosque per medullam oblongatam in neruos exonerat, a quibus actiones, quae in corpore animali fiunt, dependent. Per proceſſum falciformem durae matris in duo Hemiſphaeria diuiditur, quorum quoduis in tres lobos iterum diuiſum eſt. Subſtantia cerebri medullaris cum medullari ſubſtantia cerebelli iuncta medullam oblongatam in medullam ſpinalem abeuntem, ſicque omnes neruos emittentem et recipientem conſtituit, vt adeo hac in parte origo motuum, et ſedes ſenſuum internorum et externorum, ſicque ipſius animae collocanda ſit. *Plexum chorioideum, Corpus calloſum, ſtriata, fornicem,* et reliquas cerebri partes, vide ſuo loco. Ge. Das Hirn, oder Gehirn. G. *Le Cerveau, ou la Cervelle.* A. *The Brain.* B. *De Voor-herſenen, de groote Herſenen, Brein.*

CERELAEVM, eſt linimentum ex cera et oleo compoſitum. A κηρὸς, cera, et ἔλαιον, oleum. Ge. Eine Salbe von Wachs und Oel. G. *Un Cerat.* A. *A Sear-cloth, Wax-ointment.* B. *Een Waſch-ſneerſel.*

CEREOLI. Ge. Wachskerzen, Wachsſtock. G. *Bougies.* Sunt bacilli ex linteo, cera et emplaſtris obducto, formati, quibus in morbis vrethrae, ſi ea anguſtata, vel vlceribus obſeſſa eſt, vtimur.

CEREVISIA, CERVISIA, CELIA, eſt potus ex cerealibus, germinationem paſſis atque toſtis, apta coctione et fermentatione compoſitus, addito lupulo, aliisque amaricantibus, ne acorem contrahat, qui ob egregias vires quaſi *Cereris Vinum* appellatur. Ge. Bier. G. *De la Biere.* A. *Beer.* B. *Bier.*

CEREVISIA MEDICATA, eſt cereuiſia, cui medicamenta, cuilibet morborum ſcopo conuenientia, infuſa fuerunt. Ge. Kräuterbier. G. *Biere medicinale, Cervoiſe.* A. *Phyſick Beer.* B. *Genees-bier.*

CEREVS, eſt planta, in modum cerei, ex cera confecti, erecta, adſcendens ad inſignem altitudinem, radicem tamen habens ratione plantae exiguam, fibrilloſam. Eſt ſcilicet *Cereus,* ſeu *Cactus Cereus Linn.* (Icoſandr. Monogyn.) plantae genus longum, cylindraceo-angulatum, cuius calyx monophyllus tubulato-cauus; corolla polypetala; bacca oblonga, vnilocularis, vmbilicata, polyſperma. Natale quidem plantae ſolum America calidior eſt, apud nos tamen plures ſpecies in hortis coluntur, quae in ſcandentes et repentes, aut pro numero angulorum diſtinguuntur. Ge. Fackelbiſtel. G. *Cierge.* A. *Torch-Thiſtle.* B. *Toorts-kruid, Fakkel-kruid.*

CERIA, idem quod *Fauus* et *Achor.*

CERINTHE, eſt planta, quae ex radice quatuor, vel quinque ramos emittit, rotundos, ſucco plenos. Folia habet oblonga, acuta, lanuginoſa, coloris viridis caerulei, punctis albis notata. Flos eſt tubuloſus, (Pentandr. Monogyn.) in medio ventrem habens, infra et ſupra quaſi conniuens. Ex floris calyce quinquepartito ſurgit piſtillum, poſticae floris parti ad inſtar claui infixum, tetragonum, quod deinde abit in fructum, ex duabus teſtis ſubrotundis conſtantem, in duo loculamenta diuiſis, ſemine foetis vt plurimum oblongo, acuto. Floribus apes paſcuntur, vnde cera: κηρὸς enim eſt cera; vel a Cerintho, vrbe Boeotiae, vbi copioſe naſcitur, aut a foliorum mollitie, quae tacta, ceram quaſi referunt. Ge. Wachsblume. G. *Melinet.* A. *Honey-ſuckle, Honeywort.* B. *Waſch-kruid.*

CERIO, idem quod *Fauus* et *Achor.*

CERNVLATIO, eſt tuſſis ſpecies moleſta, ex acri, ſeu corpore peregrino in larynge haerente.

CEROMA, CERONEVM, CEROTVM, a cera dictum, idem quod *Ceratum.* Ge. Ein Pflaſter, da Wachs bey iſt. Cerat. G. *Cerat* A. *Searcloth.* B. *Een Ceroen, Waſchpleiſter.*

CERRVS et CERRIS, eſt arbor glandifera; ſic forte dicitur, quod eius glandes in aceruum coagmententur; alii deriuant a κέρας, cornu, ob lignum durum. Duae ſunt ſpecies Quercus hoc nomine notatae, ſcilicet *Quercus Aegilops Linn.*

(Monoec. Polyandr.) foliis ouato-oblongis, glabris, ſerrato-dentatis. Quercus calyce echinato, glande maiore *Bauh.* et *Quercus cerris Linn.* foliis oblongis lyrato-pinnatifidis, laciniis transuerſis acutis, ſubtus tomentoſis. Quercus calyce hiſpido, glande minore *Bauh.* quarum prima calyce maximo, altera ramentis multis, ex alis foliorum naſcentibus dignoſcitur. Ge. Zirneiche, Burgundiſche Eiche. G. *Roure, Rouvre-cerre.*

CERVARIA, i. q. Seſeli Aethiopicum, ſeu *Laſerpitium laſifolium Linn.* eſt planta vmbellifera, (Pentandr. Digyn.) radice maxime amara, quae etiam *Gentiana alba*, in ſpecie *Ceruicaria alba* vocatur. Dicitur, an quod cerui illam plantam ament? Ge. Weiße Hirſchwurzel. Sed B. *Harſt-wortel*, propter odorem reſinoſum. — Datur vero et alia *Ceruaria nigra*, ſ. *Gentiana nigra* offic. *Athamanta* ſcilicet *ceruaria Linn.* Ge. Schwarze Hirſchwurzel, ſchwarzer Enzian. Vide *Gentiana Alba* et *Nigra.*

CERVICARIA, ſiue TRACHELIVM, eſt Campanulae ſpecies, et quidem *Campanula Trachelium Linn.* (Pentandr. Monogyn.) caule angulato, foliis petiolatis, calycibus ciliatis, pedunculis trifidis, trifloris; Campanula vulgatior, foliis vrticae *Bauh.* et *Campanula ceruicaria Linn.* hiſpida, floribus ſeſſilibus, capitulo terminali, foliis lanceolato-linearibus vndulatis; Trachelium altiſſimum, foliis aſperis, anguſtis, floribus paruis *Bauh.* Sic dicitur, quia morbis ceruicis internis et externis mederi creditur. G. Nackenkraut. G. *Gantelet.* A. *Throat wort, Canterbury-bell.* B. *Hals-kruid.*

CERVINVM CORNV, vide *Coronopus.*

CERVIX, Gr. αὐχὴν et ἰνιον, eſt poſterior pars intra caput et dorſum, vti anterior *Collum*, vel potius Iugulum, vocatur. A quibusdam *Nucha* dicitur. — *Ceruix vteri* appellatur ea pars, quae eſt intra fundum et os vteri. Oſſa quoque dicuntur habere ceruices, v. c. ita vocatur pars in ſuperiori parte oſſis femoris, intra illam partem, quae in acetabulo reconditur, et trochanterem maiorem. In plantis ceruix pars eſt a capitatis radicibus prodiens, praelonga, teresque: ſic dicta, quod in colli ſpeciem figuretur. Ge. Der Nacken, das Genick. G. *Chignon du cou.* A. *The Neck, the Nape of the Neck.* B. *De Nek, de Hals.*

CERVMINA, Gr. κυψελὶς, ſunt aurium ſordes, quae e glandulis folliculoſis in integumentis meatus auditorii externi diſperſis proueniunt. Conſtant ex oleoſis partibus, vnde amaritudo dependet. Vſum habent, ne puluis, feſtucae, animalcula, etc. aurem tympani et meatum auditorium ſubeant, dum quoque membranam ab exſiccatione praeſeruant. Vide *Marmorata Aurium.* Ge. Ohrenſchmalz. G. *La Cire, ou eſpece de glu, qui ſe trouve dans l'Oreille.* A. *Ear-wax.* B. *Oor-ſmeer, Oorzeep.*

CERVSSA, vel CERVSA, eſt plumbum mediante aceti vapore in calcem album redactum. Gr. Ψιμύθιον. Qualitatis eſt exſiccantis et obſtipantis; hinc vſus internus admodum noxius. Ad vſum externum, epithemata et plura vnguenta et emplaſtra exſiccantia ingreditur. Ge. Bleyweiß. G. *Ceruſe.* A. *White lead.* B. *Ceruis, Lood-wit.* Arab. *Affedegi*, ſeu *Affidagi.*

CERVSSA ANTIMONII, eſt antimonium diaphoreticum, e regulo antimonii praeparatum, earundemque virium, ac antimonium diaphoreticum ſimplex.

CERVVS, (*Ceruus elaphus Linn.* cornibus ramoſis, totis teretibus, recuruatis) eſt animal quadrupes, biſulcum, velociſſimum, cornubus deciduis praeditum. Horum inprimis magnus in medicina eſt vſus. Raſura enim in aqua decocta potum exhibet, qui in omnibus morbis, vbi diluendum, demulcendum et temperandum eſt, vtiliſſimus habetur. Decoctum hoc ad gelatinam inſpiſſatum nimia humorum fluiditate et omni fluxu aluino prodeſt. Deſtillatum primo aquam limpidam, dein ſpiritum alcalinum, oleoſum, pinguem, ſalem volatilem alcalinum, vltimo ſalem paulo fixiorem cum oleo craſſo, pingui, piceo, exhibet. Reſtat tunc in fundo carbo niger, friabilis, qui in aëre aperto ad albedinem vſtus, *Cornu cerui vſtum* dicitur. Suſpenſum cornu in collo veſicae, ex qua aqua quaedam deſtillatur, album fit et friabile. Siccatum dein vocatur *Cornu cerui ſpagyrice*, vel *philoſophice*, *praeparatum.* Totum animal tantis laudibus olim extollebatur, maximaeque vires alexipharmacae et cardiacae ei ineſſe credebantur, vt variae eius partes, v. c. typhi, priapus, ſanguis, medulla, et inprimis famoſum os de corde cerui, ſcilicet vaſa maiora cordis in aetate proiectis oſſeſcentia, et varia ex his praeparata, in vſus medicos adhiberentur; quorum tamen omnium, praeter cornu cerui, rarior hodie vſus eſt. Gr. ἔλαφος. Ge. Hirſch. G. *Cerf.* A. *Red Deer, Hart.* B. *Hert.*

CESTRVM, appellatur *Betonica*, a varietate, vt vocant, et copia remediorum, quoniam variis et plurimis accommodatur morbis. Sed aliis κέστρον vocatur, a floris ſpicata et mucronata acutie, verruculam, vel vericulum, praeferente. — Iam *Ceſtrum* eſt plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) cuius corolla infundibuliformis; ſtamina in medio denticulum ex-

ferentia, bacca vnilocularis, polyſperma. Duae dantur ſpecies, ſcilicet Ceſtrum diurnum et nocturnum. Ge. Hammerſtrauch.

CETE, κήτη, διὰ τὸ κύτος, ob ſinuoſam cauitatem, ſeu cauum ventrem. Intelligitur de maiorum piſcium genere. Ge. Wallfiſch. G. *Baleine.* A. *Whale.* B. *Walviſch.* V. *Cetacea.*

CETACEA ANIMALIA, quae olim ad piſces referebantur, iam in Ill. *Linnaei* ſyſtemate ordinem peculiarem inter mammalia conſtituunt, cum pulmones et mammas habeant, cuius characteres ſunt: ſpiracula ſupra caput; pinnae pectorales caudalisque horizontalis absque vnguibus. *Sperma Ceti* vide ſuo loco.

CETERACH. Hanc vocem a *Pteryga* manaſſe volunt, atque *p* in *c* ſaepe mutari ſcribunt. Sic ex *Peteryga*, *Ceteryga*, et corrupte *Ceterach.* Eſt *Aſplenii* ſpecies officinalis. Vide *ibidem.*

CEVADILLA HISPANORVM, *Pharm. Pariſ.* ſ. *Sabadilli ſemen offic. noſtr.* Hordeum cauſticum C. B. eſt capſula ſeminalis plantae Mexicanae, quae forte eſt ſpecies Pediculariſ. Capſula ipſa ſpicae hordei non diſſimilis. Ceuada hiſpanice hordeum dicitur, hinc Ceuadilla quaſi hordeolum. Semina exigua ex America allata, omnium vegetabilium maxime cauſtica ſunt; hinc contuſa vlceribusque inſperſa carnem putridam, non ſecus ac mercurius ſublimatus, aut ferrum candens, abſumunt. Pediculos quoque ac cimices exſtirpant. Ge. Indianiſcher Rollenpfeffer, Mexicaniſcher Läuſſaamen. G. *Cevadille, Graine de Capucin.* Conf. *Sabadilli Semen.*

CHAEREFOLIVM, CHERIFOLIVM, CHEROPHYLLVM, CEREFOLIVM; ſunt ſynonyma: *Scandix cerefolium Linn.* (Pentandr. Digyn.) ſeminibus nitidis ouato-ſubulatis, vmbellis ſeſſilibus lateralibus. Eſt planta, quae ex radice plures caules dimittit, tenues, ramoſos, teneros, a parte ſuperiore conuexos, inferiore vero concauos inſtar ſtillicidii, politos. Folia habet Petroſelini, ſed minora, plus inciſa, et molliora, villoſa in parte ſuperiore, ſucco plena. Flos eſt roſaceus et vmbellatus, quinque ſcilicet petalis conſtans, inaequalibus, inflexo-cordatis et calyci inſidentibus. Calyx autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, roſtri auium aemulis, non ſtriatis, nunc laeuibus, nunc aſperis, hinc gibbis, inde vero planis; atque ſic planta nominari putatur, quod luxurioſa foliorum foecunditate et largiore coma gaudeat, vel quod gaudium, hilaritatemque folia excitent. Ex χαίρω, gaudeo, et φύλλον, folium. *Chaerefolium* autem,

autem, Graeca voce et Latina coaleſcentibus in vnum nomen, ob id dictum eſt, quod foliis luxuriet. Qualitatis eſt aromaticae, dulceſcentis et oleraceae, gaudetque viribus antiphlogiſticis, reſoluentibus, galactophoris et diureticis. Vſus culinaris eſt et medicus. Succus expreſſus in hydrope et phthiſi commendatur. Interdum tamen ſanguinis ſputum ſale ſuo nitroſo prouocare poſſe creditur. Folia contuſa tumores mammarum a lacte retento orientes reſoluunt. Ge. Körfel, Kerbel, Körbel, Körbelkraut. G. *Cerfeuil.* A. *Chervil.* B. *Kervel.* — Variae aliae huius generis ſpecies a veneni ſuſpicione non liberae ſunt.

CHALASTICA, ſunt medicamenta, quae humectando et emolliendo partes conſtrictas relaxant. A χαλάω, relaxo, remitto.

CHALAZA, ſeu CICATRICVLA, eſt corpuſculum album membranae vitelli in ouis foecundatis inſidens, quod verum germen, ſeu rudimentum, pulli futuri conſtituit, dum ſcilicet albumen oui per calorem incubationis reſolutum vaſcula eius exigua ſubit, irritat, ampliat atque nutrit, ſicque omnes pulli partes euoluit. A χάλαζα, grando. Ge. Der Hahn, Hahnentritt, das Vögelein im Ey. G. *Les Grêles ou Germes des Oeufs.* A. *The Tread of an Egg.* B. *De Haan.* — Eſt etiam *Grando porcorum* lepra, vel ſuum morbus, quando caro apparet, ac ſi alicam hinc inde conſperſam contineret. Ideoque vocantur grandinoſi. Ge. Finnig. G. *Ladrerie de porc, Surſemure.* A. *The Kernels of a Swine.* B. *Gortig.*

CHALAZIA, item χαλάζωσις, grando, eſt tuberculum durum et mobile in palpebris, grandinem referens. Ge. Eine Hagelgeſchwulſt, ein Geſchwürlein an den Augenliedern, Gerſtenkorn. G. *La Grêle des paupieres.* A. *A ſwelling Hail-ſtone.* B. *Een Strontje.*

CHALBANVM, vide *Galbanum.*

CHALCANTHVM, vide *Vitriolum*, ſ. *Atramentum ſutorium.*

CHALCITES, eſt minerale ſalinum, ponderoſum, durum, rubicundum, ſimile aeri, friabile, nec lapidoſum, ſory tenuius. Myſi vero craſſius, ſaporis adſtringentis. Pertinet ad Vitriola *Linn.* et eſt *Vitriolum atramentarium Linn.* Lapis atramentarius ruber *Waller.* A χαλκὸς, aes. Arab. *Chiozhar*, vel *Cholchotar.* Pro Chalcitide Pharmacopoei hodierni vitriolum album, aut etiam viride, ſiue crudum, ſiue vſtum, ſubſtituunt. Ge. Rother Atramentſtein. G. *Lapierre atramentaire.*

CHALCVS, vide *Aereolus.*

CHALINOS, *Aureliano* eſt vltimus angulus oris ac com-

pago, vel buccarum pars circa labiorum confinia. A χαλινός, quod sit veluti fraenum et retinaculum oris.

CHALYBEATAE AQVAE, idem quod *martiales*, seu aquae minerales ferro impraegnatae. Conf. *Acidulae*. Ge. Eisenhaltige mineralische Wasser.

CHALYBS, est ferrum purificatum, a vulgari differens, quod durius sit, et magis elasticum, atque ignitum in aqua extinctum in summam duritiem abeat. A populis in Ponto ferrum praeparantibus sic vocatur. — Chalybs in officinis Anglicis saepe ferri loco adhibetur. *Chalybs cum sulphure praeparatus* offic. Angliae est chalybs cum sulphure fuso vnitus, seu idem quod *Mars sulphuratus Disp. Edimb.* — *Chalybs tartarisatus*, est ferrum acido tartari solutum, seu idem quod globuli martiales. *Sal chalybis* est *Vitriolum martis*. Conf. in vniuersum *Ferrum*. G. *Acier*, quod ex eo fiant acies cultrorum. Ge. Stahl. A. *Steel*. B. *Staal*.

CHAMAEACTE, est *Ebulus*, siue Sambucus humilis. Ex χαμαί, humi, in terra, et ἀκτή, sambucus.

CHAMAEBALANVS, est terrae glans, vel simile quid, vt bulbocastanum, terrae tubera, etc. Ex χαμαί, humi, et βάλανος, glans. Sic dicitur, quod sub cortice terrae crescat. Vide *Apion*, et *Cyclamen*.

CHAMAEBATOS, est *Rubus humilis*. A χαμαί, humi, et βάτος, rubus, sentis. Vide *Rubus*.

CHAMAECEDRYS, est *Abrotanum foemina*, et dicitur, quasi humilis Cedrus. Ex χαμαί, humi, et cedrus.

CHAMAECERASVS, *Lonicera Linn.* (Pentandr. Monog.) pedunculis bifloris; est arbuscula, quae crescit ad altitudinem duorum circiter pedum; habetque ramos lignosos, fragiles, cortice albescente obductos, medulla alba plenos. Folia instar Periclymeni sunt, sed maiora, latiora, duriora, minus viridia, acuta, villosa inprimis in parte inferiore, ex aduerso oppositа. Flos monopetalus, parte inferiore tubulosus, bilabiatus superius, labio superiore multifido simplici, inferiore duplo profundius secto, ouario insidens, quandoque geminus in vno ouario, quinque staminibus praeditus. Calyx tenuis, longus, angustus, bifolius, cui insidet ouarium, vno pedunculo geminum, emittens intra quemlibet flosculum tubam longam; abit deinde in baccas molles rubras, vmbilicatas, biloculares, similes Cerasо minori, succo amaro et ingrato plenas, et semine compresso, subrotundo foetas. Quarum quatuor, aut quinque deglutitae, ob summam vim drasticam, vomitum, aluum, ipsasque conuulsiones excitant. A χαμαί, humi, et cerasus, quasi cerasus humilis. Ge. Heckenkirschen. A. *Fly-Honeysuckle*.

CHAMAECISSVS, vel CHAMAECLEMA. Vide *Hedera Terrestris*.

CHAMAECISTVS, est *Cistus humilis*, sed etiam plures species aliorum generum hoc nomine denotantur.

CHAMAECYPARISSVS, est arbuscula, seu herba pumila. Ex χαμαί, humi, et Cypressus, ab odore et forma foliorum cum cypresso arbore. Vide *Santolina*, aut *Abrotanum foemina*.

CHAMAEDAPHNE, vide *Clematis Daphnoides*. Ex χαμαί, humi, et δάφνη, laurus.

CHAMAEDRYS, *Teucrium Chamaedrys Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) foliis cuneiformi-ouatis, incisis, crenatis, petiolatis, floribus ternis, caulibus procumbentibus subpilosis. Est planta parua, humilis, quae plures caules habet ad altitudinem semipedis, tenues, rubicundos, lanuginosos. Folia minima, per interualla sibi inuicem oppositа, oblonga, firma, villosa, dentata instar Quercus, saporis amari, acris, aromatici, et in recessu parum adstringentis; odoris, si conterantur, balsamici. Flores monopetali, labiati, in foliorum alis nascentes, coloris purpurei sunt et saporis grati. Semina quatuor obrotunda in capsula, quae flori tanquam calyx tubulatus inseruiuit, inclusa. Radix minima, fibrosa, lignosa. Crescit haec planta in locis incultis, saxosis. Dicitur quasi humilis quercus, quod scilicet folia quercus habeat, et huius respectu, quasi humi repat. Ex χαμαί, humi, et δρῦς, quercus. Vocatur etiam ob paruitatem *Quercula* minor, et a serratis foliis *Serratula*. Sunt, qui *Serratam* ideo dici putent, quod ab ea serra inuenta sit. Ob qualitatem amaram et spirantem gaudet viribus balsamicis, tonicis et sudoriferis, hinc vtiliter in affectibus arthriticis, catarrho et chlorosi adhibetur. Summitates foliis praeferuntur. Vsus aut in substantia in puluere ad drachmam semis, aut in infuso. Ge. Gamanderlein, Batengel. G. *Germandrée, Chenette, ou petit Chene*. A. *Germander*. B. *Laage Eike*.

CHAMAELAEA, vide *Laureola*.

CHAMAELEON, est cardui species, a foliorum varietate sic dici solet; mutat enim cum terra colores; quod et in animali Chamaeleonte fieri solet. Vide *Carlina*.

CHAMAELEVCE, dicitur *Tussilaginis*. A χαμαί, humi, nam Tussilaginis folia humi crescunt, et λεύκη, alba, ob foliorum albedinem.

CHAMAEMELVM, est planta, quae plures caules habet

tenues, semipedem circiter altos. Folia laciniata, vel minutim diuisa: flos radiatus, (Syngenes. Polygam. superfl.) cuius discus ex plurimis flosculis, corona vero ex semiflosculis componitur, embryonibus insidentibus, et calyce squamoso comprehensis; embryones autem deinde abeunt in semina pappo destituta, oblonga, thalamo affixa. Radix est tenuis et filamentosa. Duae in officinis prostant species, scilicet *Matricaria chamomilla Linn.* receptaculis conicis, radiis patentibus, squamis calycinis margine aequalibus: quae est *Chamaemelum vulgare*, Leucanthemum Dioscoridis *Bauh.*— et *Anthemis nobilis Linn.* foliis pinnato-compositis, linearibus, acutis, subuillosis: Chamaemelum nobile, s. Leucanthemum odoratius *Bauh.* s. *Chamomilla Romana Pharm.* Est vtrique qualitas amara atque odorata, visque eximia paregorica, antispasmodica et carminatiua. Hinc amplissimus florum vsus est tum externus in epithematibus, balneis et clysteribus, tum internus pulueris, vel in infuso, aqua, syrupo, oleo destillato coeruleo, quod praecipue vltimum in colica spasmodica specificum esse dicitur remedium. Nomen accepisse videtur, quasi esset humilis malus, quoniam odorem habet mali. Ex χαμαὶ, humi, et μῆλον, malum. Germ. Kamillen. G. *Camomille.* A. *Camomil.* B. *Kamillen*, *Kamille bloemen.*

CHAMAEMELVM FOETIDVM, est *Cotula Foetida.*

CHAMAEMORVS, est Rubi species *(R. Chamaemorus Linn.)* cuius fructus conditi in Suecia eduntur, et, *Multebeeren* vocantur.

CHAMAEPITYS, *Teucrium Chamaepitys Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) foliis trifidis linearibus integerrimis, floribus sessilibus lateralibus solitariis, caule diffuso; Chamaepitys lutea vulgaris, s. folio trifido *Bauh.* Est planta, quae habet plures caules paruos, longos instar manus transuersae, lignosos, villosos, repentes, arbusculae in speciem dispositos: folia oblonga, angusta, villosa, dentata, albescentia. Flos est monopetalus, vnilabiatus, in tres partes diuisus, quarum media bifida, labii superioris locum occupantibus denticulis. Ex floris fundo surgit pistillum, quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina oblonga in capsula, quae floris calyx fuit, recondita. Flores sparsim in foliorum alis nascuntur, non vero verticillatim. Radix crassa e[illegible]fibrosa, longa, lignosa. Tota planta habet odorem penetrantem, resinosum et ingratum; sapor est amarus, et resinoso-aromaticus, viresque resoluentes et, aperientes; hinc praecipue in obstructione viscerum, affe-

ctibusque rheumaticis et arthriticis commendatur. Crescit in montibus locisque sabulosis Italiae, Angliae et Germaniae. Dicta est quasi humilis et breuis, humique depressa picea. Ex χαμαὶ, humi, et πίτυς, picea, pinus; eius enim folia piceam olent. Vocatur etiam *Abiga* et *Aiuga*, vt et *Ibiga.* Hinc adiectis duabus literis *i*, et *g*, *Iba*, et ab *Aiuga* abiectione literarum *a* et *g*, *Iua* vulgo dicta est. Officinae *Iuam*, cognomento *moschatam*, appellant. Vide *Abiga*, et *Iua.* Ge. Schlagkräutlein, Feldcypreß. G. *Ivette*, *Moschate.* A. *Groundpine.* B. *Veld-cypres.*

CHAMAESYCE, χαμαισύκη. Ex χαμαὶ, humi, et συκῆ, ficus, quasi humilis ficus. Est *Euphorbia Chamaesyce Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) dichotoma, foliis crenulatis, subrotundis, glabris, floribus solitariis axillaribus, caulibus procumbentibus: Tithymalus exiguus glaber, nummulariae folio, *Tournef.* Chamaesyce *Bauh.*

CHAOS, ex antiquo χάω, quod ex χαίνω, hio, dehisco. Est vastus hiatus: vel dicitur rudis indigestaque moles, qualis initio mundi fuit.

CHARACIAS, dicuntur plantae, quae circa valla crescunt; hinc Tithymalus characias, etc. Nam χάραξ vallum est.

CHARACTER, est signum figuratum et mysticum, quo apud chymicos aliquid designatur. A χαράσσω, sculpo: quo etiam in formulis suis vtuntur medici, vel vt medicamenta melius occultentur, vel ne plebs ignara praescripta remedia intempestiuae censurae subiiciat. In historia naturali vocantur characteres, notae illae, per quas classes, ordines, genera et species mineralium, animalium et vegetabilium dignoscuntur et diuiduntur, sicque systemata stabiliuntur. Germ. Ein Merkmal, Kennzeichen. G. *Charactére*, *Marque.* A. *A Marke or sigh.* B. *Een Teyken.*

CHARISTOLOCHIA, vocatur *Artemisia*; forte a χάρις, gaudium, et λόχος, puerpera: quia lochia puerperarum cum gaudio pellit.

CHARTA EMPORETICA, seu BIBVLA, est papyrus sine glutine facta, admodum porosa, filtrationi inseruiens. Ge. Löschpapier. G. *Papier brouillard*, *Papier à filtrer.* A. *Blotting or sinking Paper, brown Paper.* B. *Klad papier.*

CHARTA VIRGINEA, idem quod *Amnios.*

CHEBVLAE MYROBALANI, vide *Myrobalani.*

CHEILOCACE, seu LABROSVLCIVM, est infantum morbus, adultos enim raro adoritur, et quidem scorbuti species. Labia in eo admodum tument, tumore duro et nonnihil

rubicundo, ſed nequaquam feruido, aut inflammatorio, et qui nunquam ſuppuratur, aut caput foedat. Aliquanto magis introrſum, quam extrorſum, vergit: vnde labia a gingiuis et dentibus abſcedunt longius, et foras aliquatenus replicantur. Adſunt ſulci ſemper ſanie madentes, aut craſſo pure obſiti: vlcuſcula, vt plurimum, concomitantur in ore, palato, lingua, buccis, labiis, gingiuis. Ge. Waſſerkrebs. G. *Tumeur chancreuſe.* A. *Water-kanker, Kanker of the mouth.* B. *Water-kanker.* — Deriuatur a χεῖλος, labrum, ſeu labium, et κακὸν, malum. Vide *Stomacace.*

CHEIMETLON, idem quod *Pernio.* A χειμαίνω, pernionibus laboro.

CHEIRI FLORES, vide *Leucoïon.*

CHEIRONIVM, ſ. CHIRONIVM, i. q. *Cacoëthes.*

CHELAE, a χηλαι, ſunt denticulati cancrorum forcipes. Vide *Cancer.*

CHELIDONIA, ſeu CHELIDONIVM. Hoc nomine duae diuerſae plantae denotantur, quorum altera *Chelidonium minus*, altera *Chelidonium maius* vocatur. *Chelidonium minus* eſt Ranunculi ſpecies (Polyandr. Polygyn.) et quidem *Ranunculus Ficaria Linn.* foliis cordatis, angulatis, petiolatis, caule vnifloro; Chelidonia rotundifolia minor *Bauh.* Habet ea folia inſtar cochlearis rotunda, viridia, polita, ſplendentia, neruoſa, longis pediculis adnata, aliquatenus hederacea, ſed molliora, minora: calycem triphyllum, admodum fugacem, et ante petala caducum: florem polypetalum, roſaceum: ſemina in capitellum congeſta: radicem plurimis adnatis nodulis nodoſam. Hinc Scrophularia minor nonnullis dicitur. Qualitatis eſt inſipidae et oleraceae. Foliis virtus antiſcorbutica tribuitur. Tota planta, praecipue radix contuſa, haemorrhoidibus dolentibus mederi dicitur. Creſcit ad ripas, foſſasue. Ge. Feigwarzenkraut. G. *Petite Chelidoine, petite Scrophulaire ou Eclaire.* A. *Small Celandine or Pilewort.* B. *Speenkruidt, kleine Gouw.* — *Chelidonium maius* (Polyandr. Monogyn.) eſt *Chelidonium maius* pedunculis vmbellatis *Linn.* Chelidonium maius vulgare *Bauh.* habet plures caules ſesquipedem altos, tenues, rotundos, nodoſos, ramoſos, parum villoſos. Folia profunde inciſa, dentata, ſimilitudinem aliquam cum foliis Aquilegiae habent, vtcunque tamen maiora, longiora, numeroque plura ſunt. Flos tetrapetalus eſt, cruciformis, luteus: ſiliqua biualuis, vniloculari, linearis, ſemina obrotunda et flaueſcentia habens. Radix craſſa, fibroſa. Tota planta ſcatet ſucco luteo eſcharotico odoris penetrantis, ſaporis acris, et amari, qui

a quibusdam Gummi Guttae Germanorum vocatur. Ob vires acres diureticas et diaphoreticas vſus radicis in puluere, aut infuſo vinoſo, in ictero, aut hydrope, at minus tuto, commendatur. Alii externum vſum in herpete et pterygio ſuadent. Extractum in obſtructionibus viſcerum laudatur. Dicta a χελιδὼν, hirundo: eo quod hirundines ea ſuis oculis medeantur, quamuis, vt tradunt, erutis. Sed *Chelidonium minus* ſic vocatum, quod floreat hirundinum aduentu, hinc et ille ventus *Chelidonia* quoque appellatur. Alii putant, dici quaſi *Caeli donum*, idque ob vires praeſtantiſſimas, tam in oculorum morbis, quam vulneribus. Ge. Schellwurzel, Schellkraut, Schwalbenkraut, Goldwurz. G. *Chelidoine, Eclaire.* A. *Great Celidon, Celondine, Celandine, Swallow-wort.* B. *Stinkende Gouwe, Gouw-wortel, Schelkens-kruid.*

CHEMA, eſt Veterum menſura, continens duo cochlearia parua.

CHEMIA, idem quod *Chymia.* Olim ſignificabat artem χρυσοποιητικὴν et μεταλλαγικὴν. Vide *Chymia.*

CHEMOSIS, eſt grauis inflammatio oculi, cum dolore capitis, ſenſu grauitatis ſupra orbitam, peruigilio, febre, pulſatione, palpebrarum intumeſcentia, occluſione. Character eius eſt intumeſcentia atro-rubra coniunctiuae cum depreſſione et obſcuritate corneae, quae in fouea latere videtur. Terminatur quandoque ſuppuratione oculi, vnde immedicabilis coecitas, ſaltem leucomata ſequuntur. Ge. Entzündung des Auges. G. *Le Chemoſis.* — Aliis Chemoſis quoque eſt inflammatio corneae.

CHENOCOPRVS, eſt ſtercus anſeris. Ex χὴν, anſer, et κόπρος, ſtercus.

CHENOPVS, ſ. CHENOPODIVM, quaſi *Pes anſerinus*, eius etymon deriuatur a χὴν, anſer, et πούς, pes. Eſt vero plantae genus, (Pentandr. Digyn.) quod florem incompletum apetalum, ſemen vnicum reniforme, et calycem pentaphyllum, foliolis concauis habet. Variae huius generis ſpecies v. c. Chenopodium, bonus Henricus, ambroſioides, Botrys et Vuluaria, officinales ſunt, de quibus ſuo loco vide. Conf. *Pes Anſerinus.*

CHEREFOLIVM, et CEREFOLIVM, ſiue CHERIFOLIVM, vide *Chaerefolium.*

CHERMES, et GRANA CHERMES, vide *Kermes* et *Coccus.* Eſt vox Arabica, pharmacopoeis familiaris: dicitur quoque *Coccus Baphica*, ſeu vulgo *Scarlatum*, hinc *Chermoſinum*, id eſt color ex cocco extractus.

CHERONIA, praue pro *Chironia.* Vide *Centaurium.*

CHERVA, vide *Ricinus.*

CHILIOPHYLLVM, est Millefolium, propter millena foliola sic nuncupatum. Ex χίλιοι, mille, et φύλλον, folium.

CHIMETLON, s. CHEIMETLON, idem quod *Pernio.*

CHIMIA, idem quod *Chymia.*

CHINA CHINAE, vide *Cina Cinae.*

CHINA RADIX, satis est crassa, manum longa, contorta, nodosa, insipida, et sine odore. Ea duplex est: *Orientalis* e Iaponia et China allata, et *Occidentalis*, quae ex Virginia et Iamaica nobis adfertur. Praefertur tamen Orientalis, quae exterius est colore rubente, aut subnigro, interius candicante, aut subrubente: et haec, quo nigrior, eo melior. Planta est *Smilax China* caule aculeato, teretiusculo, foliis inermibus, ouato cordatis, quinqueneruiis *Linn.* (Dioec. Hexandr.) Smilax minus spinosa, fructu rubicundo *Kaempf.* Occidentalis est colore interius magis russo. Habet folia fere plantaginis magnitudine, cordiformia: caules spinosos, repentes, et arboribus vicinis adhaerentes. Radix est plantae, quae vocatur *Smilax pseudochina* caule inermi teretiu, foliis inermibus; caulinis cordatis, racemis ouato-oblongis *Linn.* Smilax aspera, fructu nigro, radice nodosa, magna, laeui, farinacea *Sloan.* China spuria nodosa *Bauh.* Ob vim insignem sanguinem purificandi, quae ei inesse creditur, decoctum eius in affectibus arthriticis, in lue venerea, aliisque curatu difficilibus, commendatur, sed num effectus semper respondeat, ob qualitatem eius farinaceam, insipidam et inodoram, merito dubitatur. Chinensibus dicitur *Lampatan*, *Lampacos* et *Bouri*, nobis a regione China appellatur *Radix Chinae.* Persis *Chop China.* Ge. Chinawurzel, Pockenwurzel. G. *Esquine.* A. *China root.* B. *China-wortel.*

CHIRAGRA, est arthritidis species, siue articularis manuum dolor. Vide *Arthritis.* Ex χείρ, manus, et ἄγρεύω, venor, quasi manibus captus. G. Das Zipperlein oder Gicht an denen Händen. G. *Douleur et Goutte aux mains.* A. *The Gout in the Hand.* B. *Hand-vang, Hand-euvel, Hand-sierecyn, Hand-jigt.*

CHIROMANTIA, est diuinatio ex inspectione manuum, qua ex lineamentis futura praedicunt, medicis scitu non necessaria, cum potius sit ars fallax. Ex χείρ, manus, et μάντις, vates. Ge. Wahrsagung aus denen Händen. G. *Chiromantie.* A. *Chiromancy.* B. *Hand-kyking of Waarzeggery.*

CHIRONES, idem quod *Sirones.*

CHIRONIA et CHIRONIVM, nomen inuenit a Chirone Centauro. Vide *Centaurium:* ab eodem inuentore putant quoque Bryoniam vocari *Chironium.*

CHIRONIVM, est vlcus malignum, et curatu difficillimum. Ge. Ein bösartiges Geschwür. G. *Ulcere malin.* A. *Ulcer difficult to cure.* B. *Quaadaardig Zeer.* Vide *Cacoëthes.*

CHIROTHECA est fasciae species, qua manus et digiti tenui fascia spiraliter ducta inuoluuntur. Ge. Der Panzerhandschuh. G. *Gantelet.*

CHIRVRGIA, est ars, qua ope remediorum externorum, manuum, vel instrumentorum, sanitatem conseruare et morbos imprimis externos auferre nitimur. Est vero vel *theoretica*, quatenus cognitionem talium morborum complectitur, vel *practica*, et haec est pars therapeutices, qua morbi incidendo, vrendo, et membra dearticulata restituendo, curantur. Vel secundum aliorum definitionem chirurgia est scientia, docens modum et qualitatem operandi in corpore humano viuente. Vel, vt *Vigo* habet, chirurgia est scientia, docens modum et qualitatem in carne, neruo et osse hominis laborantis, propriis chirurgorum manibus, omne morbosum curandi. Iuxta veterum diuisionem quintuplex est, quamuis alii quadripartita diuisione gaudent. Scilicet 1. *Synthesis*, seu separata coniungens. 2. *Diaeresis*, continua soluens. 3. *Diorthosis*, compressa et contorta corrigens. 4. *Exaeresis*, superflua exstirpans. 5. *Anaplerosis*, deficientia restituens. Ex χείρ, manus, et ἔργον, opus. Ge. Wundarzneykunst. G. *Chirurgie.* A. *Surgery.* B. *De Heel-konst, Chirurgie.*

CHIRVRGIA INFVSORIA et TRANSFVSORIA, circa medium saeculi elapsi vltimi inuenta, ea fuit operatio, qua vel varia remedia fluida, vel ipse sanguis, ex animalibus, aut aliis hominibus, e vena incisa effluens, immediate in venam incisam infirmi, subtracta simul sanguinis vitiosi quantitate immittebatur, sicque optime morbos a vitioso sanguine pendentes tolli posse putabatur. At ob infelices plures successus hodie haec methodus prorsus exoleuit.

CHIRVRGIA INSITITIA, vel CVRTORVM, est operatio, qua, vt putabat *Tagliacotius*, partes corporis mutilatae, vel abscissae, carne viua ex alia parte desumta et accrescente restitui possunt.

CHIRVRGVS, est vir artis chirurgicae peritus. Ex χείρ, manus, et ἔργον, opus, qui remediis externis, instrumentis et manibus suis in corpore humano operatur. Ge. Ein Wundarzt. G. *Chirurgien.* A. *Surgeon.* B. *Een Heel-meester, Wond-meester, Chirurgyn.* — Habentur, qui in genere omnia, quae sunt in arte chirurgica, aggrediuntur. Sed et sunt, qui circa morbos vnius solum modo generis versantur, vt *Li-*

thotomi, qui calculum secant. Alii, qui oculos curant. Alii obstetricandi artem exercent. Nonnulli dentes euellunt; quidam membra luxata, vel contracta, restituunt, etc.

CHLOROSIS, siue MORBVS VIRGINEVS, quia potissimum virginibus, iam ad pubertatis tempus peruenientibus, contingit, vulgo *Icterus albus*, quia ex albo virent. Dicitur quoque *Febris alba*, et cognoscitur praecipue pallore cutis et inprimis faciei, oculis minime flauis; saepius cum pica et citta, seu desiderio non esculenti ingerendi, coniuncta est. Videtur esse species Leucophlegmatiae, ex sanguine viscido, siue potius ex inertia solidorum, qua sanguinis laudabilis confectio praepeditur, cum mensium obstructione, et diaphoresi denegata, vnde Asthenia quasi habitualis et grauitas totius corporis sentitur, qua aegrae ad quoduis opus peragendum tardae et segnes euadunt. A χλωρίζω, viridis fum. Germ. Bleichſucht. G. *Les Pales couleurs*, *Chlorose*, *Maladie de filles*. A. *Green-ſickneſs*. B. *Maagde-ziekte*, *Vryſter-ziekte*.

CHOANA, est *Infundibulum* in medullae oblongatae basi prope coalitum neruorum opticorum repositum, ductus scilicet mollis, breuis, paulatim angustior, pia matre obductus, qui rimam in concursu ventriculorum amplectitur, vnde per hoc liquida serosa ex cerebri ventriculis ad glandulam pituitariam deduci olim putabatur, cui tamen absentia cauitatis in infundibulo (quam tamen alii concedunt) aeque, ac in glandula pituitaria repugnat, vt aegre adeo vtriusque partis functio et vtilitas determinetur.— Item *Peluis* renum, de qua suo loco.— Est item instrumentum ex quouis metallo factum, vel vitro, per quod liquores in aliud vas funduntur.— *Choanae* porro dicuntur duo orificia e cauo narium in fauces patentia. A χέω, fundo.

CHOCOLATA, est compositio quaedam circa initium elapsi saeculi ex America in Hispaniam, indeque ad nos delata, ex fructibus *Cacoa* dictis, vaniglia, cinamomo, saccharo, etc. quae omnia in massam, vel placentulas, rediguntur. Dicitur et *Succholeta*, et *Chucalata*. Praeparatur cum lacte, vel aqua cocta et feruida, atque agitando Chocolata liquescit, et sorbendo calide bibitur. Potus est valde nutriens, senibus, debilibusque vtilissimus. Vide *Cacoa*. Ge. A. B. *Chocolade*. G. *Du Chocolat*.

CHOENIX, est mensura veterum, continens cotylas tres, siue sextarium vnum et dimidium, siue duas libras mensurales cum quadrante. Notatur signo X. et desuper imponitur

V. Secundum aliorum calculum continet vini quadraginta et quatuor vncias, et olei circiter quadraginta.

CHOERAS, idem quod *Scrophula*. A χοῖρος, porcus, forte quia porcis familiaris morbus est.

CHOLADES, Graecis dicebantur intestina tenuia ad coecum vsque, quod praecipue bilioſa essent. A χολή, bilis.

CHOLAGOGA, sunt medicamenta, quae dicuntur ordinatam in hepate et vesicula fellis secretionem bilis augere, illam vel in intestina ducendo, vel receptam per intestina statim et recta expellendo. Reducuntur ad duas classes, quarum prior continet, quaecunque sanguinem hepaticum attenuando secretionem bilis vberiorem promouent, vt sunt resoluentia et saponacea etc. posterior autem includit omnia illa, quae intestina leniter irritando bilem ex hepate et vesica fellea in intestina deriuant. Inter cholagoga recensentur quaedam purgantia, vt *rhabarbarum*, *senna*, etc. A χολή, bilis, et ἄγω, duco. Conf. *Catharticum*.

CHOLEDOCHVS, est *ductus biliarius*, *communis* dictus, constans ex ductu hepatico et ductu cystico, seu vesiculae felleae, qui ad angulum admodum acutum sibi iunguntur, sicque vniti, faciunt ductum communem maiorem prioribus, oblique descendentem, qui ad angulum acutum appositus duodeno, penetrat exteriorem eius tunicam, dein inter hanc et alteram descendens, mox perforata et hac, inter secundam et tertiam longo itinere progressus, foramine rotundo in cauum intestini libere exit, per quod foramen quoque ductus pancreaticus in homine patet. Per hunc ductum choledochum ex vesicula fellis et ductu hepatico bilis ad intestinum duodenum propellitur. Ex χολή, bilis, et δέχομαι, recipio. Ge. Der Gallengang. G. *Le Conduit commun du Fiel*. A. *The common paſſage or duct of the gall*. B. *De Gal-leider*.

CHOLELITHI, sunt concrementa calculosa in cystide fellea, aut ductibus biliariis, ex bile spissa genita, pro varia olei, aut terrae, quantitate magis, vel minus, inflammabilia, aut ponderosa. Saepe icterum contumaciſſimum et alia dira et molestissima symptomata inducunt. Ex χολή, bilis, et λίθος, lapis. Ge. Gallenſteine. A. *Bilious concretions*. — Reperiuntur quoque in pluribus animalibus quadrupedibus, eorumque ventriculo et intestinis, quibus sub nomine generico *Bezoar* insignes vires alexipharmacae tribuuntur.

CHOLERA, siue PASSIO FELLIFLVA, est conuulsiuus motus ventriculi et intestinorum, a quacunque causa acri et irritante ortus, in quo omne, quod in ventriculo et intesti-

nis continetur, ſed praecipue bilis, copioſe per os et anum eiicitur. Adſunt anxietates magnae, vehemens abdominis tenſio et dolor, grauis cardialgia, ſitis ardens, inquietudo et virium ſubita proſtratio, diarrhoea quoque, ſeu bilis, et aliorum humorum, per inferiora effluxus magnus, ſaepe cum ſurarum crampo. Hinc pulſus in principio celer et frequens, debilis fit, paruus et intermittens; animus deficit, exteriora frigent, et mors accedere incipit, quae aliquando intra paucas horas ingruit. Huc referunt *Choleram ſiccam*, quae eſt eructatio magna multorum flatuum cum dolore et crepitu, et tenſione, ac duritie abdominis. Ge. Die Gallenkrankheit. G. *Trouſſe galant.* A. *The Gall-fluxe or Cholera.* B. *Galbraken, Boord, Bord, Buikwee.*

CHOLERA SICCA, vide *Cholera.*

CHOLERICA PASSIO, idem quod *Cholera.*

CHOLERICVS, dicitur de eo, qui plurima bile abundat. Ge. Gallſüchtig. G. *Bilieux.* A. *Cholerick.* B. *Galagtig.* Vide *Craſis.*

CHOLOMA, CHOLOSIS, eſt quaeuis luxatio, praecipue vero oſſis femoris in acetabulo.

CHONDRILLA, *Chondrilla iuncea Linn.* (Syngenef. Polyg. Aequal.) Chondrilla viminea *Bauh.* eſt planta, quae folia ex radice erumpentia habet magna cichorei ſylueſtris ſimilia, profunde inciſa, per terram in orbem ſparſa. Ex his caulis enaſcitur, inferius ſpinoſus et in plures ramos diviſus flexiles, nudos, vel foliola tantum quaedam gerentes anguſta inſtar graminis. Flos eſt ſemifloſculoſus, conſtans plurimis ſemifloſculis, embryoni inſidentibus, et calyce velvti tubulato ac cylindriformi comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis ſimplicibus inſtructum. Radix eſt longa, pollicem craſſa, ſucco lacteo valde viſcoſo plena, ſaporis dulcis, non ingrati. Haec planta nomen inveniſſe videtur ab euentu, quod in ramulis imis gummi reperiri ſolet, magnitudine fabae, maſtichi ſimile, aut nucleo thuris, quem χόνδρον Graeci nominant. Ge. Warzenkraut, Chondrille. G. *Condrille.* B. *Gum ſuccory.* B. *Wratten-kruid.*

CHONDROGENESIA, eſt praeternaturalis mutatio partivm molliorum, e. g. vaſorum, viſcerum, pharyngis, etc. in ſubſtantiam cartilagineam.

CHONDROGLOSSVS, paruus muſculus eſt, ad linguam pertinens, a Cl. *Albino* deſcriptus, quem alii pro parte *Ceratogloſſi* habent. Ab oſſe hyoideo oritur.

CHONDROLOGIA, doctrina de cartilaginibus. Ex χόνδρος, cartilago, et λόγος, ſermo.

CHONDROS, vide *Cartilago.* — Eſt etiam granum, vel grumus concretus, vt maſtichis, thuris, etc. Hinc *Chondrilla.*

CHONDROSYNDESMVS, eſt ligamentum cartilaginoſum, ſiue vnio oſſium, interueniente cartilagine. Ex χόνδρος, cartilago, et συνδέω, colligo. G. *Ligament cartilagineux.* A. *A Cartilaginous ligament.* B. *Een kraak-beenige band.* Vide *Synchondroſis.*

CHORDA, idem quod *Tendo, neruus*, vel *Inteſtinum*, de quibus ſuo loco. — Ita etiam dicitur tenſio quaedam penis verſus perinaeum, cum dolore, ex venere maligna ſaepe contracta, ſeu etiam priapiſmus cum gonorrhoea maligna coniunctus. G. *Cordée, Chaudepiſſe chordée.* A. *An extenſion of the yard.* B. *Koord.* — Denotat etiam partem inſtar chordae tenſam, veluti *chordam tympani.*

CHORDA MEMBRANAE TYMPANI, eſt neruus quidam exiguus, formatus a concurſu duorum neruorum, filamenti ſcilicet tertii rami quinti paris, et filamenti portionis durae ſeptimi paris, in cauitate tympani iuxta medium membranae tympani decurrens. Paruum hoc nerui filamentum olim anatomici velut *Chordam membranae tympani* conſiderarunt. Crediderunt enim, ſonum aliquem excitare poſſe, communicando motum ſuum tremulum membranae, ſicut fit in chorda, quae ſuper pellem tympani militaris tenditur, naturâ ſua neruea, et diſtributione. Ge. Der Nerve des Trommelfells. G. *Corde de la membrane du Tympan.* A. *The nerve that runs along the membrane of the tympanum.* B. *De Trommel-vlies koord.*

CHORDAE ALBAE LANCISII, ſunt duae, vel tres eminentiae longitudinales et lineares in corpore calloſo in cerebro conſpicuae.

CHORDAE WILLISII, ſunt membranoſi quidam proceſſus, ex transuerſo poſiti, qui in ſinubus durae matris, inprimis longitudinali, obſeruantur, eorumque nimiam extenſionem impediunt.

CHORDAPSVS, a Graeco χορδή, inteſtinum, et ἅπτω, nodum facio, necto, quia a parte inteſtini affecta adeſt tumor chordam tenſam referens aut in glomum conuolutus. *Galeno* inteſtinorum inflammatio etiam quae ſiue vomitu eſt, ita dicitur. *Celſus* vero et alii hoc nomine *ileum*, ſ. *iliacam paſſionem*, inſigniunt, quem *Aurelianus acutum tormentum*, alii *volvulum*, vulgo *miſerere*, vocant. Eſt morbus acutus dolore

abdominis, borborygmis, alui conſtipatione et vomitione ſub finem ſtercorea ſtipatus. Cauſa eſt facultatis expultricis inteſtinorum motus inuerſus. Conf. *Ileus*, ſ. *Iliaca paſſio*. Ge. Darmgicht. G. *Paſſion Iliaque ou Miſerere*. A. *Iliac paſſion*. B. *Kring, Darm-kring, Lang euvel, Darmslinger, Drek-braaken*.

CHORDATA GONORRHOEA, v. *Gonorrhoea chordata*, et *Chorda*.

CHOREA SANCTI VITI, eſt inſaniae ſpecies, quae aliquando diu graſſata eſt, hominibus non decumbentibus, ſed ἐρθοστάδην, vt *Hippocrates* appellat diſcurrentibus et ſaltantibus, ac choreas ad extremum vſque ſpiritum, niſi per vim inde abſtracti fuerint, ducentibus. *Horſtius* inquit, ſe cum mulieribus quibusdam locutum, quae quotannis ſacellum S. *Viti*, quod eſt in finibus *Vlmenſium*, viſitantes, ibidem ſaltu cum perturbatione mentis, eousque ſeſe nocte dieque exercent, donec ecſtaticarum inſtar corruant: qua ratione ſibi reſtitutae videntur, vt parum, vel nihil, ſentiant per annum integrum, vsque ad Maii tempus ſubſequens, vbi membrorum inquietudine eousque ſeſe torqueri referunt, vt viciſſim circa feſtum S. *Viti* ad praedictum locum, ſaltationis gratia, ſeſe conferre cogantur. Morbus hic cum *Tarantiſmo* convenire videtur. Exactius tamen *Chorea ſ. Viti*, ſeu *Sceloxyrbe Galeni*, eſt lateris alterius agitatio tremula, continua, inordinata: ſcilicet conuulſionis ſpecies quaedam pueros puellasque a decimo aetatis anno ad pubertatem, interdum etiam adultos, praecipue eos, qui mercurium in opificiis ſuis tractant, inuadens. Prodit ſe claudicatione, vel inſtabilitate alterutrius cruris, quod aeger poſt ſe trahit fatuorum more, manum eiusdem lateris vel pectori, vel alii cuidam parti, applicatam nequit continere in eodem ſitu horae momento, ſed in alium ſitum et locum conuulſione diſtorquetur, quidquid aeger contra nitatur, antequam poculum ad os poſſit admouere, mille geſticulationes circulatorum inſtar exhibebit; non enim recta linea ori admouet, ſed deducta a ſpasmo manu, huc illuc aliquando verſat, donec tandem forte fortuna labris propius apponens, liquorem derepente in os iniicit et auide haurit, dedita tanquam opera, vt ſpectantibus riſum moueat, etc. *Sauuag.* Ge. Der Veitstanz. G. *Danſe de S. Guy*.

CHORIOIDEVS PLEXVS et TVNICA. vide *Chorioides*.

CHORION, eſt membrana ſecundinarum externa, vna cum caeteris membranis et humoribus foetum in vtero comprehendens. Membrana eſt flaueſcens, mollis, lubrica, quaſi pinguis, facile lacerabilis, filamentoſa, filis varii ductus

irretitis extrorſum fluctuantibus; intus leuior, firmior, reticulata, poroſa; nullius membranae in corpore animali natae ſatis ſimilis, vt cum carneo glutine comparata ſit, quae tamen cum ſpiritu vini in veram membranam abeat. Facies exterior in vteri floccos innaſcitur, aut ſecundum recentiores cum *decidua Hunteri* cohaeret; de qua ſuo loco. Interior celluloſa laxa tela cum membrana media connectitur, in qua quidem tela nonnunquam aqua eſt. Magna pars chorii vaſculoſa eſt, quorum vaſculorum pars in vterum ſe defigit, vt vas vaſi reſpondeat, vt adeo chorii cum vtero nexus duplex ſit, prior horum quidem vaſorum, et alter celluloſarum fibrarum. Glandulas in homine chorion non habet, aſpredines tamen pingues. Quando duo ſunt in vtero foetus, tunc Chorion cum Amnio ad ſeptum efficiendum concurrit. In multiparis ſinguli foetus ſibi proprium habent chorion, vnum tamen etiam gemellis fuiſſe viſum eſt *Hallero*. Dicitur forte ſic a χωρέω, ſecedo, quod poſt foetum enixum ſecedit: vel a χωρίον, paruus locus, ex eo, quod in ipſa membrana, tanquam in loco paruo, foetus nouem menſes habitat, *Graaf*, vel διὰ τῦ χορῦ, a choro, quia in eo vaſa, vt in choro, ordinata ſunt; a *Galeno* manifeſte beſtiarum anatomen ſecuto *ſecundinae* nomine donatur. Ge. Das Aderhäutlein der Nachgeburt. G. *Chorion, Membrane des Eaux*. A. *The outward membrane that contains the child*. B. *Het buitenſte Vlies der Nageboorte, Ader-vlies*.

CHOROIDES, eſt *plexus* ramulorum arteriae carotidis et venarum plurimarum, ſub ſpecie membranarum tenuiſſimarum inuicem cohaerentium, in ventriculis cerebri anterioribus reperiundus, in quibus, vt caui maneant, arteriae liquidum continuo deponunt, quod venae ex illis iterum abſorbent. Ge. Das Adergewebe im Gehirn. — Item vaſculoſa oculi tunica, quae ex nonnullorum opinione propago piae matris nerui optici eſt, ad internam concauam ſcleroticae ſuperficiem laxe adhaerens. Nonnullis etiam ita vocatur *Vuea tunica* pupillam conſtituens. Ita dicitur a chorio, ob vaſculoſam ſtructuram, et εἶδος, forma. Ge. Das Aderhäutlein. G. *La membrane Choroide*. A. *The Choroides*. B. *Net-gelyke Huid*.

CHRISTI MANVS, vide *Manus Chriſti*.

CHRISTOPHORIANA, aconitum bacciferum *Baub. Actaea Chriſtophoriana* ſpicata nigra *Linn.* (Polyandr. Monogyn.) racemo ouato, fructibus baccatis; eſt planta, quae caules habet exiguos, teneros, ramoſos, ad altitudinem circiter duorum pedum creſcentes; folia ſunt magna, ampla, in plurimas partes oblongas diuiſa, acuta, dentata, coloris

viridis albeſcentis; flores tetrapetali, ſtellati, roſacei. Flos non aperitur, quin diffletur calyx, ſic et petala cito difflantur. Poſt florem ſequitur bacca mollis, fere ouata, glabra, vnilocularis, aliquantulum carnoſa, quae per maturitatem fit nigra, continens ſemina plurima, ſemicircularia, introrſum truncata, gemino ordine vt plurimum ſuper inuicem poſita. Radix ſatis craſſa, fibroſa, externe nigra, interne flaua. Creſcit haec planta in montibus. A Chriſtophoro ſancto nomen habet. Eſt et alia ſpecies Actaeae, ſcilicet *Actaea racemoſa Linn.* racemis longiſſimis, fructibus ſiccis; Chriſtophoriana Americana procerior et longius ſpicata *Dill.* in Virginia et Sibiria naſcens, quae ob vires pellentes, ſudoriferas et anodynas in Aſthenia Virginica commendatur, cuius tamen vſus, ob qualitatem tetram, foetidam et venenatam vix adeo tutus videtur. Ge. Chriſtophskraut, Schwarzwurzel. G. *Chriſtophorienne, Herbe de Saint Chriſtophle.* A. *Herb Chriſtopher, Baneberries.* B. *St. Kriſtoffels-kruid.*

CHROMATISMVS, eſt coloratio, ſeu tinctura, in ſano et morboſo ſtatu vrinarum, ſaliuae, cruoris, vel ſtercoris, vel etiam in genere coloratio apta medicamentis, aut quibuscunque rebus inducta. A χρωματίζω, coloro.

CHRONICA FEBRIS, vel lenta, vocatur illa, quae plerumque remittens, et leniſſimis ſtipata ſymptomatibus, diu tamen aegros detinet, magnamque tandem corporis emaciationem inducit. A χρόνος, tempus.

CHRONICVS, eſt morbus diuturnus, vltra quadrageſimum diem extenſus, vt febris quartana, phthiſis, aſthma, hydrops, etc. A χρόνος, tempus. Ge. Eine langwierige Krankheit. G. *Maladie Chronique.* A. *An inveterate Diſtemper, or a chronical Diſeaſe.* B. *Een langdurige Ziekte.*

CHRONIVS, idem quod *Chronicus.*

CHRYSANTHEMVM, *Chryſanthemum ſegetum Claſ.* et *Linn.* (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) eſt planta, quae habet caulem altum, ſquamoſum, cineritium, in multos ramos diviſum, multa folia inciſa ferentem. Singuli rami florem radiatum aurei coloris in ſummitate gerunt. Huius diſcus ex plurimis floſculis, limbo quinquefido, corona vero ex ſemifloſculis ouato-truncatis componitur, embryonibus inſidentibus, et calyce hemiſphaerico ac ſquamoſo, cuius ſquamae marginales membranaceae ſunt et ouatae, comprehenſis. Embryones autem receptaculo nudo inſidentes deinde abeunt in ſemina plerumque angulata, aut ſtriata, vel tenuia et acuta pappo deſtituta. Radix annua eſt, fibroſa, non longa, minima, alba; creſcit in ſiccis et agris; floret per totam aeſtatem. Ex χρυσὸς, aurum, et ἄνθος, flos, vel ἀνθίζω, floridum reddo. Ge. Wucherblume, Goldblume. A. *Corn-Marygold.* B. *Vokelaar, geele Ganze Bloemen, Hondtsoogen.*

CHRYSISCEPTRON, eſt *Chamaeleon* album. Deriuatur ex χρυσὸς, aurum, et σκῆπτρον, ſceptrum, baculus, ſcipio: fortè quod eius caulis cum floribus, in modum ſceptri ſe erigat.

CHRYSOCERAVNIVS PVLVIS, eſt *Aurum fulminans*, quod praeparatur ex auro ſoluto in aqua regis. Infuſo oleo tartari, ſeu potius alcali volatili, calx ad fundum praecipitatur, quae edulcoratur et ad vſum exſiccatur. Ex χρυσὸς, aurum, et κεραυνὸς, fulmen. Ge. Platz- oder Knallgold. G. *Or fulminant.* A. *Fulminating Gold.* B. *Blixement-Gout, Donder-Gout.*

CHRYSOCOLLA, ſeu CHRYSOCOLLA FACTITIA, i. q. *Borax.* Eſt ſal foſſilis, figurae variae, aquae vigecuplo maiorem copiam ad ſolutionem requirens, et calorem magnum; ſapore ſubamareſcente, ſed dulceſcente in exitu; ad ignem facile fluens; ſimul in ſpumas tum aſſurgentes ſe effundens; aquam plurimam ita dimittens; reſiduo in vitri pulchri ſpeciem ſubſidente; corporum ſibi commiſtorum fluxum in igne valde promouens; ſic metallorum, auri praeprimis, conſolidationem efficiens. Vide *Borax.*

CHRYSOCOLLA NATIVA, *Chryſocolla Veterum, ſ. Viride aeris.* Eſt cupri ochra viridis, ſeu cuprum ſolutum vel corroſum, praecipitatum: Aerugo natiua *Waller.* Ochra cupri viridis. G. Kupfergrün, Berggrün. G. *Verd de montagne.* B. *Berggroen.* — Et cuprum ſolutum, vel corroſum, praecipitatum caeruleum: Caeruleum montanum. Ochra cupri caerulea *Waller.* Ge. Kupferblau, Bergblau. G. *Bleu de montagne.* B. *Azurſteen.* Vide *Armenus Lapis.*

CHRYSOCOME, eſt herba flores aureos et comoſos proferens. Ex χρυσὸς, aurum, et κόμη, coma. Proprie eſt *Elychryſi* ſpecies — *Chryſocoma* quoque eſt plantae genus, (Syng. Polyg. Aequal.) cuius receptaculum nudum eſt; pappus ſimplex; calyx hemiſphaericus imbricatus; ſtylus vix floſculis longior. Inter nouem ſpecies maxime frequens eſt. *Chryſocoma coma aurea L.* fruticoſa, foliis linearibus rectis glabris. Ge. Goldhaar. G. *Chryſocome.*

CHRYSOLACHANON, eſt Atriplicis ſpecies, foliis ſubluteis. Ex χρυσὸς, aurum, et λάχανον, olus. Vide *Atriplex.*

CHRYSOLITHOS, vel *Topaſius* nonnullorum, eſt gemma

pellucidiſſima, duritie ſexta, colore viridi ſubflauo, in igne fugaci, *Waller.* cuius tres reperiuntur ſpecies, ſcilicet 1) Chryſolithus colore aqueo virideſcente; Praſoides *Agric.* 2) Chryſolithus colore viridi flaueſcente; Chryſopras; Chryſopteron. 3) Chryſolithus colore viridi porrino; Praſius. Inuenitur in India Orientali et in Bohemia. Gr. χρυσόλιθος. Ex χρυσὸς, aurum, et λίθος, lapis. Ge. Chryſolith. G. *Chryſolite.* A. *Chryſolite.* B. *Chriſolyt.*

CHRYSOMELA, ſunt mala citrei, vel aurei, coloris. Ex χρυσὸς, aurum, et μῆλον, malum. — *Chryſomela* quoque vocatur genus inſectorum ad coleoptera pertinens, cuius characteres ſunt: Antennae moniliformes, extrorſum craſſiores; thorax, nec elytra, marginatus; et cuius numeroſae ſpecies in diuerſis plantis reperiuntur. Ge. Blattkäfer, Marienkäfer. G. *Chryſoméle.*

CHRYSOPOEIA eſt illa pars ſcientiae ſpagyricae, quae docet artem, viliora metalla, ope ſic dicti mercurii philoſophorum, in aurum transmutandi. Idem quod *Alchemia* vulgari ſenſu. Ge. Goldmacherkunſt.

CHVS, Gr. χοῦς, dicitur et *Congius*, *Congiarium*, et *Choa.* Liquidorum menſura Atticis fuit, ſex ſextarios continens, vel cotulas Atticas duodecim. Libras quoque olei continebat nouem, vini vero decem, mellis tredecim cum dimidia. *Lindenius* vini ſaltem tribuit libras octo cum vnciis quatuor. *Rhodius* congium denas libras pendere affirmat; ſecundum alios continet vini octo libras, et olei ſeptem cum quarta parte.

CHYLIFICATIO, eſt actio in ventriculo, inteſtinis, et glandulis meſenterii, qua cibi et potus, et digerendo, et mouendo, in chylum mutantur. Vide *Chylus.*

CHYLOPOIĘSIS, et CHYLOSIS, i. q. *Chylificatio.*

CHYLOPOEA viſcera vocantur, quae digeſtioni alimentorum ſunt deſtinata, inprimis ventriculus et inteſtina. Latiori ſenſu et ea viſcera ſic vocantur, quae in cauo peritonaei contenta, liquores digeſtioni alimentorum inſeruientes ſecernunt, vt hepar cum ſplene, pancreas, glandulae meſentericae, etc.

CHYLVS, eſt ſuccus albus, ſaporis dulcis, naturae lacteae, aceſcentis, ex leui diſſolutione et motione alimentorum, in ventriculo et inteſtinis paratus. Vera chyli albitudinis cauſa debetur inprimis miſcelae partium oleoſarum ingeſtorum cum aqua, quod ſatis euidenter apparet in emulctis, quae eo magis albeſcunt, quo olei plus continent. Chylus vero poſt commixtionem bilis, ſucci pancreatici et inteſtinorum eorum villos et lacteas venas ſubiens, ſanguini per ductum thoracicum et venam ſubclauiam ſiniſtram infunditur, eique miſcetur. A χύλόω, in ſuccum redigo. Latinis etiam *Chymus.* Ge. Milchſaft, Speiſeſaft. G. *Le Chyle.* A. *Chyle.* B. *Gyl, Chyl, Voedend-Sap, Maag-Sap.*

CHYMETLON, idem quod *Pernio.*

CHYMIA, vel CHEMIA, eſt ars, docens regulas, corpora ſenſibilia, quae vaſis capi poſſunt, inter ſe componere, vel reſoluere. Horum mutationes per ſenſus examinat, idque inprimis ope eius inſtrumenti, quod ignis dicitur: eius partes ſunt duae igitur ſcilicet vel *ſoluzio* corporum, vel *compoſitio.* Breuius ergo Chymia eſt ſcientia mutationum, quae accidunt corporibus, dum eorum compoſitiones penetrantur. — Dicitur *Chymia*, vel *Chemia*, ſeu cum Arabico articulo *Alchymia* vel *Alkymia.* Vnde hoc nomen deductum alii aliter ſentiunt. Alii Chymiam, a χύω, vel χέω, dictam exiſtimant, quod ſcilicet metalla dura, viſceribus terrae effoſſa, liquare et fundere primum docuerit. Alii χαμίαν nominant, quaſi, vt quidam volunt *Artem Aegyptiam.* Cum, vt refert *Plutarchus* in libro *de Iſide* et *Oſiride*, Aegyptus a ſacerdotibus ſacra lingua Chemia appellaretur: aut, vt eſt apud *Herodotum*, in *Aegypto* oppidum quoddam vetuſtum *Chemis* nominaretur; hinc *Chemiam*, quaſi *Artem Aegyptiam*, in *Aegypto* ſcilicet primo, ſeu inuentam, ſeu excultam, vocant. Alii *Halchemiam* quaſi artem ſalis fuſoriam dictam putant; ſed etiam eadem de cauſa inepte. *Caelius Rhodiginus*, antiq. lect. lib. 7. cap. 2. *Archymiam*, quaſi ἀρχὴν χυμείαν nominat. Alii a quodam *Alchymo*, ſeu inuentore, ſeu cultore huius artis, dictam exiſtimant: ſed ſine fundamento: cum enim ab aliis ars haec *Chemia* et *Chymia* appelletur, ex Arabica lingua articulum, *Al*, qui intendit ſignificationem, acceſſiſſe facile patet. Differentiam hodie faciunt inter Chymiam et Alchymiam, quae idem eſt quod *Chryſopoeia.* — Chymia vocatur etiam *Spagiria, hermetica ars, ars perfecti magiſterii, ars ſegregatoria, ſeparatoria, et deſtillatoria.* Ge. Chymie, Scheidekunſt. G. *Chimie.* A. *Chymiſtry.* B. *Chimie, Alchymie, Schei-konſt, Stof-ſcheiding, Metaal-konſt.*

CHYMIATRI, ſunt illi medici, qui medicamentis chymicis potiſſimum ad ſanandos morbos vtuntur. Ex χυμία, chymia, et ἰατρὸς, medicus. Ars, quae hoc docet, dicitur *Chymiatria.*

CHYMICA, ſeu CHYMICALIA, ſunt medicamenta, quae chymici praeparant, vt gratiori et minori quantitate ab aegris aſſumantur.

CHYMICVS, eſt artis chymicae, ſiue artis diſſoluendi, et viciſſim coagulandi peritus. Vide *Chymia*. Ge. Ein Chymiſt, Scheidekünſtler. G. *Un Chimiſte*. A. *A Chymiſt*. B. *Een Chymiſt, Laborant, Laborateur*.

CHYMVS, idem eſt quod *Chylus*; Graece χυμὸς ſuccum ſignificat. A χύω, ſuccum exprimo, fundo. Nonnulli tamen eo deſignant partem chyli optimam, a foecibus ſeparatam, et lactea vaſa ingreſſam. Alii hoc nomine materiam illam pultaceam atque cineream intelligunt, quae ex alimentis ſola actione ventriculi eiusque ſucci praeparatur, et e qua demum in duodeno, acceſſu bilis et ſucci pancreatici, verus chylus elaboratur.

CIBVS, in genere idem ſignificat, quod *Alimentum*: ſtrictius autem ſumitur pro ſolidiori nutrimento, et tunc potui opponitur.

CICADA, eſt genus inſectorum ad hemiptera pertinens, cuius characteres ſunt: Roſtrum inflexum; antennae thorace breuiores, alae quatuor, membraneae, deflexae; pedes plerisque ſaltatorii; et cuius quam plurimae ſpecies reperiuntur. Quaſi cito cadens. Vel a κίκι, eiusdem animalis ſono, et ἄδον, ex ἄδω, canto. Ge. Cicade. G. *Cigale*.

CICATRICVLA, eſt pars oui ſolitaria, vitello adhaerescens, cui colliquamentum genitale ineſt. Vide *Chalaza*.

CICATRISANTIA ſ. EPVLOTICA, ſunt medicamenta, quae impedimentum tollunt, quo vetabatur vaſorum ex vnione diſſolutorum concretio, vel exſiccatio. Sunt igitur, quae liquida allata ad ſoluta vaſa reddunt blanda: dein vaſorum fines flexiles reddunt, extenduntque, denique vaſa haec exſiccant. Inter ea praecipua ſunt, quae ex plumbo, vel lapide calaminari, conficiuntur. Gr. Κατηλωτικὰ φάρμακα, ἐπιδεσμικά. Ge. Narbenmachende Arzeney. G. *Remedes cicatrizants*. A. *Cicatriſing Medicines*. B. *Wondheelende, Vel-makende Medicamenten*.

CICATRIX. Cicatrices ſunt veſtigia quaedam et notae, quae relinquuntur poſt grauia vulnera et vlcera, quare iis cutis defoedatur. Oriuntur a conſumta per ſuppurationem tunica adipoſa, hinc cute vel inter ſe, vel cum partibus ſubiacentibus, male concreſcente. Quare quo largior et profundior praeceſſit ſuppuratio, eo plerumque maior et deformior cicatrix ſequi ſolet. Aliae ſunt ſimplices, aliae cum cauitate et diminutione partis, aut ſuperexcreſcentia. Gr. Ἦλη. Ge. Eine Narbe, Schramme. G. *Cicatrice*. A. *The Scar of a wound*. B. *Een Lid-teiken, een Wond-teiken, Schram*.

CICER, eſt planta, vel leguminis ſpecies, (Diadelphia Decandria), cuius character eſt: calyx quinquepartitus longitudine corollae, laciniis quatuor ſuperioribus vexillo incumbentibus: legumen rhombeum, turgidum, diſpermum. Habet ſcilicet caules tenues, lignoſos, duros, ramoſos, aliquantulum villoſos. Folia exigua, villoſa, dentata, bina coſtae adhaerentia. Flores ſunt parui, leguminoſi, ſeu papilionacei, albi, aut rubicundi. Iis ſuccedit ſiliqua breuis continens ſemina duo, referentia caput arietinum, vnde haec planta *Cicer arietinum* dicitur. Cicer eſt vel *rubrum*, vel *album*, rubrum officinale, album culinarium. Cicera rubra ſunt ciceris ſatiui ſemina rotunda, anguloſa, piſo maiora, vnico angulo acuto praedita, coloris ex fuſco rubentis, ſaporis viſcoſi et leguminoſi. Radix longa, exigua, alba. Naſcitur maxime frequenter in Italia et Hiſpania. Ciceribus virtutes emollientes, nutrientes, demulcentes et lithontripticae adſcribuntur, hinc in epithemate et decocto adhibentur. An planta ſic vocetur a cienda vrina? an quia venerem cieat et ſtimulet? an quod eminentem habeat cicatriculam? An a κύκλος, circulus, quia rotundam figuram habet? An a κικύς, robur, quod eius cibus corpus roborat? An ab Hebraeorum *Kikar*, maſſa, pars rotunda. Gr. Ἐρέβινθος. Ge. Ziſererbſen, Kichern, weiße Erbſen. G. *Pois-chiches ou pois*. A. *Chiches, Vetches*. B. *Cicers, Spaanſe Erweten*.

CICERA TARTARI, dicuntur pilulae ex Terebinthina et cremore tartari.

CICERBITA, eſt Sonchi ſpecies, an a Cichoreo, quaſi paruo dicta? Cichoreum enim a quibusdam κίχηρα et κιχήρια appellatur. Vide *Sonchus*.

CICHOREVM, ſ. CICHORIVM, eſt planta, (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) cuius character eſt: receptaculum ſubpaleaceum; calyx calyculatus; pappus ſubquinquedentatus, obſolete piloſus. Habet caulem intortum, craſſum, rotundum, villoſum, excauatum, ramoſum. Folia longa, valde lacteſcentia, amara, plus minusue inciſſa, aliquantulum villoſa; ſemifloſculi embryonibus inſident et calyce comprehenduntur, qui totus maturus redditus, valde eſt compreſſus, oblongus, ſquamoſus, atque inſtar vaſis cuiusdam recondit ſemina anguloſa inſtar cunei, in parte ſuperiore excauata, alba. Radix craſſa, ſat longa, et fuſca extus, intus albicans, in orbiculos diſciſſa dat lacteum ſuccum ſaponaceum, amarum, hinc inter lacteſcentia refertur. Diſtinguitur in *ſylueſtre* et *ſatiuum*, ſed prius vſitatius eſt in medicina ob amaritiem, poſterius inter radices edules refertur. Prius eſt *Cichorium*

Intybus Linn. floribus geminis seſſilibus, foliis runcinatis: Cichorium officinarum *Bauh.* cuius ob virtutem aperientem, diluentem et tonicam, et qualitatem aquoso-amaram, frequens in medicina vsus est. Adhibetur radix condita, et in decocto; ex herba syrupus et aqua, e floribus conserua praeparatur. Aegyptium nomen est, ac inde in Graeciam, postea ad caeteras nationes peruenit. Cichoreum tamen dictum videtur a κιχάω, *inuenio*, *reperio*, quod frequens in pratis, campisue nascatur ac reperiatur. Vel a κλίνω et χωρέω, quod per agros serpat. Apud *Celsum* vocatur *Ambubeia*. Gr. Σέρις, ἀπὸ τοῦ σαίρειν, τήρειν, mundare, purgare. Ge. Wegwart, Cichorien, Hindläuft. G. *Cichorée sauvage*. A. *Cichory, Succhory*. B. *Cichorei, Sukerei, Suikerei, Wegewagte, Hemel-sleutel*.

CICINDELA, quasi candela, noctiluca. Est enim genus scarabaei nocte lucentis. Scilicet insectum ad coleoptera pertinens, cuius antennae sunt setaceae; maxillae prominentes, denticulatae; oculi prominuli; thorax rotundo-marginatus. Est his insectis loculamentum in abdomine succo repletum, in viuis animalculis lucem noctu spargentem, qua ad celebrandas nuptias sese alliciant. Ge. Johanniswurm. G. *Ver luiſſant, Cicindéle*. A. *Glow-worm*. B. *Goudwurm, Nachtwurm*.

CICONGIVS, est mensura duodecim sextarios continens.

CICONIA, *Ardea Ciconia Linn.* ad aues grallas referenda. Apud nos maxime frequens est *Ciconia alba*, orbitis nudis, remigibusque nigris, rostro, pedibus cuteque sanguineis. Migrat trans Pontum in Aegyptum et Aethiopiam; aestiuat inter Sueciam et Italiam. Stercus puluerisatum a quibusdam vt remedium antiepilepticum, pinguedo vt demulcens et anodynum commendatur. Quasi cicania *Isid.* a sono, quem quatiente rostro faciunt illae aues: vel a cicur, ob benignam naturam. Ge. Ein Storch. G. *Cigogne*. A. *Stork*. B. *Oyevaar*.

CICVTA, est planta, quae habet caulem satis altum, crassum, politum, serpentis cutim referentem, excauatum: folia minutissime diuisa, et subdiuisa, petroselino simillima, inodora. Flores sunt albi in vmbellas crescentes, plurimis constantes petalis cordiformibus, inaequalibus, in orbem positis, et calyci insidentibus: is autem abit in fructum fere globosum, ex duobus seminibus compositum, exiguis, hinc gibbis et striatis, inde vero planis. Radix cauliformis, longa, alba, crassa. Tota planta habet odorem ingratum, sapor eius est acris. Est herba lethifera, morte Socratis clara. Rectius tamen creditur poculum lethiferum Socrati datum fuisse venenum compositum, Thraſiae inuentum. Distinguenda est Cicuta maior *Bauh.* quae est *Conium maculatum Linn.* (Pentandr. Digyn.) seminibus striatis. (Ge. Schierling, großer Schierling. G. *Grande Cigue* A. *Hemlok*. B. *Schierling*) a *Cicuta aquatica*, s. Sio erucae folio *Bauh. Cicuta viroſa Linn.* vmbellis oppositifoliis, petiolis marginatis, obtusis. Ge. Waſſerſchierling, Scherl, Wüterich. G. *Cigue aquatique*. A. *Water-Hemlok*. B. *Water-Schierling*.) — Etli qualitate acri, septica, tetra, foetida et narcotica prior planta infamis est, tamen et olim, et nouiter nostris temporibus, praeeunte Ill. *Stoerk*, in tumoribus glandularum malignis, vlceribus cancrosis, infarctu viscerum, aliisque morbis rebellibus, non sine insigni saepe fructu adhiberi solet. Datur interne sub forma extracti, externe emplastrum, magis vero cataplasma et fomentum applicatur. Radici plus, quam plantae, virium ineſt. Venenum maxime acidis vegetabilibus eneruatur: caules cicutae aceto coctos, vel maceratos impune comedi lego. — *Cicutae aquaticae* vero radix sumta venenata est, nec ea in nostris officinis adhibetur. *Cicuta minor* vide *Cicutaria*. — An appelletur, quod eius assumtione caput vertigine et fatuitate, imo morte afficiatur. An potius, quod internodiis sit cauis et fistulosis; nam in cannis calamisue quod interceptum est inter duos nodos, cicuta vocatur. Gr. Κώνειον, nam κωνεῖν est τρέπειν, vertere.

CICVTARIA. Hoc nomen variis *Chaerophyllii* speciebus, vt *bulboſo Linn.* (Ge. Peperle.) et *ſylueſtri eiusd.* datur, quod *Cicutaria vulgaris* I. B. Ge. Wilder Körbel, Körbelkropf, Körbelkern. G. *Cicutaire*. A. *Wild Cecily, Cow weed*. B. *Wilde Kerwel*. — *Riuinus Cicutam aquaticam* ita nominat. Proprie tamen *Cicutaria* vocatur *Aethuſa Cynapium Linn.* (Pentandr. Digyn.) vmbella vniuersali patente, petalis inaequalibus. Cicuta minor petroselino similis *Bauh.* Haec in reliquis petroselino similis, inuolucro vniuersali et calyce reflexo atque barbato ab eo distinguitur. In cultis et agris oleraceis frequens occurrit. Tota planta virulento alliaceo odore praedita est et venenata. Ge. Gneiß, faule Grethe, Peterſilienſchierling, Hundspeterlein, kleiner Schierling. G. *Petite Cigue*. A. *Leſſer Hemlock, Fools Parsley*. B. *Dulle Kerwel*. — Nomen a Cicuta deriuatur.

CILIA, proprie sunt extrema palpebrarum corpuscula duriora, et cartilaginosa, semilunata, quae Graeci τρίχας vocant, Latini *Cilia*, quibus pili infiguntur, quos alii *Cilia*

appellant. Superioris palpebrae pili verſus ſuperiora curvantur, ſed inferioris verſus inferiora; ſemper fere eodem determinata interuallo a ſe inuicem diſtantes, vtrinque eo longiores, quo mediae palpebrae viciniores, impedientes, ne leuiora oculo incidant; nam duplici pilorum inſignium ſerie conſtituti ſunt. Horum etiam vſus videtur, dare ſenſum acutiſſimum, vnde, ſimulac aliquid oculum, quod ipſum laedere poſſet, appetit, hinc monitus ſtatim clauditur; porro moderare lucem, et oculum quaſi in vmbra conſtituere, ne a radiis lucis fortioribus laedatur; hinc fit, vt qui his carent, non niſi in crepuſculo bene videant. Gr. Βλεφαρίς, ὀφρύς. G. Härlein an den Augenlidern. G. *Les Cils ou Poils des paupieres.* A. *The Hairs on the Eye-lieds, Eye-ſtrings.* B. *d'Oog Hairtjes.*

CILIARE CORPVS, quod et aliis *Ligamentum ciliare*, et *Proceſſus ciliaris* nec non *Corona ciliaris* dicitur, eſt pars interna oculi, conſtans e plicis, quae de ſuperficie choroideae membranae paulo prius, quam orbiculus ciliaris ei corneae adhaereſcat, oriuntur, et quae ſenſim de ſuperficie choroidis eleuantur, vt anterior ea et plicae poſteriores ſint, et ad vnam ſtriam duae, tres, quatuor lineae eleuatae concurrant. Hae ſtriae ſibi ſimiles, ſed alterne maiores fere, tendunt introrſum, tectae orbiculo ciliari, per cuius celluloſam telam pellucent, et cui adhaerent, tum eundo lateſcunt, vt ſpatium pariter lateſcens inter vitream et vueam repleant: denique quo loco vuea ex orbiculo ciliari prodit, ibi deſerunt ii radii planum cum choroidea continuum, et albedine nunc miſtae transeunt trans cryſtallinae lentis cum vitreo humore valleculam, et denique capſulae eius lentis imponuntur, anterius, quam eſt circulus maximus: cuique vero ſtriae in vitrea membrana, vel in retina, ſimilis linea reſpondet, quae ad interualla ſtriarum ciliarium eminet; inque lente ſibi reſpondentia nigra veſtigia habet *Hall.* Vſus huius partis praecipue in eo conſtare videtur, vt pro maioris, vel minoris, lucis irritatione pupilla vel conſtringatur, vel dilatetur. Ge. Das Sternband, Strahlenband, die Sternerweiterer. G. *Le Ligament ciliaire, les Procés ciliaires.*

CILIARE GANGLION, ſiue *Ophthalmicum*, eſt Ganglion ouale, perpetuum, perminutum, inter neruum opticum et muſculum oculi abductorem poſitum, ex vnione rami paris tertii, et ramuli nerui ophthalmici, ſeu rami primi paris quinti formatum; ex quo Ganglio oriuntur *Nerui* interni oculi, vel *ciliares*, qui ſcleroticam perforantes ad choroideam et vueam accedunt. Ge. Der Augenknoten.

CILIARES GLANDVLAE, CERACEAE, vel SEBACEAE MEIBOMII, ſunt glandulae folliculoſae, ad inteſtinuli modum complicatae, in ſuperficie interna marginis vtriusque palpebrae poſitae, quae humorem ſebaceum et vnctuoſum praeparant, ad noxium palpebrarum attritum impediendum. Ge. Die Meibomiſchen Talgdrüſen.

CILIARE LIGAMENTVM, vide *Ciliare Corpus*, a quibusdam anatomicis perperam pro *Ciliari Orbiculo* habitum.

CILIARES NERVI, vide *Ciliare Ganglion.*

CILIARES PROCESSVS, vide *Ciliare Corpus.*

CILIARIS ORBICVLVS, eſt circulus latiuſculus, albus mollisque ad ſcleroticae cum cornea limitem poſitus, qui formatur a lamina exteriori choroideae tunicae, quae celluloſa tela efflorescente magis et magis obducitur, quo fit corneae membranae propior, vt tandem tota albo tomento obducatur, quod hunc orbiculum conſtituit. G. Der weiße Kreis.

CILIATA, botanicis dicuntur folia, ſtipulae et ſpicae, margine ſetis parallelis longitudinaliter digeſtis obuallato.

CIMOLIA TERRA, κιμωλία, a Cimolo Inſula in mari Cretico, vnde ortum habuit: eſt Boli ſpecies. Marga fullonum ſaponacea lamelloſa *Waller.* Smectis ſubtilis cum acidis non efferueſcens *Cartheuſ. Argilla fullonica Linn.* Inſula Cimolis hodie Argentina nominatur. Ge. Walkererde. G. *Cimolée, Terre des Foulons.* A. *Fullers-Earth.* B. *Volders Aarde.* Eſt terra pinguis ex cinericeo purpuraſcens. — *Cimolia alba* eſt idem quod *Argilla alba.* Ge. Thon. G. *Argille.* A. *Clay.* B. *Kley.*

CINA CINAE, ſeu CHINA CHINAE, eſt cortex Peruuianus, cuius arbor praecipue creſcit in Peru, regno Americae, et quidem in prouincia Quito, in vicinia vrbis Loxae, et circa montem Caia numa. Non abſimilis eſt cortici iunioris Quercus, foris ſcaber, paulum caneſcens, aliquando muſco obductus, intus laeuior, coloris ferruginei, ſaporis nonnihil adſtringentis et amari, paulum ingrati, et quo amarior et ponderoſior eſt iſte cortex, eo melior. Arbor, e qua hic cortex detrahitur, eſt *Cinchona officinalis* panicula brachiata *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) cuius corolla hyacintho ſimilis, infundibuliformis, apice lanata; capſula infera bilocularis, diſſepimento parallelo. Plerumque ad altitudinem duodecim, aut quindecim pedum excreſcit: folia laeuia, eleganter viridia, acuminata habet. Ramum cum floribus, fructibus et ſeminibus delineatum Hiſtoria Academ. Pariſienſ. Anni MDCCXXVIII. cum vlteriori deſcriptione et hiſtoria arboris exhibet. *Quina* apud veteres Peruanos corticem ſignificare, atque more illorum, propter eximias virtutes, quas ipſi dudum nouerant, quas vero ſollicite exoſis ſibi Hiſpanis

diu celauerant, per excellentiam *Quina Quina*, *Cortex Corticum* vocari, Cl. *De la Condamine*, qui hiſtoriam huius arboris in natali eius ſolo collectam ſuppeditauit, autumat. *Chinae Chinae* nomen alii a Comitiſſa *del Cinchon*, Pro-Regis Peruuiani coniuge, quae eius vſu a febre pertinaci liberata fuit, accepiſſe ferunt. Ipſa Comitiſſa remedium, ſibi olim ſalutare, omnibus, quibus opus fuit, gratis diſtribuit, atque tum demum, ſcilicet circa annum MDCXXXXVIII. ſub nomine *Pulueris Comitiſſae* innoteſcere coepit. Et cum paulo poſt Patres Soc. Ieſ. et eodem tempore Cardinalis de Lugo copiam huius corticis ex America adlatam, pauperibus diſtribuerent, nomen *Pulueris Ieſuitarum* et *Cardinalis de Lugo* obtinuit. Dicitur quoque *kinkine*, *palo de calenturas*, *puluis antiquartius*, etc. Viribus gaudet praeſtantiſſimis antifebrilibus, roborantibus, cardiacis et antiputredinoſis, hinc ampliſſimus eius hodie et feliciſſimus vſus eſt, non in febribus ſolum intermittentibus, ſed et quam plurimis morbis a debilitate ſolidorum et praua humorum diatheſi orientibus; nec forte vnquam cortex Peruuianus, niſi vſu intempeſtiuo, nocuit. Datur in eſſentia et extracto. Verum maximam eius efficaciam eſſe compertum eſt, ſi in ſubſtantia, in electuario, vel infuſo, praecipue vinoſo et aquoſo, eoque ſubturbido, et tenuiſſimam pulueris partem adhuc continente, propinetur. Decoctum huius corticis, ſub forma clyſteris iniectum, febres quoque abigit. Ge. **Fieberrinde, oder Peruvianiſche Rinde.** G. *Quinquina*. A. *Jeſuits-bark*, *Peruvian-bark*, *the Bark*. B. *Kina*.

CINAE SEMEN, vide *Sanzonicum*.

CINAMOMVM, CINNAMOMVM, *Canella Zeylanica*, eſt cortex tenuis, ab exteriore pellicula alba purgatus, in laminas quadrangulas diſſectus, exſiccatus, indeque ſponte convolutus et cannulatus, coloris ex flauo rubeſcentis, ſaporis acris, ſubdulcis, aromatici, ſuauiſſimi, odoris fragrantiſſimi. Arbor, ex qua hic cortex detrahitur, eſt *Laurus cinnamomum Linn.* foliis trineruiis, ouato-oblongis, planis, nitidis, nervis verſus apicem euaneſcentibus; Caſſia cinnamomea *Herm.* Altitudo eius ad octodecim, vel ad viginti quatuor pedes peruenit. Flores fert exiguos, albos, ſtellatos, hexapetalos (Enneandr. Monogyn.) in extremis ramulis prouenientes, fragrantiſſimos; fructum calyculatum glandi quernae non diſſimilem, ſcilicet drupam oualem, acuminatam, vniloculatem, corolla comprehenſam, quae nucem ouato-acuminatam et nucleum eiusdem formae includit. Colitur praecipue in Zeylon, inſula Indiae Orientalis. Praecipua virtus in oleo aethereo conſiſtit. Gaudet viribus cordialibus, analepticis, corroborantibus, calefacientibus et carminatiuis, hinc ampliſſimus eius vſus eſt tum in bellariis, cibisque aromaticis, tum in re medica, dum ſcilicet puluis, oleum aethereum, balſamus, aquae ſtillatitiae adhibentur, aut cinnamomum plura remedia compoſita ingreditur. Sunt Indis et alia praeparata ex cinnamomo in vſu, quae tamen raro ad nos deferuntur, ſcilicet oleum aethereum e radicibus elicitum, quod *Oleum caphurae* dicunt; ſpecies camphorae, in ſecunda deſtillatione apparens (*Caphurae baros Indorum*), oleum deſtillatum foliorum, medii inter caryophyllos aromaticos et Cinnamomum odoris, (*Oleum Malabathri*), et materia alba, ſebacea, e fructibus vel coctione, vel preſſione, extracta, quam *Ceram Cinnamomi* vocant. Vocatur et *Canella. Cinamomum* dictum contendunt, quaſi *Amomum Chinenſe*, ſeu *Amomum* ex China delatum: alii nomen accepiſſe putant a verbo *Cau*, quod lignum, et *Nama*, quod dulce ſignificat. Nonnulli κιννάμωμον dictum credunt, quaſi κίνναμον ἄμωμον, amomum a puritate cinamon; vel nomen forte impoſitum ab Hebraeorum *Kinnamon*. Ge. **Kaneel, Zimmetrinde, Zimmet.** G. *Canelle*. A. *Cinamom*. B. *Kaneel*.

CINARA, Cinara hortenſis foliis non aculeatis *Bauh. Cinara Scolymus Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) foliis ſubſpinoſis, pinnatis indiuiſisque, calicinis ſquamis ouatis. Eſt planta, quae ex radice folia erumpentia habet longa, larga, ampla, profunde inciſa, lanuginoſa; ex his emergit caulis ſatis magnus, ſtriatus, lanuginoſus, craſſus, intus medulloſus, plures ramos dimittens, quorum ſinguli ferunt in ſummitate capitulum variae magnitudinis, ſcilicet calycem valde ſquamoſum, rigidum, durum; ſquamae, fructu facto grandiore, diſſoluuntur, ac ſuperius virent, interius vero ac inferius carnoſae ſunt et albidae. Comeduntur ex hoc capite partes duae, nempe ſquamarum vngues, et medius diſcus, ſeu receptaculum, cui pappoſum ſemen inſidet. Florem habet floſculoſum, plurimis ſcilicet floſculis conſtantem multifidis, embryoni inſidentibus. Abunde apud nos in hortis colitur. Vſus praecipue culinaris eſt. Succus tamen amarus foliorum expreſſus et pari quantitate vini albi mixtus, potenter vrinam mouet, ſicque ſaepe hydropi medetur. Dictam volunt a cinere, quo ſtercorari amat. Alii a *Cinara* potius puella, quae in eius ſpeciei Carduum mutata ſit, appellatam eſſe contendunt: vocatur etiam *Scolymus*. Gr. Σκόλυμος, vel σκολιὸς, aſper, quia haec planta eſt aſpera; nonnullis *cocalus*, *alcocalus*, *articoca*, et *articocalus*. Vide *Articocalus*. Ge. **Artiſchocken.** G. *Artichaut*. A. *Artisjok*.

CINEFACTIO, eſt, quando res per ignem comburuntur, et in cinerem reducuntur. Ge. Einäſcherung. G. *Reduction en cendres.* A. *Making or burning into ashes.* B. *Aſchmakinge.*

CINERARIA, appellatur *Iacobaea marina*, cuius folia cinereum habent colorem. *Cineraria* Ill. *Linn.* eſt plantae genus, (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) cuius receptaculum nudum; pappus ſimplex; calyx ſimplex, polyphyllus, aequalis. Ge. Aſchenpflanze. G. *Cineraire.*

CINERARIVM, idem quod *Coniſterium.*

CINERATIO, idem quod *Cinefactio.*

CINERITIA SVBSTANTIA, vide *Cerebrum.*

CINGVLVM MERCVRIALE eſt cingulum e corio, vel lana, quod in interna ſuperficie vnguento mercuriali illitum, olim contra pediculos et ad excitandam ſaliuationem geſtabatur.

CINIS, eſt puluis ille griſeus ex combuſtione rerum combuſtibilium reſiduus, conſtatque ex ſale (qui elixari poteſt) atque terra, vt dicitur, mortua. Ge. Aſchen. G. *Cendre.* A. *Ashes.* B. *Aſſche.*

CINIS CLAVELLATVS, *Sal alcali vulgare*, proprie cinis eſt ex clauiculis vitis. Aliis eſt caput mortuum ex deſtillatione foecum vini reſiduum, combuſtum et elixatum. Plerumque eſt ſal ex cineribus ligni quercini extractum, optimeque reuerberatum; ſponte liqueſcit in aëre, aliasque, quae ſali alcalino adſcribuntur, proprietates etiam obtinet. Magna eius copia ex Moſcouia, Curlandia et Haſſia ad nos adfertur. Non purum eſt alcali, ſed ſal continet neutrum, ſiue medium, cum tartaro vitriolato conueniens, quodque facile ſolutione et cryſtalliſatione ſeparari poteſt. Vſus horum cinerum varius eſt et plurimus in arte tinctoria et vitriaria. In medicina, ſi a terra et ſale neutro depurantur, loco ſalis tartari inſeruire poſſunt. Ge. Weidaſche, Pottaſche. G. *Cendre gravelée.* A. *Pot-ashes.* B. *Pot-aſch, Weed-aſch.*

CINNABARIS, vel et CINABARIS, alia eſt *Factitia*, et alia *Natiua*, ſiue *Mineralis.* *Factitia* conficitur ex ſulphure et mercurio, ex quibus mixtis fit ſublimatio. *Natiua* eſt terra mineralis lapideſcens, rubicunda, ponderoſa, conſtans etiam ex ſulphuris parte vna, et mercurii viui partibus ſex, vel ſeptem, cum terreſtri materia inſtar lapidis compactis. Eſt *Hydrargyrum Cinnabaris* mineraliſatum, pyriticoſum, fibroſum *Linn.* Hydrargyrum ſulphure mineraliſatum, minera rubra *Waller.* Prunis iniectum flammam ſubcaeruleam

edit, auolante mercurio. In ipſis fodinis ex ſulphure et argento viuo coaluiſſe per fuſionem ab igne ſubterraneo factam, docet arte facta Cinnabaris; et eius reſolutio facilis in verum ſulphur et mercurium. Adfertur ex India Orientali, Vngaria, Hiſpania, Iſtria Germaniaeque locis variis; vt ex Palatinatus fodinis etc. — *Dioſcoridi* dicitur *Minium*; quamuis illud diuerſum nobis a cinnabari ſit. — Datur etiam *Cinnabaris antimonii*, quae eſt maſſa compacta, dura, opaca, ponderoſa valde, quae in collo retortae, vbi praeparatur butyrum antimonii, reperitur, a parte, qua ſuperficiei vitri adhaeret, ſplendet, ab altera ſcabra; trita in puluerem, dat veram Cinnabarim, ex mercurio et ſulphure antimonii vnitis conſtantem. — Omni cinnabari ſingularis virtus antiſpaſmodica attributa eſt, de qua tamen, cum vix in mentruis, vel acidis, vel alcalinis, ſolubilis ſit, merito hodie dubitatur, parciorque eius vſus eſt. Ad fumigationes mercuriales quoque cinnabaris adhibetur. Praefertur, ob abſentiam partium heterogenearum, factitia natiuae. Videtur dici a κινάβρα, ob foedum odorem, quem exhalat, dum foditur. A. καυβάω, oleo, foeteo. Ge. Zinnober. G. *Cinabre.* A. *Cinnabar.* B. *Berg-rood, Cinaber.* — *Cinnabaris* nomen Indicum eſt. — *Vermilion* proprie eſt Cinnabaris praeparata.

CINNABARIS GRAECORVM, vide *Sanguis Draconis.*

CINNABARIS, CINNABRION HERBA, appellatur *Rubia tinctorum*, quia eius radicibus lintea etc. rubro tinguntur colore, Cinnabari vix diſſimili.

CION, *Columella, Gargareon*, γάργαρ, *Gurgulio, Vua, Vuula, Vuigena, Vuigera, Epiglottis Plin. Sublinguium Iſidoro* penſilis de palato Iſthmus, ſiue gutturis operculum dicitur. Gr. Κίων. Item κιονὶς, σταφυλόφορον. Ex palato in ore penitius, iuxta narium meatus ſupra laryngis rimam inter *Amygdalas* dependet, eſtque proceſſus ex ſubſtantia, vt videtur, glandulosa, ſpongioſa et rubra, quam putat *Columbus* oriri ex palati tunica, eo loci reduplicata: ſed *Riolanus* a muſculis ibi deſinentibus. Glaberrima eſt, flexiliſſima, ſubpellucida, ouata ſimul et conica, in medio veli palatini ſuſpenſa, inuolucris ori et faucibus communibus tecta, plena cryptis apertis, mucoſis, et fibris longis muſculoſis. Hi in vnum punctum collecti, muſculum hic efficiunt, qui *Azygos vuulae* dicitur, caeterum tota vaſculis innumerabilibus contexta. Vſus eſt fauces linguamque humectando deglutitioni inſeruire, moderari vocem et aëris frigiditatem, et impediré, ne potus ad nares ruat. Vuulam ſolus homo habet, tum ſimia; reliqua

quadrupeda ea particula deſtituuntur. Ge. Das Zäpflein. G. *La Luette.* A. *The Hock, Uvula.* B. *Het Lel in de Keel.* — Interdum vuula nimis propendet ab humoribus obſtruentibus, qui per vaſa lymphatica redire nequeunt, vnde *Caſus vuulae*, ſeu *Prolapſus vuulae*, oritur. Ge. Das Fallen oder Schießen des Zäpfleins. G. *La Luette abatuë.* A. *The Falling of the uvula.* B. *De Huig.*

CIONIS, idem quod *Cion.*

CIRCAEA, eſt planta, quae habet caules tenues, rotundos, rectos, villoſos, medulla repleros. Folia ſibi inuicem oppoſita naſcuntur iuxta longitudinem caulium: ad baſin latiora, ad apicem acuta, dentata, pediculis adhaerentia. Flos (Diandr. Monogyn.) ex duobus petalis calyci etiam bifolio inſidentibus conſtat: calyx autem deinde abit in fructum pyriformem, hiſpidum, biualuem, in duo loculamenta plerumque diuiſum, a baſi verſus apicem dehiſcentem, ſemine foeta vt plurimum oblongo. Vocatur Circea a Circe, Solis filia, quae hac herba quondam alios faſcinaſſe putatur, vel quia huius plantae fructus ſe veſtibus affigit, hocque modo homines ad ſe trahit, ſicut dea Circe ſuis incantamentis facere credebatur. Ge. Hexenkraut. G. *Circée, Herbe de St. Etienne.* A. *Enchanters Night-shade.*

CIRCVITVS, idem quod *Periodus.*

CIRCVLATIO ſanguinis, idem quod *Periodus ſanguinis*, ſ. motus ſanguinis ex corde in arterias, eiusque ex iis per venas ad cor regreſſus. Ge. Umlauf des Geblütes. G. *Circulation du ſang.*

CIRCVLATIO CHYMICA, eſt liquoris puri, per circularem deſtillationem in pelicano, vel alembico coeco, vel alembico, cuius roſtrum rurſus in eandem cucurbitam patet, agente calore, exaltatio. Dum enim liquor in recipiente contentus vndique clauſo exhalare nequit in auras, ſed colligiatur in ſuperiori parte vaſis, cadit inde iterum ad fundum vel directo lapſu, vel per laterales alas pelicani, idque aliquoties circuli in modum pro genio liquoris deſtillandi. Ge. Das Circuliren. G. *Circulation chimicale.* A. *Chymical Circulation.* B. *Rondom-of Weder-dryving.*

CIRCVLATOR, i. q. *Circumforaneus*, vel *Agyrta.*

CIRCVLATORIVM, eſt vas vitreum, vbi infuſus liquor, adſcendendo ad ſummum vaſis, et iterum in locum, ex quo venerat, deſcendendo per laterales alas cauas, colligentes omne, quod in ſupremum vaſis adſcenderat, quaſi in circulo rotatur. Varia ſunt huius generis vaſa, ſed duo praecipue, in vſu ſunt, *Pelicanus* nimirum, et *Diota.* Ge. Circuliergefäß. G. *Vaiſſeau circulatoire.* A. *A Circulatory-Glaſs.* B. *Omdryf-Glas, Circuleer-Glas.*

CIRCVLATVM MINVS, nihil aliud eſt, quam *Spiritus Vini.* Nonnulli tamen Chemici, v. c. *Starckeyus*, aliud in arcanis habent, a quo magnas vires ſibi et aliis pollicentur.

CIRCVLVS, eſt inſtrumentum rotundum ad Chemicorum vitra abſcindenda ex ferro factum. Perfringuntur ea hoc modo: circulus igne candefactus vitro circumponitur, illudque tamdiu ſtringitur, donec feruefcat et incalefcat, cumque adhuc feruet frigida gutta immiſſa, aut frigidi halitus afflatu diſſilit, atque diſrumpitur. Ge. Ein Ring zum Abſprengen. G. *Anneau, Cercle.* A. *Ring.* B. *Een Ring.*

CIRCVMCISIO, eſt abſciſſio praeputii, quae non ſolum Iudaeis et Mahomedanis in more eſt, ſed a chirurgis interdum in *Phimoſi* inſuperabili inſtituitur. G. Beſchneidung der Vorhaut.

CIRCVMFLEXVS PALATI, eſt idem muſculus, qui aliis *Pterygo-ſtaphylinus* dicitur.

CIRCVMFORANEVS, i. q. *Agyrta.*

CIRCVMSEPIENS Botanicis vocatur ille *ſomnus* plantarum, ſeu nocturna foliorum mutatio, cum folia, alias horizontaliter poſita, noctu eriguntur in formam infundibuli.

CIRRI, plantarum, et inprimis, radicum tenuia ſunt capillamenta, quae contorta criſpantur. Proprie vero *Cirri* vocantur vincula filiformia ſpiralia, quibus planta alii corpori alligatur, ſicque dicuntur pedunculi *cirroſi*, folia *cirroſa*, etc. Ge. Zäſerlein. B. *Krullende Hairtjes aan de Wortel.*

CIRONES ſunt puſtulae exiguae ſcabioſae maxime in volis manuum plantisque pedum, tempore vt plurimum aeſtiuo, cum inſigni pruritu emergentes.

CIRSION, CIRSIVM, eſt cardui ſpecies, quocum conuenit in omnibus, et ab eo tantum differt ſpinis mollioribus. Quia putatur haec planta varicibus mederi, nomen accepit a κιρσὸς, varix, cum vena multo ſanguine dilatata eſt. *Fuchſius* nominat *Bugloſſam*, vel *Linguam bouis.* Variae plantarum ſpecies, quae ab aliis *Cirſia* vocantur, ab Ill. *Linnaeo* ad *Serratulas*, vel etiam *Carduos*, referuntur. *Carduus* enim a Serratula differt receptaculo piloſo, calyce ventricoſo, eiusque ſquamis aculeatis, ac ſtigmate minus bifido. *Cirſium offic.* eſt *Carduus Monſpeſſulanus Linn.* Ge. Melancholeydiſtel. A. *Melancholy Thiſtel.* — *Serratula* eſt Ge. Schartenkraut. G. *Serrette.* A. *Saw-wort.*

CIRSOCELE, eſt varicoſa vaſorum ad teſtes euntium dilatatio, ita vt tertium teſticulum quandoque mentiatur, naſcens, vel ab impedito reditu ſanguinis per venas ſupra

pubem compreſſas, vel ex maiori motus determinatione verſus has partes, plerumque vero a concuſſione, aut alia vi quadam externa. Minus commode *Hernia varicoſa* vocatur. Ex κιρσὸς, varix, et κήλη, tumor. G. Saamenaderngeſchwulſt. G. *Circoſele.* A. *A Swelling of the Seed-veſſels.* B. *Zwelling, of Breuk der Kloot-ader.*

CIRSOS, ſiue VARIX, eſt nimia venarum ſanguiferarum dilatatio in tumorem indolentem elata, flexuoſa, in vna, aut pluribus corporis partibus haerens; oriunda ab impedito ſanguinis per has venas tranſfluxu, vnde ad ſedes valuularum a ſanguine collecto ita dilatantur ſaepe, vt rupturam minentur. Grauidis maxime frequenter varices in partibus inferioribus euenire ſolent. Inuenitur apud Graecos duplex nomen. Alterum eſt frequentiſſimum, κιρσὸς, ſeu (vt eſt apud *Pollucem*) κιρσὸς, alterum vero non ita frequens, ἰξία, quod quidem poſtremum vſurpatum inuenitur ab *Hippocrate.* Latinis *Varix*; *Ramex* tamen apud *Plautum* pro varice pectoris aliquando ſumitur. Ge. Aderbruch, Ader- Kropff- Kinds-adern, Krampfader. G. *Varice, Veine dilatée.* A. *A crooked ſwelling Vein, or Varix.* B. *Geborſten-Ader, uitgerekte Ader, Aderſpat.*

CISSA, vide *Citta.*

CISSAMPELOS, dicitur de Conuoluulo, vineas amante, quia iuxta illas ſaepe ſuccreſcit. Ex κισσὸς, hedera, a κίω, quod in pariete, vel arboribus, late ſerpat. Vel a κίω, ſcindo, quia hedera arborea alias arbores ſcindit et perdit, atque ἄμπελος, vitis, vinea. Ab ἅμα, vna, et πηλὸς, Ion. pro οἶνος, vinum. — Hoc tamen ſub nomine ſingulare etiam denotatur plantae genus (Dioec. Monadelph.) in quo *maſc.* Calyx tetraphyllus; corolla nulla; nectarium rotatum; ſtamina quatuor, filamentis connatis; *foem.* Calyx monophyllus ligulato-ſubrotundus; corolla nulla; ſtyli tres; bacca monoſperma. Pertinet ad illud officinalis planta, quae *Pareira braua* dicitur. Vide *Helxine ciſſampelos*, et *Pareira braua.*

CISSIVM, ſeu CISSOPHYLLVM, ſunt *Vincetoxici* Synonyma: quia habet folia hederae ſimilia. Κισσὸς eſt hedera, cui adiicitur φύλλον, folium.

CISSOS, eſt Helix, ſeu *Hedera*, vide κισσὸς in voce *Ciſſampelos.* Bacchus quoque olim κισσὸς dictus. — *Ciſſus* porro eſt planta Indica ſcandens, (Tetrandr. Monogyn.) cuius bacca monoſperma, cincta calyce corollaque quadripartita. Germ. Klimmern.

CISTERNA CHYLI, ſ. LVMBARIS, idem quod *Sacculus Chyliferus.*

CISTVS, Κιστὸς et κίσταρον, eſt plantae genus, (Polyandr. Monogyn.) cuius corolla pentapetala, calyx pentaphyllus, foliolis duobus minoribus; capſula ſubrotunda, tecta, polyſperma. Dantur ſpecies exſtipulatae fruticoſae, exſtipulatae ſuffruticoſae, exſtipulatae herbaceae, et herbaceae ſtipulatae. Duae ſunt ſpecies, ſcilicet Ciſtus creticus et ladaniferus, reſinam amaram, ſeu ladanum, exſudantes, quod flagellis coriaceis colligitur. Vide *Ladanum.* In hortis praecipue ob elegantiam florum *Ciſtus Helianthemum* colitur. Ciſti natale ſolum Europa auſtralis eſt. Dicitur fortaſſe, quod eius ſpecies aliqua κίσσα, id eſt, hederae foliis rotundis, ſit ſimilis. Sunt, qui nomen a Bacchi ſaltatore deducunt, cuius nomen erat *Cittus*, vel *Ciſſus.* Hiſtoriam vide apud *Caſſianum Baſſum.* Nonnulli ἀπὸ τοῦ κιδὸς, verme, ſeu curculione, deriuant. Κὶς enim omnia frumenta perterebrat: vnde κιστηρὶς pumex variis foraminulis perforatus lapis eſt. Sic frutex hic a poroſa textura, et innumeris ſpiraculis peruia, qua vinum transmittit. Ge. Ciſtenröslein, Felſenröslein. G. *Ciſte.* A. *Ciſtus.* B. *Hondsroos.* Vide *Hypociſte.*

CITRAGO, appellatur *Meliſſa*, ob citreum, quem ſpirat, odorem. Vide *Meliſſophyllum.*

CITREA MALVS, eſt arbor ſemper virens, variam pro climatis, aut culturae, differentia altitudinem attingens, cuius rami ſunt extenſi, flexiles, cortice viridi et polito inſtructi: folia laurinis ſimilia, longa, acuta, rigida, absque appendice, carnoſa, in margine dentata, coloris viridis ſplendentis, praeſertim in parte ſuperiori, odoris penetrantis. Flos eſt roſaceus, (Polyadelph. Icoſandr.) quinque ſcilicet petalis oblongis, planis, patentibus, in orbem poſitis conſtans, ex cuius calyce quinquedentato, minimo, tandem marceſcente, ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, donatum cortice craſſo, inaequali, carnoſo, in initio viridi, poſtea citreo ſplendente, intus albo, odoris grati, ſaporis aromatici et grati. Fructus hic diuiditur in nouem loculamenta, ſucco acido grato, et feminibus binis externe duris, oblongis, albis, medulloſis, ſaporis aliquantulum amari, foeta. Haec arbor creſcit in regionibus calidis, et apud nos abunde in hortis et hybernaculis colitur. Fructus, qui ſolus fere in vſum tum culinarem, tum medicum, adhibetur, e variis partibus diuerſae indolis conſtat. Cortex enim externus, ſeu flauedo, maxime e veſiculis oleo fragrante aethereo turgidis conſtans, aromatica eſt, viribusque cardiacis et ſtomachicis gaudet. Caro alba obſtipans eſt. Pulpa eiusque ſuccus acidus, refrigerans, attenuans et diureticus, hinc in putre-

dine, phlogoſi, ſiti et ſcorbuto maximi vſus eſt. Semina ob amaritiem anthelminthica ſunt; flores fragrantes et analeptici. Proſtant in officinis aqua cort. citr. conditura, ſyrupus, etc. Fructus etiam *Malus Medica* audit, ſiue a virtute, qua pollet, ſiue potius a ſolo Medorum, olim ipſi patrio, e quo in Graeciam et inde in Europam meridionalem translata eſt. Ge. Citronen. G. *Citronier.* A. *The Citron-tree.* B. *Citroen.*

CITRVLLVS, i. q. Anguria eſt, ſic a citri luteo colore vocata. Anguria Citrullus dicta *Bauh. Cucurbita Citrullus* foliis multipartitis *Linn.* (Monoec. Syngeneſ.) Qualitatis aquoſae et ſubdulcis eſt, viribusque diluentibus et refrigerantibus gaudet. Semen inter quatuor frigida maiora refertur. Abunde in Italia et Hungaria prouenit. Ge. Waſſermelone. G. *Citrouille, Melon d'eau.* A. *Citruls.*

CITTA, ſiue PICA, eſt appetitus deprauatus, quo ea appetuntur, quae ab eſu humano prorſus aliena ſunt, vt calx, fiſtulae tabaceae, carbones, teſtae, panni, coria, arena, etc. Cauſa latet in deprauato ventriculi ſucco, qui non niſi per inſueta aſſumta mutari poteſt, vel a circulatione ſanguinis mutata, vt in grauidis, et chloroſi laborantibus, vel ab imaginatione deprauata. G. Gelüſten. G. *Appetit depravé.* A. *A ſtrange depraved longing in breeding women.* B. *Verdorven of ongerymde Honger.*

CIVETTA, a voce Indica *Zibeth.* Eſt animalculum, ex cuius veſiculis circa inguina ſuccus pinguis fragrantiſſimus educitur. Vide *Zibethum.*

CLANGOR, ſiue *Vox clangoſa*, ſignificat vocem acutam cum ſtridore, quae in homine fit, quando organa, quae loquelae inſeruiunt, exſiccata ſunt.

CLARETVM, eſt vinum, aromatum infuſione impraegnatum, ac ſaccharo edulcoratum: dicitur alias *Vinum Hippocraticum:* item vinum medicatum. Sic nominatur, quod per manicam Hippocratis colatur et purificatur. Ge. Hippocras, gewürzter Wein, Claret. G. *Vin Clairet, vin d'Hippocrat.* A. *An Aromatick wine, or Hippocras.* B. *Klarey, Klaretten-wyn, Genees-wyn, Kruid-wyn, Kandeel-wyn, Hypocras, Bruids-traanen.*

CLARIFICATIO, eſt modus, quo ſucci, vel decocta turbida, et craſſa, clariora redduntur: quod fit filtratione, ſubſidentia, fermentatione, vel additione aceti, albuminis oui, aut lactis. Ge. Clarificirung, Klarmachung. G. *Clarification.* A. *Clarifying or clearing.* B. *Een klaar-maaking.*

CLASSIS; ſic in hiſtoria naturali vocatur complexus plu-

rium *ordinum*, omnium corporum, in tribus naturae regnis obuenientium, quibus character quidam communis adeo proprius adeſt, vt per hunc ab omnibus aliis ordinibus diſtinguantur. *Ordines* conſtituuntur a pluribus generibus in charactere huiusmodi conuenientibus, et *Genera* rurſus plures *Species* et *Varietates*, in charactere quodam conuenientes, ſub ſe comprehendunt. Differentia characterum, qui pro diuiſionis fundamento ponuntur, diuerſitatem ſyſtematum hiſtoriae naturalis parit. Ge. G. Claſſe.

CLAVDICATIO, eſt vitioſus gradiendi modus, quo centrum grauitatis trunci ſenſibiliter dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, transfertur, ſicque truncus ſingulis paſſibus huc, vel illuc, inclinatur, et crus indecore mouetur, vel difficulter trahitur. Oritur vel a dolore, vel a rhachitide, vel a fractura, aut luxatione oſſium, vel a contractura, aut debilitate muſculorum pedes mouentium. Ge. Hinkend, lahm. G. *Boiteux.* A. *A Cripple, lame man.* B. *Mank, Kreupel.*

CLAVICVLAE, ſunt duo oſſa oblonga, partim rotunda, partim compreſſa, ad modum fere litterae S. dupliciter inflexa, anteriori parte cum manubrio ſterni, poſteriori cum acromio ſcapulae connexa, horizontaliter fere poſita, ſubſtantiae ſpongioſae et fragilis. In foetu prius, quam reliqua oſſa, indureſcunt. Homini ſoli, ſimiis et quibusdam animalibus ſcandentibus ſunt clauiculae, in reliquis quadrupedibus deficiunt. Suſtentant brachia, ne verſus pectus ruant, ſicque iis magnam agilitatem conciliant, variis muſculis originem praebent, et ſubiacentia magna vaſa ſubclauia defendunt. *Clauiculae* dicuntur, non quod thoracem claudant, ſed a quadam cum clauibus veterum ſimilitudine. *Celſus iugula* vocat a iungendo, alii *ligulas, os furcale*, etc. Gr. appellant κλεῖς, κλεῖς, *Hom.* κλεῖθρον. *Kerkringio* teſte in abortibus ſex hebdomadum iam oſſeae reperiuntur. Ge. Die Schlüſſelbeine. G. *La Clavicule.* A. *The Clavicular bones.* B. *Het sleutel-been.*

CLAVICVLAE, in plantis capillamenta intorta, vel *Capreoli* ſunt, quibus quaſi manibus proreptans planta adminicula comprehendit. Vide *Capreolus, Cirrus.*

CLAVIS, in chemicis denotat directionem, ad ſecretum quendam proceſſum efficiendum; vel menſtruum aliquod, quod ad intimam vſque metallorum ſubſtantiam penetrat. *Clauis* methodi et ſyſtematis cuiusdam in hiſtoria naturali dicitur explicatio characterum, iuxta quos claſſes, ordines et genera diſtribuuntur.

CLAVVS, eſt verrucae ſpecies, callboſa, parum eleuata,

digitos, vel plantas pedum occupans, ex calcei preſſione inaequali, vel attritu, oriunda. Differt tamen *Clauus* a verruca, quod in centro ſuogerat callum duriſſimum, quo eradicato non dolet pars, vſquedum nouus nucleus efformatus fuerit. G. Hünerauge, Leichdorn. G. *Clou.* A. *Corn.* B. *Een Lykdoorn, Exteroog.* Vide *Helos.*

CLAVVS, eſt paſſio in parua capitis parte, ſiue doloris capitis ſpecies, clauum referens. Communiter eſt ſupra oculum in ſupercilio, et videtur aegris, ac ſi pars capitis clauo, vel terebello, perforaretur. *Clauus hyſtericus* eſt *Cephalalgiae* ſpecies, mulieribus infeſta, in qua in quadam parte ſincipitis acutiſſimum dolorem, quaſi a fruſto glaciei impoſito, ſentiunt. — A Celſo etiam *Claui* vocantur calloſa in albo oculi tubercula, quibus nomen a figurae ſimilitudine eſt.

CLAVATI botanicis dicuntur petioli et pedunculi verſus apicem incraſſati.

CLEIDION, idem quod *Clauicula.*

CLEISAGRA; ita *Paracelſo* Arthritidis ſpecies dicitur.

CLEMA, et CLEMATIS, dicuntur in vniuerſum veteribus plantae ſarmentoſae, vt vitis etc. A κλάω, frango, quia fragiles.

CLEMATIS, proprie eſt plantae genus, (Polyandr. Polygyn.) quod habet calycem nullum, corollam tetrapetalam, rarius pentapetalam, ſemina plurima, ſubrotunda, compreſſa, ſeta longiſſima villoſa inſtructa. Ge. Waldrebe. G. *Clematite, Herbe aux gueux.* A. *Lady-Bower.* — Sic dicta quia foliis eius contuſis impoſitis mendici fraudulenti ſibi vlcera, licet innocua, excitant.

CLEMATIS DAPHNOIDES, Clematis daphnoides minor *Bauh.* *Vinca minor* caulibus procumbentibus, foliis lanceolato-ouatis, floribus pedunculatis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) eſt planta, quae habet caules exiguos, tenues, longos, rotundos, virides, nodoſos, repentes, vbique adhaerentes: folia ſunt oblonga, viridia, polita, bina, ſibi inuicem oppoſita, caulibus breuibus adhaerentia, ſaporis amari, ſtiptici. Flos eſt monopetalus, hypocrateriformis, multifidus, coloris vt plurimum caerulei, aliquando albi, raro rubri, ſine odore; ex huius calyce ſurgit piſtillum, infimae floris parti ad inſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum oblongum, duabus filiquis conſtantem, quae continent ſemina plurima oblonga, fere cylindracea, ſulcata ab vna parte. Radix eſt fibroſa. Vſus rarior in medicina, niſi forte in gargariſmatibus. *Peruinca* officinis, *Vinca peruinca* vulgo nominatur. *Clematida* Graeci, quoniam κλήματα, hoc eſt ſarmenta, ſeu viticulas, per terram ſpargat, dixerunt. *Daphnoida* vero a foliorum Lauri, quam eius folia habent, figura. Plinius clematida *Aegyptiam* nominat *Vincam peruincam*, alioque nomine *Chamaedaphnen* dici tradit, quod ſcilicet humilis videatur Laurus, vt nomen ſonat. Vinca dicta fuit, quia in thalamis nuptialibus inde cingula conficiuntur. Germ. Singrün, Wintergrün. G. *Pervenche.* A. *Periwinkle.* B. *Maagdepalm, Vinkoorde.*

CLEMATIS FLAMMVLA, vide *Clematis.*

CLEMATIS PASSIFLORA, ita appellatur, quod varia in flore habeat Chriſti paſſionis ſigna. Vide *Paſſiflora.* Ge. Paßionsblume. G. *Fleur de la Paſſion.* A. *Flower of Paſſion.* B. *Bloem des lydens, Paſſiebloem.*

CLEMATIS RECTA *Linn.* Flammula *Cam.* Flammula recta *Bauh.* Eſt ſpecies Clematitis flore roſaceo tetrapetalo, receptaculo capitato paruo, ſeminibus compreſſis, ſtylo inſtructis. Habitat in collibus Auſtriae et Pannoniae. Qualitatis eſt vrentis et exulceratoriae. Eius tamen in morbis rebellibus vlceroſis vires experiri hodie coeptum eſt. Clematis dicitur a κλῆμα, furcula, quod capreolis ſcandat. Ge. Waldrebe. G. *Clematite, Herbe aux gueux.* A. *Uprigbt Lady-bower.*

CLIBANITES PANIS, eſt panis bene coctus.

CLIMA, vi vocis denotat declinationem, quae Geographis ſubintelligitur ab aequatore ad alterutrum polum, eſtque definitum ſpatium, duabus lineis parallelis ab aequatore diſtantibus incluſum, ſub quo diei longitudo ad dimidiam horam variatur. Medici autem, quando hac voce vtuntur, inprimis reſpiciunt ad differentiam caloris et frigoris, quae in variis regionibus obtinet; quae propterea accurate notanda eſt, quoniam inde diuerſitas temperamentorum, vitae generis, morborum, et methodi medendi, inprimis dependet. Ge. Ein Himmelsſtrich. G. *Climat.* A. *Clima of a country.* B. *Lugtſtreek.*

CLIMACTERICVS ANNVS, tales anni dicuntur, qui a nugiuendulis, per certos gradus, vel certam diſtantiam, aut numerum ſeptenarium et nonarium diſtinguuntur. Inter hos quadrageſimum nonum, et ſexageſimum tertium praealiis notatu digniſſimos habent: quod in his inſignes mutationes, et pericula vitae metuenda ſint. Vide *Annus Climactericus.* Ge. Stuffenjahr. G. *Année Climacterique.* A. *A Climacterical Year.* B. *Het Moord-jaar.*

CLINICVS, eſt medicus, qui diaeta, aut medicamentis, ſuccurrit aegris, in lecto decumbentibus. *Clinica* eſt *Medicina*, quae circa morborum curationes verſatur, ſicque a

Medicina forenſi differt, quae cauſſas forenſes dilucidat. Quin et ipſi aegroti vocantur *Clinici*, quum prae debilitate et morbi vehementia in lecto decumbere coguntur; ſicque opponuntur illis, qui cum morbo ſuo ſtare, et negotia ſua obire vtcunque valent. Deriuatur haec vox a κλίνη, lectus.

CLINOIDES APOPHYSIS, Gr. κλινοειδὲς, a κλίνη, lectus, cubile; quod haec oſſis protuberantia ſinum paruum habeat, qui lectum referat. Vti ſic ſcapulae apophyſis humeri os recipiens; inprimis autem quatuor proceſſus minores in oſſe ſphenoide, quae ſellam, Turcicam dictam, efformant, Proceſſus clinoidei dicuntur.

CLINOPODIVM, eſt planta, (Didynam. Gymnoſperm.) quae habet caules tenues, quadratos, villoſos, longos: folia maioranae ſylueſtris ſimilia, ſed minus odora, ſibi inuicem oppoſita, villoſa, ſaporis ſaluiae; inuolucrum multifidum, verticillo ſubiectum. Flores in verticillos denſos, cauli circumpoſitos, aggeſti ſunt: galea erecta rotundula, bifida, barba tripartita. Flori ſuccedunt quatuor ſemina oblonga, tenuia, rubicunda, in capſula, quae flori tanquam calyx inſeruiuit incluſa. Radix fibroſa. Creſcit in ſyluis. Species maxime obuia eſt *Clinopodium vulgare*, capitulis ſubrotundis, hiſpidis, bracteis ſetaceis *Linn.* Quibusdam *Marum* appellatur. Eſt proprie vi vocis lecti pediculus, quod folia habeat lecti pedibus ſimillima. A κλίνη, lectus, et πούς, pes. Ge. Maſtixkraut, Wirbeldoſten. G. *Herbe de maſtic, Baſilic ſauvage.* A. *Wild Baſil.* B. *Maſtik-kruid.*

CLISTVS, vide *Clyſſus.*

CLITORIS, ſeu AMORIS DVLCEDO, eſt particula, quam homo cum plerisque quadrupedibus communem habet, ſcilicet velut penis muliebris, titillationi inſeruiens, genitalibus foemininis appenſus parte ſuperiori. Conſtat, vt penis virilis, ex duobus corporibus cauernoſis, quae ab inferiore parte oſſium iſchii et pubis ortum ducunt, et membrana nervea cincta ſunt; etiam in extremitate obtegitur glans praeputio a cute nympharum continuo. Eius ſubſtantia ſpongioſa eſt, et muſculis erectoribus, eiusdem, ac in viris, originis, inſtructa, adeo vt a ſanguinis maiori, vel minori, copia effuſa in cellulis cauernoſis tempore voluptatis intendi, erigi et relaxari poſſit; non tamen, vt in viris, perforata, nec penis magnitudinem habet, et vrethra caret. Interdum, praecipue in regionibus calidis, in monſtroſam excreſcit magnitudinem, vt praepoſterae Veneri ſeruire poſſit, quae Tribadiſmus dicitur. Huiusmodi foeminae ſaepe falſo pro *Hermaphroditis* habentur. Id ſingulare videtur, in foetu ſe-

meſtri et quadrimeſtri clitoridem grandem eſſe, poſt eam aetatem iterum diminui. Neque adhuc in menſe ſexto multum diminuitur, cum etiam in maturo foetu grandis ſit. In animalibus, vt penis, oſſiculum habet, nonnunquam etiam in foemina humana. Nomen habet a κλειτορίζω, laſciuio. Gr. Καλπωρὶς dicitur et nympha. Ge. Das Schaamzünglein, Kitzler. G. *Le Clitoris.* A. *The clitoris.* B. *De Kittelaar.*

CLONICI vocantur ſpasmi, quibus vel artus, vel totum fere corpus, agitatione coacta mouentur, ſicque differunt a ſpasmis *Tonicis*, quibus vel artus, vel totum fere corpus, rigidum et immobile tenetur.

CLYDON, eſt fluctuatio aſſumtorum in ventriculo, ob laxitatem fibrarum eius, et vim minorem muſculorum abdominalium, quam vt viſcera contenta ſufficienter comprimant. A κλύζω, abluo, lauo.

CLYMENVM, eſt planta, (Diadelph. Decandr.) ſimillima in omnibus *Lathyro*, niſi quod folia plurima vni coſtae adnaſcantur, non modo duo, ſed aliquando quatuor, ſex, vel octo, ad eundem exortum. Scilicet gerit folia pinnata cirroſa. Dictam ſcribunt ab inuentore, Clymeno rege: ſed rectius a κλίνω, reclino, quod fructus ſiue folliculi ad ſe inuicem reclinent, ac quaſi recumbant, veluti iridis floris folia. Poſtea clymenum vocarunt, et regium nomen ei impoſuiſſe finxerunt. Ge. Platterbſen. G. *Clyméne, Geſſe ſauvage.*

CLYPEALIS CARTILAGO, idem quod *Thyroides.*

CLYPEOLA, Ionthlaſpi *Tournef.* eſt plantae genus (Tetradynam. Siliculos) flore tetrapetalo cruciformi, ſilicula emarginata, orbiculata, plano-compreſſa, erecta, ſemine in centro pericarpii. Ge. Rundſchild. G. *Clypéole.* A. *Treacle-muſtard.*

CLYSMA, idem quod *Clyſter.*

CLYSSVS, eſt vocabulum Paracelſi, quo ſpiritum denotat, qui alicuius rei quintam eſſentiam continet: vel quando eiusdem rei ſpecies varie ſeorſim elaboratae iterum coniunguntur, vt cum ſal commune, ſulphur, oleum, ſpiritus et mercurius iterum in vnum corpus coagulantur. — *Clyſſi* nomine hodie inſignitur ſpiritus acidus natus ex collectione vaporum ſub detonatione variorum corporum ſulphureorum adſcendentium. Sic ex nitri cum carbonum puluere detonatione naſcitur *Clyſſus Nitri.* Nitrum cum ſulphure detonatum, *Clyſſum ſulphuris*, cum antimonio *Clyſſum antimonii* ſuppeditat. Vide *Eſſentia quinta.*

CLYSTER, et CLYSTERIVM, CLYSMA, ſeu ENEMA, eſt medicamentum internum, fluidum, quod per anum in

inteſtina ope ſiphonis iniicitur. Clyſteres alii ſunt emollientes, et laxantes, alii acriores, qui maiorem ſtimulum excitando humores copioſius alliciunt, alii detergentes, alii adſtringentes, alii anodyni, alii ad alias intentiones parati. A κλύζω, abluo, Gr. κλυσμός. *Clyſter* ſumitur aliquando latiori nomine, pro *Metrenchyta*, *Otenchyta*, *Riſenchyta*, etc. quae ſuis vocabulis ſuo loco reperiuntur. Ge. Kluſtier. G. *Lavement*, *Clyſtère*. A. *Cliſter*. B. *Kliſteer*.

CNICVS et CNECVS, vocatur *Carthamus*, herba, flores proferens ratione coloris ſtaminibus croci ſimiles. Hinc κνηκὸς eſt flauus color. Forte a καίειν accendo, quia ignei coloris eſt, vt Crocus, vel ἀπὸ τοῦ κνίζειν, quod mordere et pungere ſignificat: vel ἀπὸ τοῦ κνισμοῦ, quod pungendo pruriginem excitet, quod de ſylueſtri rectius, quam de ſatiuo, dici poteſt. *Cnicus* proprie plantae genus denotat (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) flore ſcilicet floſculoſo, cuius calyx ouatus eſt, imbricatus, ſquamis ramoſo ſpinoſis, obuallatis bracteis; corollulae aequales, ſemina coronata, receptaculum planum, villoſum. Ge. Kratzkraut. A. *Bleſſed Thiſtle*. — *Carthamus* vero eſt Ge. Wilder Saffran, Saflor. G. *Saffran ſauvage*, *Saffran batard*. A. *Baſtard Saffron*. B. *Wilde Saffraan*, *Baſterd Saffraan*.

CNIDE, eſt *Vrtica* vrens, quia nocenti lanugine pungit. A κνάω, ſcindo, ſcalpo, pruritum excito. Hinc *Cnidoſis* vocatur pruritus ei ſimilis, quem vrtica excitat.

CNISMVS et CNESMVS. A κνάομαι, ſcalpo, prurio. Vide *Pruritus*.

CNISSOREGMIA, ſiue SODA, eſt ciborum ex regno animali in ventriculo debili haerentium, nec ſubactorum ſatis, adeoque in initio putredinis poſitorum, eructatio, vnde *Rectus nidoroſus* dicitur. Si autem cibi ex regno vegetabili fuerunt, adeoque fuam ſequentes naturam, magis in acidum vergentem, eſt in ventriculo, quaſi exuſtio, et pruritus, cum eructationibus acidis. A κνάομαι, prurio, et ῥήγνυμι, rumpo, quia calor cum aciditate erumpere videtur. Ge. Sodbrennen, Magenbrennen. G. *Ardeur d'Eſtomac*. A. *The Heart buruing*. B. *De Zode*, *Spys-verbrandinge in de Maag*.

COADVNATA botanicis dicuntur folia, quorum plura inter ſe circa inſertionem connata ſunt.

COAGVLANS medicamentum dicitur, quod partes, fluidum conſtituentes, in maſſam ſtrictam et magis cohaerentem mutat, ita vt multae ſub vna ſuperficie moueantur antea ſeparatae, hocque facit vel expellendo particulas fluidiſſimas

et diluentes, vel addendo glutinans, vel partes inter ſe compingendo. Ge. Verdickende Arzeney. B. *Een verdikkend of zamenſtremmend Middel*.

COAGVLATIO, dicitur humoris a re aliqua vel vera privatio, vel ſaltem talis, quae ſenſibus noſtris non apparet, vel particularum ante fluidarum in ſolidum cohaerens mutatio. Ge. Verdickung, Gerinnung. G. *Coagulation*. A. *Coagulation or Curdling*. B. *Zamenſtremming*.

COAGVLVM; ita lac in ventriculo coagulatum, aut ſanguis, qui coiit, vel bilis vocantur.

COALESCENTIA, eſt partium ſolidarum vnio, quae antea erant diuiſae. Ge. Zuſammenwachſung. G. *Coaleſcence*. A. *Growing together*. B. *Aan-een-groeiinge*.

COALTERNA FEBRIS, *Bellino* dicitur, quando breui a fine integro vnius, iterum inuadit alia.

COARCTATI botanicis dicuntur rami verſus ſummitatem fere incumbentes.

COARTICVLATIO, idem quod *Diarthroſis*.

COBALTVM, *Cadmia natiua*, *foſſilis*, *metallica*, eſt, ſi illud in regulina ſua forma conſideratur, ſubſtantia ſemimetallica, griſea, ſplendens, quae aëri, vel acido vapori, expoſita rubrum et roſeum colorem in ſuperficie acquirit, atque vitrum eleganti caeruleo colore tingit. Rariſſime autem reguli ſub forma occurrit. Minerae vero, in quibus regulus Cobalti cum ſulphure, arſenico, biſmutho, argento, et ſ. p. mineraliſatus eſt, in variis Germaniae locis, inprimis copioſe in Saxonia, reperiuntur, atque ex iis vitrum caeruleum paratur, quod in ſubtiliſſimum puluerem redactum ad varios pictorios et oeconomicos vſus adhibetur. Hoc vitrum caeruleum eiusque puluis etiam Ge. Kobolt, et blaue Stärke, proprie vero *Smaltum* vocatur. Minerae Cobalti vſtulantur, et arſenicum ex iis prodiens colligitur. Poſt vſtulationem minerae cum ſilice commiſtae *Zaffera* Ge. Saflor, dicuntur. G. A. B. *Cobalt*. — In officinis quoque variae arſenicales minerae *Cobalti* nomine, Ge. Fliegenſtein, inſigniuntur. Vide etiam *Arſenicum* et *Atramentum ſympatheticum*.

COCCIGRIA, vel COGGYRIA, eſt arbuſcula montana et ſylvas amans, eiusque radicibus lanae, etc. purpureo inficiuntur colore. Etymon erit a κόκκος, granum, bacca, *color ex cocco factus puniceus*, et ἄγριος, ſylueſtris. Coccigria *Bauh.* Cotinus *Tourn. Rhus Cotinus Linn.* eſt plantae genus, (Pentandr. Trigyn.) cuius corolla pentapetala, bacca ſubrotunda, villoſa, vnilocularis, ſemen vnicum oſſeum. Vſus praecipue tinctorius. Ge. Gelbholz, Perückenbaum,

Färberbaum. G. *Fuſtet.* A. *The Venice Sumach, Cocci-gria.*

COCCINELLA, ſ. COCCINILLA, vide *Cochinella.*

COCCVS, in genere ſumitur pro omni bacca, ſed proxime refertur ad ilicis minoris, ſ. *Quercus cocciferae Linn.* baccas, quae *Grana Kermes*, ſeu *Chermes*, appellantur. Vide *Kermes Grana.* Hinc *Coccineus color.* Ge. Scharlachbeeren. G. *Graines d'Ecarlate.* — Apud *Linnaeum Coccus* eſt genus inſectorum hemipterorum, *(Gall-Inſecte Reaumur.)* quod roſtrum pectorale et abdomen poſtice ſetoſum habet. Mares alas duas erectas habent, et volatu ſaliunt. Foeminae apterae, inprimis ſi grauidae ſunt, ramis et radicibus plantarum fere immobiles adhaerent. Pertinent huc Coccus ilicis, ſ. Grana Kermes nec non Coccus polonicus et Coccus cacti, ſ. Cochinilla.

COCCVS, ſ. COCCYS, vel fructus Palmae cocciferae, vide *Cocos.*

COCCVS BAPHICA, idem quod *Kermes.*

COCCVS CNIDIVS, ſeu GNIDIVS, *Grana Gnidii*, baccae ſunt Thymeleae, vel Chamaeleae: admodum vrentes et acres. Hinc a κνέω, vro, vel κνίδη, vrtica vrens. Vrticae enim inſtar vrunt, mordent, pruriginemque excitant, pipere, quod calidum ſatis, calidiora. Forte *Gnidius* appellantur corrupte facilitatis gratia, vt fieri ſolet. Aliis tamen nomen deducitur a Cnido, Aſiae vrbe, quae et Gnidus dicitur, quoniam medici illius vrbis has baccas in vſum vocaſſe dicuntur. — *Cocci Gnidii* proprie ſunt ſemina Laureolae, quae eſt Laureola folio deciduo, flore purpureo *Bauh.* Daphne Mezereum floribus ſeſſilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis *Linn.* Aliarum ſpecierum Laureolae baccae tamen etiam loco eorum adhibentur. Qualitas his ſeminibus acris et ſeptica, viſque rubefaciens, excorians et draſtica vomitoria et purgans ineſt. Ge. Purgierkörner. G. *Semence de Laureole.*

COCCVS POLONICVS. *Cocci Polonici*, tinctorii, aut radicum ſunt globuli exigui, rubicundi, media aeſtate adhaerentes radicibus potiſſimum Polygoni cocciferi incani, flore maiori, perennis *Tourn.* Alchimillae gramineo folio, flore maiori *Bauh.* Scleranthi perennis *Linn.* Proueniunt tamen et in radicibus aliarum plantarum, quae in arenoſis creſcunt. Hi globuli ſunt aureliae inſecti hemipteri, roſtro pectorali, abdomine poſtice ſetoſo, alis duabus erectis in maſculis; foeminae apterae. Decerpti et aceto conſperſi prouide exſiccantur, et ex Polonia ad nos adferuntur. Vſus

praecipue rubro tinctorius eſt. Ge. Polniſche Scharlachbeere. G. *Cochenille de Pologne.*

COCCVLI INDICI, COCVLI, ſ. COCCVLI DI LEVANTE, ſunt fructus, ſeu ſemina, plantae Malabaricae, quae eſt *Meniſpermum Cocculus*, foliis cordatis, retuſis, mucronatis, caule lacero *Linn.* (Dioec. Dodecandr.) Grana ſunt reniformia, extus rugoſa, magnitudine lauri baccam aequantia. Qualitas eſt venenata et inebrians. Pediculos enecat. Piſces ſtupefacit. Ge. Fiſchkörner, Tollkörner. G. *Coques de Levant.* A. *Indian Cockles or berries.* B. *Indiaanſche Bezies.*

COCCVS MALDIVICVS, vide *Cocos Maldiuenſis.*

COCCYMELEA et COCCYMELEON, videtur eſſe pruni ſpecies. Quidam putant eſſe quaſi *Cuculi malum*; κόκκυξ enim eſt cuculus, et μῆλον, malus. Hinc arborem illam dictam coniiciunt, quod, ea florente, cuculus e ſuis latebris prodeat, et conſpiciatur: vel nomen hoc potius inditum, quod fructus matureſcant quando cuculus ad ſuas latebras redit, nec amplius videtur. Incerta tamen haec vocis origo, non minus quam illa, qua a κόκκυ Atticorum, quod *celeriter*, vel a τὸ κόκκυ, quod *rem minimam* ſignificat, derivatur, tumque vel pruna praecocia, vel pruneola, indicaret.

COCCYX, eſt oſſea compages, et quaſi appendix *Oſſis Sacri*, in cuſpidem deſinens, introrſum incuruata, ex tribus, rarius quatuor, oſſiculis, quaſi vertebris coalitis, nulla tamen cauitate peruiis, conſtans. In infantibus ſubſtantiae cartilagineae eſt. Suſtentat inteſtinum rectum, muſculisque inſertionem praebet. In excretione alui difficili, et in partu aliquantum extrorſum cedit. In quadrupedibus caudatis id os longum eſt, ex quam plurimis fruſtis conſtat, et caudam conſtituit. Dicitur et *Orrhopygium*, *Vropygium*, *Sacra-ſpina*, Iſidoro, κόκκυξ, ἐξοστώσιον, σκωλόλιον. Ge. Das Steißbein, Schwanzbein. G. *Le coccyx*, *l'Os de la queue.* A. *The coccyx.* B. *Stiez-been*, *Stuiz-been.*

COCHIA, Gr. κοχλία, diminutiuum eſt a κόκκος, bacca, vel granum. Eſt nomen pilularum purgantium, quae componuntur ex ſpeciebus *hierae picrae*, Trochiſcis *Alhandali*, *Diagrydio ſulphurato*, *Stoechade Arabica* et *Turbith*, cum ſyrupo de Stoechade, et quas capiti expurgando inprimis idoneas crediderunt, vnde Belgis et Germanis dicuntur. Germ. Hauptpillen. G. *Les pilules cochées.* B. *Hoofd-pillen.*

COCHINELLA, vel COCCINELLA, inſecti ſpecies eſt, quod fere rotundum et cimici non abſimile, interius colorem ſcarlatinum habet. Eſt ſcilicet inſectum ad coleoptera pertinens, cui ſunt: antennae ſubclauatae, truncatae; palpi

claua ſemicordata; corpus hemiſphaericum, thorace elytrisque marginatis; abdomen planum. Eſt *Coccus Cacti* coccinelliferi *Linn.* Coleopteris atris; maculis rubris duabus. Scarabaeus nigricans, alarum alis rubicundis limbis *Mer.* Inuenitur in quibusdam Indiae Occidentalis locis ſuper ſurculos *Opuntiae maioris ſpinoſae*, quae *Cacti* ſpecies, cuius fructus ſucco ſanguinei coloris repletus eſt. Animalculum hoc, plenam maturitatem adeptum, ab incolis fumo prius ſuffocatum, leni deinde fruticum concuſſione in ſubſtrata lintea decidens, facile colligitur, ſolisque calori expoſitum ſiccatur, et ſub ſpecie granorum conuexo-concauorum, ſtriatorum, atro-rubentium, ad nos transmittitur. Tinctoribus inprimis expetitur; in medicina vero propter vim diureticam contra nephritidem et hydropem laudatur. Sunt, qui ei vires alexipharmacas, cardiacas et praecipue abortum praecauentes attribuunt. Ge. et Ga. *Cochenille.* A. *Cochineal.* B. *Konchenille.*

COCHINELLA GERMANICA, eſt *Coccus Polonicus.*

COCHLEA, ſ. *Concha auris interna*, tertia *Labyrinthi* pars eſt, ſtructurae valde mirabilis, quae in anteriori parte oſſis petroſi inclinata ſedet. Vulgo Cochlea a ſimilitudine quam optime dicitur; teſtam enim limacis ſpirali ſua fabrica exactiſſime refert. Ipſa cochlea fit ex *modiolo* oſſeo conico, apice ſuo introrſum inclinato medio ſulco diuiſo, et in baſi et per omnem longitudinem numeroſis foraminulis perforato, in tubos, qui dicuntur ſcalae, in medio gyri ſecundi terminato. Circa hunc modiolum canalis in foetu diſtinctus et propria teſta factus, in adulto homine cum vicino oſſe connatus, circumuoluitur duabus ſpiris cum dimidia, conice a duobus orificiis, quorum alterum in veſtibulum, alterum in tympanum feneſtra, ſeu foramine ſic dicto rotundo, patet, verſus apicem modioli diminuitur. Hic canalis bilocularis eſt, et ſepto diuiditur, quod *laminam ſpiralem* vocant. Id parte maiori oſſeum eſt, et ex modiolo enatum ad rectos angulos in canalem cauum producitur, ſtriatum, vndique perioſteo interno tanquam vagina incluſum. Pars alia exterior membrana eſt, quae porro canalem diuidit. Ita duo ſemicanales diſtinguuntur, quos *ſcalas* vocant. Interior earum et poſterior, quae a foramine rotundo incipit, membrana ibi clauſa, *ſcala tympani*, altera anterior *ſcala veſtibuli* vocatur. Ex apice nuclei tertia cauitas infundibuli modo naſcitur, ſcyphi *Vieuſſenii* quae nomen habet. In eam lamina ſpiralis fine membranaceo terminatur, vt tamen infundibulum cum vtraque ſcala exiguo vtrinque foramine communicet, multis autem cum modioli cauea, quae neruo plena eſt, et ſcala tympani vocatur. Κόγχη *Rufo*, κραυὰς *Poll.* Ge. Der Schneckengang im Ohr. G. *Le Limaçon.* A. *The Cochlea of the Ear.* B. *Het Slek-been.*

COCHLEA, officinalis ſpecies, cuius opercula et teſtae olim in medicina adhibebantur. Pertinent ad eam *Helicis* ſpeciem, quam *Linnaeus pomatiam* dicit. Ge. Gartenſchnecken. Ga. *l'Eſcargot.* Conf. *Concha.*

COCHLEAR, a mediis adhibetur quantitatis determinandae cauſa. Maximum capit drachmas quatuor, ſ. ſemiunciam. Magnum ſesqui drachmam: paruum drachmam vnam: minimum drachmam ſemiſſem. Ge. Ein Löffel voll. G. *Cuillier, Cuillerée.* A. *A Spoon full.* B. *Een Lepel.*

COCHLEARIA OFFICINALIS, eſt herba inſignis antiſcorbutica, humilis, quae habet folia ex radice erumpentia, obrotunda, mediocriter ampla, carnoſa, excauata aliquando inſtar cochlearis, viridia, ſplendentia, ſucco plena, caulibus mediocriter longis purpureis adhaerentia: caules ex his naſcuntur ad altitudinem vnius circiter pedis, anguloſi, rubicundi, ramoſi, folia exigua oblonga ſine caulibus habentia. Flores quadrifidi, cruciformes, et albi iuxta longitudinem ſummitatum caulium naſcentes. Flori ſuccedit ſiliqua fere ſphaerica ſepto medio inſtructa, cui ad latera adhaerent ſemina exigua, fere rotunda, rubicunda. Radix exigua recta, et fibris albis inſtructa: icta planta, vel contrita, habet odorem penetrantem, et ſaporem acrem; creſcit plerumque in locis maritimis. Sic vocatur a cochlearis forma, quam folia habent. Ge. Löffelkraut. G. *Herbe aux Cuilliers.* A. *Scurvy-graſs.* B. *Lepelblad.* — In vniuerſum *Cochlearia* eſt plantae genus (Tetradynam. Siliculoſ.) flore tetrapetalo cruciformi, ſilicula emarginata, turgida, ſcabra; valuulis gibbis obtuſis; cuius etiam ſpecies eſt *Cochlearia Armoracia Linn.* Cochlearia folio cubitali *Tourn.* Raphanus ruſticanus I. *Bauh.* Armoracia C. *Bauh.* Ge. Meerrettig. G. *Grand Raifort.* A. *Horſe-Raddish.* B. *Rammelos.*

COCLES, quaſi vnoculus, vel ocles, vel κύκλωψ, quod a κύκλος, circulus, et ὄσσομαι, video.

COCOS, ſ. COCCVS, aut COCCYS, eſt fructus palmae cuiusdam, ſeu arbor ipſa, quae hunc fructum fert. Pertinet ea ad palmas pennatifolias, et ſingulare genus conſtituit. Specificum nomen eius eſt *Cocos nucifera Linn.* ſ. *Calappa Rumphii.* Habitat ea in Indiae paludoſis et vmbroſis. Nux matura ſpongioſo cortice, exterius glabro, interius fungoſo, obducitur. Nux ipſa recens lactea et liquorem dulcem re-

frigerantem continet, quem Indi bibunt. Medulla quoque admodum mollis, nutriens et optimi saporis est. Ge. Cocosnuß, Indianische Nuß. G. A. B. *Coco.*

COCOS MALDIVICVS, est palmae species, cuius fructus coco vulgari satis similis, aduersus venena et neruorum affectus laudatur. Ge. Maldivische Cocosnuß. A. *Maldiva Nut.*

COCTIO, in sensu physiologico est assumtorum in minimas particulas redactio, cum liquidis oris et ventriculi etc. mistio, ita vt apta euadant transitui per lactea, sanguineaque vasa, et nutritioni corporis. *Prima* coctio fit in ventriculo, a fermento ibidem a reliquiis ciborum remanente, partim ab humore gastrico ex glandulis vasa sua accipientibus ab arteriis coeliacis in ventriculum affluente, et a respirationis motu, et ipsius ventriculi contractione, et ambientium calore ac compressione. *Secunda* fit in intestinis a bile, et succo pancreatico, et prioribus adminiculis. *Tertia* in glandulis mesentericis, a lympha cum chylo sese miscente. *Quarta* in pulmonibus, dum chylus cum sanguine per vasa pulmonalia eorumque ramos minimos transit, et expansione vesicularum aërearum, indeque facta vasculorum compressione intime cum sanguine miscetur. *Quinta* in vasis et visceribus, puta liene, hepate, testibus virilibus, etc. Coctio ergo, quam veteres πέψιν appellarunt, est proprie assumtorum in nostram naturam mutatio per vim solidorum et fluidorum, siue per actiones naturales. Ge. Verdauung. G. A. *Concoction, Digestion.* B. *Kooking, Verdouwing.* — — Pharmacopoei eodem coctionis vocabulo vtuntur in coquendis medicamentis, quae nihil aliud est, quam particularum quarundam, ex medicamentis, mediante ebullitione, extractio. Ge. Das Kochen. G. *Cuisson.* A. *Boiling.* B. *Kooking.*

COCTIO, medicis practicis significat illum statum morbi, quo materia morbosa prius cruda, per circulationem sanguinis, vires naturae, per propriam materiae indolem, et medicamenta, sic mutatur quoad molem, figuram, cohaesionem, mixturam, acrimoniam, mobilitatem, inertiam, etc. vt non amplius adeo recedat a sano statu, minus aegrotum reddat corpus, et impetum morbi minuat, vel potius, dum sic mutatur materia morbifica, vt facillime et cum leuamine euacuari possit. Hocque sensu medici vrinam, aut sputa dicunt *cocta*, quae *crudis*, in quibus nulla fit materiae morbificae euacuatio, opponuntur. Status ergo ille morbi, in quo haec ita fiunt, appellatur coctio, maturatio, vel πεπασμός.

COCVLI, vide *Coccus Indicus.*

CODAGO-PALA, vide *Conessi.*

CODIA, proprie sunt capita papaueris, ex quibus syrupus conficitur, qui syrupus Diacodii dicitur, vel Diacodium. Late vero sumitur pro omni plantarum capitulo. Gr. κώδεια, et κώδια: κώδη fructus est papaueris. Ge. Mohnhäupter. G. *Pavôt.* A. *Tops or heads of poppies.* B. *Man-koppen, Slaaphollen.*

COECVM INTESTINVM, est in ordine a ventriculo quartum, et crassorum intestinorum primum; valde capax situm est ad os Ileum dextrum. Incipit, vbi intestinum Ileum desinit, et in appendice, siue processu vermiformi finitur, qui nonnullis inter recentiores proprie Coeci nomen mereri videtur, et proprio mesenteriolo gaudet. Longitudo huius intestini non excedit latitudinem trium, vel quatuor digitorum transuersorum; sacculi instar propendens, et ab vna parte imperuium est. Intestinum scilicet crassum in foetu infra ilei ingressum incipit gracili particula, cylindrica et lente crassescente, quae sensim in speciem infundibuli dilatatur, fitque verum intestinum, quod porro adscendit, cum eolo ad angulum fere rectum continuatur, ileon recipit, nuncque colon est, tumque appendix maior est, quam in adulto homine, et aliquando etiam dimidiam partem latitudinis habet. In adulto conica figura intestini coeci abit in rotunde triquetram, quae fine vltimo in tria tubera intumescit, tumque appendicula a crassiore foece repudiata minorem ad reliquum coecum rationem induit, eademque, quae de centro coeci exibat, nunc exit de latere sinistro. Pleraque animalia, praecipue quadrupeda carniuora, intestinum coecum habent. Est illud receptaculum excrementorum, quae in hoc loco, tum mora, tum resorptione tenuissimarum partium, tum ope succi mucosi, quem glandulae stillant, coagmentantur. Gr. Τυφλὸν ἔντερον. Ge. Der blinde Darm. G. *Le Boyau coecum.* A. *The blind gut.* B. *De blinde of slop-Darm.*

COECVS ALEMBICVS dicitur, qui aut rostro penitus caret, aut rostro imperuio instructus est.

COELIA, est cauitas magna, vt venter infimus, medius et supremus. A κοῖλος, cauus. Ge. Höle. G. *Cavité.* A. *Any great cavity.* B. *Een Holligheid.*

COELIACA AFFECTIO, i. q. *Coeliaca Passio.*

COELIACA ARTERIA, est, quae a trunco arteriae magnae inter appendices diaphragmatis in abdomine oritur, ventriculo, hepati et lieni suis ramificationibus prospicit. Germ.

Die Magenpulsader. G. *Artére Coeliaque.* A. *The Coeliack artery.* B. *De Maags Slag-ader.*

COELIACA PASSIO, siue affectio, est alui fluxus, in quo cibus vel in totum, vel ex parte, mutatus, absque perfecta chylificatione per anum eiicitur. Estque duplex, *prima*, in qua cibus in ventriculo solummodo coquitur: *altera*, quando in ventriculo et intestinis coctio, seu fermentatio, simul peragitur, verum propter obliterationem, aut obstructionem, papillarum intestinalium, vel vasorum lacteorum, ex longa nempe inedia, vel dysenteria purulenta, etc. non intrat in corpus. *Coeliaca passio* proprie est materiae albescentis, vel chyli non resorpti per aluum deiectio, et in hac differt a lienteria. Vide *Lienteria.* A κοιλία, venter, aluus Ge. Bauchfluß. G. *Flux d'Aliment, Flux Coeliaque.* A. *The Coeliack passion.* B. *Grauwe-loop, rauwe gyloed.*

COELIACA VRINALIS, nonnullis vocatur illa species diabetis, quando chylus cum vrina, aut loco vrinae, prodit.

COELI DONVM, i. q. *Chelidonia.*

COELOMA, est vlcus cauum et rotundum, minus profundum, in cornea oculi tunica. A κοῖλος, cauus.

COELVM, quasi κοῖλον, in genere concauum sonat, hinc coelum dicitur, quod immenso ambitu comprehendit vniversum. In medicina vero est cauitas oculi versus canthum, aut etiam palpebra superior. *Coeli* τρόποι, sunt aëris constitutiones. Coelum etiam dicitur *Palatum anterius.*

COEMENTATIO et COEMENTVM, vide *Cementum.*

COERVLEVM, vide *Caeruleum.*

COFFE, vide *Cafe.*

COGGYGRIA, vide *Coccigria.*

COHOB et COHOBIVM, i. q. *Cohobatio.*

COHOBATIO est, quando liquor destillatus, iisdem speciebus, quarum viribus impraegnatus erat, sed recentibus, iterum affunditur, et deinceps destillationi exponitur; vt sic viribus maioribus impraegnetur, et magis reddatur spirituosus. Ge. Wiederholtes Abziehen. G. A. *Cohobation.* B. *Vernieuwing, Weder-overhaaling, Weder-overtrekking.*

COINDICANTIA, sunt signa, quae cum aliis signis simul considerata, idem auxilii genus in morbis adhibendum indicant.

COL. ADD. in formulis medicorum breuitatis gratia scribitur, et significat *Colaturae adde*, quando decoctioni percolatae aliquid insuper admiscetur.

COLATIO et COLATVRA, est, quando liquor post coctionem

nem, aut infusionem, per cribrum, aut pannum, percolatur, et a crassioribus particulis liberatur. Ge. Durchseigung. G. *Colature.* A. *The straining of a liquor.* B. *Doorzygsel.* Vocatur etiam *Colatura* liquor ipse iam percolatus.

COLATORIVM, est cribrum, pannus, aut aliud quid, per quod aliquid colatur. Ge. Ein Seigtuch, ein Durchschlag. G. *Colatoire.* A. *Strainer, a straining cloth.* B. *Een Zygdoek, een Doorzygtuig.* Vid. *Manica Hippocratis.*

COLCHICVM, *Colchicum autumnale Stoerk* et *Linn.* foliis planis lanceolatis, est planta florem autumni initio ferens; folia habet lilii; florem liliaceum, monopetalum, ex ipsa radice ortum, tubi tenuissimi forma, in sex partes sensim ampliati. (Hexandr. Trigyn.) Pistillum autem e fundo floris surgit, in capillamenta tenuia tria desinens, abitque in fructum oblongum, trigonum, trilocularem, futuris dehiscentibus introrsum, foetum seminibus subrotundis. Radix est gemina, tuberosa, rotunda, auellanae magnitudine, compressa, albida, carnosa; quarum vna exterior elapsi anni sterilis, marcescens; altera in fibras porrecta, intra priorem latens, eodem inuolucro membranaceo inuoluta. Saporis, dum recens haec planta, acerrimi, dum annosa, subdulcis farinacei paululum viscosi, vel lenti est, odoris nullius. Crescit haec planta in pratis humidis Europae australis; bulbus dicitur esse venenosus. Commendabatur olim a quibusdam, vt amuletum contra pestem. Ill. Archiater *Stoerkius* radicem Colchici in aceto macerare, et adiecto melle Oxymel Colchici praeparare docuit, cuius ad drachmam vnam, aut duas quotidie sumti insignis est vis diuretica, et praestantissima virtus antihydropica. A Colchide, quae hodie Mingretia vocatur, veneni ferace, in qua nascitur, nomen sumsit. Gr. Ἐφήμερον s. Hermodactylum vocant. Ge. Zeitlosen, Wiesensaffran. G. *Colchique ou Mort au chien.* A. *Meadow-Saffron.* B. *Tydelooſen, Naakte-Vrouwen.* Vide *Ephemerum.*

COLCOTHAR, est illud corpus siccum et terrestre, quod post destillationes validas in vasis remanet, vulgo *Caput mortuum*, et proprie intelligitur de *Vitriolo*, scilicet materia fusca, quae post destillationem spiritus vitrioli relinquitur, et e qua affusa aqua feruida sal vitrioli vomitorium, seu Gilla Theophrasti, eluitur. Quod remanet, terra vitrioli dulcis vocatur, quae externe adhibita vires exsiccantes exserit. Ge. Der Todtenkopf. G. *Tete morte.* A. *The caput mortuum of Vitriol.* B. *Doode Kop.* Vide *Chalcitis.*

COLEOPTERA *Insecta* dicuntur, quae peculiarem ordinem in classe insectorum constituunt, et suas alas membranaceas

et plicatiles, ſub alis corneis conuexo-concauis, quae *Elytra* vocantur, recondunt, ſicque a Gymnopteris differunt, quae huiusmodi elytris carentia alas nudas gerunt.

COLES, i. q. *Penis*.

COLICA PASSIO, i. q. *Colicus Dolor*.

COLICVS DOLOR, ſ. etiam COLICA, eſt dolor acutus, in inteſtinis ſedem habens, oriundus a quacunque cauſa, quae fibras neruoſas inteſtinorum valde diſtendit, erodit, irritat, comprimit, ſoluit. A Colo inteſtino nomen habet, forte quia frequentius illud in ea patitur, ob ſitum, flexuras, aliasque eiusmodi cauſſas, licet in omni inteſtinorum loco hic morbus oriatur. Eſt vero vehementior, aut mitior; et pro diuerſitate cauſſarum dicitur flatulentus, pituitoſus, ſtercoreus, verminoſus, bilioſus, nephriticus, hyſtericus, phlogiſticus, ſpaſmodicus, continuus, aut intermittens. Saepe habet ſtatas periodos, murmura ventris, et punctiones, vel vagas, vel fixas; aluus plerumque ſuppreſſa eſt, vel flatibus plena. Vagus ſaepe eſt, et inſtabilis, interdum vero vno in loco fixus, neque tunc flatu erumpente lenitur. Interdum eructatio et vomitus vrgent, et febris, vel inquietudines, et vrinae quoque ſuppreſſio; quod ſi diuturnus, fixus et vehemens fuerit, ei ſolet denique remittenti paralyſis artuum ſuperuenire. Ge. **Das Bauchgrimmen, Bauchwehe, Colick, Darmgicht, Darmwinde, das Grimmen.** G. *Colique, Tranchée de Ventre.* A. *The Colick.* B. *Colyk, Darm-ſcheels pyn.*

COLICA *Pictonum*, ſ. *Vegetabilis, Colica Pictorum, ſaturnina, metallica, ſicca, Rachialgia Aſtruc.* etc. ſunt ſpecies doloris colici, multum inter ſe quoad ſymptomata conuenientes, licet a diuerſis cauſſis oriri poſſint. Character praecipuus conſiſtit in atrocibus doloribus abdominis ad lumbos et dorſum ſerpentibus, preſſione non creſcentibus, cum vmbilici non raro retractione, alui conſtipatione, foecibus ſiccis, inſtar ſtercoris ouilli, vel caprini, prodeuntibus, ſumma pertinacia, ſudore frigido, manuum et crurum torpore, paralyſique, ſeu *Pareſi*, alias artuum contracturas chronicas terminante. Cauſſa eſt materia quaedam tunicis inteſtinorum impacta, eorumque neruos grauiſſime adficiens, ſiue ea, vt olim inter Pictones frequenter contigit, a ſucco vegetabili acido, auſtero et immaturo, ſiue, vt pictoribus, figulis, et metallurgis accidere ſolet, a particulis metallicis, praecipue ſaturninis, ſiue ab arthritide, aut purpura retropulſa orta ſit. Nonnulli ſemper a plumbo, etiam potulentis inhaerente oriri putant. Plerumque poſt mortem mirae nec diſſolubiles in inteſtino colo deprehenduntur conſtrictiones. G. **Trockne Colick, Bleycolick, Hüttenkatze.** G. *Colique Végétale, Colique de Poitou, Colique des Peintres, Colique ſeche.* A. *The dry belly-ach, the Deuonshire Colick.*

COLLA, eſt *Gluten*. Gr. Κόλλα. Ge. Leim. G. *Glu, Colle.* A. *Glue.* B. *Lym, Pleiſter.* — *Collae*, ſ. Glutinis ſpecies, ex vegetabilium et animalium glutinoſis partibus praeparantur. — In ſpecie *Colla piſcium* eſt idem quod *Ichthyocolla*.

COLLARE MISERICORDIAE. Ge. **Elendskragen.** G. *Collier de miſere.* Eſt faſciae ſpecies ſcapulis iniecta, quae fundae pro lithotomia firmanda inſeruit.

COLLATITIVM, eſt caro cocta, vel aſſata, pulli, aut caponis, quae in mortario tunditur, tuſa iuri veruecino admiſcetur, quae aegris cum omphacio, aut limonum ſucco, propinatur. Forte ex κόλλα, gluten. Ge. **Kraftbrühe.** G. *Reſtaurant.* B. *Kragtig-nat.*

COLLECTIO, eſt, quando varia medicamina ſicca, vti radices, herbae, ſemina, etc. praeſcribuntur, et inuicem miſcentur, vt vino infundantur, ſicque aegris porrigantur. G. **Vermiſchung.** G. *Collection.* A. *Collection, Gathering together.* B. *Vergameling, Collectie.* — In Pathologia denotat humorum praeternaturali copia in quacunque corporis parte accumulationem.

COLLETICA, ſunt medicamenta conglutinantia, vt *Sarcotica*. A κολλάω, glutino.

COLLICIAE, ſunt *Lacrymalium punctorum* in vnum ductum in vtroque latere concurſus, quo lacrymae in narium cauа deriuantur; in homine ipſi palpebrarum margini ad canthum maiorem inſculpta foramina, breues demittunt canaliculos, qui in ſinum ampliati narium continuantur, et in earum cauum aperiuntur. In oue, lepore, vitulo, cuniculo, non in ipſis ciliis, ſed interius paulo eadem reperiuntur oſtia, quae profundius in auibus quaerenda, vbi, quam in vllo alio animalium genere, longe maiora, receptum maiorem ſtylum per palati rimam emittunt. Breuis hic admodum, quae foramina diſtinguit, membrana eſt. G. **Thränengänge.** G. *Conduits des Points lacrimaux.* A. *The lacrymal-ducts.* B. *Water-gooten, of Traan-gooten.*

COLLIQVAMENTVM, eſt liquidum in ouo humano, vel animali, contentum, quod fotu, vel incubatu, fluidiſſimum, tenuiſſimum, pellucidiſſimum factum eſt, ita vt eo, rudimentum animale innatans, nutriri poſſit. Hinc in ouis animalium membranaceus ſacculus rudimentum ambiens, in quo haeret hoc liquidum, vocatur *Sacculus colliquamenti*.

COLLIQVATIO, eſt exſtincta in humoribus, et interdum etiam partibus firmis, naturalis cohaerendi potentia a cauſa morboſa, qua degenerant in morboſum tenuem humorem, ſeu liquamen. Hinc *diarrhoea colliquatiua, ſudor colliquativus*, etc. ſunt ſecretiones morboſe auctae et a reſolutione humorum pendentes.

COLLIQVATIVA FEBRIS, pertinet ad continuas, ſaepe eſt ſymptomatica, oriturque a cauſa, maſſam ſanguineam ſolvente et colliquante, vnde ſudor, vel alui fluxus copioſus, qui ideo *colliquatiui* dicuntur, et ſubita emaciatio corporis.

COLLISIO, i. q. *Contuſio*. Ge. Quetſchung. G. et A. *Contuſion*.

COLLVM, eſt illa pars corporis, quae intra caput et pectus media eſt, et ſuſtentat caput. Conſtat ex ſeptem vertebris, muſculis, arteriis carotidibus, venis iugularibus, larynge, pharynge, etc. Anterior pars tantum dicitur *Collum*, poſterior vero *Ceruix*. Ge. Der Hals. G. *Le Col*. A. *The Neck*. B. *De Hals*. — Datur etiam hoc nomen aliis partibus, quae ſimilem ſitum habent, quam collum reſpectu capitis. Sic *Collum vteri*, eſt media pars intra fundum vteri et eius orificium. Ge. Der Hals, Mund der Gebährmutter. G. *l'Orifice de la Matrice, le Col de la Matrice*. A. *The Neck of the Womb*. B. *De Hals des Lyfmoeders*. — *Collum veſicae*, eſt pars, vbi veſica in vrethram exit.

COLLVTIO, eſt oris ablutio, qua dentes vacillantes, vel qua gingiuas, et vlcera detergimus. Ge. Ausſpülung. G. *Gargariſme*. A. *Gargariſm*. B. *Een Af-waſſchinge, ſpoelinge, ſpoel-water*.

COLLYRIVM, quondam erat medicamentum ſiccum, quod in oculorum affectibus ſumebatur. In oblonga vero, vel nonnunquam orbiculari forma paratur, et vſus tempore vehiculo conuenienti pro oculis ſanandis diſſoluitur, aut intra fiſtulas et vlcera caua immittitur. A κολοβὸς, mutila, et οὐρὰ, cauda, quia habet velut mutilatam caudam; aut potius a κωλύω, inhibeo, et ῥύσις, fluxio, quia fluxiones oculorum inhibet, vel a κολλύρα, panis ſpecie. Diſtinguunt aliqui inter κολλύρια et κολούρια, atque hoc vltimo deſignari putant, quae vlceri immittuntur oblonga forma; prius medicamenti genus paſtillis ſimillimum. Hodie collyrium ſignificat puluerem tenuiſſimum aqua dilutum, aut aliud medicamentum fluidum oculis applicandum. Ge. Augenarzeney, Augenwaſſer. G. *Collyre, Remede pour le Mal des yeux*. A. *A Remedy for the eyes*. B. *Oog-water*.

COLOBOMA, Gr. Κολόβωμα, eſt vitium labiorum, palpebrarum, aurium, vel narium, etc. quo partes partibus vel a natiuitate, vel caſu quodam, accreſcunt, quae tamen antea vel ſolutae fuerant, vel ſolutae eſſe debuerant. A κολόω, amputo, vel κολλάω, agglutino, vel κολοβόω, mutilo, decurto.

COLOCASIA, eſt planta ad altitudinem plurium pedum perueniens. Folia ſunt ampla, rotunda, in parte inferiori neruoſa, longis et craſſis caulibus adhaerentia, ſuccum aquoſum et viſcoſum habentia, laeuia, pedunculo in vmbilicum folii inſerto; finis pedunculi dat calycem monophyllum membranaceum, infra cauum, turgentem in oualem figuram, ſupra in vaginam acutam, ſemipatulam, inſtar auris ouillae explicatam. Ex imo fundo calycis axis exit, cui circumnaſcuntur multa oua ſphaerica, baccata; ſingula inſtructa ſunt tuba longa, tenui, filamenti inſtar, gerentia vnum, vel alterum ſemen ſubrotundum. Eidem axi ſupra haec oua circumcreſcunt ſtamina maſculina denſe ſtipata, ſuis antheris inſtructa: denique ſupra haec iterum tertia ſeries filamentis numeroſis eundem axin ornat, qui tum format pedunculum graciliorem purpureum. Ille denique eminens, in clauam longam, nigram plerumque abit. Radix eſt tuberoſa, craſſa, carnoſa, farinoſa, edulis, ſaporis Caſtaneae. Hinc male *Bontius* venenatam dicit, dum in Syria, Arabia, et Aegypto, abunde, absque praeuia maceratione cocta editur. Creſcit haec planta in lacubus et paludibus, praeſertim in Aegypto et Alexandria: putatur eſſe Arum Aegyptium. A κόλα, venter, et κάζω, orno, quod ventrem ornet. Apud nos in hortis, et quidem in hybernaculis, colitur. Eſt proprie ſpecies Ari, et quidem *Arum colocaſia Linn.* (Gynandr. Polyandr.) acaulis, foliis peltatis, ouatis, repandis, baſi emarginatis. Ge. Egyptiſcher Aron. G. *Feve d'Egypte, Colocaſie*. B. *Egyptiſche Water Boon-Wortel*.

COLOCYNTHIS, eſt planta cucumeracea, ſeu ſpecies cucumeris, (Monoec. Syngeneſ.) *Cucumis Colocynthis Linn.* foliis multifidis, pomis globoſis, glabris; Colocynthis maior, fructu rotundo *Bauh.* Habet ſcilicet plures caules repentes, villoſos, aſperos, folia caulibus ſatis longis adhaerentia, a ſe inuicem ſatis diſtantia, ampla, profunde inciſa, villoſa, aſpera, albeſcentia, inprimis in parte inferiori, punctis plurimis albis notata. Flores ſunt campaniformes, patentes et quinquefidi, flaui; alii ſteriles ſunt ſine embryone, alii embryoni inſident, ex quo demum fit fructus laeuis, amarus, rotundus, non eduliſ, pugni magnitudine, ex flauo viridis, occludens ſub cortice renui, pulpo et ſplendente medullam

candidam, fungoſam, leuem, et ſemina in celluljs parua, compreſſa, oblonga, cucumeracea, quaſi ſordida, albicantia. Creſcit haec planta in Indiis Orientalibus; aduehitur nobis cortice denudato, et tunc albidi eſt coloris, ex Italia, Hiſpania, Gallia, etc. Vehementer purgat, vt a quibusdam, ob hanc vim draſticam, pro venenata habita ſit. Tamen, praeter *Trochiſcos alhandal*, ſeu pulpam mucilagine tragacanthae ſubactam, etiam in plures compoſitiones purgantes antiquiores, nec minus in vnguentum de arthanita et confectionem Hamech recipitur. Specificae ad expellendam taeniam ei ineſſe vires dicuntur. Gr. Κολοκυνθὶς, cucurbitam ſignificans paruam, παρὰ τὸ κόλον κνήθειν, ſeu κνᾶν, quia colon, ſeu ventrem commouet. Vide *Cucurbita*. Arab. *Alhandal*, *Chandel*, *Handel*, et *Handhal*. G. Coloquinten, wilder Kürbis. G. *Coloquinte*. A. *Coloquintida*. B. *Koloquint*.

COLOMBO, ſ. COLVMBO, aut COLVMBAE RADIX, eſt radix longa et craſſa, extus e flauo griſeo, intus coloris e flauo albicantis, plantae flore compoſito, (Syngeneſ. Polygam.) in Zeylana et ad vrbem *Columbo* habitantis. Odoris nullius, ſaporis intenſe amari. Ad nos in taleolos diſſecta affertur. Viribus gaudet ſtomachicis et carminatiuis, praecipue vero eximia virtute alexipharmaca et antiſeptica, inprimis antibilioſa. Datur vel in ſubſtantia, vel in decocto. Frequentiſſimus eius in Noſocomiis Indiae Orientalis vſus eſt. Nunc vero in Anglia et Europa etiam adhibetur. Ge. Columbowurzel.

COLON, eſt craſſorum inteſtinorum ſecundum; eius ſitus ſic ſe habet. In dextro Ilio a Coeco inteſtino oritur, et reni dextro adhaeret; deinde ſurſum reflectitur ſub hepate, vbi folliculo fellis nonnunquam annectitur, a quo luteo colore inficitur; vlterius pergit transuerſim ſub fundo ventriculi omento annexum, et a ſiniſtris lieni iungitur, deinde reni ſiniſtro alligatur, vbi gyros habet admodum obliquos, et poſt flexuram ſigmoideam in rectum recta deſinit. Longum eſt communiter palmas octo, vel nouem, latiſſimum vero et ampliſſimum omnium. Cellulas habet multas, in quibus foeces retinentur et formantur, quae cellulae in adultis admodum conſpicuae, in neonatis vix adhuc obſeruantur. Formantur hae cellulae a tribus ligamentis coli longitudinalibus, ab inteſtino coeco decurrentibus. Ligamentum enim, quod magnum dicitur, medii digiti latitudine per eius medium parte ſuperna intexitur, deinde ob amplitudinem duo ligamenta fortia habet, vnum ſurſum, ſub adhaerente omento, quod *gaſtro-colicum* vocatur, alterum vero deorſum, ſub meſocolo, quod *meſocolicum* dicitur, vt ſupernis et infernis partibus alligetur. Circa initium habet valuulam, quae *Valuula coli*, *Tulpii*, vel *Bauhini* nominatur, ex prolongatione tunicarum internarum natam ſurſum, ſpectantem, ne ſcilicet ex craſſioribus inteſtinis in tenuia aliquid remeet. Venas accipit a ramo meſenterico venae portarum, arterias ab vtraque meſenterica, neruos ab octauo pari. Gr. Κῶλον, ἡ κατὰ κοιλία *Rufo*, *Poll.* Νηίαιρα *Hom.* Ἀ κολάζεσθαι, torquendo; quod in eo fiant tormina colica, vel a κοιλότης, cauitas, apud *Athen.* vel a κωλύειν, ab impediendo, quia in eo excrementa, ne ſtatim decidant, morantur. Ge. Der Grimmdarm. G. *l'Inteſtin Colon, ou le grand Boyau*. A. *The great Gut, Colon*. B. *Kolon*.

COLON, Gr. Κῶλον. Vide *Membrum*.

COLOPHONIA, dicitur, quod ex Colophone vrbe olim aduehebatur. Eſt ſubſtantia reſinoſa, flaueſcens, arida ac friabilis, reſidua ex reſinis abietina, ſtrobilinaque coctione, dum purgantur, vel deſtillantur, inſpiſſatis ac frigore induratis, vel etiam ex reſiduo olei terebinthinae. Si in puluerem redigatur, et puluis per candelam accenſam diſpergatur, flammam concipit, et fulgur repraeſentat. Vocatur et Pix Graeca. Fumus eius ad teneſmum et prolapſum ani, et vteri procidentiam commendatur; additur emplaſtris. Roborat et ſiccat. Ge. Spiegelharz, Geigenharz. G. *Colophone*, *Poix-reſine*. A. *Colophony or Roſin*. B. *Spiegel-Hars*.

COLORATA botanicis dicuntur plantarum folia, quae alio ſunt, quam viridi, colore.

COLOSTRVM, dicitur lac primum, quod poſt partum, nondum ſatis dilatatis tubulis lacteis, in mammis colligitur, tenuius et acidius. Facillime coagulatur, inſantibus tamen ad promouendam meconii excretionem valde proficuum eſt. Ge. Die erſte Milch nach der Geburt. G. *Le Coloſtre*. B. *Bieſt*.

COLPVS, i. q. *Sinus*. Gr. Κόλπος.

COLVBRINA, *Serpentaria* dicta, idque ob ſerpentinum, ſiue colubrinum colorem, quem habet caulis. Eſt *Ariſtolochia ſerpentaria Linn.* (Gynandr. Hexandr.) foliis cordato-oblongis planis, caulibus infirmis flexuoſis, teretibus, floribus ſolitariis; Ariſtolochia piſtolochia, caule nodoſo *Pluk. Catesb.* quae in Carolina et Virginia naſcitur, ideoque in officinis *Serpentaria Virginiana* dicitur. Radix, ob qualitatem acrem et aromaticam eximiis viribus pellentibus, diaphoreticis et exanthematicis pollet. G. Virginiſche Schlangenwurz.

G. *Colubrine, Serpentaire.* Arum maculatum ita quoque vocatur. Vide *Dracontium.* Eodem quoque nomine insignitur *Bistorta.*

COLVBRINVM LIGNVM, siue SERPENTARIVM, proprie radix est arboris Timorensis, admodum amara, brachivm crassa, sub cortice fusco ferrugineo, subinde maculis cinereis notato, includens materiam solidam, densam, ponderosam. Arbor est *Strychnos colubrina* foliis ouatis, cirrhis simplicibus *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Solanum arboreſcens indicum, foliis Napaeae maioribus magis mucronatis *Breyn.* Clematitis indica spinosa, foliis luteis *Bauh.* Modira-Caniram *Rheed.* Crescit in Timor, Zeylan, et Malabaria. Qualitatis est acris, amarissimae et suspectae. Vtuntur aduersus Colubri morsus; medetur et febricantibus. An vero tutus sit huius vsus, nonnulli dubitant, quia Nuces Vomicae minores venenatae fructus sunt eiusdem arboris. *Hermannus* annosam tantum probat; alii ab eo penitus abstinendum esse iudicant, cum tutiora in promtu sint.— Nascuntur in vniuersum in *Zeilon* tria simplicia, quae sub *ligni colubrini* nomine denotantur. Sed maxime genuinum et optimum est *Ophiorhiza Mungos Linn.* Mungos radix *Kaempf.* Lignum colubrinum laudatissimum *Garz.* Clematis indica, foliis persicae, fructu periclymeni *Bauh.* Habet haec planta corollam monopetalam, infundibuliformem, quinquefidam, calycem monophyllum, erectum, quinquedentatum, stamina quinque, stylum vnicum, capsulam bilocularem, polyspermam, caulem erectum, folia opposita lanceolato-ouata, corymbum terminalem, racemosum. Haec tamen radix vix in nostris officinis inuenitur, cuius tamen hi veri sunt characteres: est radix simplex, non longior spithama, nec digito crassior, curuata, vndosa, flexuosa, lignosa, dura, fragilis, alba, amarissima, cortice rugoso, fungoso, rufo. Vide *Linn.* Amoen. Acad. T. II. p. 89. et 119. Conf. *Mungos* et *Serpentaria.* Ge. Grießholz, Schlangenholz. G. *Bois couleuvré, ou de Coleuvre, Bois de Serpens.* A. *Snake wood.* B. *Slangenhout.* Indis *Comexi.*

COLVM, est omne illud, per quod, ad liquorum depurationem, aliquid colatur et transmittitur, vt cribrum, manica *Hippocratis*, linteum, papyrus bibula, etc. Hoc etiam sensu quaeuis organa secretoria in corpore nostro *cola* dicuntur, Ge. Ein Durchschlag, Seigtuch. G. *Un Couloir.* A. *A Strainer.* B. *Een Stramyn, Klein-doek.*

COLVMBO, vide *Colombo.*

COLVMELLA, i. q. *Cion.*

COLVMNAE CORDIS, sunt carneae et rubrae eminentiae, et trabeculae, in auriculis et ventriculis cordis conspicuae, quae sunt totidem quasi musculi, inuicem iuncti, contractione sua caua cordis angustantes. Aliae *Valuulis mitralibus* et *Tricuspidalibus* accretae sunt. Ge. Herzmuskeln. G. *Colonnes charnues du coeur.* A. *The fibres or columns of the Heart.* B. *Hert pilaartjes.*

COLVMNA NASI, est nasi pars carnosa in medio prominens, labio superiori vicina. Ge. Die Nasenspitze. G. *La Colonne du Nez.* A. *The end of the Nose.* B. *Het Neusteunsel.*

COLVMNA ORIS, idem quod *Cion.* Hac voce etiam apud *Aretaeum* morbosa huius partis per inflammationem intumescentia denotatur.

COLVMELLARES DENTES, vide *Dentes.*

COLVTEA, est arbuscula, cuius lignum intus cauum, fere instar Sambuci, sed durius, et non medullosum, duplici cortice obductum, superius cinereo, inferius viridi. Folia novem aut vndecim vni costae adhaerentia, Sennam referentia, sed maiora, molliora, et magis subrotunda, obtusa, in superiori parte polita, et magis viridia, quam Sennae, albescentia et villosa in parte inferiori, saporis amari. Flores sunt leguminosi, papilionacei (Diadelph. Decandr.) coloris flaui, in spicam congesti; calyx est quinquefidus. Flori succedit siliqua membranosa instar vesicae inflata, polita, plerumque rubicunda, in duas partes basi superiori dehiscens; continens semina reniformia, flaua, post maturitatem fere nigra, saporis pisi: quod, si quis eam mutilet, ipsa moritur; ergo a κολόω, mutilo. Dicitur etiam, quoniam, vt senna, purgat, Senna spuria, vel Senna pauperum. Eius tamen vsus, ob acerrima, quae excitat tormina, minus tutus est. Ge. Wälscher Senesbaum, Blasenbaum, wälsche Linsen. G. *Baguenaudier.* A. *Bastard Senna.* B. *Lombartse Linse.*

COLYTEA, idem quod *Colutea.*

COMA, est in plantis, quidquid hilari venustate, crinium modo, summa ramorum, vel colliculorum, exornat. Magis vero specialiter *Coma* dicuntur *bracteae* caulem terminantes magnitudine insignes; sic etiam spica vocatur *comosa*, si foliolis terminata sit. Vide *Summitates.*

COMA AVREA, vide *Chrysocoma.*

COMARVS, est *Arbutus*, et dicitur παρὰ τὸ κόμην ἐν τῷ χειμῶνι ἔχειν, quod comam, siue cacumen hyeme viride obtineat — *Comarum* apud *Linnaeum* plantae genus est, quod ad Icosandria Polyandria pertinet, et Quinquefolium palustre

rubrum *Bauh.* comprehendit. Ge. Gänſekraut, Siebenfingerkraut. G. *Quintefeuille rouge.*

COMA SOMNOLENTVM, eſt ſopor lethargo minor, ſine febre, ſine delirio, in quo aeger excitatus ad interrogata reſpondet; et ſtatim in profundum ſomnum relabitur, ore hiante et maxilla inferiori demiſſa, mortuis ſimilior, quam viuis, decumbit. Recenſetur tamen etiam inter ſymptomata febrilia, et quandoque critica. *Cauſa* eſt obſtructio vaſculorum, vel compreſſio cerebri. Idem eſt quod *Caraphora*, ab inuſitato verbo κάω, id eſt, cubo, pro κεῖμαι, iaceo. Auicennae *Subeta* dicitur. Sed a quibusdam etiam *Comata*, *Affectus comatoſi* et *Veterni* vocantur omnes morbi, quorum praecipuum ſymptoma eſt ſenſuum omnium, non raro etiam imaginationis feriatio, ſic vt id nomen claſſem, non genus, morborum indicet, et *Carum*, *Lethargum*, aliosque morbos ſoporoſos, ſub ſe comprehendat. Gr. Κῶμα ὑπνώδες. Germ. Schlafſucht. G. *Aſſoupiſſement.* A. *A Diſeaſe cauſing heavy et long sleep.* B. *Slaap-ziekte.*

COMA VIGIL, ſiue AGRYPNIA, eſt morbus, in quo aegri continuo ad ſomnum procliues ſunt, attamen vix dormire poſſunt, cum immani capitis grauedine, ſenſuum et omnium motuum torpore, quibus non raro delirium accedit. Ob inſomnia imagines et velut ſpectra, quae imaginationi indeſinenter obiiciuntur, excitantur. Hinc, ſi eos excitaueris, oculos attollunt, et torue te adſpiciunt, ſaepe inſomnia ſua narrant, mox ad ſomnum ſe rurſus reponunt, ſubinde ſeſe iactant, erigunt, moxque relabuntur, adeo vt *Coma Vigil* ſit ſtatus medius inter lethargum et phrenitidem, ideoque *Typhomania* quoque dicitur. Gr. Ἀγρυπνον κῶμα. Ge. Wachende Schlafſucht. G. *Sommeil Veillant.* A. *Wakening or waking coma.* B. *Wakende Slaap-zugt.*

COMBVSTIO, vide *Ignis Actualis.*

COMEDONES, vide *Crinones.*

COMITIALIS MORBVS, i. q. *Epilepſia.*

COMMANSVM, vide *Apoplegmatiſmus.*

COMMISSVRA vocatur locus, vbi partes quaedam vniuntur, vti *commiſſura labiorum*, *ſuſura*, *ſynchrondoſis*, etc. vel pars, quae aliis vniendis inſeruit. — *Commiſſura cerebri*, ſunt trabes medulloſae, quae ante finem fornicis anteriorem et retro glandulam pinealem ab vno hemiſphaerio cerebri ad alterum tendunt. G. Bänder des Gehirns.

COMMOTICA, vide *Comproria.*

COMMOTIO CEREBRI, dicitur, quando ab ictu, caluariae illato, vel caſu ab alto, encephalon tam vehementer concutitur, vt vaſa inde rumpi queant, ſicque periculoſa, aut lethalis humorum effuſio fieri poſſit, licet cranium integrum maneat. Sed etiam periculoſa et lethalis cerebri commotio absque ruptura vaſculorum ſanguiferorum contingere poteſt, ſolis medullaribus fibris laeſis. Ge. Erſchütterung des Gehirns. G. *Commotion du Cerveau.*

COMMVNICANS FEBRIS, dicitur *Bellino*, quando ſtatim a fine deceſſionis vnius iterum inuadit altera. Vide *Coalterna Febris.* Vix tamen diuerſa a febre continua, aut intermittente protracta.

COMMVNIS botanicis dicitur vel *pedunculus* plures flores ſuſtinens, vel *Commune perianthium*, plures flores congregatos continens, vel *Commune receptaculum*, plures flores eorumque fructus includens.

COMPACTA, dicuntur plantarum folia, quae ſubſtantia ſolida conſtant.

COMPACTVRA, vocatur, quando cauſae fibram contrahentes transuerſe in eius longitudinem agunt, vt lateraliter poſitae fibrae propiores fiant, et partes firmae maiorem ſoliditatem acquirant.

COMPLEXI MORBI, ſunt, qui ita inuicem coniuncti ſunt, vt vnus absque altero eſſe non poſſit, vt pleuritis et febris. Ge. Verbundene Krankheiten. G. *Maladies unies.* A. *Complex diſeaſes.* B. *Aan een verknogte ziekte.* Vocantur tamen etiam ita *Complicati* quoque *morbi.*

COMPLEXI MVSCVLI, a vario fibrarum ductu et intricatione ita dicti, pertinent ad occiput. Sunt proprie vtrinque duo, ſcilicet *Complexus maior* et *Complexus minor*, quorum ille ab apophyſibus transuerſalibus duarum ſuperiorum vertebrarum dorſi et ſex inferiorum vertebrarum colli oriens, medio oſſis occipitis inſeritur; hic, qui etiam *Maſtoideus lateralis* et *Trachelo-maſtoideus* vocatur, ab apophyſibus transverſis quinque inferiorum vertebrarum colli natus pone apophyſin maſtoideam infigitur. Actione ſua caput extendunt. Ge. Die durchflochtenen Muskeln. G. *Muſcles complexus.* A. *The third pair of Muſcles belonging to the Occiput.* B. *Tzamengevoegde Spieren.*

COMPLEXIO, vulgo pro *Temperamento* habetur; alias dicitur in morbis complexis et complicatis, item de febribus diuerſo tempore inuadentibus. Sic et pulſuum differentium varia coitio inter complexiones recenſetur. Ge. Complexion, Beſchaffenheit. G. A. *Complexion.* B. *Complexie, Gezemperdheid, Aart, Geſteltheid.*

COMPLICATI MORBI, ſunt, quando diuerſi morbi in vno

ſubiecto concurrunt, a diuerſis plane inter ſe cauſſis producti, e. g. quando phthiſi pulmonali calculus accedit, aut arthritidi fractura cruris ſuperuenit. Ge. Verwickelte Kranckheiten. G. *Maladies compliquées.* A. *Compound or compliecate diſeaſes.* B. *t' Zamen verknogte ziekten.*

COMPOSITA, ſunt medicamenta, quae ex variis ſimplicibus medicamentis parantur; vt ſunt aquae quaedam, ſyrupi, electuaria, opiata, trochiſci, vnguenta, emplaſtra, etc. quae in vulgaribus officinis proſtant. Nec non quaedam Chymica, vt varii ſpiritus, ſalia volatilia oleoſa, tincturae, balſama, eſſentiae, pulueres, etc. ſuntque vel *officinalia*, quae iam in officinis proſtant, vel *magiſtralia*, quae a quouis medico iuxta indicationes componuntur. Ge. Zuſammengeſetzte Arzeney. G. *Remedes compoſez.* A. *Compound Medicines.* B. *t' Zamen geſtelde dingen.*

COMPOSITIO, eſt, cum varia medicamenta inuicem miſcentur, vt in theriaca et mithridatio. Ge. Vermengung, Vermiſchung, Zuſammenſetzung. G. A. *Compoſition.* B. *Zamenſtelling, Compoſitie.*

COMPOSITI, botanicis dicuntur *flores*, quorum plures, et quidem ſeſſiles, communi calyce comprehenduntur, ſuntque vel *floſculoſi*, vel *ſemifloſculoſi*, vel *radiati.* G. Zuſammengeſetzte Blumen. G. *Fleurs compoſees.* — *Folia Compoſita*, petiolo plura, quam vnum, proferente folia: *Spica compoſita*, pluribus ſpicillis pedunculo inſidentibus: *Racemus compoſitus*, diuiſus in plures: *Vmbella compoſita*: omnibus pedunculis apice vmbellulas gerentibus.

COMPRENSIO, vide *Catalepſis.*

COMPRESSA, dicuntur folia, quae pulpoſa ſunt, lateribus magis, quam diſco, complanatis. *Compreſſus* dicitur caulis, duobus lateribus oppoſitis fere planis.

COMPRESSAE, vide *Splenia.*

COMPRESSIO, vocatur, quando latera vaſorum, vel cauitatum, oppoſita ab externa cauſa ad ſe inuicem nimis adducuntur, vt inde in mutuum contactum veniant, ſicque influxus, transfluxus, vel effluxus fluidorum impediatur. Gr. Θλῖψις.

COMPRESSIVA MEDICINA, dicitur *Auicennae* ſicca, inducens in membro ſiccitatem obturando tranſitus et meatus.

COMPRESSOR NASI, eſt muſculus, qui oritur a radice alae naſi, eiusque dorſo inſeritur, latus mobile naſi ſeptum verſus comprimens.

COMPRESSOR PROSTATAE, muſculus eſt, qui ab interiore oſſium pubis parte originem ducens, retrorſumque in-

de procedens, proſtatam complectitur, eamque in actione comprimit. Videtur eſſe portio muſculi *Acceleratoris vrinae.*

COMPTORIA, COMMOTICA, vocantur remedia, quibus vitia faciei emendantur, ſicque a *Coſmeticis* differunt, quae ad conſeruandum faciei nitorem adhibentur.

CONARIVM, ſiue GLANDVLA PINEALIS, a coni, ſeu turbinis, forma ſic dicta; male tamen glandula dicitur, cum nullatenus glanduloſae ſit ſubſtantiae. Haec minuta particula ante ſeculum ad principatum inter corporis humani praecipua viſcera adſpirauit, cum in ea *Carteſius* eiusque ſchola ſedem animae ponerent, quam hypotheſin tarde et quaſi inuiti dimiſerunt. Corticalis ſubſtantiae eſt, praeter albam baſin; conica, transuerſim lata, mucrone retrorſum inclinato; plexu choroideo inuoluta, ſuperioribus eminentiis inter quadrigeminas, quae male *nates* et *teſtes* dicuntur, media imponitur, duobus magnis ramis venae praecipuae medii plexus comprehenſa. Moles eius variabilis eſt, et frequens morbida natura: ſaepe quaſi aqua ſuffuſa intumeſcit, hydatidi ſimilis; frequenter etiam lapillis exaſperatur, et in eiusmodi hominibus non rarum eſt capitis vitium, mentisque aliquem errorem, dum vixerunt, adfuiſſe, vt cephalalgiam, memoriam deſtructam, aut ſtultitiam perfectam. Cum reliquo encephalo partim vaſis coniungitur, partim exiguis pedicellis, qui non valde facile conſeruantur, et plerumque filamentorum ad modum ſunt graciliſſimi. Hi petioli medullares in ſtriam albam vtrinque ſe immittunt, quae thalamorum opticorum longitudinem percurrit. Conarium in quadrupedibus, ſine dubio, omnibus reperitur, non in auibus, aut frigidis piſcibus. In homine vix vnquam vere defuit. *Hall.* Vſum ſpecialem huius particulae non minus, quam reliquarum partium cerebri, indicare difficile eſt. Ge. Die Zirbeldrüſe. G. *Glande pinéale.* A. *Pineal gland.* B. *'t Pyn-Appeltje, Pyn-Appel-Kliertje.*

CONCAVA, dicuntur folia margine diſco arctiore, vt deprimatur diſcus.

CONCAVATIO, i. q. *Arcuatio.*

CONCENTRATIO, et CONCENTRANTIA MEDICAMENTA, ſunt ea, quibus acidum ita temperatur, additione alcali, vt nullum eorum praedominetur: vt in tartaro vitriolato. Vnde dicitur humores concentrare, quando acidum ſuperfluum ab alcali ſubiugatur. Vide *Saturatio.* Ge. Sättigung. Vide *Abſorbentia.*

CONCENTRATIO proprie fit, dum vires et particulae

actiuae in magno volumine fluidi diffusae, variis operationibus chymicis, et abactis particulis superfluis, in minus volumen reducuntur. Ge. Concentrirung. G. A. *Concentration.*

CONCEPTVS et CONCEPTIO, est, quando post foecundum concubitum, ouum ex ouariis foemininis abreptum, per tubas Fallopianas delatum, a semine maris foecundatur, et in vterum maternum illabitur, ibi vlterius euoluendum. G. Empfängniß. G. et A. *Conception.* B. *Ontfanginge.*

CONCHA, est auriculae externae cauitas maxima in ipsius medio sita: cartilaginea est, coarctata, et portione helicis, anthelicis, trago, et antitrago terminata, figurae fere elliptico-hemisphaericae; diuiditur iterum quasi in binas cauitates, nimirum superiorem minorem, *Cymbam* dictam, et inferiorem maiorem, *Innominatam* vocatam. Distincta est ope eminentiae cuiusdam, quae ad helicis exortum incipiens, ad oppositum conchae latus perueniens, terminatur et euanescit in sua cauitate maiori et inferiori. Foramen auris format, siue ostium meatus auditorii. Ge. Die Ohrenhöle. G. *La Conque, le creux, ou la Coquille de l'Oreille.* A. *Shell of the Ear.* B. *De schulp des Oors.* Vide *Cochlea.* — Datur hoc nomen etiam cauitati interiori, quae ad labyrinthum pertinet. Vide *Cochlea.*

CONCHA est domicilium biualue animalis testacei, seu ad ostracodermata pertinentis, et quidem plerumque in officinis intelligitur *Ostrea edulis Linn.* testa inaequiualui semiorbiculata, membranis imbricatis, vndulatis; valuula altera, plana, integerrima; haec in puluerem trita, vel acido citri imbuta, sub nomine *Concharum praeparatarum*, vel *citratarum*, prostat. Saepe tamen et aliae *Conchae*, e. g. *Mya pictorum Linn.* vel *Mytilus cygneus Linn.* aut etiam Cochlea, quae est *Helix pomatia Linn.* testa vmbilicata, subouata, obtusa, decolori, apertura subrotundo-lunata (Ge. Gartenschnecke. G. *Escargot.*) — Quarum testae et opercula in officinis recipiuntur et seruantur. Qualitas omnium insipida, inodora, et calcaria est, virtusque absorbens, aut, si acido imbuta sint, diaphoretica et diuretica. Conf. *Cochlea.*

CONCISIO est comminutio corticum, radicum, herbarum aut lignorum, cultro, vel forficibus, ante mixtionem facta, quae in formulis sic indicari solet: *Conc.* vel *Concis.* Ge. Zerschneidung.

CONCRETIO, est liquidae alicuius substantiae, aut succi, in massam solidiorem condensatio, vt absinthii succus condensatus, succus glycyrrhizae, acaciae, hypocistidis, gu-

matum, resinarum, etc. Ge. Verdickung. G. A. *Concretion, Condensation.* B. *Verdikking.* — In medicina denotat coadunationem quarundam partium, quae separatae esse debebant. Ge. Zusammenwachsung. G. A. *Concretion.* B. *Samengroejing.* — Vel partium, humores nostros constituentium, tantam cohaerentiam, vt sanitatis et vitae actione inter se moueri nequeant. Vide *Phlogosis*, *Polypus.* Ge. Verdichtung. B. *Stremming.*

CONDENSANTIA, sunt, quae moles solidiores cuiusque particulae fluidum constituentis magis in contactus immediatos maioremque cohaesionem comprimunt, adeoque solidiores faciunt. Ge. Verdickende Arzeneyen. B. *Verdikkende Middelen.*

CONDIMENTVM, in genere dicitur, quicquid rei alicui, inprimis autem cibo, vel potui, suauitatem, vel gratum saporem, conciliat, aut etiam digestionem promouet, inter quae sal, acetum, saccharum, et aromata principem locum obtinent. G. Gewürze.

CONDITVM et CONDITVRA, a *Condire*, est compositio e conseruis, pulueribus, speciebus aromaticis cum syrupo conuenienti in electuarii formam redactis. Sumitur etiam pro medicamento simplici, saccharo, vel melle, condito. Vt zingiber, nux iuglans, pulpa citri, helenium, etc. conditum. Ge. Eingemachte Sachen. G. *Conserve.* A. *An Electuary.* B. *Conserf, Suiker bewaarsel, Inlegging.*

CONDITVRA, in genere quidem idem significat, quam condimentum; proprie tamen denotat talem cadauerum praeparationem, quae putredinem arcet, vt in longum tempus integra asseruari possent. Haec etiam dicitur *Balsamatio.*

CONDRILLA, i. q. *Chondrilla.*

CONDVCTOR, s. DIRECTOR, est instrumentum metallicum, quod vesicae immittitur, et viam alii instrumento monstrat ad extrahendum calculum. Germ. Wegweiser. G. *Conducteur, Gorgeret.* A. *The Conductor, or guide.* B. *Weg-wyzer.*

CONDVPLICATA botanicis est *Vernatio*, seu foliorum dispositio intra gemmam, vel *Aestiuatio*, seu corollae complicatio ante explicationem floris, talis, in qua folia lateribus parallele approximata sunt. Sic etiam *somnus*, seu nocturna foliorum mutatio, dicitur *conduplicans*, quando foliola sibi invicem, vt libri folia, approximantur, superiorem paginam tegentia.

CONDYLI, sunt expansiones substantiae ossea subrotun-

dae ossium cylindricorum circa extremitates, vel articulationi firmiori, vel musculorum insertioni, inseruientes. Tales sunt e. g. condyli femoris, tibiae, etc. Vide *Metacondyli.* Ge. Der Beinknopf. G. *Le Condyle.* A. *Knots, Knuckle.*

CONDYLOMA et CONDYLVS, etiam est articulorum iunctura, vt in maxilla, siue nodus, aut ossium internodia. — Item processus maxillae inferioris retusus, qui, mediante membranoso ligamento, interuentu cartilaginis mediae mobilis, ossi petroso coarticulatur. — Item significat tumorem quendam callosum in digitis manuum, aut pedum, praesertim vero circa anum et pudenda muliebria; tuberculum nimirum, vel excrescentiam cutaneam, vel tendineam, carnibus duriorem et ossibus molliorem, quae plerumque ex compressione, attritu vel etiam erosione, nascitur, saepe tamen luis venereae symptoma est, taedio magis quam, dolore, molesta. Huc ergo pertinent *claui, calli, fici,* et *thymi* venerei, etc. Interdum quoque inflammationem coniunctam habent. A κόνδυλος, digiti articulus. G. Feigwarzen, Schwielen. G. *Condylome*, B. *Knoop-zwellen.*

CONESSI, est cortex haud ita pridem ex India Orientali ad nos adlatus, detractus a ramis arboris pusillae, in Malabaria et Zeylonia habitantis, quae est Codaga Pala. *Hort. Mal. Nerium antidysentericum* foliis ouatis acuminatis, petiolatis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Cortex est nigricans, crusta alba, seu lichene, tectus, suauiter amaricans. Puluis corticis huius cum syrupo aurantiorum in electuarii formam redactus, et ad drachmam semis aliquoties de die datus, summum in diarrhoea et dysenteria remedium esse dicitur, nec tamen vnquam, nisi exstincta, si quae adfuerit, febre, propinandus.

CONFECTA, vocantur res (vt semina, amygdala, nuces pini, cinamomum, etc.) saccharo sicco obductae, et incrustatae. Ge. Confekt, überzuckerte Sachen. G. *Remedes Confits.* A. *Confits.* B. *Bezuikerde Zaden.*

CONFECTIO, est compositio ex pulueribus, gummis, saccharo, melle, syrupis, etc. in vnam massam coniuncta: estque duplex; arida, vt trochisci, tabellae: vel humida et electuario spissior, vt opiata, condita, conseruae. Maxime adhuc in vsu sunt *Confectio Alkermes* et *de Hyacintho*, quae roborantibus et analepticis, et *Confectio Hamech*, quae catharticis viribus gaudet. Vltima haec externe ventri, vel ipsis plantis pedum, applicata, aluum mouere dicitur. Ge. Latwerge. G. *Confection.* A. *Composition, Electuary.* B. *Een Toemaaksel, Doorsuikering.*

CON-

CONFERMENTATIO, est species singularis fermentationis vinosae, qua species balsamicae, fragrantes, aromaticae, liquori in fermentatione constituto eum in finem adiiciuntur, vt eum odore suo ac sapore et viribus imbuant. Ge. Zusammengesetzte Gährung. G. A. *Confermentation.*

CONFERTA, vocantur folia, quando plurima totum fere caulem, vel ramum occultant.

CONFLVENTES, dicuntur variolae, quae ob malignitatem maximo numero prodeunt ita, vt penitus vniantur, quaeue sic variolis benignis et *discretis* opponuntur. Ge. Zusammenfließende Blattern. G. *La petite verole confluente.*

CONFLVENTIA botanici vocant folia ad basin inter se cohaerentia.

CONFLVXIO, *Hippocrati,* idem est quod *Consensus.*

CONFORMATIO, est illa conditio partium firmarum corporis animalis, qua in statu sano et naturali gaudent *numero, magnitudine, figura, cauitate, superficie, et situ,* vel qua in statu morboso et praeternaturali his sex vel abundant, vel priuantur, quae demum *vitia malae conformationis* dicuntur. Ge. Gestalt. G. A. *Conformation.* B. *Een Geschapenheid.*

CONFORTATIVVM et CONFORTANTIA, idem quod *Cardiacum.*

CONFVSAE FEBRES, *Bellino* dicuntur, quando plures eodem tempore incipere et definere videntur, ita vt vix discerni possint, quum tamen vnaquaeque naturam suam seruat.

CONGELATICVS, est *Ecstaticus,* qui aliquando ex se quasi rapitur, et diabolos, aut angelos, se vidisse affirmat. Item catalepticus. Vide *Ecstasis* et *Catalepsis.*

CONGELATIO, est, quando liquores in massam, glaciei similem, rediguntur, vt sunt omnes salium *Crystalli.* Ge. Kristallisirung. G. *Congelation.* A. *Congealing together.* B. *Kristal-maakinge.* — In chirurgia denotat humorum in quadam parte per externum frigus concretionem. Ge. Erkältung, Gefrierung. A. *Freezing.* B. *Bevriezing.* — Ita vocatur etiam *Catalepsis*, quia homines quasi congelati sunt.

CONGENITI MORBI, idem quod *Connati.* Ge. Angeborne Krankheiten.

CONGESTIO, dicitur, quando humor quidam, in parte quadam lente coaceruatus, tumorem format, vel quando sanguis maiori copia in partem quandam relatiue debiliorem, aut minus resistentem fertur, hocque sensu *Congestio* ad

caput, ad pulmones, ad vterum, fieri dicitur. Idem est quam *Plethora topica.*

CONGIVS et CONGIARIVS, est mensura veterum continens decem vini libras, et nouem olei.

CONGLOBATA GLANDVLA, est glandula rotunda, per se subsistens, simplex, quae nullum ductum excretorium habet. Plerumque oliuaris figurae sunt et ad systema vasorum lymphaticorum pertinent, lymphaeque elaborandae inseruiunt. Hinc etiam *lymphaticae* vocantur. Vt sunt glandulae mesenterii, inguinales, axillares, et caeterae omnes, quae lympham accipiunt, succo proprio seroso miscent, et iterum per venas lymphaticas in sanguinem eructant. A *Nukio muscosae* appellantur. G. Lymphatische Drüsen. G. *Glande conglobée.* A. *A Conglobate gland.* B. *Ronde Klier.*

CONGLOMERATA GLANDVLA, est, ex variis glandulis minoribus composita, et per vasa communia adunata, vnaque omnibus communi membrana connexa; huic vnum, plerumque commune emissarium est, quod ductus excretorius vocatur, et quod excipit humorem ex cunctis emissariis partium immissum, eum colligit, et in cauum aliquod maius effundit. Tales innominata oculi, parotis, pancreas, glandulae saliuales, etc. A. *Nukio Vasculosa* vocatur. Germ. Zusammengesetzte Drüsen. G. *Glande conglomerée.* A. *A Conglomerate gland.* B. *Op-eengegaste Klier.*

CONGREGATAE GLANDVLAE, vocantur, quando plures minores glandulae, inprimis folliculosae, in vno loco inveniuntur, parum tamen inuicem connectuntur, nec membrana communi cinguntur, sed quaelibet proprium quoque ductum obtinet. Ad hanc classem pertinent *Glandulae intestinales*, ex glandulis simplicibus congregatae. Tales quoque sunt omnes glandulae conglobatae, in aceruum collectae.

CONICA, vocantur ea *Receptacula* in plantis, quae teretia et versus apicem attenuata sunt.

CONGRVI MORBI, ii sunt, qui cum aetate, temperamento, etc. aegri conueniunt.

CONISTERIVM, est fornacis *cinerarium*, siue locus infimus, in quo cineres colliguntur. Ex κόνις, cinis, puluis. Ge. Das Aschenloch. G. *Cendrier.* A. *Ash-hole.* B. *Hes Asch-gat.*

CONIZA, vel CONYZA, genus plantae (Syng. Polyg. sup.) cuius receptaculum nudum; pappus simplex; calyx imbricatus, subrotundus; corollae radii trifidi. Species maxime frequens est Conyza maior vulgaris *Baub.* *Conyza squarrosa*

Linn. foliis lanceolatis acutis, caule herbaceo, corymboso, calycibus squarrosis. Est scilicet planta, quae habet caules tres vel quatuor pedes altos, coloris obscuri, villosos, lanuginem albescentem habentes, ramosos. Folia Verbascum nigrum referunt, sed minora, odorata, acria, et parum amara. Flos ex meris floseulis compositus, multifidis, embryoni insidentibus, et calyce squamoso plerumque cylindraceo comprehensis. Embryo autem deinde abit in semina papposa. Radix diuisa, lignosa, odora, amara, et acris. Crescit haec planta in montibus et syluis Europae. Tribuuntur ei vires aperientes et carminatiuae; et herbae in balneis adhibitae vires antimagicas olim adscripserunt. — Est etiam alia herba, quae in officinis *Conyzae mediae* nomine venit, scilicet *Inula dysenterica Linn.* foliis amplexicaulibus cordato-oblongis subtomentosis, caule villoso, paniculato, squamis calycinis setaceis; Conyza media asteris flore luteo *Baub.* Ge. Gelbemünze, Ruhrwurzel, quam in dysenteria et scabie maxime proficuam nonnulli arbitrantur. — *Conyza pulicaria* est *Inula pulicaria Linn.* Variae quoque species, quae a *Linnaeo* ad genus *Erigeron* dictum. Ge. Berufungskraut, referuntur, ab aliis Conyza vocantur. *Conyza caerulea* est *Erigeron acre Linn.* f. *Conyzoides offic.* Sic dici volunt, quod necet culices κώνωψ enim est, culex. Sed rectius a κονίζειν, quod puluere foedetur, quia ob exsudantem pinguedinem foliis facile adhaeret. Ge. Dürrwurzel. G. *Coniſe, Herbe aux moucherons.* A. *Fleabane.* B. *Donder-kruid.*

CONIVGATA dicuntur folia bina lateribus petioli simplicis adnexa. *Connata* sunt folia, oppositorum paribus basi vtrinque coadunatis.

CONIVNCTIVA TVNICA, vide *Adnata.*

CONNATI MORBI, sunt vel vitia conformationis, quibus iam homo nascens deformatus est, vel qui a natiua dispositione ad talem morbum oriuntur, quorum causa est in parentibus, qui iisdem morbis laborant. Vocantur etiam congeniti, vel haereditarii. Ge. Angeborne Krankheiten und Mängel. B. *Aangeboren of Erf-ziektens.*

CONNIVENS dicitur somnus plantarum, seu nocturna foliorum mutatio, quando duo folia oppositа pagina superiore tam arcte ad se mutuo applicantur, quasi vnicum esset folium.

CONOIDES, vide *Conarium.*

CONQVASSATIO, est, quando vegetabilia succulenta, vel fructus recentes, qui ad succum exprimendum expe-

tuntur, piſtillo craſſiuſcule contunduntur. Germ. Zerquetſchung.

CONSENSVS, eſt adfectio aliarum in corpore animali partium, quam illarum, in quibus cauſſa morbi eſt. Sic a vulnerato capite vomitus, et a cruditatibus primarum viarum cephalalgia per *conſenſum* oritur. Poteſt vero hic *conſenſus* oriri vel 1) ob connexionem neruorum; ſic ab vno dente dolente et auris et oculus dolet; 2) ob connexionem vaſorum; ſic ab infarcto hepate plerumque etiam adfectio lienis oritur; 3) ob ſitum et vicinitatem; ſic ab haemorrhoidibus turgentibus dyſuria, a calculo teneſmus; 4) ob connexionem functionis; ſic ab hepate obſtructo alui tarditas. Solent huiusmodi morbi *Symptomatici* vocari, ſic ab *Idiopathicis* diſtinguendi. Ge. Mitleiden, Uebereinſtimmung der Theile. G. *Sympathie, Convenance, Accord.* A. *Conſent, or Sympathy.* B. *Medelydentheid, Samenſtemming of lyding.*

CONSERVA, eſt compoſitio, qua quoduis vegetabile recens minutiſſime conciſum, aut contuſum ſaccharoque permixtum, futuro vſui medico aſſeruatur. Ge. Eine Conſerve, mit Zucker eingemachte Sachen. G. A. *Conſerve.* B. *Konſerve.*

CONSILIGO, eius plantae nomen a ruſticis creditur inditum, quod in aruis inter ſiliginem frequentiſſime inueniatur. Eſt Hellebori, vel Aconiti, ſpecies.

CONSISTENTIA, eſt gradus cohaeſionis particularum, quae fluidum conſtituunt. Dicitur, cum res aliquatenus ad certam craſſitiem coquitur; vt in ſyrupis coquendis aliisque euaporandis fieri ſolet. Ge. Conſiſtenz, Verdickung. G. *Conſiſtence, ce qui a du corps.* A. *Conſiſtence.* B. *Conſiſtentie, Dikte, Hoogte;* ad conſiſtentiam coqui, *tot een ſekere Dikte of Hoogte koken.*

CONSOLIDA, *Conſolida maior, Symphytum officinale Linn.* (Pentandr. Monogyn.) foliis ouato-lanceolatis decurrentibus; eſt planta officinalis, et valde mucilaginoſa, hinc conglutinans egregie partes. A conſolidandis vulneribus nomen habet. Proſtant in officinis flores, herba, et radix, quae in conſerua et ſyrupo contra dyſenteriam, haematuriam, haemoptyſin et ſtranguriam adhibentur. Ingreditur etiam quaedam emplaſtra. Ge. Wallwurzel, Schwarzwurzel, Beinwell. G. *Conſoude, ou Conſiere.* A. *Confrey, Comfrey.* B. *Waal-wortel, Smeer-wortel.*

CONSOLIDA MEDIA, vide *Bugula.*

CONSOLIDA MINOR, et MINIMA, vide *Bellis*, et *Prunella.*

CONSOLIDA REGALIS, vide *Delphinium.*

CONSOLIDA SARACENICA, vide *Virga Aurea.*

CONSOLIDANTIA, ſunt, quae moderate in vulneribus acre quodcunque affluens liquidum temperant; ſordesque detergendo efficiunt, vt alimentum in partem ſolutam commode impellatur, et ſic ſolida concreſcant. G. Die Heilungbefördernde Mittel. G. *Conſolidans.* B. *Verenigende Middelen, of die de begroeijng bevorderen.*

CONSTIPANTIA, medicamenta ſunt, quae vaſorum emiſſaria ita obſtruere poſſunt, vt fluxus vitalis per illa intercipiatur; aguntque vel externe vaſi inhaerendo, adeoque id comprimendo, vel quatenus vaſa intrant, ſeſe eorum lateribus applicant, atque ſic infarciunt. Hinc duplicia ſunt, ſcilicet illinentia et emplaſtica. Ge. Stopfende Arzeney. G. *Conſtipant.* B. *Toeſtoppende Middelen.*

CONSTIPATIO ALVI, eſt idem quod alui tarditas, ſeu obſtructio.

CONSTITVTIO, idem quod *Cataſtaſis.*

CONSTRICTORES MVSCVLI, ſunt, qui partem conſtringunt et coarctant. Vide *Sphincter.*

CONSVETVDO, duplicem in medicina habet ſignificationem: vel enim denotat rerum non naturalium vſum diu eodem modo continuatum, cuius magna in corpus humanum eſt efficacia; vel ipſam corporis omniumque eius partium conſtitutionem, quae talem vſum ſequitur, et a medicis inter res naturales refertur. Ge. Gewohnheit. G. *L'habitude.* B. *Gewoonte.*

CONSVMMATVM eſt proprie quando gallinae minutim conſciſſae ſuccus, in vaſe bene obturato, ſine additione, per balneum Mariae extrahitur: demtis ſolummodo capite, pedibus et pinguedine. Vocantur autem hodie ſic iuſcula quarumuis carnium diu in aqua cocta, et in gelatinae formam redacta, vt debiles citius et magis nutriant, quam ſi darentur iuſcula tenuia. Ge. Kraftbrühe. G. *Conſommé.* A. *A Strong Soop or Broth.* B. *Conſumaat, Reſtzuraat.*

CONSVMTIO, idem quod *Phthiſis.*

CONTABESCENTIA, i. q. *Atrophia.*

CONTAGIVM, eſt venenum, quod ab vno ſubiecto propagatur in aliud, ſeu potius translatio materiae morbificae ab vno corpore in alterum: hoc dupliciter contingit, ad diſtantiam per aërem, vel ſimplici contactu. Ge. Anſteckende Krankheit, eine Seuche, Anſteckung. G. *Maladie contagieuſe, Virus, Contagion.* A. *Contagion.* B. *Beſmettelykheid, Beſmettelyke ziekte.*

CONTEMPLABILES DIES, vide *Critici Dies.*

CONTINENS, vocatur non tantum, quod cauitatem quandam peculiarem, in qua aliquid continetur, constituit; sed etiam, quod consistentiam habens propriam reliquo corpori cohaeret. Distinguitur autem a *contento*, siue fluido; et ex his *continentibus* et *contentis*, siue solidis et fluidis, totum corpus constat.

CONTINENS CAVSA, Gr. Συνεχὴς, est causa morbi interna, seu *proxima*, cum materia aliunde orta, quae ita morbo proxime adhaeret, vt, ea posita, morbus ponatur, sublata, tollatur, e. g. motus sanguinis per pulmones impeditus in peripneumonia.

CONTINENS FEBRIS, est, quae sine intermissionis, aut remissionis, tempore, assiduo affligit, aut quarum pyrexia semel crescit semelque decrescit in decursu aegritudinis. Est duplex; primaria, aut secundaria: *primaria* oritur a sanguinis circulatione nimis euecta et exaltata, vt in causo, pleuritide, angina, etc. *Secundaria* vero, seu *Symptomatica*, producitur ex vulneribus, vlceribus, etc. vt in vulneribus capitis, etc. G. Ein anhaltendes Fieber. G. *Fievre continente.* A. *A Continued Fever.* B. *Een geduurige Koorts zonder Verminderinge.*

CONTINVA FEBRIS, est, quae continuo quidem affligit, sed cum remissionis et exacerbationis tempore, nunquam autem in decursu aegritudinis plenarie intermittit. Estque *quotidiana, tertiana, quartana* et *erratica.* Ge. Das beſtändige Fieber. G. *Fievre continue.* A. *Continual Fever.* B. *Gedurige Koorts met Vermindering.*

CONTORSIO, est, quando membrum aliquod separatur a iunctura sua, separatione non completa, ita vt partes extra naturalem locum recedant. Sic in specie *Contorsio* est luxatio vertebrarum dorsi in latus aliquod, et ita species gibbositatis est. Ge. Verdrehung, Verrenkung. G. et A. *Contorsion.* B. *Verrenking, Verdraajing.*

CONTRACTIO, in statu naturali sumitur pro actione musculorum propria. Cordi tribuitur, quando sanguinem ex ventriculis expellit in arterias, et tunc opponitur diastolae, vel dilatationi. Iure autem ita vocatur, quoniam omnis musculus, dum agit, breuior fit; aliter enim neque trahere, neque vrgere aliquid posset. Gr. Συστολὴ. Ge. Zuſammenziehen. G. A. *Contraction.* B. *Inkrimping.*

CONTRACTVRA, sic vocatur alicuius partis, pedis, manus, cubiti, dorsi, etc. contractio sensim facta, vnde motus et flexio impeditur, aut non, nisi cum dolore, et vi quadam, peragitur. Differt ab *Ancylosi* per rigiditatem tendinum et ligamentorum, cum in ancylosi tantum ossa immobilia sint circa articulos. Habet saepe contorsionem in malam figuram, vt in gibbosis, et pumilionibus; atque ad illam figuram non nisi lente peruenitur. Saepe rheumatismus, vel etiam scorbutus, arthritis, atrophia antecedit; inflammatio etiam, et abscessus, vel vulnus, vel vlcus, imo paralysis nonnunquam coniungitur, et dum in vno loco contractura fit, cum eminenti tumore ac figura membri peruersa, in alio fit depressio. Demum haec conuulsio est, quae ossa non modo e sedibus suis dislocat, sed aliquando mirum in modum reflectit, incuruatque, vnde in vicinis carnibus plerumque macies fit, seu atrophia; vbi hac laborantes musculi, cum ad resistendum validi non sunt, efficiunt, vt antagonistae fortiores contrahantur, et contracti remaneant. Gr. Ἀγκύλη, ab ἀγκυλοῦσθαι, incuruare. Ge. Das Spannen, Contraktur. G. *Contracture.* A. *Contraction.* B. *Trekking.*

CONTRAFISSVRA, est laesio cranii in parte opposita ei, quae vim externam passa est, ex. gr. quando quis ceciderit in pauimentum laeua cranii parte, inque opposita parte fissura reperiatur. Triplex esse perhibetur. 1. In eodem osse, quando pars superior est laesa, et inferior fracta. 2. In diuerso osse, cum post casum in occiput, coronale os frangitur, vel etiam in osse vicino, e. g. si, percusso osse iuguli, os frontis, aut temporum, findatur. 3. In diuersa tabula, quando superior est laesa, et secunda frangitur. Ge. Ein Gegenbruch, Gegenspalt. G. A. *Contrefissure, Contrefente, Contrecoup.* B. *Een Tegen-Scheur.*

CONTRAHENTIA, medicamenta sunt, quae puncta distantia ab inuicem solidae fibrae motricis in propiorem adigunt contactum et cohaesionem, sic vt inde fibra solidior, durior, firmiorque euadat; atque proinde tota solidorum compago, ex fibris meris composita, cui haec medicamenta applicantur. Ge. Zuſammenziehende Mittel. B. *Zamentrekkende Middelen.* Vide *Adstringentia.*

CONTRAINDICATIO, vide *Antendeixis.*

CONTRAYERVA, est radix, vndique verrucosa, et aspera, multis fibrillis circumdata, oblonga, tenuis, foris colore rufo, intus albido, odoris aromatici, ad folia ficus accedentis; saporis nonnihil adstringentis, penetrantis, satis acris, aromatici, amari, inprimis si radix vegeta, tum habet acrimoniam aromaticam satis magnam. Iridis, vel Cyperi, radicibus non absimilis. Plantam esse speciem *Passiflorae*, Hernandus, *Commelinae*, Banisterus, *Kaempferiae*, Camellus,

Aristolochiae Sloanaeus statuerunt. Ill. *Linn.* plantam vocat, *Dorsteniam contrayeruam* (flore apetalo Tetrandr. Monogyn.) acaulem, foliis pinnatifido-palmatis serratis, floribus quadrangulis. Cl. *Iussiaeus* vero *Pyoraleam pentaphyllam* pro genuina Contrayerua alba habet. Hispanis *Contra yerua* vocatur, quasi diceres contra helleborum album, hunc enim *yerua* vocant Hispani, cuius succo venenato sagittas imbuere incolae Prouinciae Peruanae solent. Alibi ipsa Contrayervae folia admodum venenata esse, radicem autem ipsi huic veneno maxime contrariam lego. *Drakena* appellata fuit a Clusio in honorem F. *Drake*, qui primus Anno MD. XXXI in America meridionali hanc radicem inuenisse, et in Europam adportasse dicitur. Datur aduersus venena, et sudorem mouet, hinc in omnibus morbis, etiam malignis, in quibus sudore opus est, valde laudatur. Dicitur et *Radix verua*, *bezoardica*, *Cyperus odorus Peruuianus*, *Drakena*, etc. Germ. Giftwurzel. G. *Racine de Contrayerua*. A. *Counterpoison*, *Contrayerua root*. B. *Gift Wortel*.

CONTRAYERVA GERMANICA, idem quod *Vincetoxicum*.

CONTVSIO, in genere vocatur talis solutio continui, quae fit a corpore graui et obtuso, sed sine manifesto vulnere, integumentorum, aut iactura substantiae, quum tamen sanguis sub cute, aut in tela cellulosa, extra vasa effusus, colligitur. Germ. Eine Quetschung. Gall. *Contusion*, *Meurtrissure*. A. *Bruising*, *Contusion*. B. *Een Contusie*, *Kneusing*.

CONTVSIO OSSIS, est, cum instrumento quodam duro et obtuso os ita laeditur, vt externe integrum videatur, cum tamen versus interiora eius substantia laesa sit. Gr. θλάσις et θλάσμα. Ge. Zerstossung. Zerknirschung.

CONVALLARIA, vide *Lilium Conuallium*.

CONVEXA, vocantur a botanicis folia, aut receptacula, quorum margo arctior est, quam discus, sic vt discus eleuetur.

CONVOLVVLVS, si de morbo i. q. *Volvulus*.

CONVOLVVLVS, et CONVOLVVLVM, seu SMILAX; vocantur duae plantarum species, quarum vna *Conuoluulus maior*, altera *minor*; prior est planta, quae habet caules longos, tenues, sarmentosos, scandentes, et omnia apprehendentes. Folia hederam terrestrem referunt, sed molliora et maiora, viridia, acuta; (Pentandr. Monogyn.) flores monopetali, campaniformes, ad ora expansi, coloris albi; ex floris calyce quinquepartito surgit pistillum

infimae floris parti ad instar claui infixum, quod deinde abit in fructum subrotundum, membranaceum, ipso calyce plerumque inuolutum, modo vnicapsularem, modo tricapsularem, et seminibus binis foetum angulosis, nigricantibus, vel aliquando rubicundis. Radix exigua, longa, intus alba. Haec planta est amara et acris: Succus viribus hydragogis pollet. Crescit in dumetis Europae. — *Conuoluulus* minor, inter segetes prouenies, carminatiuus creditur. — Alias huius generis species vide sub *Mechoacanna* et *Turbith*. Illud nomen imponitur a quibusdam omnibus plantis, quae sese adstantibus arboribus, stipitibus, etc. circumuoluunt, iisque adhaerent. Ge. Winde. G. *Liseron ou lizet*. A. *Bindweed*. B. *Winde*, *Wrange*.

CONVS, Graecis, vel *Pyramis*, est inuersus turbo in plantis, hoc est, id, quod ex latitudine in arctius protrahitur ac fastigiatur, cui calathus contrarius, vt diximus, exsistit. Hinc etiam botanicis receptaculum *Conicum* dicitur. Vel etiam *Arbores coniferae*, quales sunt larix, abies, cupressus, etc.

CONVS FVSORIVS, seu PYRAMIS, est crucibuli species, ex lato in angustum abiens, ex ferro alioue metallo conflata, cuius ope reguli plerumque separantur a scoriis: dum enim liquatum minerale huic infunditur, concutitur malleolo conus, vt tremiscat, tum partes grauiores cadunt ad fundum, et leuiores, vt sunt scoriae, supernatant. Germ. Schmelzform, oder Giesspuckel. G. *Cône*. A. *A Crucible*, *Mould*. B. *Graf-naald*, *Smelt of Giet-kroes*.

CONVVLSIO, est morbus spasmodicus *clonicus* acutus, vel breuis, in artubus, superstite in paroxysmis animae functionum exercitio. Differt ergo ab *Epilepsia* et *Eclampsia*, et iuxta nonnullos a *motibus* conuulsiuis per sensum exercitivm superstes; ab hysteria ex eo, quod conuulsio non sit morbus habitualis, vel diuturnus; a pandiculatione, quod voluntas ad conuulsionem non concurrat, nisi sit simulata. Partes, quae maxime conuelluntur, sunt artus, vnde a trismo clonico, priapismo, palpitatione, singultu, etc. discrepat; attamen conuulsioni artuum, non raro diuersorum organorum, vt labiorum, oculorum, agitationes iunguntur, vt in Eclampsia puerili. Est ergo morbus musculorum, et praecipue neruorum, scilicet contractio musculorum, vel fibrarum, versus principium, violenta, nunc desinens, nunc renata, aliquamdiu perseuerans, vnde eam accipere oportet, tam in musculis maioribus, quam minoribus, siue fibris. *Conuulsio* autem est vel *vniuersalis*, quae ad plures et praecipuos musculos, qui corporis machinam sustinent et mouent, vna vice

extenditur; vel *Particularis*, quae in vno tantum, vel pluribus vnius membri musculis contingit, et saepè comitem habet paralysin; Porro vel *Idiopathica*, vel *Sympathica*, in qua partes affectae a causa irritantè non immediate patiuntur. Oritur ab omni causa, quae partes neruosas tali molestia afficit, vt inordinatus spirituum in musculos influxus inde nascatur. Gr. Σπασμός. Ge. Zuckungen. G. *Spasme, Convulsion.* A. *A Cramp, or Convulsion.* B. *Stuip-trekking, Kramp-trekking.*

CONVVLSIVVS MOTVS, vide *Motus Conuulsiuus.*

CONYZA, vide *Coniza.*

COPAL GVMMI, est resina duriuscula, admodum candida, vel ex albo flauescens, pellucida, bene odorata, in massam redacta. Adfertur ex India Occidentali, siue Noua Hispania, vbi ex vulnerata arbore guttatim stillat. Aliquantulum odoris spirat. Sunt duae species, altera *Xoloch copalli* dicitur, altera *Copal cahuitl.* Arbor, ex qua haec resina exstillat, est *Rhus copallinum Linn.* (Pentandr. Monogyn.) foliis pinnatis integerrimis, petiolo membranaceo articulato. Ipsa resina vix in menstruis aquosis, acidis, spirituosis, aut oleosis, solubilis est. Citius in spiritu vini aethereo soluitur. Vix in vsum medicum adhibetur. Maxime praeparationi praestantissimae vernicis inseruit. G. Copal. G. *Résine de Copal.* — Prostat et alia substantia, sub nomine *Copal*, mineralis prosapiae, succino non dissimilis, in fabulosis littoribus Africae passim reperiunda.

COPAYVAE BALSAMVM, seu COPAL YVAE OLEVM, colligitur ex arbore balsamifera Brasilienfi, cuius caudex terebra perforatur, ex quo foramine instar terebinthinae destillat, et quidem tanta copia, vt spatio trium horarum duodecim librae colligi possint. Vulnus obducitur postmodum cera, aut argilla, et quando post quindecim dierum spatium rursus adaperitur, maiori adhuc in copia defluit. Arbor nascitur in Brasilia. Lignum habet rubrum; folia obrotunda, quatuor, aut quinque digitos longa, duos, vel tres cum semisse lata; florem fert mediocrem, quinque petalis obrotundis constantem. Fructus illi est siliqua obrotunda monosperma, vel, vt *Piso* scribit, instar baccae lauri, qui ab incolis comeditur. Arbor est *Copaifera officinalis Linn.* (Decandr. Monogyn.) Copaiba *Marcgr.* praecipue in Insula Maranhon nascens. Ipsum *Balsamum Copaiuae* est liquor resinosus, limpidus, pallidi coloris, saporis aromatici, acriusculi, amaricantis, odoris terebinthinacei, sed gratioris, liquido-tenax, sensim spissescens, nunquam tamen ad resinae duritiem exsiccandus. Duplex reperitur; prior est liquor limpidus, alter vero crassioris est consistentiae instar terebinthinae. Discrimen pendet a diuerso colligendi tempore; ille enim, qui statim post arboris incisionem profluit, est admodum clarus, albus, odoris resinosi; is autem, qui sequitur, magis aurei coloris et consistentiae densioris est, qui maxime ad nos ex Portugallia adfertur; alter autem longe rarior est. Eligatur balsamum, quod pellucidum, flauescens, liquidum et odoris fragrantis est, et quod a tinctura tartari, vel alia alcalina, totum soluitur. Dimidiam quasi partem olei aetherei continet. Gaudet viribus vulnerariis, laxantibus, mundificantibus et diureticis, ipsamque vrinam amarore, non tamen, vt terebinthina, odore violaceo, imbuit. Vsus eius, ni febris prohibeat, in phthisi, tussi, gonorrhoea, leucorrhoea, diarrhoea, scorbuto, etc. Dosis a scrupulo dimidio ad integrum. Externe vulnerarium egregium praebet.

COPELLA, vide *Cupella.*

COPHOSIS, est surditas vel incipiens, vel perfecta, a quauis causa orta, qua impeditur, vel tollitur, sonorum delatio ad sensorium commune, estque vel natiua, et tunc cum aphonia coniuncta, vel symptomatica. Oritur plerumque ab obstructione meatus auris, relaxatione, ruptura, inflammatione et incrassatione membranae tympani; concretione tubae Eustachianae, musculorum officulis adhaerentium paralysi, nerui acustici compressione, etc. Gr. Κώφωσις. Ge. Taubheit. G. *Surdité.* A. *Deafness.* B. *Doofheid.*

COPOS, Gr. κόπος, est corporis lassitudo, quando musculorum vascula minima humoribus viscidis aggrauantur, et obstruuntur, et spiritus animales in cerebro desunt, adeoque nec in musculos determinantur, ita vt motibus obeundis inepti, et pigri euadant. A κόπτω, lasso. Ge. Mattigkeit. G. *Lassitude.* A. *Wearineſs.* B. *Vermoeidheid.*

COPRIEMESIS, κοπρεμεσις, est vomitus, quo ipsae faeces aluinae per os redduntur, vt in *Passione Iliaca* fieri solet.

COPROCRITICA, sunt medicamenta, quae faeces aluinas subducunt et euacuant. Ex κόπρος, stercus, et κρίνω, cerno.

COPROPHORIA, idem quod *Purgatio.* Ex κόπρος, stercus, et φορέω, fero, gesto.

COPROSTASIA, est alui constrictio, non absoluta, vt in ileo, sed tantum tarda eius deiectio, ita vt faeces raro, nec pro assumtorum ratione, excernantur. Ex κόπρος, stercus, et στάσις, statio. Ge. Hartleibigkeit. G. *Constipation*, vel

Dureté de ventre. A. *Bounding in belly or coſtive.* B. *Hardlyvigheid.*

COQ. AD MED. CONSVMT. hoc eſt, coque ad medietatis conſumtionem.

COQ. IN S. Q. AQ. hoc eſt, coque in ſufficiente quantitate aquae.

COQ. S. A. hoc eſt, coque ſecundum artem. Sunt hi termini, vel abbreuiationes, quibus medici in formulis ſuis brevitatis ergo vtuntur.

COR, eſt ſubſtantia carnoſa et fibroſa, ex variis muſculorum faſciculis intertextis conflata. Habet duas auriculas, ſeu ſinus, totidemque ventriculos, ſepto intermedio plane a ſe inuicem diſtinctos, ſcrobibusque et trabibus carneis gaudentes. Dextrae auriculae ſinus venarum cauarum, ſiniſtrae ſinus venarum pulmonalium adhaeret; dextro ventriculo arteria pulmonaris, ſiniſtro vero arteria magna connectitur. Vaſa ſanguinea accipit ex coronariis, multosque neruos ex pari intercoſtali et vago. Includitur ſacculo membranaceo *pericardium* dicto, quo mediaſtino et diaphragmati coniungitur; ſuperius baſin, inferius cuſpidem, ſeu apicem, habet: collocatur in thoracis parte inferiore et anteriore, intra pulmonis lobos, ſitu transuerſo, ita vt fere horizonti parallelum iaceat, et baſis in latere dextro, apex vero, cuius etiam pulſus, ſeu ſyſtole, tactu percipitur, in ſiniſtro latere collocetur. Sanguini a venis recipiendo, eumque valida contractione muſculorum in arterias iniiciendo, ſicque circumvehendo, inſeruit. Hinc, cum in motu, ſeu circulo, fluidorum vita animalis conſiſtat, cor viſcus vitale primarium habetur. Alterna auricularum et ventriculorum dilatatio *Diaſtole*, contractio *Syſtole* dicitur. Gr. Καρδία, et κῆρ. Ge. **Das Herz.** G. *Coeur.* A. *The Heart.* B. *Het Hert.*

COR, in vegetabilibus, eſt, quod in medio ligni reſidet, et tertium a cortice continetur, velut in oſſibus medulla; a nonnullis *Matrix*, et ab aliis *Medulla* nominatur. Ge. **Das Mark, Herz.** G. *Le Coeur.* A. *The Pith.* B. *Merg, 't Pit.*

CORACOBOTANE, eſt nomen, quod imponitur bruſco, et lauro Alexandrinae, et ſignificat *Herbam corui.* Deriuatur enim ex κόραξ, coruus, et βοτάνη, herba.

CORACOBRACHIAEVS, ſeu CORACOBRACHIALIS, vide *Coracoideus.*

CORACOHYOIDES, ſunt muſculi longiſſimi et tenuiſſimi a ſcapulae proceſſu coracoide, vel, vt alii volunt, rectius, ab eo ſcapularum latere, quod coſtam ſuperiorem vocant, orti, qui ad latus inferius baſeos oſſis hyoidis procedunt ipſique inſeruntur. *Vſus* eſt oblique deorſum mouere os hyoides. Ex κόραξ, coruus, et ὑοειδές, hyoides os. Ge. **Der Schulterblattmuskel des Zungenbeins.** G. *Muſcles Coraco-Hyoidiens.* B. *Des tong-beens raven-beks uitſteekzels-ſpieren.*

CORACOIDES PROCESSVS, eſt *Roſtriformis* ſcapulae proceſſus. Vide *Ancyroides.* A κόραξ, coruus, et εἶδος, forma. Ge. **Der Rabenſchnabelförmige Fortſatz, oder, der krumme Fortſatz des Schulterblattes.** G. *Apophyſe Coracoide.* B. *Raven-beks uitſteekzel.*

CORACOIDEVS, ſiue CORACOBRACHIAEVS, eſt vnus ex muſculis brachium mouentibus. Oritur a coracoide proceſſu ſcapulae, vnde ei nomen: et inſeritur in internum humerum circa medium, iuxta tendinem deltoidis. Principium habet tendineum et breue, oblongum ventrem, ſatis corpulentum, et robuſtum tendinem. Venter eius perforatus eſt, vnde etiam *Perforatus* dictus, et tranſitum neruo muſculo-cutaneo largitur, qui ad cubiti muſculos diſtribuitur. Hunc muſculum alii ſaltem muſculoſam portionem bicipitis vocarunt, vtilem ad brachium ſcapulae proceſſui adducendum, ſiue antrorſum ſupra pectus attrahendum. Ex κόραξ, coruus, et εἶδος, forma. Ge. **Der Muskel zwiſchen dem Rabenſchnabelförmigen Fortſatz, und dem Armbein.** G. *Muſcle Coraco-brachial.* B. *Ravenbeks-ſpier.*

CORACORADIALIS, vide *Biceps.*

CORALLINA, eſt quaſi muſcus petroſus marinus, inhaerens ſcopulis, et piſcium teſtis corallisque, eo ſane modo, quo muſcus arboribus innaſcitur, optimaque eſt, quae a corallis detrahitur. Color griſeus eſt; ſeu albus. Rectius tamen hodie ad regnum animale, et quidem ad zoophyta, refertur. Quae in officinis proſtat ſpecies, eſt *Corallina officinalis L.* ſubbipinnata, articulis ſubturbinatis; Muſcus coralloides, ſquamis loricatus *Baub.* Qualitatis eſt inſipidae, inodorae et calcariae, viribusque vix aliis, quam abſorbentibus et ſubadſtringentibus, pollet, ſingularis tamen ei etiam virtus anthelminthica ineſſe creditur. Ge. **Meermooß, Corallenmooß.** G. *Coralline, ou mouſſe marine, ou Brion.* A. *Coralline.* B. *Koralmoſch.*

CORALLINVM ARCANVM, vide *Arcanum Corallinum.*

CORALLOIDES, eſt planta maritima, ramoſa, nulla folia habens, ſimilis Coralliis ob figuram et duritiem. — Proprie zoophytorum genera varia ita vocantur. — Confer. *Denaria, Clauaria, Lichen.*

CORALLVM et CORALLIVM, videtur quidem ad vegetabile regnum deduci debere, hincque dici posse, quod sit planta in fundo maris nata, foliis carens, cuius neque flos, neque semen cognitum, rupibus et aliis corporibus affigens aliqualem radicem, cortice vestita, et in ramos diuisa. Extremitates horum ramorum sub aqua molles sunt, parvorum globulorum, seu ribium, ad instar rotundae, in sex cellulas diuisae, repletaeque humore albicante, crasso, acri, adstringente; hi globuli capsulae seminales esse creduntur, et succum, quem fundunt, producere plantas corallorum in omni corpore, cui illabitur. Variae Corallorum in vtraque India, imo et in Mari Mediterraneo, dantur species, colore quoque differenti, neque minus figura: aliae instar arboris racematim se eleuant. Aliae glabris ramis, aliae hispidis; nonnunquam fistulosae species inueniuntur, vel figuram tuberosam, vel lactucae folia, aut lichenis terrestris, aut cornu ceruinum, etc. referunt. Omnis tamen eius, quae radici analoga haberi posset, partis absentia, et structura cellulosa, polyporum potius esse laborem euincunt, hincque *Corallia* ad zoophyta esse referenda. Vix vltra pedis altitudinem attingunt. In omnibus acidis, excepto vitriolico, soluuntur, et ab hoc soluta praecipitantur. Quod in officinis prostat, sub nomine corallii rubri, est *Isis nobilis Linn.* stirpe corallina aequali, continua, striis obsoletis, obliquis, ramis vagis. Corallium album *Pharm.* Corallium album oculatum *Bauh.* est *Madrepora oculata* cauliscens, tubulosa, glabra, flexuosa, oblique substriata, ramis alternis stellis immersis bifariam *Linn.* (Lithophyt.) habitans praecipue in mari Tyrrheno, cui passim substituitur Corallium tubis turbinatis, teretibus s. *Millepora polymorpha Linn.* Conueniunt hae species qualitate calcaria, insipida et inodora, viribusque absorbentibus et subadstringentibus; in varias tamen adhuc compositiones medicas recipiuntur, cum singulares iis vires cardiacae olim tributae sint. Exinde eliciuntur tincturae, magisteria, etc. sed in puluere ad scrupulum intus sumta, acidum in corpore nostro absorbere possunt. Graec. Κοράλιον. Ge. Korall, Korallen. G. *Du Corail.* A. *Coral.* B. *Koraal.*

CORALLIVM NIGRVM *Pharm.* est Zoophyton, cuius stirps radicatus corneus, flexilis, continuus, cortice calcario crustatus: *Gorgonia antipathes Linn.* subramosa, erecta, laeuis, nitida. Habitat inter tropicos, inque Mari Adriatico, caulis crassitie fere digiti, erectiusculus, ater, glaberrimus, parum ramosus. Vix in vsum medicum adhibetur.

CORCHORVS et CORCORVS, est planta sesquipedem circiter alta. Folia sunt alterna in caulium nodis apposita, in margine incisa, parte ima barbulam vtrinque vnam, seu apophysin lingulae instar tenuem, possident. Flores rosacei quinquepetali vt plurimum, lutei: (Polyandr. Monogyn.). Ex huius calyce quinquephyllo surgit pistillum, quod deinde abit in fructum, qui est longa siliqua cornuta, quae quinque loculamentis constat, per quinque septa media dissecta, in quibus loculis quinque valuae se expandunt, et dimittunt semina numerosissima, exigua, coloris cinerei, saporis viscosi. Species maxime cognita est *Corchorus Olitorius Trew. et Linn.* capsulis oblongis, ventricosis, foliis serraturis intimis setaceis, in Asia, Africa, et America abunde nascens, cuius foliis Iudaei in Aegypto abunde vescuntur, hincque Olus Iudaicum dicitur. Colitur etiam apud nos in hortis. Germ. Mußpflanze. G. *Corchore.* A. *Jews Mallow.* — — Eius etymologiam deducunt ἀπὸ τῆς κόρης καὶ κορέω, quod oculi pupillam ornet, siue purget: est Melochia Alpin. Aegypt. Quidam nomen a corde deriuant, quia eius fructus cor referre creditur. B. *Guichelheil.*

CORCVLVM, botanicis vocatur primordium nouae plantae intra semen.

CORDIALIA, CORROBORANTIA, seu CARDIACA, vide *Cardiacum.*

CORDIS PALPITATIO, vide *Palpitatio Cordis.*

CORIAGO, est morbus bubulo pecori infestus a Columella descriptus, in quo pellis ita costis adhaerebat, vt manibus deduci ab illis non posset. Laudabatur ad hoc malum, si calido lauri decocto foueretur locus affectus, deinde statim multo oleo et vino perfricaretur sub dio, sole feruente, tuncque per omnes partes prehensa pellis, attraheretur, hac spe, vt emollitae sic et lubricatae hae partes cedere possent, sicque morbosa illarum concretio tolleretur.

CORIANDRVM, et COLIANDRVM, est planta, quae caulem habet sesquipedem, vel duos circiter pedes altum, rotundum, tenuem, medullà repletum, ramosum. Folia inferiora petroselini similia, superiora magis incisa, et chamomillae satis proxima. Inuolucro vniuersali monophyllo, partiali dimidiato; flores parui rosacei, et vmbellati, plurimis scilicet petalis inaequalibus et cordiformibus constantes, quandoque aequalibus, in orbem positis, et calyci insidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus seminibus compositum, nunc semisphaericis, nunc sphaericis, striatis, ex cinereo fuscis, includentibus sub cortice tenui medullam sub-

fuſcam, duriuſculam, in medio quaſi diſſepimentis diſtinctis, ſaporis ſubdulcis, ſubacris, ſaporis aromatici. Species officinalis eſt *Coriandrum ſatiuum Linn.* fructibus globoſis; Coriandrum maius *Bauh.* Qualitatis eſt foetidae et ſuſpectae, viribusque hypnoticis et carminatiuis pollet. Exiguam quantitatem olei aetherei fragrantis continet. Volunt nomen deriuari a κόρις, cimex; quia recentis folia et ſemina cimices olent. Sed alii deriuant a κόριον, ſeu parua puella, κόρη eſt puella, quia fructum gerit, ſeu pupillas κόρας oculorum. Gr. Κόριον, et Κόριανον. Ge. Koriander, Schwinkel. G. *Coriandre.* A. *Coriander.* B. *Koriander, Kóliander.*

CORIS, eſt hypericum, an a κείρω, ſcindo? quod vulnera ſanet? vel quod tota pulchella, et perquam hilari facie ſit; κόρις, enim, et κόρη, *virgo, puella,* dicitur. — *Coris* hodie vocatur plantae genus (Pentandr. Monogyn) corolla monopetala irregulari, calyce ſpinoſo, capſula quinqueualui ſupera, globoſa, polyſperma. Vnica ſpecies, quae proſtat, caule rubro, foliis alternis linearibus, craſſiuſculis, patentibus, floribus ſpicatis, eſt Coris Monſpelienſis, vel Coris caerulea maritima *Bauh.* qualitatis amariſſimae, quae in malo venereo efficaciſſima creditur.

CORNACHINVS PVLVIS, eſt puluis purgans compoſitus ex partibus aequalibus ſcammonei, antimonii diaphoretici, et cryſtallorum tartari. Nomen habet ab inuentore *Cornachino*, quondam Profeſſore Piſano. Dicitur etiam *Puluis de tribus* ex numero ingredientium, vel *Puluis comitis Warwicenſis.* Datur a ſcrupulo vno ad duos.

CORNEA OCVLI TVNICA, ſeu CERATODES, vel *Cornea transparens* quae etiam a veteribus *Sclerotica* et *Dura* vocatur, eſt tunica oculi, anterior, pellucida, quae in eminentiorem, ſeu magis conuexam, figuram protuberat in vno homine plus, in altero minus; a lateribus tunica coniunctiua obducitur; interius humorem aqueum continet. Vide *Camerae Oculi.* — Corneae huius ſtructura mirifica eſt; ſi conſtringatur oculus a parte poſtica, vbi muſculi inſeruntur, et ſoluitur tunc leuiſſima manu acutiſſima lanceola, vulnere perpendiculari leuiſſimo, mox dilatatur vulnuſculum, contrahentibus ſeſe fibris, ſecedit lamella; ſi nouum iterum fit vulnuſculum, idem fit; quod quidem vſque ad 30 vices fieri poteſt, et ſingula diſſectione erumpit liquidum tenuiſſimum, quo abſterſo mox erumpit nouum, nullum habens ſaporem, niſi leuiter ſubſalſum; vnde apparet, quod cornea conſtet ex membranaceis ſtratis per transuerſales fibras annexis, tenuiſſimo latice interiecto, hinc

hinc quoque verior eſt illorum ſententia, qui corneam, tamquam membranam a ſclerotica diuerſam diſtinguunt, eoque magis cum poſt longam macerationem in aqua, et demerſionem in feruidam cornea a ſclerotica ſecedat; tumque apparet, corneam ſubtus, ſcleroticam ſuperius poni. Vaſis conſpicuis, vt etiam neruis et ſenſu, prorſus deſtituta eſt. In recens nato homine minus pellucet, et aut rubro colore obſcuratur, aut flauo. Tota pellucens in ſanis adultis, in morientibus ſenſim obſcuratur; in extinctis penitus opaca, vnde illa obſcuritas inter certa inſtantis mortis ſigna ab Hippocrate numeratur. Ge. Die Hornhaut des Auges. G. *La Cornée tranſparente.* A. *The Cornea of the Eye.* B. *Het hoornachtig vlies des Oogs.*

CORNICVLARIS PROCESSVS, vide *Ancyroides.*

CORNVA, dicuntur additiones acuminatae vngulares, naſcentes ſuper iuncturas in extremitatibus in hominibus, qui valido labore ſe exercent. Vocantur etiam ita partes quaedam, quae ſiue figura, ſiue relatiue ad totum aliquid, cuius partem conſtituunt, cornua repraeſentant, vti *Cornua oſſis hyoidis.* Nec minus excreſcentiae durae, praecipue in cranio, aut fronte, orientes.

CORNVA VTERI, ſeu CERAEA, ſunt duae vteri partes laterales in quibusdam brutis, vt vaccis, ceruis, ouibus, capris, canibus, etc. in quibus foetus in impraegnatis his matribus habitant. Cornua tamen ex horum imitatione tribuerunt etiam humano vtero autores; quia ad fundi latera aliqua vtrinque eſt protuberantia, vbi tubae inſeruntur; ſed peſſime. Rariſſime enim muliebris vterus bipartitur, vt in brutis. Ge. Die Hörner der Gebährmutter. G. *Les Cornes de la Matrice.* A. *The Corners or Horns of the womb.* B. *De Moederhoorns.*

CORNV CERVI, vide *Ceruus* et *Coronopus.*

CORNVS, eſt arbor, quae habet lignum durum, compactum, album, ſatis magnum et extenſum, corticem durum, rubicundum, vel cinereum, ſaporis adſtringentis. Folia ſunt longa, ampla, venoſa, mollia: flores in extremitate ramorum creſcentes, pedunculis breuibus adhaerentes, quadrifidi, in crucem diſpoſiti (Tetrandr. Monogyn.); calyx eſt quadridentatus deciduus; germen infra receptaculum collocatum abit in drupam, ſeu fructum carnoſum, oualem, oliuam fere referentem, ſed minorem, in initio viridem et acerbum; poſtea per maturitatem rubrum et aliquando flaueſcentem, ſaporis ſubdulcis cum aliqua grata acredine, et adſtrictione. In hoc fructu inuenitur oſſiculum oblongum, albeſcens, in

duo loculamenta, quae ſingula vnicum ſemen oblongum includunt, diuiſum. Haec arbor creſcit in hortis; dantur duae ſpecies corni, ſcilicet mas et foemina. Cornus mas eſt *Cornus arborea Linn.* vmbellis inuolucrum aequantibus; Cornus ſylueſtris mas *Bauh.* Cornus vero foemina *Bauh.* eſt *Cornus ſanguinea Linn.* cymis nudis; Virga ſanguinea *Dod.* Illa in ſepibus Auſtriae habitat, et in hortis colitur, haec in Europae, Aſiae, et Americae borealis dumetis prouenit. Tardiſſime increſcit. Vſus cibarius magis, quam medicus. Dicta eſt, quod duritie et rigiditate cornubus ſimiles ramos habeat. Ge. Wälſcher Kirſchenbaum, Kornelbaum, Kornelinskirſchen. G. *Cornouillier, ou Cournier.* A. *Cornell-Tree, or Dog-Tree.* B. *Kornoeljc-Boom, Wielboom.* — Cornus vero ſanguinea. Ge. Hartriegel. G. *Bois punais, Cornouilles ſanguin.* A. *The bloody Twig.*

CORNVTA, i. q. *Retorta.*

COROLLA, vocatur in plantis florentibus illa pars plerumque alba, aut colorata, quae reliquas partes fructificationis inuoluit, ex vno, aut pluribus petalis conſtans, quorum numerus et figura multis fundamentum in diſtribuendis plantis praebuit. Eſt proprie liber plantae in flore praeſens.

CORONA, eſt calyculus quibusdam ſeminibus ſupra adhaerens, quo volitant.

CORONA DENTIVM, eſt ſuperior dentium molarium ſuperficies.

CORONA REGIA, vide *Melilotus.*

CORONA TERRAE, vide *Hedera Terreſtris.*

CORONALIS SVTVRA, Gr. Στεφανίτης et στεφανιαία, eſt fiſſura, quae pectinatim, dentatae ſerrae inſtar, coit, eſtque in ſuperiore parte cranii ab vno tempore ad aliud. Circumſcribitur oſſibus frontis et bregmatis, quae in adultis firmiſſime inter ſe iungit, in cuius medio *ſagittalis* ſutura terminatur. Ge. Die Kranznath. G. *La Suture coronale.* A. *The coronal Suture.* B. *De Kroon-naad.*

CORONARIA VASA, ſunt venae et arteriae, cor, nutritionis et motus gratia, cingentes. Item vaſa ſanguinea ſiniſtrum os ſtomachi cingentia: *Arteriae coronariae cordis* duae oriuntur ex aorta mox ſupra valuulas ſemilunares cordis ſiniſtri, et quidem altiori et a corde remotiori origine, quam ſinus eſt valuulae anterioris et poſterioris, tum in ſuperiori et inferiori ſuperficie cordis eo itinere decurrunt, vt ad cor redeant, ſicque cum progrediente aorta maiorem, cum naſcente minorem angulum intercipiant; in plurimos tum ſenſim ramos numeroſiſſimis anaſtomoſibus ſibi intertexros diuiſi ipſi cordis ſubſtantiae immerguntur, eamque perreptant. *Venae coronariae cordis*, quarum maximae ſunt, mediae et minimae, ſanguinem ramulis ſuis ſuſceptum ex ſubſtantia cordis in auriculam dextram deuehunt. *Arteriae coronariae ventriculi* ex arteria coeliaca oriuntur, *Venae coronariae* in venam ſplenicam aperiuntur, *Vaſa coronaria labiorum*, quae ſcilicet in margine labiorum vtrinque decurrunt, ſunt propagines arteriae, et venae maxillaris externae. Germ. Kranzadern. G. *Vaiſſeux coronaires.* A. *The crown Veſſels.* B. *De Kroon-vaten.*

CORONE, Coronoideus proceſſus, eſt proceſſus oſſeus, acutus, et anterior inferioris maxillae, cui muſculi temporalis maxillam adducentis tendo adnectitur. A ſimilitudine roſtri cornicis *roſtriformis* dictus. Gr. Κορώνη, cornix. Ge. Kronenförmiger Fortſatz. G. *Apophyſe Coronoide.* B. *Het Kraai-beks uitſteekſel.*

CORONILLA, eſt plantae genus flore papilionaceo (Diadelph. Decandr.) in quo calyx bilabiatus, duobus, aut tribus dentibus ſuperioribus connatis; vexillum vix alis longius; legumen iſthmis interceptum. Huius plures dantur ſpecies; maxime vulgaris eſt *Coronilla varia L.* G. Kronwicken. G. *Coronille.*

CORONOPVS *hortenſis*, eſt planta, quae habet folia ex radice erumpentia multa, longa, anguſta, neruoſa, profunde inciſa, longis, ad margines laciniis appoſitis laciniata, paruum cornu cerui referentia, ſaporis aliquantulum adſtringentis, ſed grati. Naſcuntur ex foliis caules tenues, rotundi, rigidi, villoſi, pedem vnum, vel ſeſquipedem, alti. Flores et ſemina Plantaginis. Hinc etiam a quibusdam ad Plantaginis genus (Tetrandr. Monogyn.) refertur et vocatur: Plantago foliis linearibus pinnatodentatis *Linn.* Radix plerumque exigua, ſed aliquando digitum craſſa, alba, ſaporis aliquantulum adſtringentis. Haec planta colitur in hortis. *Pes cornicis* dicitur a pedis cornicis ſimilitudine, quam eius exprimunt folia. Alii, quod eius ſtylus, e mediis foliis exſurgens, in cornicis pedem conformatus articuletur, reliquam exhibens crucis effigiem. Vocatur et *Sanguinaria* et *Sanguinalis*, quod ſanguini ſiſtendo apta ſit herba. Sunt, qui *Herbam ſtellae* nominant, alludentes haud dubie ad Graecam appellationem *Aſtrion.* Nonnulli, quod folium eius multipartito confectum in cornu ceruini imaginem effigietur, *ceruinum cornu* vocarunt. Ex κορώνη, cornix, et πούς, pes. Ge. Krähenfuß. G. *Corne de cerf, Pied de corneille.* A. *Buckshorn plantain.* B. *Harts-hoorn, Gravinne-kruid, Kraayen-voet, Floop-kruid.*

CORPORA CAVERNOSA PENIS, Ruyſchio *Corpora neruoſo-ſpongioſa*, veteribus *Corpora neruoſa penis*, ſunt duo corpora longa, orta a parte inferiore tuberoſitatis oſſium iſchii, et oſſium pubis ſeorſim, et cincta membrana propria. Iunguntur ſibi mutuo ope ſepti medii, quod ſenſim euaneſcit verſus anteriora, et ex cellulis plurimis membranoſis contexta ſunt, quae maximum penis corpus conſtituunt. Si illa corpora expandantur per ſanguinem, in cauernulas maiori copia influentem, erectio penis fit. Ex ſimilibus duobus corporibus etiam conſtat mulierum clitoris. Nec diſſimilis adeo in papillis muliebribus fabrica eſt. G. Die ſchwammigten Körper der Ruthe. G. *Les Corps caverneux.* A. *The nervous body's of the yard.* B. *De zenuwagtige Lighaamen.*

CORPVS, in genere eſt ſubſtantia extenſa, impenetrabilis, diuiſibilis. Ge. Körper. G. *Corps.* A. *Body.* B. *Lighaam.* — In ſpecie vero diſtinguitur ab *Anima.* — Anatomicis autem denotat praecipuam alicuius partis portionem, quae tunc conſideratur, ac ſi per ſe partem illam conſtitueret, veluti in vertebris locum habet. In officinis pharmaceuticis corpus *baſin*, ſeu *excipiens*, alicuius remedii ſignificat. Sic *corpus pro balſamo* oleum nuciſtae dicitur, quoniam ex eo, ſi alia olea deſtillata admiſcentur, balſama parantur.

CORPVS CALLOSVM, eſt medulloſa cerebri pars, duo cerebri hemiſphaeria coniungens, ex cuius complicatione ventriculi cerebri anteriores conſtituuntur. Eſtque tota medulloſa, nulla membrana obtenſa, medullae oblongatae cruribus, ſeu apicibus, vtrobique affigitur: ab iſtis apicibus, tanquam ortu ſuo, medullaris haec ſubſtantia cerebrum obducens et concamerans verſus poſteriora expanditur, et pedes hippocampi format, ac ſenſim minuitur, demum huius expanſi limbus exterior arctius contrahitur, ac inferius, medullae oblongatae caudici membranarum et vaſorum nexu coniungitur. Porro firmioris connexionis gratia, ab anteriore ipſius parte, iuxta ipſius apices, proceſſus medullaris exoritur, qui cerebri fiſſuram ſubtendens, ad limbos eius pertingit; quibus velut brachiis vtrinque reflexis vnitur: quae quidem brachia medullae oblongatae caudicem amplectuntur, adeoque illum cerebri limbum ſibi firmius annectunt. Ge. Schwielartige Theil des Gehirns. G. *Le Corps calleux.* B. *Het weeragtig of eelsgewig Lighaam der Herſſenen.*

CORPVS GLANDVLOSVM, ſeu GLANDOSVM, idem quod *Proſtata.*

CORPVS HIGHMORI, ab *Highmoro*, medico Anglico, ſic dictum, eſt ſubſtantia, ſeu corpus, albicans dimidium circiter pollicem longum, in homine in ſuperiori parte teſticuli, in cane in medio teſticulo, collocatum, quod ſemen in vaſculis teſticuli ſecretum in cauum ſuum excipit, et per proprios canaliculos in epididymidem effundit. Videtur quaſi epididymidis principium. Ge. Der Hodenkern. G. *Corps de Highmor.*

CORPVS LVTEVM, eſt ſubſtantia quaedam in ouariis foemellarum, quae conceperunt, nec vnquam in animali virgine conſpicuum, variae admodum et figurae, et magnitudinis, et coloris, et ſubſtantiae, pro diuerſo a conceptione facta tempore. Oritur a degeneratione veſiculae, quae olim ouulum, nunc foecundatum, continuit, quippe quae tumuit, et rupta eſt, non ſine vulnere ſanguinem ſuppeditante, nunc emiſſo humore intus floccis repletur, qui paulatim ſolideſcentes, demum acinorum formam nacti cauum veſiculae replent, ſicque corpus luteum glandulae ſimile formant, ſenſim poſt plures a conceptione menſes et annos diminutum, et quaſi prorſus diſparens. *Hall.* Ge. Der gelbe Körper im Eyerſtocke.

CORPVS OLIVARE; *Corpora oliuaria*, ſunt eminentes columnae exteriores, medullares et obtuſae, ad principium et latera vtrinque *Medullae oblongatae* ſitae, quae pari octauo neruorum originem praebent.

CORPVS PAMPINIFORME, vide *Varicoſum Corpus.*

CORPVS PRO BALSAMO, vide *Corpus.*

CORPVS PYRAMIDALE, i. q. *Varicoſum Corpus.* — *Corpus pyramidale*, ſeu *Corpora pyramidalia*, vocantur etiam colliculi medullares interiores et tumidiores, deorſum in mucronem diminuti, ad principium *Medullae oblongatae* ſiti.

CORPVS RETICVLARE MALPIGHII, eſt tenuiſſima membranula, innumeris minimis foraminulis, reticuli inſtar, perforata, cuticulae proxime ſubiacens, eique firmiſſime adhaerens. In volis manuum et apicibus digitorum, praecipue in lingua maxime conſpicuum eſt. Inſeruit praecipue fulciendis papillis et expanſionibus nerueis ſubcutaneis. In hoc corpore reticulari praecipua ſedes eſt coloris, quem cutis exhibet; in ictericis enim flauo, in Aethiopibus nigro muco imbutum eſt. Ge. Das Malpighiſche Netz.

CORPVS RHOMBOIDEVM, a quibusdam vocantur illae lineae ſectatae, variae, ſubrubellae et corticeae, quae trunco medullari ex omni cerebelli ambitu radicum ad modum confluenti intertextae ſunt.

CORPVS STRIATVM, seu CORPORA STRIATA, sunt duo colliculi in quoque ventriculo laterali cerebri oblique siti, anterius septo lucido, posterius interpositis thalamis opticis separati, et plexu choroideo tecti. Substantia eorum corticalis est, intertexta pauca medullari, quae, siue ad perpendiculum, siue in linea ad horizontem parallela discindantur, sub forma striarum albarum apparet, vnde haec corpora *striata* dicta sunt: in hominibus et quadrupedibus haec est fabrica. In auibus tota cinerea sunt. Neruis olfactoriis originem praebent. Ge. **Die geſtreiften Hirnkörper.** G. *Corps cannelés.*

CORPVS VARICOSVM, vide *Varicoſum Corpus.*

CORRECTIO, est, quando medicamini sal quoddam, aut aliud quid additur, ad effecta acceleranda: vel quando qualitas quaedam remedii, minus proficua, additis aliis emendatur. Ge. **Verbeſſerung.** G. A. *Correction.* B. *Verbetering.*

CORRECTOR STARKEYANVS, est idem quod sapo chemicus, ex alcali fixo et oleo aethereo paratus. Nomen ab inuentore et ab effectu habet, quem in opii et medicamentorum drasticorum viribus corrigentibus ei adscribebant.

CORRECTORIVM, vel CORRIGENS, est, quo medicamenta meliorantur, ne cuiquam noceant, et facilius assumi queant, vt quando sennae additur semen foeniculi, folia scrophulariae, vel salibus aromatica, etc. Ge. **Verbeſſerung.** G. A. *Correctifs.* B. *Eene Verbeteringe.*

CORROBORANTIA, i. q. *Cardiaca.*

CORRODENTIA, sunt, quae acutis suis particulis omnia, quibus applicantur, inprimis vero carnem excrescentem, edunt, et consumunt. G. **Aetzende Mittel.** G. *A Corrosifs.* B. *Corrosif, knaagend Middel.* Vide *Corrosiuum.*

CORROSIO CHYMICA, est corporis mixti, per res corrosivas, calcinatio. Ge. **Zerfreſſung.** G. A. *Corrosion.*

CORROSIVVM, est medicamentum solida corporis animalis corrodendi vim habens, vt calx, mercurius sublimatus, aqua fortis, etc. cuius ope superflua carnis excrescentia absumitur, vel depascitur; vel, apertura fit, ad pus, aut aquam effusam euacuandam, aut fonticulus excitatur. Ge. **Zernagende Mittel, Aetzmittel.** G. *Corrosif.* A. *Corrosive.* B. *Corrosif.*

CORRVDA, est asparagus sylueſtris, (*Aſparagus acutifolius Linn.*) Dictam volunt, quod, vbi adoleuit, facile corruat, decidatque. Ast cum Graeca apud Theophrastum vox sit a *σαρω*, verro, purgo, inde melius deriuatur; nam colligati in fasciculum trunci verrendo inseruire possunt.

CORRVGATOR SVPERCILII, musculus est, qui, ab osse frontis circa radicem nasi et capite supercilii incipiens, partim cum orbiculari palpebrarum, partim cum frontali musculo continuatur, et in actione sua supercilium versus nasum deprimit, et ex vtroque latere agens supercilia sibi inuicem admouet, sicque corrugat.

CORTEX, est exterius tegumentum, seu cutis vegetabilium, vt et nucum, malorum granatorum, aurantiorum, etc. Cortex in caulibus et ramis vegetabilium constat compage lignearum fibrillarum, laxioribus interuallis dispositarum, quae explent vtriculi, quorum extimi patentibus oris suis connascentibus cuticulam faciunt. Cortici proximus est *Liber*, huic, in quibusdam vegetabilibus, subest *Alburnum*, quod sequitur *Lignum*, includens denique *Medullam*, seu vtriculorum congeriem.--Item exterior substantia cinericia cerebri et cerebelli sic vocatur. Gr. *Λέπισμα, φλοιὸς.* Ge. **Rinde.** G. *Ecorce.* A. *The Bark of a Tree.* B. *De Baſt.* Vide *Cerebrum, Cerebellum.*

CORTEX CARDINALIS DE LVCO, vide *Cina Cinae.*

CORTEX CARYOPHYLLOIDES, vide *Caſſia Caryophyllata.*

CORTEX CVLILAWAN, vide *Caſſia Caryophyllata.*

CORTEX ELEVTHERIAE, vide *Caſcarilla.*

CORTEX THYMIAMATIS, s. THYRIS, vide *Thus.*

CORTEX WINTERANVS, seu MAGELLANICVS. Nomen a *Wintero* habet, qui illum ex suo itinere ad terram Magellanicam A. 1577 in Angliam reportauit. Multi olim putarunt, illum cum canella alba vnum idemque esse. Sed Cl. *Solander*, qui nuper terrarum orbem cum Cl. *Banks* circumnauigauit, arborem in freto Magellanico copiose crescentem examinauit, et eum a canella alba plane differre reperit. Cortex *Canellae albae* s. *Winteraniae canellae Linn.* quae in Iamaica crescit, tenuior, grisei magis coloris, aromaticus est, eiusque sapor ad caryophyllos et cinamomum accedit. *Winteranus* vero brunum colorem ostendit, crassior est et saporem acrem aromaticum magisque adstringentem habet. Vocatur arbor semperuirens, in qua crescit a Cl. *Solander* (Lond. Med. Inquir. T. V.) *Winterana aromatica*, sed generico charactere a priore differt. Conf. *Canella alba.* Ge. **Magellaniſcher Zimmet, Winterrinde.** G. *Ecorce Winterane.* A. *Winters Cinnamom.* B. *Winter Kaneel.*

CORTEX PERVVIANVS, vide *Cina Cinae.*

CORTICALIS SVBSTANTIA CEREBRI, et CEREBELLI, est substantia eius exterior, plurimis labyrinthis et maean-

dris exterius dotata, tenui meninge obducta: cinericea, mollis, humidior, cingens vbique accurate totam originem alterius ſubſtantiae internae, albiſſimae, ſolidioris, exſuccae magis, quae medulla cerebri et cerebelli vocatur; ita vt haec ab illa oriri primo manifeſte videatur vndequaque, tam in appendicibus, ventriculis, cruribus, medulla oblongata. In interiori vero parte medullae ſpinalis ſimilis eſt cortici recondita ſubſtantia, tota pariter ibi arterioſa, quam medulloſa ambit, inuerſa ratione, quam in priore. Ex vaſis piae matris oriri videtur. Corticalis ſubſtantia ab intetiori cerebri parte medullarem, ſeu fibroſam, ſubſtantiam ſibi vicinam habet, quae ex cortice originem ducit, vt clare in cerebello patet. Vſus eſt fluidum nerueum ſecernere et e maſſa ſanguinea excipere, ex qua per medullarem ſubſtantiam et nervos diſtribuitur, et per vniuerſum corpus defertur. Germ. **Die rindenartige graue Subſtanz des Gehirns.** G. *Subſtance corticale du Cerveau.* *A. The cortical ſubſtance of the Brain.* B. *Baſt-agtige ſubſtantie der Herſſenen.*

CORTVSA, eſt planta, quae habet folia ex radice erumpentia, ampla, rotunda, inciſa, aſpera, ſaporis ſtiptici, caulibus longis adhaerentia. Ex his naſcuntur caules parui, nudi, in ſummitate habentes flores, quorum character eſt corolla rotata quinquepartita, capſula ouato-oblonga acuminata, vtrinque longitudinaliter ſulcata, vnilocularis, biualuis, valuularum marginibus inuolutis, ſemina continens numeroſa oblonga, obtuſa, parua. Radix valde fibroſa. Tota planta eſt valde odorata. Creſcit in locis arenoſis, et argillaceis: ſatis conuenit cum auricula vrſi. Dicitur et Sanicula alpina, vel montana latifolia, laciniata. *Matthiolo* vero eſt caryophyllatae ſpecies; ſic dicta, quod a *Cortuſo* primum haec planta reperta ſit. Ge. **Bergſanickel.** G. *Cortuſe.*

CORYLVS, eſt arbuſcula, quae plures habet ramos longos, flexiles, ſine nodis, cortice tenui obductos. Eius lignum eſt tenerum, album: folia ſunt ampla, ſparſa, in margine dentata, acuta, in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia: flos mas conſtat tribus ſquamoſis foliolis, quorum exterius binis interioribus incumbit. Ex infimo flore emergunt filamenta octo breuiſſima, lateri interiori ſquamae calycinae adnexa, cum antheris ouato-oblongis, calyce breuioribus, erectis. Omnes flores ſimul adnati axi longo referunt caudam cati. Eſt ergo flos amentaceus (Monoec. Polyandr.) Flos foemina in eadem planta, loco diuerſo a mare naſcitur, conſtans calyce diphyllo, coriaceo, margine lacerato, erecto, longitudine fructus, ſub floreſcentia prae paruitate vix ma-

nifeſto, includente germen ſubrotundum minimum, cui ſtyli duo ſetacei, calyce multo longiores, colorati, ſtigmata ſimplicia; germen demum fit nux ſubouata, baſi deraſa, apice parum compreſſa, parum acuminata; arcte calyci incluſa. Radix longa, craſſa, robuſta. Species maxime frequens eſt: *Corylus Auellana* ſtipulis ouatis obtuſis *Linn.* Corylus ſylueſtris *Baub.* Vſus fructuum vix niſi cibarius eſt. Sunt, qui oleum expreſſum in odontalgia vt anodynum commendant. E ligno coryli olim virgae diuinatoriae parabantur. Oleum deſtillatione e ligno Coryli eductum eſt *Oleum Heraclinum Rulandi*, cui ſummae contra epilepſiam et vermes vires attributae ſunt. Nec minus viſcus in Corylo naſcens antiepilepticus creditur. Haec arbor creſcit in ſyluis, atque eius fructus nux auellana et λεπτοκάρυον dicitur. Fortaſſe erit vox corrupta ex καρύα, *nux*, cum κα ſit mutatum in κο, ϱυ manet, deinde a in vs, hinc *Corylus*. Germ. **Haſelnuß, Haſelſtrauch.** G. *Noiſelier, Noiſettier, ou Coudrier.* A. *Haſel-nut-tree, Haſſe-tree, or a Filberd-tree.* B. *Hazelaar, Hazelnoet-boom.*

CORYMBI, ſunt ſummitates hederarum, velut vuae dependentibus acinis coactae. Transfertur tamen vox ad multos herbarum fructus, et adhibetur ad indicandam formam orbicularem, quam flores, vel fructus plures in quibusdam plantis conſtituunt. Vel *Corymbus* fit ex *Spica*, dum ſinguli flores petiolis propriis inſtruuntur, ſitu eleuato proportionali.

CORYMBIA, CORYMBOS, CORYMBE, eſt hedera arborea, ſic dicta, quod ſupra arborum capita adſcendat. Derivatur a κάρα, caput.

CORYMBIFERAE PLANTAE, vocantur, quae florem compoſitum diſcoidem habent, et quorum ſemina non pappoſa ſunt. Vel in genere, quae corymbos ferunt.

CORYPHE, eſt vertex capitis. Item digitorum extremitas interior iuxta vngues. A κορυφόω, in verticem attollo.

CORYZA, ſiue GRAVEDO, eſt ſuccorum noſtri corporis, ab externo frigore, inſpiſſatio, vnde in minimis vaſculis, vbi hi alluunt, fit obſtructio; vel ab eadem cauſa vaſcula contrahuntur, hinc a liquido ſuo inflammantur, quod cum facillime fit in locis, vbi continuo alluit aer, tota membrana pituitaria a *Schneidero* deſcripta, nares etc. inueſtiens afficitur, vnde ex glandulis eius folliculoſis fit liquoris acris et ſalſi accumulati largior defluxus, qui ſenſim ſpiſſior factus ſenſum obſtructionis in ſuprema narium parte excitat. Si

nulla fiat ſeri accumulati excretio, proprie *Grauedo* dicitur. Sic et glandulae pulmonarem fiſtulam perreptantes ob accumulatum viſcidum, vel acrem ſuccum excitant tuſſim et *Catarrhum*. Coryza eſt vel ſine, vel cum febre. Vide *Catarrhus*. Ge. Schnuppen, Fluß. G. *Enchiffrenement*, *Rhûme du Cerveau*. A. *Cold*, *Rhume*, *Poſe*. B. *Verkoutheid*, *de Snuf*, *Zwaarhoofdigheid*, *Druyping van de Neus*.

COS VINVM, eſt vinum, quod inſigni colore, odore, et ſapore pollet. Prior enim littera C ſignificat colorem, media O odorem, et vltima S ſaporem.

COSMETICA, ſunt medicamenta externa, illiniendo applicata, cutim dealbantia, et emollientia, ad pulchritudinem illi conciliandam et conſeruandam; vt oleum tartari, lac virginis, diſſolutio ex mercurio ſublimato, ſulphure, camphora, etc. A κοσμέω, orno. Ge. Schminkmittel. G. *Coſmetiques*. A. *Coſmeticks*. B. *Blanketzel*. Vide *Comtoria*.

COSTAE. Graec. Πλευραὶ, σπάδαι. Sunt illa oſſa, quae arcuata, oblonga, in medio longe plus depreſſa, quam in aſſurgentibus extremis, vna cum aliis partibus thoracem conſtituunt: exterius conuexa, interius concaua et magis laeuia, in vtroque margine aſpera. Poſterius connexionem cum vertebris dorſi, anterius vero cum ſterni cartilaginibus habent: numero in homine in quolibet latere duodecim ſunt: ſeptem ſuperiores verae, ſeu potius longae, quinque inferiores ſpuriae, ſeu breuiores, dicuntur. Item νόθαι πλευραὶ, μαλθακαὶ πλευραὶ, χονδροειδεῖς ἄκανθαι. Latitudo earum varia eſt, vt quae in ſuperioribus digiti latitudinem excedit, in inferioribus longe minor ſit. Longitudo quoque diuerſa eſt; mediae quippe ſunt maximae, ſuperiores et inferiores minores. Conſtant partim oſſea, partim cartilaginea ſubſtantia; haec in parte anteriori, illa in poſteriori. Coſtarum pars latior *Palmula* dicitur, πλάτη *Poll.* anguſtior, quae ſpinae vertebras attingit, *Remulus* κώπιον. *Polluci* μεσοπλεύρια coſtarum ſpatia intermedia dicuntur. Coſtarum vſus eſt, viſcera vitalia, cor ſcilicet et pulmones, includere et defendere, ita tamen, vt alterna expanſio et conſtrictio thoracis admittatur. Nec minus pluribus muſculis inſertionem praebent. Ge. Die Ribben. G. *Côtes*. A. *The Ribb's*. B. *Ribben*. — Coſtae etiam dicuntur margines oſſis ſcapulae, et oſſis ilii.

COSTAE dicuntur etiam petioli, eiusque ramorum in dorſo foliorum apparentes eminentiae.

COSTVS, eſt herba odorem ſpirans; nomen accepit ἀπὸ τοῦ κοσμεῖν, ab ornando, quod odoris ſui fragrantia ſenſus

decorat; duplex in officinis proſtat, *Albus* et *Niger*; nominatur etiam mentha *Saracenica* et *Graeca*, Straboni *Coſtarium*. Vocatur alias *Mentha* corymbifera, a diſpoſitione florum et odore: item herba S. Mariae, ſ. *Balſamita*, vbi vide.

COSTVS AMARVS, ſ ARABICVS, eſt radix exoticae plantae, arbuſculae ſambuci ſatis ſimilis, oblonga, pollicis craſſitie, grauis, compacta, coloris buxei flaueſcentis extus, intus rubri, ſaporis acris, amari, aromatici, grati, ſubdulcis, odor eius, ſi in ignem coniicitur, ſat gratus. Arbor eſt *Coſtus Arabicus Linn.* (Monandr. Monogyn.) cuius corolla interior inflata, ringens, labio inferiori trifido; capſula ſubrotunda, coronata, trilocularis, triualuis, polyſperma. Tres Coſti exiſtere putant ſpecies, Arabicum, dulcem, et amarum; ſunt, qui volunt has tres ſpecies inter ſe non differre, niſi ratione aetatis. Adfertur ad nos coſtus ex India Orientali, et ob qualitatem calidam et aromaticam, virtute ſtimulante, calefaciente, diaphoretica, et emmenagoga gaudet. Vrinam violaceo odore imbuit. Plura electuaria officinalia ingreditur. Pro *Coſto dulci* vulgo in officinis canellam albam exhibent. Ge. Coſtwurzel. G. *Coſtus Arabique*. A. *Sweet Smelling Coſtus*. B. *Koſt*. Arab. *Kaſt* et *Koſt*.

COSTVS CORTICOSVS, vide *Canella Alba*.

COTINVS, eſt arbuſcula, ſex, vel ſeptem pedes alta, cuius lignum eſt flauum, ramos dimittens rotundos, cortice rubicundo et obſcuro inſtructum. Folia ſunt ampla, venoſa, fere rotunda, in longo pedunculo. Calyculus exiguus, quinquefidus; floſculus roſaceus, pentapetalus, in ramulis capillaceis: (Pentandr. Trigyn.) inter villos ramoſos: ouarium fit fructus orbicularis, duro putamine impartibili tegens ſemen triangulare, coloris rubicundi, fuſci, aut nigri. Radix lignoſa. Haec arbuſcula creſcit in montibus. Dicitur etiam *Coccigria*, a κόκκος, granum, et ἄγρια, ſyluestris, quaſi grana ſyluestria. Vſus ligni maxime tinctorius eſt. Sunt, qui decoctum foliorum gargariſmatis loco adhibendum commendant. Naſcitur in Italia, Gallia meridionali, et, vt videtur, etiam in America. Nomen forte ab Inſula Hiſpaniae, Cotinuſa, poſt Gades; vbi oleaſter, ſeu cotinus, in magna copia alitur. Ge. Färberbaum, Gelbholz, Perückenbaum. G. *Fuſtet*, *Olivier ſauvage*. A. *The Wild Olive-tree*. B. *Wilde Olyf-boom*. Vide *Coccigria*.

COTONEA, CITONIA, et CYDONIA MALVS, *Pyrus cydonia Linn.* (Icoſandr. Pentagyn.) foliis integerrimis, floribus ſolitariis; Cotonea malus *Bauh.* eſt arbor, quae habet

lignum tortuoſum, durum, pallidum, albeſcens, corticem mediocriter craſſum, ſatis politum, externe coloris cinerei, interne rubicundi; folia mali, integra, albeſcentia, in parte inferiori lanuginoſa; flos eſt roſaceus, quinque, vel plurimis petalis in orbem poſitis conſtans, cuius calyx abit in fructum turbinatum, carnoſum, in loculamenta diuiſum, ſeminibus plurimis, glutinoſis, oblongis, et calloſis foetum. Hic fructus, menſe Septembri, vel Octobri, matureſcens, ſaporem habet adſtringentem, et qualitatem acido-ſtipticam; hinc viribus gaudet inſpiſſantibus, adſtringentibus, et refrigerantibus, et vario modo coctus, aut praeparatus, in nauſea, vomitu, et diarrhoea adhibetur. E ſeminibus aqua calida mucilago extrahitur, egregie demulcens. Haec arbor abvnde in regionibus montoſis Danubio adiacentibus prouenit. Apud nos in hortis colitur. Sic dicta eſt, a Cretae oppido, vnde primum aduecta eſt. *Cotonea* vero a Sidonte, Corinthi vico, nominata eſt; primus Cato illud nomen dedit: quibusdam, quod mala eius cotone, ſeu lana quadam, tegi videantur. Ge. Quittenbaum. G. *Coignaſſier.* A. *The Quince-Tree.* B. *Quee-Boom, Quee-Appel-Boom, Quee-Peer-Boom.*

COTONIVM, COTONYM, COTVM, vide *Xylon.*

COTVLA, eſt camomillae ſpecies, quae in duas diuiditur, quarum vna dicitur cotula foetida, ſiue chamaemelum foetidum, *Anthemis Cotula Linn.* quae habet folia chamomillae vulgari ſimilia, odore abominabili, guſtu amaro. Gr. Κυναδημις, κυνοβοτάνη. Ge. Krötenblumen, ſtinkende Kamillen. G. *Camomille puante.* A. *Maytweed.* B. *Padde bloemen, ſtinkende Kamillen.* — Altera ſpecies dicitur Cotula non foetida, *Chryſanthemum inodorum Linn.* et a foliis cotulae foetidae diſtinguitur ſolo narium iudicio, ſapore amaro; vocatur et chamomilla inodora, it. buphthalmum. Ge. Kuhdille, Kuhauge. G. *Oeil de Boeuf.* B. *Koe-dille, Koe-oog.* — — Datur et tertia ſpecies Cotulae, quae eſt flore luteo radiato, ſiue Chryſanthemum tenuifolium boeticum, ſiue Buphthalmum tenuifolium, folio millefolii; ſeu *Anthemis valentina Linn.* Nomen, quod ei Thuſci indiderunt, ſatis declarat: *Cauzam* enim appellauerunt, vnde diminutiuum *Cauſula* deductum eſt, et tandem corrupta voce *Cotula.* A κατω, vro, quod illi, qui in campis aluum exonerant, et deinde hac herba ſedem abſtergunt, paulo poſt intolerabili vexentur ardore. Alii a cote denominationem trahunt, quia forte quibusdam in locis cotibus, ſeu rupibus, innaſcatur. Ill. *Linnaeo Cotula* eſt proprium plantae genus (Syngeneſ. Polygam. ſuperfl.) inter matricariam et anacyclum medium locum occupans, cuius characteres ſunt: receptaculum nudum, ſemina marginata; corollulae diſci quadrifidae, radii fere nullae. Septem eius enumerantur ſpecies. Ge. Laugenblume. G. *Fauſſe Camomille.* A. *May-weed.* — Vires eaedem, ac camomillae. Vſus florum tinctorius eſt.

COTYLA ATTICA, pendet vncias nouem, vt hemina Italica. *Cotyla Italica* vero eſt libra menſuralis vnciarum XII. vel capit ſemiſextarium.

COTYLE, ſeu COTYLA, eſt *Acetabulum,* ſeu cauitas oſſis coxae, quae caput femoris oſſis excipit, vel in genere profunda cauitas articulationi ſeruiens. Gr. Κοτύλη γλήτου, *Theocr. interp.* Ge. Die Pfanne. G. *La Cavité coxyloide.* A. *The Cavity in the Hip-bone.* B. *Het Heupen-beens Hol.*

COTYLEDON, i. q. *Cotyle.*

COTYLEDON; pluribus plantis hoc nomen imponitur, quae apud *Linnaeum* vel ad *Craſſulae* genus, vel ad *Saxifragam* (vt *Saxifrago cotyledon eiuſd.*) pertinent. Proprie tamen eſt plantae genus calyce monophyllo, ſemiquinquefido, acuto minimo inſtructum. Corolla eſt monopetala campanulato-tubulata, ſemiquinquefida, laciniis reuolutis; nectarium componitur e ſquama concaua, ad baſin ſinguli germinis ſingula (Decandr. Pentagyn.). Ex calyce ſurgunt piſtilla, quae infimam floris partem perfodiunt, abeuntque deinde in fructum, ex quinque vaginulis conſtantem oblongis, ventricoſis, acuminatis, in capitulum collectis, a baſi ad apicem dehiſcentibus, ac ſemine foetis vt plurimum minutiſſimo. Eius plures dantur ſpecies et varietates, quae in Africa potiſſimum habitant. Sic dicitur, quod folium habeat inſtar vaſculi excauatum, quo ſolebant veteres haurire, vel quod ſit inſtar coxendicis concauum: κοτύλη enim eſt cavitas dicta coxae, in qua os femoris capite ſuo rotatur. A κεῖμαι, iaceo, poſitus ſum. Vocatur item γῆς ὀφθαλμὸν, quod veluti oculus, ſeu vmbilicus, denſioribus cingitur foliis, adinſtar maioris ſedi. Ge. Nabelkraut. Vide *Acetabulum.*

COTYLEDONES, ſeu ACETABVLA VTERINA, vel πλακοῦντες μητρῶιαι, Sunt glandulae per externam foetus membranam, ſeu chorion, diſperſae, quae ſuccum nutritium foetui alendo ex vtero ſegregant. Sed hoc locum tantum habet in quibusdam animalibus quadrupedibus, praecipue vnum tantum foetum gerentibus: in mulieribus vero placenta vterina earum vicem gerit. Item ſignificat venarum vteri hiantium oſcula, vaſculis placentae inſerenda, quae acetabulorum et cotyledonum nomine veniunt. A foliorum cotyledonis her-

bae similitudine nomen sortiuntur. Germ. Mutterdrüsen. G. *Cotyledons.* B. *Busjes, Knopjes, Byvoegsels.*

COTYLEDON, botanicis dicitur corpus laterale seminis, seu ipsi hilo adiacens, bibulum, et caducum, placentae quasi munere fungens, seu folium seminale; hinc monocotyledones dicuntur plantae, quarum semini sola seminalia solitaria sunt, dicotyledones vero, dum iis duo sunt folia seminalia. Ge. Samenkuchen, Samenlappen. G. *Cotyledons, Gâteaux séminaux, Lobes séminaux.*

COVRAP, scabies quaedam Indica est, impetiginem, aut herpetem, referens.

COVRBARIL, vide *Anime Gummi.*

CÒXAE OS, Celso, aliis *innominatum, Coxendix* Varroni, *ἰσχίον* Hesychio dicitur. Cum suo pari interuentu cartilaginis anterius, et posterius vtrique lateri ossis sacri iunctum, cavitatem conficit, quae *Peluis* vocatur. Componitur in infantibus ex tribus ossibus distinctis, quorum superius vocatur *Ilium*, inferius *Ischium*, et anterius *Os Pubis.* Haec per cartilagines sibi inuicem coniunguntur in medio insignis cavitatis, quae *Acetabulum* dicitur, quod proinde tribus his ossibus commune est; sed in adultis ita in vnum coalescunt, vt pristinae distinctionis vestigium vix relinquatur. Germ. Das ungenannte Bein, das Hüftbein. G. *La Hanche.* A. *The Hip vel Huckle bone, or the Haunch.* B. *Het Heupenbeen, Ys-been.*

COXENDIX, i. q. *Cóxa* et *Ischium.*

CRAMA, CROMA, et CHRAMA, est mixtio cuiuscunque rei, siue medicamenti, siue elementorum. A *κεράννυμι*, misceo. Denotat etiam vinum aqua dilutum. Ge. Eine Vermischung, Vermengung. G. *Mixtion, Melange.* A. *Mingling, or Mixture.* B. *Een Mengsel, Vermenging.*

CRAMBE, est planta, quae habet folia brassicae rubrae, sed magis crassa, magis carnosa, visui gratiora, circa margines vndulata, et veluti crispa, saporis non ingrati. Ex foliis nascuntur caules, qui in summitate habent flores cruciformes, quatuor scilicet petalis constantes; ex quorum calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum, seu testam vnicapsularem, bifariam dehiscentem, semine foetam vt plurimum oblongo. Crescit haec planta circa loca maritima. Crambe est vox Graeca significans brassicam, sed cum hac male confunditur: nam brassica est aliud genus plantae, hinc a *Tourneforrio* optime a se inuicem distinctae, et nomen brassicae, siue crambe, hic retentum est ob defectum vocabulorum. Crambe tamen apud *Linn.* denotat proprium plantae genus;

(Tetradynam. siliculos.) cuius characteres sunt: Filamenta quatuor longiora apice bifurca, altero antherifero; bacca sicca, globosa, decidua, monosperma; et cuius tres, vel quatuor species reperiuntur. Dicitur quasi *κραμβλη παρὰ τὰ κόρας ἀμβλύνειν*, quod oculorum pupillas, quas Gr. *κόρας* vocant, hebetet obtundatque. Sed alii dici volunt a *κάρα*, quia brassica capitata est. Et alii ita vocatam afferunt, quia *κόρῳ ἄμβη*, vel *ἀντέβη*, quod crapulae aduersetur. Vide *Brassica.* Ge. Seekohl. G. *Chou-marin sauvage d'Angleterre.* A. *Sea Cabbage.* B. *Krulkool.*

CRAMPVS, dicitur subitanea, fugax, dolorifica musculi rigiditas. Ge. Der Krampf. G. *La Crampe.*

CRANIA, est cornus, arbor. A *κράνον*, caput, quod capitatum fructum ferat, vel, quod instar caluariae duri sunt rami. Vide *Cornus.*

CRANIVM, est compages octo ossium capitis, ea ratione inter se connexorum, vt ad motum plane inepta sint, ad quod pertinent ossa frontis, sincipitis, occipitis, temporum, sphenoidis, et cribriforme. Non tantum cauitatem format, in qua encephalum continetur, sed etiam sese habet velut *κράνος*, galea, quia cerebrum ab externis iniuriis defendit; superior eius pars ex diplomate, siue duplici tabula, constat, cuius superior, pericranio tecta, crassior; interior tenuis et fragilis est. Vtrique interiecta est substantia osseo-spongiosa, seu cellulosa, quae *Diploe* vocatur. Ab aliis calua et calvaria appellatur. Vide *Calua.* Forte a *κείρω*, tondeo. Ge. Die Hirnschale. G. *Le Crane.* A. *The Skull.* B. *Het Bekkeneel, Hersen-bekken, Hoofd-pan, Hersen-pan, Hoofs-schee-zel.*

CRAPVLA, est capitis dolor, cum sensu grauitatis circa locum ventriculi ex voracitate, et praecipue nimio vini vsu, contractus. Ex *κάρα*, caput, et *κάλλω*, vibro. Ge. Haupt-wehe vom vielen Trinken. G. *Crapule, Yvresse.* G. *Gluttony or a surfeit.* B. *Verbuistheit.*

CRASIS, siue TEMPERAMENTVM, est mixtio ex conuenienti qualitatum constitutione, vel singularis humorum constitutio, prout aquea, biliosa, sanguinea, vel atrabilaria pars, seu in genere partes massam humorum constituentes, magis, vel minus, in iis abundant. Temperamentum dicitur veteribus simplex, vel compositum. *Simplex*, cum vna tantum qualitas excedit, vt calidum, frigidum, humidum, siccum, salsum, acre, etc. *Compositum*, cum plures qualitates eminent, vt calidum et siccum, calidum et amarum, salsum et acre, acidum et frigidum, acidum cum acrimonia, etc.

Item alia Crasis est *Insita*, quae partibus inhaeret; alia *Influens*, quae a spiritibus et sanguine in partes influit: estque *moderata*, vel *immoderata*: *totalis*, vel *partialis*: *nativa*, vel *adscititia*: *permanens*, vel *fugiens*: ad *pondus*, vel ad *iustitiam*, et sic fingebantur plurimae differentiae, quae vix vllius momenti sunt. A κεράννυμι, misceo. At cum crasis tantum fluidorum mixtionem concernat, non sufficit ad temperamentorum, eorumque differentiae explicationem, quippe in qua etiam solidorum conditionem respicere necesse est. Vide *Temperamentum*. Ge. Die Mischung der Säfte. G. *Constitution, Temperament*. A. *A Temperament, or Constitution*. B. *Getempertheid, Temperament, Evengematigdheid, Vermenging*.

Crassamentvm, ita vocatur placenta, quae in sanguine e vena misso concrescit et a sero distincta est. Constat ex lymphatica coagulabili sanguinis parte et cruoris globulis, a quibus ruber et nigricans eius color pendet. Ge. Der Kuchen im Blute.

Crassvla, est Telephii species, sic dicta, ob folia solito crassiora: vt et vermicularis, eandem ob similitudinem, *Crassula* vocatur *minor*. *Crassula* etiam indicat plantae genus, (Pent. Pentag.) cuius characteres apud *L.* sunt: Calyx pentaphyllus, corolla pentapetala; squamae quinque nectariferae ad basin germinis; capsulae quinque, oblongae, acuminatae, compressae, longitudinaliter introrsum dehiscentes, polyspermae. Species numerosae in Africa, et praecipue in Aethiopia, proueniunt. Apud nos in hortis, et nonnullae species sat operose coluntur. Ge. Dickblatt. G. *Crassule*. A. *Live-ever*.

Crataegonon, herba cerealis videtur et affinis melampyro, cuius vsus et esus est semen viuidum et genitale reddere. Id enim τὸν γόνον κραταιὸν significat, semen robore acuere et quasi viribus imbuere.

Crataegvs, est plantae genus, (Icosandr. Digyn.) cuius characteres sunt: Calyx quinquefidus, corolla pentapetala, bacca infera dilperma. Inter plures species etiam huc pertinet *Oxyacantha*. Ge. Weißdorn, Mehlbäßchen. G. *Epine blanche*. A. *White thorn, common Hawthorn*. — C. *Torminalis*. Ge. Darmbeeren, Arlsbeeren. G. *Alizier*. A. *Wild Seruice*. — C. *Aria*. Vide *Aria* — et C. *Azarolus Linn.* foliis obtusis, subtrifidis, dentatis; Mespilus apii folio laciniato *Bauh*. Ge. Azarolbaum. G. *Azérolier*.

Craticvla, est instrumentum chymicum ex bacillis ferreis quadratis digitalis crassitudinis, iuxta se in acutum, ita

ita positis et iunctis, vt semidigitale spatium inter illos interfit, factum, fornis conficiendis, carbonibus sustentandis inseruiens. Ge. Ein Rost. G. *Un Gril*. A. *Grid-iron, Grate*. B. *Een Rooster*.

Crea, est tibiae anterior pars. Dicitur et *Ocrea*. Vide *Tibia*.

Cremaster, *Musculus*, est stratum tenue fibrarum muscularium, quod oritur a magna parte inferiore, anteriore, spinae ossis Ilium, obliquo descensu adnascens carneis fibris ad marginem anteriorem, descendentem ossis Ilium, versus os pubis, nec minus *ligamento Fallopii*, et fibris musculi oblique descendentis: vnde antrorsum, deorsum, oblique se expandit, lateralia, et anteriora, tunicae vaginalis amplectitur, dum a parte anteriore ossium pubis, post vaginalem tunicam, fibrae carneae ortae, recta dimissae deorsum, se applicant parti posticae tunicae vaginalis, et ita simul formant musculum cauum, vndique accurate clausum, cuius expansio a nonnullis *Membrana erythroidea* vocatur. Hic tunicam vaginalem, testemque, eleuat, sustinet, et comprimit. A κρεμάω, suspendo. Ge. Der Hebemuskel der Testikeln. G. *Muscle cremaster*. A. *The cremaster muscle*. B. *De opschortende spieren*.

Cremor, proprie quidem sumitur pro parte butyracea lactis. Ge. Milchraum. G. *Crême*. A. *Cream* — — aliquando tamen etiam spissum hordei decoctum significat.

Cremor calcis est terra calcarea ex aqua calcis praecipitata.

Cremor tartari, vide *Tartarus*.

Cremor thermarvm est terra calcarea, vel selenitica, quae, si aqua thermarum nonnullarum, v. c. Carolinarum, frigida fit, ab ea separatur. Ge. Badeschaum.

Crenae, sunt quaedam in extremis oris incisurae, a quibus crenata herbarum folia vocantur, hoc est serrata, et per ambitum secta. Differunt tamen incisurae *crenatae* a serratis, quod illae obtusiores. Vel exactius *crenata* dicuntur folia, margine incisuris sine respectu extremitatis secto, *serrata* vero, margine inciso, omnibus incisuris respicientibus extremitatem.

Crepatvra, a *Crepare*, est quando hordeum, aut aliud, quid, coquitur, donec crepet. Ge. Aufspringen.

Crepitvs lvpi, i. q. *Bouista*.

Cressio, vide *Cardamon*.

Creta, *Gallae creta* solubilis, impalpabilis, cohaerens *Linn.* Creta cohaerens solida *Waller.* Est terra mineralis,

alba, calcarea, in omnibus acidis, praeter vitriolicum, solubilis, in igne in calcem abiens, addito sale alcalino vitrescibilis, in plurimis montibus Europae reperiunda. Hanc partim primigeniam esse, partim ex decompositione silicum nasci creditur. Vires sunt absorbentes et calcareae; hinc acidum primarum viarum absorbet, cum eo tamen in austeram et stipticam miscelam abiens. Externe Erysipelati imponitur. Ge. Kreide. G. *Craye*. A. *Chalk*.

CRIBRATIO, est pulueris tusi per cribrum dimissio, seu materiae tenuioris a crassiore ope cribri separatio. Ge. Das Sieben. G. *Criblement*. A. *Sifting, or Searcing*. B. *Zifting, Teemsing*.

CRIBROSAM MEMBRANAM nonnulli telam cellulosam dicunt.

CRIBROSVM OS, vide *Ethmoides*.

CRIBRVM, Gr. κόσκινον, est instrumentum, ex lana, lineo, cannabe, serico, seta, etc. quo olea, liquores, etc. percolantur, vel puluercs traiiciuntur; atque est vel rarum, vel densum, apertum, vel clausum. Ge. Ein Sieb. G. *Crible, Tamis, Etamine*. A. *A Sieve, or Searce*. B. *Zifte, Teems*.

CRIBRVM BENEDICTVM ANTIQVORVM. Veteres in renibus duas cauitates finxerunt secundum longitudinem sitas: vnam supremam, in quam sanguis serosus ex vasis renalibus effundatur: alteram infimam, quae transuersa quadam membrana distingui putabatur instar cribri angustissimis foraminibus peruia. Vnde *Colatorium* vocarunt, et *Benedictum cribrum*, per quod voluere percolari serum in vreteres, sanguinem vero probum remanere pro nutritione renum.

CRICOARYTAENOIDES, sunt musculi, vtrinque duo, lateralis scilicet et posterior, a cartilagine cricoide, siue annuliformi, profecti; qui cartilagini arytaenoidi inseruntur, quam, dum retrorsum atque exterius abducunt, rimam quoque laryngis dilatant. Ex κρίκος, annulus, ἀρυτ͂ηνα, vel ἀρύταινα, hausstrum, vasis genus, et εἶδος, forma. Ge. Die Muskeln des Ringknorpels. G. *Muscles cricoarytenoidiens*. A. *The cricoarytenodes muscles*. B. *Des Rings spleet-spieren*.

CRICOIDES, est capitis laryngis cartilago annuliformis, Thyroideae subiacens, capitula habens in superna ora, quibus laeues sinus in vtriusque arytaenoidis basi respondent, adeo vt mobili articulo inter se committantur. Ex κρίκος, annulus, et εἶδος, forma. Ge. Der ringförmige Knorpel der Luftröhre. G. *Cartilage cricoide*. A. *The ringlike cartilage, or griſtle*. B. *Het ringwys kraakbeen*.

CRICOPHARYNGEVS musculus, est pars constrictoris inferioris pharyngis.

CRICOTHYROIDES, s. CRICOTHYREOIDEVS, est par musculorum ab annulari cartilagine ortum, et in scutiformem terminatum, nonnihil oblique mouendo, rimulam laryngis dilatat. Ex κρίκος, annulus, θυρεός, scutum, et εἶδος, forma. Ge. Der Muskel des Ring- und Schildknorpels. G. A. *Crico-thyroidiens*. B. *Des rings ſchild-beens ſpieren*.

CRICOTHYROHYOIDES est par musculorum, a cartilagine cricoidea et thyroidea oriens, et basi ossis Hyoidis inse[illegible]tum, quod actione sua os hyoides laryngi admouet. Ge. Der Ring- und Schildknorpels und Zungenbeinsmuskel. G. *Cricothyrohyoidiens*.

CRIMNOIDES, seu CRIMNODES, est vrina, cui crassa et farinacea sedimenta insunt. A κρῖμνον, farina, et εἶδος, forma. Ge. Ein trüber Urin. G. *Urine farineuſe*. A. *Urine with a thick Sediment like to Meal*. B. *Meelachtige Pis*.

CRINALE, est instrumentum quoddam chirurgicum, ophthalmicum, in aegylopis cura ab F. ab *Aquapendente* commendatum.

CRINIS, seu PILVS, corpus notissimum est, teres, solidum, filamenti instar, quod facillime in quamcunque partem flectitur; microscopio perlustratum, transparens est, saepe nodosum; extremitas eius instar penicilli haud raro fissa. Radix, siue bulbus, ob figuram sic dicta, intra cutim recondita, verosimiliter caua est et vasculosa, vt pennae auium in radicibus, quae vasculosa pars folliculo includitur, in setis et maioribus pilis conspicuo. Oriuntur pili ex ipsis pinguedinis interpositis glandulis, vel folliculis. Defendendae cuti et firmandis poris inseruntur in cute, vt et in aliis partibus, vt in cauo narium anteriore etc. Diuiduntur in capillos, in crines et pilos. Ge. Das Haar. G. *Cheveux*. A. *Hair*. B. *Hair*.

CRINON, *Lilium*, dicitur et κρίνος. A κρίνω, secerno, quod folia eius sint distincta, vel a κρίνω, iudico; est enim κριτήριον et indicium veris: vocatur et λείριον. Vide *Lilium*. — Apud *Linnaeum* singulare plantarum liliacearum genus (Hexandr. Monogyn.) *Crinum* vocatur.

CRINONES, sunt vermiculi cutanei, qui et a nonnullis *Dracunculi* vocantur. Sunt autem vel vermiculi veri ad Chaos *Linn.* referendi, quorum corpus liberum, vniforme, rediui-vum, artubus sensusque organis externis nullis est: vel insecta

exigua ex *Acarorum* genere, in cute nidulantia; vel pili asperiores sub cute latentes, hancque irritantes; vel, quod frequentissimum, smegma cutaneum in ductibus excretoriis inspissatum, sicque in vermis formam compactum, extremitate ab aëris contactu nigrescente, sicque caput mentiente. Infestant praecipue tenellos, in quorum cura non satis munditiei studetur. Ge. Mitesser. G. *Crinons.* B. *Wurmen.*

CRINONIA, i. q. *Crinon.*

CRISIMA, sunt signa decernentia, et iudicantia. A κρίνω, iudico.

CRISIS, veteribus erat subita et repentina mutatio, in morbo, ad salutem, vel ad mortem, contingens. Aliquando significat humorum secretionem. Sed magis frequens et vsitata est illius acceptio pro iudicio, super morbum habito, et pro excretione subita materiae morbificae coctae. *Crisis* alia est *perfecta*, alia *imperfecta: Perfecta* est, quae aegrum perfecte et integre a morbo liberat. Estque vel *salutaris*, vel *lethalis.* Ad salutarem requiritur, 1. Vt sit optimis signis iudicata. 2. Manifesta. 3. Vt sit copiosa. 4. Fida. 5. Secura. 6. Conueniens morbo et aegrotanti. 7. Vt cum leuamine contingat. *Crisis imperfecta* est, in qua morbus perfecte non iudicatur; sed tantum secundum partem, et alteri crisi futurae locum post se relinquit; eaque duplex est, *altera ad melius*, *altera* vero ad *deterius.* Ad *melius* ea est, quae non omnino tollit morbum, sed facit, vt cum aegor alacrius ferat. Ad *deterius* est, quae morbum reddit vehementiorem et periculosiorem. Crisin a lunae et siderum motu, et influentiis dependere, eorumque aspectus quadratos, oppositos, aut εὐχωλίας, sequi, verum non est. A materiae vtique maiori, vel minori maturatione, sicque potissimum a viribus naturae, crises videntur dependere. Sed in hisce regionibus non tam accurate obseruantur, quod a diuersa corporum constitutione, climate, vitae genere, et varia medendi methodo dependet. A κρίνω, iudico, secerno. Ge. Entscheidung der Krankheit, Crisis. G. *Crise de la maladie.* A. *Crisis, or judgement.* B. *Oordeel, Afscheiding, of Verandering der Ziekte.*

CRISPATVRA, proprie denotat pilorum contorsionem; a nonnullis vero inter recentiores sumitur pro spasmodica contractione partium membranacearum, interdum etiam, sed minus proprie, pro contractione neruorum.

CRISPINVS, et CRESPINVS, est *Berberis:* haud dubie Graeci a spinarum acuminatis cuspidibus oxyacantham nominant. Hinc Latinis forte quasi *Cretica spina*, vnde voce contracta sonat *Crespinus.* Vel ab Italica voce *Crespino*, siue a *Spina.* Vide *Berberis.*

CRISPVM botanicis dicitur folium margine luxuriante, vt discus euadat longior sua rachi.

CRISTA, proprie est caro rubra, dentata, quae caput galli gallinacei exornat. G. Der Kamm der Vögel. G. *Créte.* B. *Haanekam.* — Anatomici vero ita vocant partes, quae ex aliis assurgunt, vt *Crista ossis Ilium* etc. — —. Cristae quoque sunt carnis excrescentiae circa anum pullulantes ex praepostera venere ortae, ad quarum radices plerumque scissurae, seu rhagades, adsunt. Ge. Kammförmige Fleischgewächse am After. G. *Crêtes.* A. *Excreſcences on the Anus like a cocks-comb.* B. *Hané-kams-wyzige uitwaſſen.*

CRISTA GALLI, est pars eminens ossis ethmoidis, siue processus interior gallorum cristae haud absimilis, inter olfactorios neruos, aut processus cerebri papillares, assurgens, cui infigitur extremitas sinus falciformis durae meningis. Ge. Der Hahnenkamm. G. *Créte de cocq.* A. *A Kind of a triangular proceſs like to the comb of a cock, Cocks-combe bone.* B. *Het Hane-kams been.*

CRISTA GALLI, Gr. ἀλεκτοροφόος, sic dicitur a florum figura, cum eorum folliculis. Vide *Alectorolophus*, et *Pedicularis.*

CRITERIVM, idem quod *Crisis.*

CRITHAMVM, i. q. *Crithmum.*

CRITHE, est hordeum; dicitur quasi κεκριθὲν, secretum, vel separatum, quod huic frumento multa opus sint ad secernendas glumas. Vel παρὰ τὸ κεκρίθθαι τῶν ἀκροδρύων· ἀκροδρύων γὰρ ἤσθιον πρὸ τῶν καρπῶν: quod hordeum glandibus praeferebatur; vel ἀπὸ τῆ διακρίθθαι, quod, eo reperto, et in vsum recepto, glandibus spretis a brutis homines distincti sint. A κρίνω, secerno. Vide *Hordeum.* — *Crithe*, s. *Hordeolum*, est quoque tuberculum paruum, oblongum, palpebrae cilio, qua pili sunt, adnascens; ab hordei similitudine dictum. Ge. Ein Gerstenkorn. G. *l'Orgeolet, ou Orgueil.* B. *Een ſtrontje.* — Item pudendum virile significat.

CRITHMVM, CRITHMVS, CRITHAMVM, et CRETA, est Foeniculum marinum; vocatur et *Crethmum.* Est plantae genus (Pentandr. Digyn.) cuius characteres sunt: fructus oualis compressus; flosculi aequales. Habet caules sesquipedem circiter longos, ramosos, crassos, lignosos, interdum repentes, aliquando rectos. Folia trifariam diuisa, carnosa, angusta, atro-virentia. Flos est rosaceus et vmbellatus,

plurimis ſcilicet petalis, in orbem poſitis, et calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus coniunctis, inuolucrum aliquod habentibus, quod per maturitatem deponunt, ſtriatis, oblongis, albis, planis, odoratis. Creſcit in regionibus calidis ſuper ſaxa circa mare. Eius duae ſpecies reperiuntur, ſcilicet *Crithmum maritimum* foliis lanceolatis carnoſis, et *Crithmum pyrenaicum* foliis lateralibus bis trifidis *Linn.* Prius in acetariis in maritimis regionibus editur. An a κρίθη quod ſemen aliquod contineat, inſtar grani hordei, aut tritici? An a κρίνω, ſecerno, quia vrinam et menſes ſecernit? Gr. Κρίθμον, ſ. κρῖθμον. Ge. Meerfenchel. G. *Bacile, Fenouil marin, Perce Pierre, ou Paſſe Pierre.* A. *Samphire.* B. *Zeevenkel.*

CRITICA SIGNA, ſunt, quae ex criſi, vel ad ſalutem, vel ad mortem, deſumuntur, ſuntque alia *antecedentia*, quae vel tempus criſium praenunciant, vel ſpeciem criſeos ſignificant. Alia *concomitantia*, quae cum ipſa ſpecie criſeos ſimul apparent. Alia denique *ſubſequentia* nominantur, quae oſtendunt an ſanitas imperfecta ſit exſpectanda, vel an metus ſit recidiuae.

CRITICI DIES, ſunt, in quibus ſubita morbi conuerſio fit. Eorum tres ſunt ſecundum veteres *differentiae*. Alii *vere et perfecte critici* dicuntur, alii *Indices*, alii *Intercidentes*. *Perfecte critici*, *Principes*, aut *Radicales*, appellantur, quoniam, quae his diebus contingunt criſes, omnes perfectae criſeos notas habent: eiuſmodi ſunt ſeptenarii tres, nimirum ſeptimus, decimus quartus, et vigeſimus. *Indices*, qui *contemplabiles* et *internuncii* nominantur, ſunt, qui criſin ſeptenario die futuram indicant: ſuntque numero tres: quartus, vndecimus, decimus ſeptimus. *Intercidentes*, qui et intercalares, ſeu irrepentes, vel prouocatorii, dicuntur, ſunt, qui inter principes et indices intercidunt, criſesque imperfectas moliuntur, ſuntque tertius, quintus, nonus, decimus tertius, et decimus nonus. Reliqui vero dies, qui neque principes ſunt, neque indices, neque intercidentes, *vacui* et *medicinales* appellantur: ſextus ſcilicet, octauus, decimus, duodecimus, decimus ſextus, et decimus octauus. Dierum criticorum computatio inſtituenda eſt ab ea hora, in qua aeger percipit manifeſtam actionum ſuarum laeſionem. Hoc tamen notandum, quod dierum criticorum ſupputationes in hiſce regionibus calculis Hippocraticis non exacte reſpondeant. Illi dies omnes dependent a viribus naturae, et commoda medendi methodo, ſicque a materiae morbificae citiori, vel tardiori, maturatione. A κρίνω, iudico. G. Entſcheidende, kritiſche Tage einer Krankheit. G. *Les jours critiques, ou de Criſe.* A. *Critical days.* B. *Oordeel dagen.*

CRITICVM in pathologia in genere omne id vocatur, quod ad criſin pertinet. Hinc *vrina*, *abſceſſus*, *tumor*, *vomitus*, *ſudor*, dicuntur *critici*, ſi criſis earum ope fit. *Critici motus* ſunt motus naturae, quae criſin molitur. *Criticus pulſus* etiam is eſt, qui criſin praenunciat.

CROCIDISMVS, CARPHOLOGIA eſt morbus, vel potius ſymptoma in variis morbis occurrens, idque plerumque peſſimum, ſcilicet ſubdelirium, vel etiam motus velut conuulſiuus manuum, quo aegri floccos e veſtibus euellere, paleas colligere, et muſcas venari videntur; etiam ſubſultus tendinum huc referri poteſt.

CROCOMAGMA, eſt compoſitio, cuius baſis eſt Crocus.

CROCVS, eſt plantae genus (Triandr. Monogyn.) cuius characteres ſunt: Corolla monopetala ſexpartita, ſtigmata conuoluta. Habet folia anguſta, graminea, ſtriata, linea media alba diuiſa, ſeptem vt plurimum, theca membranacea, vel ſpatha, inuoluta. Flos eſt liliaceus, monopetalus, inferius tubulatus, in ſex partes profunde diſſectus, pediculo inſidens. Piſtillum e fundo floris ſurgit in terna capillamenta capitata et criſtata fiſſum, antherae ſagittatae. Calyx vero deinde abit in fructum oblongum, trigonum, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque foetum ſubrotundis. Radix gemina, carnoſa, tuberoſa, quarum altera, quae minor eſt, alteri maiori fibroſae inſidet, vtraque vero inuolucro membranoſo obducitur. Tres potiſſimum, vel quatuor croci ſpecies cognitae ſunt: *Crocus ſatiuus Linn.* ſpatha vniualui radicali, corollae tubo longiſſimo: *Crocus autumnalis Linn.* ſpatha vniualui pedunculata, corollae tubo breuiſſimo: *Crocus vernus Linn.* ſpatha biualui radicali, floribus ſeſſilibus: *Crocus biflorus Linn.* ſpatha biflora, corollae tubo tenuiſſimo: praeter plurimas cuiusque ſpeciei varietates. Ex India, Gallia, Luſitania, Anglia aliisque locis nobis adfertur. Optimus cenſetur Anglicus, et Auſtriacus. Adhibetur vero ad medicum et oeconomicum vſum tantum ſtigma florum, aureo colore nitens, odore ſpecifico fragranti, et ſapore ſubacri et ſubamaro praeditum. Vires habet Crocus roborantes, anodynas, exhilarantes, reſoluentes, et vterinas, et inprimis pulmoni amicus eſt, ſed moderata dosi debet exhiberi, quoniam aliter capitis grauitatem inducit. Multas, praeter vſum culinarem, compoſitiones ingreditur; hinc propter frequentem vſum et carius pretium ſaepe adulteratur, nunc fibris carnis bubulae ſalitae, nunc calicibus carthami,

vel calendulae floribus, vel illum in locis humidioribus asseruando; sed fraus detegitur, cognitis bonitatis notis. Sunt eae, si odorem fragrantem spargat, colorem habeat in capreolis ad albedinem inclinantem, madefactus manus tingat, saporis acris sit, nullum peregrinum odorem spiret, nec friabilis sit. *Crocus*, vel ex sententia scholiastis Callimachi dicitur παρὰ τὸ ἐν κρύει θάλλειν, ex eo, quod in frigore floreat, vel quasi κροκὶς, vel κρόκη, id est, *trama*, *filum*, *villum*, seu *subtegmen*. id quod staminis inseritur, intertexiturue; cuiusmodi sunt croci stamina, seu villi, qui κροκίδες appellantur, qui cum soli in vsum veniant, per excellentiam Croci nomine donantur. Alii dicunt vocari a Croco iuuene, qui propter amorem Smilacis virginis in florem sui nominis versus est. Ge. Saffran. G. *Saffran*. A. *Saffron*. B. *Saffraan*.

CROCVS, chymicis est calx puluerea ad croceum vergens colorem, vel quilibet puluis, colorem croci aemulans. Paratur ex auro, marte, venere, antimonio, etc. vt crocus solis, martis, apertiuus, et adstringens, veneris, *metallorum*, qui ex *bepate antimonii* aqua abluto praeparatur. Hic nunquam in substantia propinandus, solique per infusionem vini emetici, vel aquae benedictae Rulandi, neque minus tartari emetici, vel stibiali, praeparationi inseruiens. Veterinariis praecipue in vsu est. Ge. Eisen- Kupfersaffran. u. s. w.

CROMMYON, est *Cepa*; dictum est, quod oculi pupillam comprimi cogat, ὅτι κόρας μυόμενον, vel ὅτι αὐτῷ ἐσφαινόμενοι, ἢ ἐσθίοντες, τὰς κόρας μύομεν, oculos enim claudere et emittere lacrymas consueuerunt, qui ipsum naribus oculisue admouent. Alii, sed minus recte, etymologiam a κάρη, caput, deriuant, quia eius bulbus capitulum refert.

CROTAPHITES, dicuntur musculi, venae, et arteriae temporales: κρόταφος enim tempus. Forte a κροτέω, verbero, pulso, quia arteriae in eodem loco continuo pulsant. Quandoque etiam *Crotaphium* pro dolore capitis sumitur. Vide *Temporalis Musculus*.

CROTAPHIVM, vide in *Crotaphites*.

CROTON, est plantae genus apud *Linnaeum*, quod ad monoecia monodelphia pertinet, et ad quod inter alia etiam cascarilla, heliotropium tricoccum, grana tiglii, etc. ab eo referuntur.

CRVCIALIS INCISIO, vide *Incisio Crucialis*.

CRVCIATA, vel CRVCIFORMIS, vocatur florum corolla petalis quatuor aequalibus patens.

CRVCIATA, *Valantia cruciata Linn.* (Polygam. Monoec.) floribus masculis quadrifidis, pedunculis diphyllis; galium latifolium, Cruciata quibusdam, flore luteo *Bauh.* Est planta, quae habet caulem pedem circiter altum, tenuem, mollem, debilem, quadratum, villosum, nodosum. Folia in caule in crucis formam disposita, quaterna, hirsuta, parua, oblonga. Flores parui sunt, verticillati, coloris flaui: baccae post florem geminae, fere sphaericae, cutim siccam et villosam habentes. Radix tenuis. Iuxta fossas, aquarum riuulos, et quandoque agrorum margines crescit. Nomen accepit, quod radix secundum longitudinem tripartito, aut quadripartito, fissa sit, cum foliis cauli cruciatim incumbentibus. Hinc Gr. Σταυρότυπος appellatur. Vocatur etiam Asperula aurea. Viribus gaudet resoluentibus, subadstringentibus, et vulnerariis. Recens contusa in herniis infantum, et infarctu hepatis commendatur. Ge. Kreuzwurzel. G. *Croisette*. A. *Croswort*. B. *Kruiswortel*.

CRVCIBVLVM, seu TIGILLVM, est vas fusorium ex terra in igne contumacissima, factum, acutiore basi et fere in ampliorem capacitatem forma triangulari, vel rotunda, desinentem, ad fundenda et eliquanda mineralia et metalla formatum. Fit etiam crucibuli species, quae vulgo testa appellatur, fundendis metallis adaequata. Ge. Eine Muffel, Schmelztiegel. G. *Un Creuset*. A. *A Crucible*. B. *Een Smeltkroes*.

CRVDITAS MORBORVM, dicitur, cum materia morbi vim vitae nondum satis est attenuata, vt circulo sanguinis restitui, atque sic ex corpore per secretoria expelli queat, sed adhuc praedita ea mole, figura, cohaesione, mobilitate, actiuitate, vel inertia, vt augeat, vel faciat morbum. Hinc etiam excretiones hoc sub statu contingentes *crudae* dicuntur. Ge. Unreife der Krankheit. G. *Crudité*. B. *Onrypheid der Ziekte*.

CRVDITAS VENTRICVLI, est, cum cibi, siue nimis tenaces, vel nimia copia ingesti; siue adfluentium humorum defectu; siue actione primarum viarum debilitata; siue praegressa earum repletione, non legitime praeparantur, et in chylum transmutantur. Est vero triplex, *apepsia*, *bradypepsia*, et *dyspepsia*, de quibus suo loco specialiter. Hinc *Cruditates* aut pro degeneratione spontanea ingestorum, aut pro abundantia quorundam succorum, acidae, biliosae, pituitosae, etc. dicuntur. Ge. Crudität. G. *Crudités*.

CRVOR, Gr. αἷμα, ἰχὼρ. Vide *Sanguis*. *Helmontius* sanguinem a Cruore distinguit. Sanguinem contineri dicit in

arteriis; Cruorem vero in venis. Plerumque autem *Cruoris* sub nomine denotatur pars rubra sanguinis, quae serosae opponitur. Cruor a currendo, vel a corde, dicitur: currit enim per venas ad cor. Ge. Das Blut, rothe Theil des Blutes. G. *Sang.* A. *The Blood.* B. *Bloed.*

CRVRAEVS MVSCVLVS, est musculus vtrumque musculum vastum interiacens, et recto femoris subiacens, oriens a superficie anteriori femoris, et in extremitate tribus his musculis iunctus. Communi aponeurosi patellam inuoluit, et tuberculo anteriori et superiori tibiae inseritur, sicque extensioni tibiae inseruit. Ge. Der Schenkelmuskel. G. *Muscle Crural.* A. *The Crural or Leg Muscle.* B. *Schenkelspier.*

CRVRALIS ARTERIA, est propago arteriae Iliacae externae, ad latus internum femoris decurrens, quae in plurimos ramos distributa, pedi ad extremitates vsque prospicit. Ge. Die Schenkelpulsader. G. *L'Artére crurale.*

CRVRALIS NERVVS oritur a neruis lumbaribus, inque descensu ramis suis partibus vicinis femoris prospicit; ipse truncus venam saphenam interiam ad extremitatem vsque pedis comitatur, ibique sub integumentis in plures ramulos diuiditur. Ge. Der Schenkelnerve. G. *Le Nerf crural.*

CRVRALIS VENA est propago venae Iliacae externae, eandem fere cum arteria crurali distributionem sequens. G. Die Brandader, Schenkelblutader. G. *La Veine crurale.*

CRVS, siue MAGNVS PES, Gr. Σκέλος, et Κνήμη, dicitur tum totum id membrum corporis humani, quod a natibus ad digitorum pedis extremitates extenditur, constans ex femore, tibia, et pede cum digitis proprie dicto, tum in specie femur. Ge. Das Schenkelbein. G. *La Jambe.* A. *The Leg.* B. *De Schenkel.*

CRVSTA LACTEA, est species *Achoris*, hac tamen cum distinctione, quod Achor tantum caput occupet, verum Crusta lactea obtingit infantibus in lactationis principio, atque non solum faciem occupat, sed et vniuersam fere corporis cutim inquinat. Crusta lactea albicat, achores vero alium colorem obtinent. Ge. Der Ansprung. G. *Les croutes de lait.*

CRVSTA PHLOGISTICA, est concretio sanguinis, in morbis acutis, praecipue inflammatoriis, per phlebotomiam educti, in cuticulam densam, tenacem, pallidam, liuescentem, vel virescentem, interdum vix cultro scindendam. Oritur quidem a contactu validiori et maiori cohaesione partis fibrosae, seu lymphaticae coagulabilis sanguinis, a calore, et motu vehementiori sanguinis producta, cum etiam in quouis sanguine recenter emisso et conquassato huiusmodi membrana phlogistica generari possit. Supersunt tamen nonnulla momenta circa eius generationem, quae explicatu haud adeo sunt facilia. Reperitur eiusmodi coagulum nonnunquam et in aliis morbis, qui sine febre inflammatoria sunt. Cum vero in pleuritide praecipue huiusmodi crusta in sanguine emisso appareat, vocatur etiam *Crusta pleuritica.* Ge. Eine Speckhaut auf dem Blut. G. *La Couenne.* A. *Sizy blood.*

CRVSTA VERMICVLARIS, i. q. *velamentum bombycinum*, s. *crusta villosa intestinorum.*

CRVSTA VILLOSA VENTRICVLI ET INTESTINORVM, est tunica interna laxa, rugosa, tenera, ventriculum et intestina interne vestiens, et extremitates neruorum, vasculorumque exhalantium et resorbentium continens. Idem quod *Tunica Villosa.*

CRVSTA VLCERIS, vide *Eschara.*

CRVSTVLA, idem quod *Ecchymoma* in oculo, hoc est, sanguis, qui ad coniunctiuam tunicam a suis descendit sulis a percussione, vulnere, vlcere, etc. disruptis.

CRYMODES, *Aetio* dicitur febris continua ardens cum inflammatione erysipelacea pulmonum; et proinde ob circulationem sanguinis inaequalem frigus magnum partes externas occupat. Ex κρυμὸς, frigus, algor, et εἶδος, forma.

CRYPSORCHIS, est testiculorum virilium in abdomine occultatio. Ex κρύπτω, abscondo, et ὄρχις, testiculus.

CRYPTA est foramen intra membranas partem internam corporis penetrans, quod orificium commune plurium glandularum folliculosarum huic cryptae circumpositarum sistit. Tales sunt *Cryptae*, seu glandulae simplices folliculosae in dorso linguae, in intestinis, etc. Ge. Schleimdrüsen, Schleimbälglein. G. *Cryptes.*

CRYPTOGAMIA denotat classem plantarum illarum omnium, in quibus flores oculis nostris nudis vix conspiciuntur. Quo ergo pertinent filices, musci, fungi, algae, lithophyta.

CRYSTALLI, sunt pustulae per vniuersum corpus dispersae lupini magnitudine, albae ac instar crystalli diaphanae. In morbis venereis praecipue partes genitales, v. c. glandem penis, occupant. G. *La Crystalline.*

CRYSTALLINA TVNICA, vide *Arachnoides Tunica*, et *Aranea.*

CRYSTALLINVS HVMOR OCVLI, etiam *glacialis* dictus, s. *Lens crystallina*, ipse intra tunicae vueae aperturam, quasi

vitrum foramini impositum, fere in centro oculi locatur. Anterius habet humorem aqueum, posterius humorem vitreum, cui nectitur ope membranulae pellucidae, a Choroidea reflexae, quae capsulam lentis format: radios vndique aduentantes colligit, ac refractos ad corpus vitreum et retinam transmittit. Huius substantia instar glutinis, aut gummi, admodum pellucida est, ac consistentia instar cerae colliquescentis praedita: licet comprimi possit, haud tamen sponte diffluit, duriorque est et densior humore vitreo. Figura eius in homine ad speciem lentis accedit, cuius nempe superficies extima planior, ac intima gibbosior. Crystallinus humor dicitur, quia olim humor credebatur esse, sed rectius nunc *Corpus crystallinum*, vel *Lens crystallina*, vocatur, quia per anatomicorum inuenta constat, quod componatur ex multis segmentis sphaericis, sibi immediate impositis, pellucidissimis, continentibus humorem pellucidissimum: tamen membranula propria *Crystalloides* dicta includitur. Corpus hoc conuexiori sua parte vitreo insidet humori ibi loci, vbi fouea satis notabilis vitreo est insculpta, cuius figurae exactissime respondet, atque hac ratione praecipuam dictae cauitatis partem implet, non vero totam; libere haeret in parte anteriore, et vitreo nectitur parte posteriore et lateribus. Variis degenerationibus, varias cataractae species efficientibus, *Lens crystallina* obnoxia est, raro sine lentis vel depressione, vel extractione, tollendis. Vide *Cataracta*. A κρύος, frigus, et συστέλλω, concresco. Ge. Die Kristallinse im Auge. G. *Humeur Crystalline*. A. *Crystalline humor of the Eye*. B. *Het krystalline vogt*.

Crystallisatio, in genere quidem denotat transitum substantiae fluidae in solidam, sub determinata quadam figura, proprie vero est ea salinarum partium antea solutarum inter se connexio, vt crystalli speciem referant, diuersimode pro salium indole constructam et figuratam. Proprium est salium. Videlicet haec in liquore aqueo soluta, si in frigidum locum reposita fuerint, concrescunt in crystallos. Vbi nota, si nimium liquoris adsit, antequam reponantur, aliquantulum exhalandum esse, donec cuticula in superficie appareat. Porro, postquam prima vice Crystalli exemtae fuerint, quia reliquis in liquore scilicet restantibus crystallis liquor disproportionatus est, exhalet nonnihil, hinc reponatur iterum. Sacchari crystallisatio fit mediante calore. Ad summam enim spissitudinem sacchari syrupus coquitur, deinde ollis, figuram metae habentibus, infunditur, atque in caldariis reponitur, vbi, quod superfluum per metae cuspidem

inuersam (perforata enim est) destillat, et quod crystallisandum, metae lateribus adhaeret. Corpora etiam salibus quodam modo analoga, vt selenites, spathum, nec non variae minerae et lapides in crystallos concrescunt. Ge. Crystallisirung. G. A. *Crystallisation*. B. *Krystallisatie*.

Crystalloides tvnica, vide *Crystallinus Humor*.

Crystallvs, s. *Crystallus Montana*, proprie lapis transparens est, aquam in glaciem conuersam omnino referens, figura plerumque sexangulari, vtrinque in mucronem, aeque hexagonam turbinata, concrescens, in igne vitrescens, omnibus menstruis acidis resistens. Inuenitur variis in locis, in saxis concauis, inprimis in Heluetia, tamen etiam in Germania, Bohemia, Vngaria, et nonnunquam in agris. Est haec *Nitrum crystallus montana Linn.* (Miner. Sal.) lapidosum, quarzosum, octodecaëdrum hyalinum; crystallus hexagona non colorata *Waller*. Pulueri eius olim virtus lac prouocans tribuebatur; magis tamen hodie a suspecto eius vsu abstinetur. A terra metallica admista coloratus pseudogemmas vulgo sic dictas sistit. — *Crystalli* tamen in vniuersum etiam ea corpora prismatica dicuntur, in qua salia et alia corpora mineralia concrescunt. Dicitur *Crystallus* a κρύος, gelu, et στέλλω, contraho. Ge. Krystall, Bergkrystall. G. *Cristal*. A. *Crystal*. B. *Krystal*.

Crystallvs islandica, alius est ordinis, quam *Crystallus montana*. Est scilicet lapis pellucidus, ad spathum referendus, cum acidis efferuescens, in igne in calcem abiens, obiecta duplicans; *Spatum duplicans Linn.* (Petr. Calc.) solubile, pellucidum, obiecta duplicans: *Waller*. Inuenitur etiam in Norwegia et Helvetia. Nullius in medicina vsus est. Ge. Isländischer Krystall. G. *Cristal d'Islande*.

Crystalli lvnae, veneris, sunt solutiones horum metallorum in menstruis acidis factae, et ad exsiccationem inspissatae, quarum illae vt efficax remedium antihydropicum, hae ad abstergenda vlcera impura commendantur.

Cvbebe, s. cvbebae, fructus sunt aromatici, piperis magnitudine fere, vnicum petiolum singuli habent, et sub cortice tenui rugoso includunt nucleum paruum rotundum, foris nigricantem, intus albicantem. Sapor piperis instar acris, aromaticus subamarus est. Crescit eodem fere modo, ac piper, hederae more per arbores repit. Fructus racematim cohaeret. Creditur esse piperis species, *Piper cubeba Linn.* vel fructus fruticis conuoluulacei Iauanensis, *Carane* dicti. Qualitatis est acris et sialagogae, viribusque gaudet calefacientibus, neruinis, carminatiuis et aphrodisiacis.

Vocatur etiam piper caudatum, quod tamen alii aliud esse aroma granaque longe minora dicunt. Adfertur ex India Orientali. Cubebas ore masticatas caput confortare, et vertiginem auertere, referunt. G. Cubeben, Hauptkörner, Schwindelkörner. G. A. *Cubebes.* B. *Staartpeper.*

CVBIFORME OS, vide *Cuboides.*

CVBITAEVS, musculus *internus* est, vel *externus. Primus* oritur a condylo ossis humeri interno, confundens principivm cum palmari sublimi: per interiorem et anteriorem cubiti partem extenditur, inseritur forti tendine osficulo carpi, quod primi ordinis est extimum, supra digitum minimum, scilicet ossi piisformi, vel orbiculari. Alter *externus*, ab externa brachii apophysi emergens, iuxta cubiti externi longitudinem stratus, auricularem infra digitum ad basin ossis metacarpi quarti, tendine definit spectabili. Vocantur quoque *Vlnares*, quorum ille manum, seu metacarpum, flectit et adducit, hic extendit et abducit. Ge. Der Ellenbogenmuskel. G. *Muscles cubital interne et externe.* B. *Elleboogs spier.*

CVBITALIS ARTERIA, est propago, seu ramus insignior, arteriae brachialis, qui in decursu suo ad latus internum cubiti vicinis, partibus ad extremitates vsque digitorum plurimis ramulis prospicit, praecipue vero arteriam interosseam internam et externam, et recurrentem largitur, ac arcum palmarem format. Ge. Die Ellenbogenpulsader. G. *L'artère cubitale.*

CVBITALIS NERVVS, oritur e plexu brachiali, et iuxta musculos anconaeos descendens, sinumque condyli interni humeri transiens, in duos ramos maiores, hique in plurimos minores finduntur, qui praecipue in partem manus circa tertium et quartum os metacarpi, digitumque annularem et auricularem distribuuntur. Ge. Der Ellenbogennerve. G. *Le Nerf cubital.*

CVBITALIS VENA; duae sunt, interna scilicet et externa, quae sunt rami venae basilicae, ramulis suis in descensu partibus vicinis prospicientes, et praecipue in dorsum manus distributae. Ramus insignis ad interstitium digiti auricularis et annularis tendens, *Vena saluatella* vocatur. Ge. Die Ellenbogenblutader. G. *La Veine cubitale.*

CVBITVS, *Plauto* gibber brachii, Gr. ὠλέκρανον, ἀγκών, κύφιον, κύβωλον. Est media pars inter humeri os et carpum. Componitur ex duplici osse, vlna scilicet et radio: quorum extrema quidem commissa sunt, sic vt in homine *Pronatio* et *Supinatio* fieri possit; intermedia autem ab inuicem secedunt, quamuis membranoso ligamento interosseo iuncta. A κύπτω, pronus sum, inclino caput, nempe in cubitum, vel κύβος, cubus. Ge. Der Vorderarm. G. *L'avant-bras, le Coude.* A. *The Elbow.* B. *Elleboog, Voorarm.*

CVBITVS, est mensura, quanta patet a cubiti flexura vsque ad summum medium digitum, quae sex palmis digitisue viginti quatuor constat. Ge. Elle. G. *Une Coudée.*

CVBOIDES, seu CVBIFORME, est quartum os tarsi in vtroque pede, situm in eius latere externo ante os calcaneum, et sustinens, duo ossa metatarsi extima, quae scilicet digito quarto et quinto articulantur. Vocatur etiam *os tesserae, grandinosum*, et πολύμορφον. Ex κύβος, cubus, et εἶδος, forma. Ge. Das Würfelbein. G. *l'Os Cuboide.* A. *The dice-like bone.* B. *Het teerlingvormig-been.*

CVCVLI FLOS, vide *Lychnis.*

CVCVLLARIS MVSCVLVS, seu TRAPEZIVS, est primus scapulae musculus, a figura *Cucullaris* dictus: amplus et tenuis, figurae quadrilaterae irregularis, vnde *Trapezius* vocatus fuit. Incipit ab occipite et colli vertebrarum spinis, et subinde pluribus dorsi superioribus; inseritur tendine lato partim spinae scapulae, partim acromio et clauiculae. Hinc pro variarum fibrarum actione scapulam sursum, retrorsum et deorsum mouere potest. Ge. Mönchskappenförmige Muskel. G. *Muscle Trapeze.* A. *A Muscle in forme of a Monks hood.* B. *De Monnik-kaps spier.*

CVCVLLATA, botanicis sunt folia lateribus ad basin conniuentibus, apice vero dilatatis.

CVCVMA, idem quod *Abenum.*

CVCVMER, CVCVMIS, est plantae genus, (Monoec. Syngenes.) cuius characteres sunt: Calyx quinquedentatus, corolla campanulata, quinquepartita, *masc.* filamenta tria, breuissima, calyci inserta; *foem.* stylus cylindraceus breuissimus, stigmata tria; pomum triloculare, semina compressa, gemino ordine posita. Habet scilicet caules plurimos, villosos, repentes; quibus alternatim adnascuntur folia, ampla, lata, angulosa, incisa, et dentata, aspera, repentia. Flores sunt monopetali, campaniformes, patentes, quinquefidi, flaui, ex quibus alii steriles sunt, nulli embryoni adhaerentes, alii foecundi embryoni insidentes, qui deinde abit in fructum variae et singularis figurae, (est enim oblongus, rotundus, aut tortuosus), carnosum, edulem, mollem, viridem, aut flauescentem, verrucis aliquando praeditum, corticem tenerum habentem, teretem, in terna, vel quatuor loculamenta diuisum, semina oblonga, plana, alba, conti-

nentia, in medio paululum tumida, seu conuexa, candicantia, ad extremitatem acuta, seminibus melonum augustiora. Haec corticem durum habent, in quo latet amygdala dulcis, vnctuosa, saporis grati. Propter vim refrigerantem inter semina quatuor frigida maiora recensentur. Radix fibrosa, alba, recta. Haec planta in hortis colitur. Fructus plurimarum specierum gaudent qualitate aquosa, edulcorante et refrigerante. Praecipuus vsus culinaris et acetarius est. *Varroni* dicitur a curuore, quasi curuimer: plerumque enim incuruantur. Gr. Σίκυς, et σίκυος, a σείεσθαι, et νίσσω, concutere, ire, quia haec planta longe lateque ramos suos spargit, vel a κύων, quod scilicet appetentiam concumbendi minime stimulet. Sunt, qui *Anguriam* appellant. Ge. Gurken, Cucumern. G. *Comcombre.* A. *Cucumber.* B. *Komkommers.*

CVCVMIS AGRESTIS, ASININVS, vide *Elaterium.*

CVCVPHA, est integumentum capitis. Fit ex cephalicis magis odoratis, quae in puluerem redacta, cotone moschato excipiuntur, et inter pannum sericeum interpunctantur, ne moles conglobetur in vnum locum, et hinc incommodum in gestatione adferat. Aduersus catarrhos aliosque capitis morbos super caput geritur, vel pileo intus affuitur, et liquore quodam spirituoso quandoque irrotatur. Nomen ipsum barbarum est, quod ex lingua Chaldaica deriuatum dicitur. Latinis vero *pileus*, vel *sacculus cephalicus*, et nonnullis *Cucullus* audit. Prostant in officinis huiusmodi species compositae, quae *Species pro Cucupha* dicuntur. Germ. Ein Kräutermützlein. G. *Calotte cephalique.* A. *An odoriferous cap for the head.* B. *Een kruidmutsje.*

CVCVRBITA, est vas chymicum turbinatum, ex terra, vel vitro, confectum, destillationibus per alembicum instituendis, aptum. Quandoque etiam pro cucurbitula sumitur. Ge. Ein Kolben. G. *Cucurbite.* A. *A Cucurbite, or Gourd-like vessel.* B. *Een Kolf.*

CVCVRBITA, est plantae genus, (Monoec. Syngenes.) cuius characteres sunt: Calyx quinquedentatus, corolla quinquefida. *Masc.* Filamenta tria conniuentia, superne connexa, inferne distincta, calyci adnata, antherae lineares. *Foem.* Germen infra receptaculum floris; stylus conicus apice trifidus; stigma trifidum; pomum triloculare; semina plurima, tumida, emarginata. Habet scilicet plures caules sarmentosos instar digiti crassos, longos, repentes, aut scandentes cum capreolis. Folia sunt ampla, magna, rotunda, mollia, lanuginosa, in margine aliquantulum crenata; flores albi,

albi, campaniformes, vt plurimum quinquefidi, villosi; ex quibus quidam steriles sunt, s. masculi, nulli embryoni insidentes; alii vero foecundi foeminei, seu insidentes embryoni. Is abit in fructum, in quibusdam speciebus teretem et longum, in aliis lageniformem, vel inflexum, in sex loculamenta plerumque diuisum, foeta seminibus pallidis, planis, oblongis, hinc obtusis, inde latioribus, et quasi introrsum emarginatis, seu auriculatis duabus apophysibus, quasi angulosis eminentibus, et duabus lineis per longitudinem excurrentibus notatis, quae inter quatuor semina frigida maiora recipiuntur. Hic fructus habet corticem durum, lignosum, flauescentem. Eius caro est fungosa, medullosa, alba et insipida, qualitatis aquosae et refrigerantis. Radix tenera et fibrosa. Haec planta in hortis colitur. — Minus vsitata est alia *Cucurbitae* species, quae *lagenaria* dicitur, scilicet *Cucurbita oblonga, flore albo, folio molli* C. *Bauh.* Latini vocarunt a concuruatu, quod facile, si quid obstiterit, quod minus extendatur, concurvescat. Graeci ex aduerso vocabulum imposuere, κολοκύνθην nominantes, quod scilicet pumili breuesque sint partus, quos passim emittitur, cum tamen corporis mole, omnes herbarum arborumue fructus videantur superare. Ge. Ein Kürbis. G. *Calebasse, Courge.* A. *Gourd.* B. *Kauwoerden.*

CVCVRBITINI LVMBRICI, sunt articuli distincti *Taeniae*, lati, semini cucurbitae similes. Propagines et generationes scilicet vermis forte ad familiam polyporum pertinentis, vix recte a nonnullis pro ascaridibus deformatis habitae, quae inter se connexae *Taeniam* formant, vermem scilicet omnium longissimum, quamplurimas vlnas interdum aequantem, in humanis et caninis intestinis reperiundum, ipsisque aliquando longiorem, vt tricenum, pluriumue pedum fuisse referatur. Graecis ταινίαι; vox fasciam denotat, quoniam fasciae instar longi et lati, vel potius plani sunt, qui vermes et *Lumbrici lati* dicuntur. Ge. Kürbiswürmer. G. *Vers Cucurbitains.* A. *Worms like the seed of a gourd.* B. *Kauwoerdezaat-gelyke wormen, Lintwurmen.*

CVCVRBITVLA, seu CVCVRBITA, est vas ventricosum, ex vitro, vel stanno, conflatum, quod corpori cum scarificatione, vel sine ea, applicatur, ad sanguinem extrahendum: si sine scarificatione instituitur, *Cucurbita coeca et Ventosa* s. sicca, appellatur. Gr. Σικύαν κύφην vocant. Ge. Ventosen G. *Ventouse*, vel *Ventouse seche.* A. *A blind Cupping glass.* B. *Een blinde Kop.* — Cucurbitulae apponuntur in partibus maxime carnosis, vbi vasa magna et nerui laedi non

possunt. Tractio illa, quae fit in cucurbitulis applicatis, hoc modo peragitur. Post cutis scarificationem aër in cucurbitula contentus vi flammae, vel stupae incensae, rarefit et dilatatur, postea vero a frigefacto et condensato aëre interno minus spatium occupatur: tum aër externus, premens carnem, sanguinem in cauitatem cucurbitulae propellit, sublata scilicet atmosphaerae pressione in partem cucurbitula tectam. Hinc venaesectionis vicariae sunt, et laudantur in omni casu, in quo illa necessaria foret, sed ob aegri debilitatem, vel venarum, exilitatem tuto fieri non potest, aut vbi e vasis minoribus reuulsionem, vel sanguinis euacuationem partialem fieri necesse est. G. σικύαν κατὰ χασμὸ appellant. Cucurbitularum duo genera sunt, inquit *Celsus*, *aeneum* et *corneum*. Aenea, altera parte patet, altera clausa est. Cornea, altera parte aeque patet, altera foramen habet exiguum. In aeneum linamentum ardens coniicitur, ac sic os eius corpori adaptatur, imprimiturque, donec inhaereat. Cornea per se corpori imponitur; deinde vbi ea parte, qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superque cera cauum id clausum est, aeque inhaeresci. At caetera defecerunt, caliculus quoque, aut pultarius, oris compressioris, ei rei commode aptatur. Vbi inhaesit, si concisa ante scalpello cutis est, sanguinem extrahit: si integra est, spiritum. Ergo vbi materia, quae intus est, laedit, illo modo, vbi inflatio, hoc imponi solet. *Corneis* hodie vtuntur *Aegyptii*, vt patet ex *Prosp. Alpino*. Ge. Schröpfkopf, Badkopf. G. *Ventouse*. A. *A Cupping-Glass*. B. *Koppen, Laat-koppen, Kop-glazen, Porren*.

Cvlevs, est veterum magna mensura, quae capit vrnas quadraginta.

Cvlilawan, est cortex arboris crassus, verrucosus, extus ex rufo fuscus, intus flauescens, saporis et odoris suauis aromatici, proxime ad caryophyllos accedens. Arbor, e qua detrahitur, valde procera et crassa est, et praecipue in India Orientali crescit. Est *Laurus culilaban Linn.* (Enneandr. Monogyn.) foliis triplineruiis oppositis; Cortex caryophylloides *Rumph.* Laurus canellifera amboinensis procerior, foliis longioribus atque trineruiis, baccis calyculatis oblongo-rotundis. Ob qualitatem acrem et aromaticam cortex hic egregiis viribus carminatiuis, stomachicis et neruinis gaudet. Indi ex eo balsamum conficiunt, quod *Bobori* vocant, quoue frequenter externe vtuntur, tum fragrantiae caussa, tum ad dissipandos dolores rheumaticos. Videtur hic cortex idem esse cum *Carabaccio Bagliuli*. Ge. Bittere Zimmetrinde, Culilawan.

Cvlmvs, frumenti calamus est, qui spicam sustinet. Vel in genere est truncus graminum et plantarum cerealium. G. *Halm*. G. *Chalumeau*. A. *Stalk*. B. *Stroo, Halm*.

Cvlvs, vide *Anus*.

Cvminvm, seu cyminvm, planta est officinalis, scilicet *Cuminum cyminum Linn.* (Pentandr. Digyn.) Cuminum semine longiori *Bauh.* Cuminum satiuum *Camer.* quae habet caulem in multos ramos diuisum: folia sunt, vt foeniculi, minutim incisa, sed minora. Flores in vmbellam crescunt in summitate ramorum, coloris albi: semina his succedunt bina, sibi inuicem iuncta, oblonga, striata, minima, acuta ab vtraque parte, coloris cinerei, virideſcentis, aut flaueſcentis, odoris penetrantis et ingrati, saporis plerumque acris subamarescentis et aromatici. Viribus gaudet carminatiuis, diureticis et emmenagogis. Radix tenuis est et longa, quae perit semine maturo. Crescit proprie in Aegypto et Aethiopia: seritur praesertim in Melita; et apud nos passim colitur. Ge. Römischer Kümmel, Haberkümmel, Mutterkümmel, Gartenkümmel. G. *Cumin*. A. *Cummin*. B. *Komyn*.

Cvneiforme os, s. sphenoidevm *Capitis*, dicitur a cuneo, cuius formam referri volunt. Vel quia instar cunei reliquis cranii ossibus est infixum, et omnia fere capitis, maxillaeque superioris ossa tangit. Antiqui πολύμορφον, vel *Multiforme*, propter figuram eius irregularem vocarunt. Situm habet in basi cranii, variisque partibus constat, quae in adultis vnitae sunt. Notantur in eo corpus, sub quo sinus sphenoideus latet; sella equina, cui insidet glandula pituitaria; processus, s. alae laterales, qui versus tempora expanduntur, processus pterygoidei, orbitarii, styloidei, etc. et varia foramina, per quae vasorum sanguineorum et neruorum rami intrant, vel exeunt. Dicitur etiam *Os Basilare*. Vide *Basis*. — *Cuneiforme os carpi* est os tertium primi, seu anterioris ordinis ossium carpi, sic dictum, quod reliquis cunei instar impactum, et cuneo aliquantum simile sit. G. Das keilförmige oder wespenförmige Bein. G. *l'Os Sphénoide, Basilaire, ou Cuneiforme*. A. *The Wedgelike bone*. B. *Het Wigge-been*.

Cvneiformia ossa, vocantur etiam ea, quae quintum, sextum et eptimum os tarsi constituunt, et a postica parte ossi nauiculari adiacent, ab antica parte os primum, secundum et tertium metatarsi sustinent. *Sphenoidea, innominata* et *calcoidea Fallopio* dicta. Ge. Die keilförmigen Beinlein. G. *Les os cuneiformes*. A. *The litle wedgelike bones in the foot*. B. *De Wigge-beentjes*.

CVNNVS, eſt pudendum muliebre, ex clitoride, nymphis, labiis, etc. conſtans. A κύω, pario, concipio. Vocatur etiam natura, muliebria, interfoemineum, vulva. Gr. Φύσις, χοῖρος κλεὶς, ἀδελφεὸς, ἀπόξυτος μυχὸς, γέφυρον, ἰσθμὸν, ἴκτις. Ge. Die weibliche Schaam. G. *La Vulve, la partie honteuſe d'une Femme.* A. *The Privie parts of a woman.* B. *De Vrouwelykheid, de Vrouwe Schaamelheit.*

CVPELLA, COPELLA, et CAPELLA, ſiue CATINVS, eſt catillus ex cineribus oſſium elixiuiatis depuratisue, aut aliis rebus compoſitus, in quo, dum ſummo igni reſiſtere poteſt, aurum et argentum depuratur. Vide *Catillus cinereus.* Ge. Eine Kapelle. G. *Coupelle.* A. *A Teſt, Cupell.* B. *Een Kapel, een Kom.*

CVPEROS, idem eſt ac *Aes vſtum.*

CVPRESSVS, i. q. *Cypreſſus.*

CVPRI OLEVM. Ge. Kupferöl. G. *Huile de Venus*, eſt ſal cauſticus, ex acido nitri et cupro paratus, qui in aëre liquefactus eſt.

CVPRI SPIRITVS, eſt acidum aceti concentratum, quod obtinetur ſi viride aeris deſtillatur.

CVPRVM AMMONIACALE. Oritur dum ex ſolutione vitrioli cupri in aqua pluuiali, quae cum ſpiritu ſalis ammoniaci ſaturatur, addito ſpiritu vini, cryſtalli caerulei praecipitantur. Nonnulli hoc cuprum vt ſpecificum in epilepſia remedium commendant. Ge. Kupferſalmiack.

CVPRVM, vide *Aes.*

CVPVLA, vocatur calyx lignoſus, glandes aliosque huiusmodi fructus includens. Adduntur interdum *Cupulae glandium* decoctis adſtringentibus externe adhibendis. Ge. Näpplein. G. *Calotte.*

CVRA, ſignificat animi de re quadam ſollicitudinem, quae ſi nimia eſt, facile in melancholiam degenerat. Ge. Sorge. B. *Zorg.* — Vel eſt ſynonymon vocabuli *Curatio.*

CVRATIO, ſeu MEDELA, eſt recta ratio et ordo inueniendi per intentiones et indicationes certa cuique morbo remedia, quibus ſanitas amiſſa reſtituatur. Idem proprie eſt quod *Therapia.* Gr. Θεραπεία. Ge. Kur, Heilung. G. *Curation, Gueriſon.* A. *An Healing, or Curing.* B. *Genezing.*

CVRCVLIO, idem quod *Gurgulio.* Vide *Cion.* — — *Curculio* eſt etiam inſectorum genus ad coleoptera pertinens, antennis ſubclauatis roſtro inſidentibus corneo, prominenti. Ge. Rüßelkäfer. Ad hoc C. *frumentarius* et *granarius*, Ge. der ſchwarze Kornwurm, pertinent.

CVRCVMA, ſiue CROCVS INDICVS, eſt radix exotica, ex India Orientali ad nos aduenies, non tantum croceo colore apparens, ſed et eodem alia tingens. Duplex eſt, aliquando longa, aliquando radice rotunda: haec multo acrior priori exſiſtit, atque cum Zingibere, raro tamen, affertur. Planta eſt *Curcuma longa Linn.* (Monandr. Monogyn.) foliis lanceolatis; neruis lateralibus numeroſiſſimis; Manjella-kua *Rhed.* Folia habet et floſculos Cannae Indicae iunioris ſimillimos. Deriuatur ab Arabica voce *Curcum.* Sed alii nomen inditum putant ab inaequalitate, quam habet, lupatis equorum κέρκυρα dictis ſimili; lupata multis nodis ferreis ſibi cohaerentibus oliuarum inſtar quondam fiebant, hodieque etiam fiunt. Dicitur etiam *Terra merita.* Qualitatis eſt amarae, vrinariae et luteo-tinctoriae, viribusque aperientibus et reſoluentibus pollere creditur. Praeter vſum tinctorium, et apud Indos culinarem, in hydrope et ictero adhibetur. G. Gelbwurzel, Turmerik, Curcume. G. *Curcuma.* A. *Turmerick.* B. *Geelzugt-wortel, Curcuma, Indiaanſe Saffraan.*

CVRVATOR COCCYGIS, muſculus eſt, ex ima parte oſſis ſacri, vel ſuperiore coccygis oſſiculo, oriundus, et in quartum praecipue finem habens. Dicitur etiam ſacrococcygeus, vel coccygeus poſterior.

CVSCVTA, et CASSVTHA, an a *Caſſus*, quia plantis noceat? an a *Caſſis*, rete venatorium, quod plantas reti quaſi inuoluat, vel quod numeroſis ſuis, longis tenuibusque caulibus rete referat? an a cuſtodire, quod plantas circumuolvendo cuſtodiat? Eſt planta (Tetrandr. Digyn.) foliis carens, cuius calyx ſemiquadrifidus: corolla monopetala: capſula biloculatis, diſperma; *Cuſcuta Europaea*, floribus ſeſſilibus *Linn.* Cuſcuta maior *Bauh.* Pertinet ad plantas, quae paraſiticae dicuntur; innaſcitur enim praecipue lino, humulo, vrticae, etc. Epithymum vero, ſ. Cuſcuta minor *Bauh. Var. Linn.* Thymo. Illa qualitatis eſt amaricantis, inodorae, haec ſubaromaticae. Tribuuntur ei vires aperitiuae, reſoluentes et laxantes; hinc interdum infuſis, praecipue vinoſis additur. Ge. Filzkraut, Flachsſeide, Todtern, Seidenkraut. G. *Goute du Lin, Cuſcute.* A. *Dodder.* B. *Schorſte, Vilt-kruid.* — — *Cuſcuta* vero *minor* Ge. Thymſeide. G. *Epithyme, Barbe de Moine.* A. *Dodder of Thyme.* B. *Kleine Schorſt.*

CVSPIS et HAMVS, eſt faſciae ſpecies, quae a *Galeno* de faſc. c. 91. hac ratione deſcribitur. Binae faſciolae, quae conuenientem longitudinem habent, et duorum digitorum latitudinem non excedunt, humerorum capita complexae,

extremis ſuis pendeant; deinde a dorſo, pariterque ab vmbilico, adducantur ad imitationem literae x, et fibula inter ſe nectantur; poſtmodum addatur Geranis, (aliud faſciae genus) ſimilitudinem fiſcellae habens. Ge. Eine Spitzbinde. B. *Spits-band, en Angel-band.*

CVSTOS OCVLI, eſt inſtrumentum, quo in operationibus quibusdam circa oculum praecauetur, ne oculus laedatur. Ge. Ein Augendeckel. G. *Gardien des yeux.* A. *The Preſerver of the Eyes.* B. *Een Oogbewaarder.*

CVTICVLA, eſt operimentum cutis, ſine neruis et ſenſu, membranae modo, ſupra vniuerſam cutim foris extenſa, eique, interueniente corpore reticulari, arcte adhaerens, nec ab ea, niſi aqua feruida, aut in viuis igne, vel veſicatoriis, ſeparanda, innumeris porulis, perſpirationi et ſudori tranſitum praebentibus, peruia, ad externarum iniuriarum declinationem, vaſorum cutaneorum occluſionem, et dum nudos neruos tegit, ad perfectiorem qualitatum tactilium perceptionem, ſquamulis minimis accommodata, in ſulcos areasque exſculpta. Nutritur, nam amiſſa denuo reſtituitur, licet eius vaſa minus ſint conſpicua. Non condenſatur frigore, quoniam in foetibus abortiuis iam adeſt. Nec vaporibus oleoſis condenſatur, propterea quod vapores condenſati facillimo negotio eluuntur. Ortum habere videtur ex vaſis arterioſis cutaneis, quoniam, cute ablata, non amplius regeneratur, vel ab expanſione ductuum cutis excretoriorum et vaginularum neruearum, multas minimas ſquamulas, ſiue lamellas, inter ſe cohaerentes conficientium.. Gr. ἐπιδερμὶς. Vide *Epidermis.* Ge. Das Oberhäutlein. G. *La Surpeau, l'Epiderme.* A. *The Cuticle or Scarf-skin.* B. *Het Vellerje, Opperhuid.*

CVTIS, in viuo homine eſt. Nam *Pellis* eſt a carne iam diducta, quae et *Exuuiae.* Illa χρὼς, haec vero δέρμα, παρὰ τὸ δέρειν. et δειρὰ, et τέρφος, παρὰ τὸ τέρφειν τὸ σῶμα ἀμφιεννύμενον, et ἕλινος, ἀνθρωπίνη, δερβιστής. Eſt velamentum totius corporis externum, cuticulae, interueniente corpore reticulari, ſubſtratum, ſiue membrana ſatis craſſa, tenax, cedens, et elaſtica, totius corporis extenſionem determinans, ex filamentis vaſorum ſanguineorum, neruorum, validisque fibris tendineis varie inter ſe complicatis contexta, quibus papillae neruoſae, quae tactus organum conſtituunt, et glandulae numeroſae, miliares atque ſebaceae, et ſudoris atque vaporum vaſa excretoria et reſorbentia denſiſſime interponuntur; tam denſe ſtipatur vaſis et neruis, vt nullum aſſignari poſſit punctum, vbi non adſint. Plurimis poris hinc inde peruia

eſt, variis in locis ſenſibiliter ad neceſſariorum introitum et exitum perforata, ſeu potius in ſe ipſam reflexa et reuoluta, vt circa os, nares, oculos, aures, pudendum, anum, etc. Diuerſimode ſe habet non tantum ratione aetatis et ſexus, quum rarior ſit pueris et foeminis, quam adultis et viris, ſed etiam ratione partium. Nam in capite eſt craſſiſſima; in ceruice, dorſo, etc. mediocriter dura; rarior in facie, pene et ſcroto; tenuis in lateribus, tenuiſſima in labiis, in quibusdam locis, vt in cubito, fronte, plantis pedum, etc. firmiter cohaeret. Ge. Die Haut. G. *La Peau.* A. *The Skin.* B. *De Huid, het Vel.*

CYAMVS, eſt faba: *Euſtachius* dictum vult παρὰ τὸ κύειν αἷμα, praegnans eſſe ſanguine, vel ſolummodo a κύειν, quod granis intus praegnans eſſet, vel quod facie praetumida viſeretur. Lat. *Faba.*

CYANVS, *Centaurea Cyanus Linn.* (Syngeneſ. Polygam. fruſtran) calycibus ſerratis, foliis linearibus integerrimis; infimis dentatis. Cyanus ſegetum flore caeruleo *Bauh.* Eſt planta, quae habet caules multifidos, anguloſos, lanuginoſos, excauatos, ramoſos, albeſcentes. Folia ſunt oblonga, anguſta, profunde inciſa, vt Dentis Leonis, villoſa, coloris viridis palleſcentis. Flores in ſummitate ramorum creſcunt, floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis, ſed diſſimilibus, conſtantes. Alii enim, qui meditullium occupant, caeteris minores ſunt, in lacinias aequales diuiſi; caeteri vero ad circumferentiam poſiti longe maiores, magisque conſpicui, et velvti bilabiati; vtrique embryoni inſident, et calyce ſquamoſo non aculeato et thalamo villoſo comprehenduntur. Embryo autem dein abit in ſemen oblongum, pappis inſtructum. Radix minima, lignoſa, fibroſa. Creſcit inter ſegetes. Qualitatis eſt inſipidae et inodorae, vix magnas vires indicantis. Proſtat tamen aqua florum Cyani in ophthalmia laudata. Florum vſus praecipue tinctorius eſt. Dicitur etiam *Baptiſecula*, quod ſecantibus et metentibus officiat, retuſa, in eius occurſu, falce. Nam et ſeculam veteres falcem dixerunt. Rectius tamen *Blaptiſecula* vocaretur, quod βλάπτειν Graecis *nocere* ſignificat. Vulgo *Florem frumentorum* nominant, quod ſcilicet in frumentario naſcatur agro. *Cyanus* haec planta dicitur ob florem, quem profert, caeruleum, aut quod honorem, nomenque dederit caeruleo colori. Ge. Kornblume. G. *Aubifoin, Bluet.* A. *Blue bottle, Corn flower.* B. *Koorn-bloem.*

CYATHVS, Barbaris *Bickarium*, forſan a Germanico, Becher. Arab. corrupte *Alcuatus* et *Alcuatum*, item Cuathum,

mutata in tenuem aſpera, nomen duxit παρὰ τὸ χύειν, à fundendo nempe, vel, vt aliis placet, hauriendo vino in Graecorum conuiuiis, vbi ſimpulo ſacrificiis relicto ſucceſſit. Vnde a Gr. κυαθίζω, *Plauto* cyathiſſare, idem quod *Propertio* ad cyathos, et *Iuuenali* ſat. XIII. *Suetonio* ad Cyathum ſtare, hoc eſt, pocula miſcere, ſeu ritu veterum conuiuiis ſolenni cyatho poſcentibus conuiuis potum admetiri. Menſura eſt tam aridorum, quam liquidorum, non, vt quibusdam viſum, poculum vulgare, verum ſextarii pars octaua; ſed ad drachmarum pondus decima, ſecundum Atticos, duodecima Simlero et Menae, quomodo *Plinius* accipit. *Oribaſ.* Drach. XII. obſeruatione communi, cui *Fernelius* ſubſcribit, quibus addit *Aegineta* ℈IV. quod *Angelocrat.* ʒiß ʒi. et ℈I expreſſit. *Nicandri* interpres περὶ μέτρων: ἃ κύαθος, inquit, ἔχει μνᾶς μικρὰς, ἤτοι μύτρα μικρὰ δύο· τὸ γὰρ μύτρος ἔχει ταθμὸν ταγίων τριῶν, ἤτοι ὑγγίκιον ἥμισυ. ἐν ἄλλοις δὲ φασὶν, ὅτι ὁ κύαθος ἔχει ταθμὸν ὑγγίας μιᾶς ἡμισείας. *Heſychius* ὑγγιῶν β', adſtipulante *Phauorino* et *Fuchſio*, qui ad cap. 6. ſect. I. Antidotarii *Myreps.* notat, *Nicolao* eſſe vnc. ij. etſi veteribus Graecis pro diuerſa liquorum ratione variet. Sunt, qui putent, continere vini vnciam vnam, drachmas quinque et ſcrupulum vnum, vel ſeſquiunciam olei.

CYCLAMEN, CYCLAMINVS, CYCLAMINVM, ſeu ARTHANITA, eſt plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) cuius corolla monopetala, limbo ſurſum reflexo, collo prominente, bacca globoſa, vnilocularis, polyſperma, tecta putamine capſulari. Species officinalis eſt: *Cyclamen Europaeum* corolla retroflexa *Linn.* Cyclamen hederae folio *Bauh.* Cyclamen orbiculato folio, inferne purpuraſcente. Radix ſola in vſu eſt, qualitatis acris, feruidae et draſticae, eoque magis, quo recentior, eo minus, quo plus exſiccata. Vix interne adhibetur. Praeparatur ex eo vnguentum *de Arthanita* dictum, quod reſoluit, et abdomini illitum purgat, vermesque enecat. Dicitur ἀπὸ τοῦ κύκλου, ab orbe; tum ob folii circinatum ambitum, tum ob orbicularem bulbum; vocatur etiam Ἰχθυόθηρον, quod piſces eo necantur. Romani *Raptum terrae*, quoniam eius radix in terra velut raptum extuberat. Qua ſane ratione *Terrae tuber*, quod in molem quandam intumeat: aut *Vmbilicum terrae*, quoniam, vt vmbilicus circinata forma emergit, ſic et Cyclaminis radix ſub terra conſpicitur, etiam appellarunt. *Panem porcinum* haud dubie primum vocarunt bubulci, qui pecori ſuo radicem huius gratam pabulis cognouerunt. A figura etiam *Terrae panem* dixerunt. Creſcit in Auſtriae et Pannoniae vmbroſis nemoribus. Ge. Erdapfel, Schweinbrod. G. *Pain de Pourceau.* A. *Sowbread.* B. *Verkens-brood, Aard-appel.* Conf. *Arthanita.*

CYCLISCI, ſunt ſcalpra ſemilunaria, operationibus chirurgicis accommodata. A κύκλος, circulus.

CYCLOPHORIA SANGVINIS, i. q. *Circulatio Sanguinis.* Ex κύκλος, circulus, et φέρω, fero.

CYDONIA MALVS, ſ. CYDONIVM, vide *Cotonia.*

CYEMA, i. q. *Embryo.* A κύω, pario.

CYLINDRVS, eſt emplaſtrum oblonga forma volutum, officinis *Magdaleo*, μαγδάλια. Ge. Eine Pflaſterrolle. A. *A Plaiſter made into the form of a Roll.* B. *Een Zalf-Rolle, Rolle.*

CYLLVM, eſt crus exterius luxatum. Item claudus et curuus. A κυλλόω, claudum reddo, vnde *Cylloſis*, claudicatio.

CYMA, CYMAE, ſunt teneri cauliculi, *Iuli* dicti, vel potius, herbarum delicatiores tenerioresque colliculi, quos a prima germinatione in ſumma ſtirpe proferunt. Nam cum vernum tempus appetit, primo quoque foliorum pullulatu, praecluſis adhuc florum calycibus, quosdam quaſi turiones planta ſubminiſtrat, in quibus floris primum, mox ſeminis foetus concluditur. *Cymae* etiam proprie dicuntur receptacula ex centro eodem vniuerſali, partialibus vero vagis, elongata in pedunculos faſtigiatos. Ge. Die Schößlein. G. *Sommité, la Cyme, les Tendrons des Plantes.* A. *Little Shoots, or Sprours.* B. *Spruit, Scheut.*

CYMBALARIA, eſt proprie ſpecies *Linariae*, vel potius *Antirrhini* (Didynam. Angioſperm.) *Antirrhinum Cymbalaria Linn.* foliis cordatis quinquelobis, alternis, caulibus procumbentibus. Vſus vix medicinalis eſt; ad balnea tamen contra incantamenta olim commendauit ſuperſtitio. A foliorum aliqua cum cymbalo ſimilitudine putant nomen traxiſſe hanc herbam. Ge. Zymbelkraut. G. *Cymbalaire.* A. *Toad-flax.*

CYMBIFORME OS, vide *Nauiculare Os.*

CYMINVM, vide *Cuminum.*

CYNANCHE, et Λυκάγχη *Aurel.* quod canes ac lupos frequenter afficiat. Eſt internorum muſculorum laryngis inflammatio, cum reſpiratione difficillima et febre continua, in qua aegri, canum anhelantium inſtar, lingua exſerta, oculisque rubentibus et prominentibus, celerrime reſpirant. Eſt acutiſſima et periculoſiſſima anginae ſpecies. Ex κύων, canis, et ἄγχω, ango. Vide *Angina.*

CYNANTHEMIS, eſt *Cotula* foetida, ſeu flos caninus. Ex κύων, canis, et ἄνθεμις, chamaemelum, ab ἄνθος, flos.

CYNANTHROPIA, eſt rabies canina, qua aegri lucem et quaeuis clara ac ſplendida fugiunt, aquam metuunt, ac ad eius conſpectum et commemorationem contremiſcunt. Vide *Hydrophobia*. Naſcitur plerumque ex veneno rabidi animalis, vt canis, lupi, etc. homini per morſum, vel quouis alio modo, communicato. Ex κύων, canis, et ἄνθρωπος, homo. Germ. Waſſerſcheu, von einem tollen Hunde gebiſſen. G. *La Rage, Morſure de Chien enragé.* A. *Madneſs cauſed by the biting of a mad dog.* B. *Een dolle Honts beet.* — — Nonnunquam deſignat delirium melancholicum, in quo homines ſeſe credunt in canes mutatos, quorum actiones omnes aemulantur.

CYNICVS SPASMVS, vide *Spasmus Cynicus.*

CYNOBOTANE, eſt herba canina, ſeu *Cotula* foetida. Ex κύων, canis, et βοτάνη, herba.

CYNOCOPRVS, eſt ſtercus caninum. Ex κύων, canis, et κόπρος, ſtercus. Frequentius dicitur *Album graecum*, et a quibusdam in gargariſmate contra anginam commendatur.

CYNOCRAMBE, κυνὸς et λιπόζωσις, eſt *Braſſica* canina, ſeu *Mercurialis*. Ex κύων, canis, et κράμβη, braſſica.

CYNODESMVS, ſ. *Vinculum caninum*, eſt vinculum, ſ. ligamentum, quo membri genitalis cuticula cum glande colligatur. Ex κύων, canis, et δεσμὸς, vinculum, a δέω, vincio. Ge. Bänder der Eichel.

CYNODES OREXIS, eſt appetitus caninus, ſiue fames praeter modum aucta, nullo vtcunque copioſo cibo ſedanda, cum ſubſequente ingeſtorum vomitu. Oritur ab augmento omnium cauſarum, quae famem naturalem faciunt, veluti ex fermento ventriculi nimium aucto, aut acrimonia quadam, et irritatione fibrarum nimia. Ex κύων, canis, εἶδος, forma, et ὄρεξις, appetitus. Ge. Hundshunger. G. *Faim canine.* A. *Canine appetite, or doglike hunger.* B. *Honts honger.*

CYNODONTES, ſunt dentes illi inter molares et inciſores poſiti, quatuor numero. Inciſoribus maiores ſunt, et magis acuti. *Angulares, laterales, canini, columellares*, et *oculares* dicti. Ex κύων, canis, et ὀδούς, dens. In animalibus rapacibus *Laniarii* vocantur. Ge. Die Spitzzähne, oder Augenzähne. G. *Dents canines, ou oeillieres.* A. *The Eyeteeth.* B. *Honts-tanden, Oogtanden.*

CYNOGLOSSVM, eſt plantae genus, quod ad gymnotetraſpermas aſperifolias pertinet, (Pentandr. Monogyn.) corolla monopetala, infundibuliformi et multifida. Species officinalis

eſt *Cynogloſſum officinale* ſtaminibus corolla breuioribus, foliis lato-lanceolatis, ſeſſilibus, tomentoſis *Linn.* Cynogloſſum maius vulgare *Bauh.* Habet hoc plures caules duos pedes altos, ramoſos, lanuginoſos. Folia ſunt longa, anguſta, acuta, lanuginoſa, mollia, albeſcentia, odoris penetrantis. Flos monopetalus, infundibuliformis, et multifidus. Huius piſtillum abit in fructum, ex quatuor capſulis conſtantem, vt plurimum aſperis, et ſemine fere plano foetis, placentae pyramidatae et quadrilaterae affixis. Radix oblonga, craſſitie digitali, foris ex atro rubens, intus albida, ſaporis fatui mucoſi, aliquando ſubdulcis, odoris grauiuſculi, aliquid foetidi canis redolentis, narcotici forte, ſi creſcit in locis vliginoſis: in ſiccioribus inodora fere, admota naribus ſomnum conciliare creditur. Pilulae, quae de cynogloſſo dicuntur, et praecipue contra tuſſim adhiberi ſolent, magis ſine dubio addito opio, quam radici cynogloſſi, efficaciam debent. Lingua canina, ob canis linguae ſimilitudinem, quam folia referunt, dicta: vel quia huius plantae foliis credebant ſic demulcere poſſe vulnera, ſicut a lingua canina fit. Ex κύων, canis, et γλῶσσα, lingua. Ge. Hundszunge. G. *Langue de Chien, Cynogloſſe.* A. *Honds-tongue.* B. *Honds-tonge.*

CYNOMORIA, vel CYNOMORION, vide *Fungus Melitenſis.*

CYNOREXIS, idem quod *Cynodes Orexis.*

CYNORRHODOS, eſt Roſa ſyluestris vulgaris, flore odorato incarnato, vel candido, *Bauh. Roſa canina* germinibus ouatis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeatis *Linn.* (Icoſandr. Polygyn.). Creſcit abunde in ſyluis atque dumetis Europae. Florum qualitas fragrans eſt et analeptica. Fructus viribus ſubadſtringentibus et diureticis pollent. Proſtant in officinis aqua et conſerua florum, et roob fructuum. Fungus in hoc frutice naſcens, qui tamen proprie nidus inſectorum eſt, et *Bedeguar* dicitur, vt remedium ſpecificum antinephriticum laudatur. Eius puluis aliquoties ſumtus mirifice ſcrophulas reſoluere dicitur. Ex κύων, canis, et ῥόδον, roſa. Ge. Wilde Roſen, Hahnebutten. G. *Roſe de Chien, Roſier ſauvage, Eglantier, Chinorrodon.* A. *Dogs Roſe or wilde Roſe.* B. *Honds-rooze.*

CYNOSBATOS. Ex κύων, canis, et βάτος, rubus, idem quod *Cynorrhodos.*

CYNOSORCHIS, eſt teſticulus caninus, ſeu Satyrii ſpecies, *Orchis Linn.* (Gynandr. Diandr.) et praecipue *Orchis militaris* et *Orchis pyramidalis, vſtulata.* Ex κύων, canis, et ὄρχις, teſticulus. Ge. Stendelwurzel, Knabenkraut. G. *Satirion de Chien, Couillon de Chien.* A. *Dogs-ſtone.* B. *Honds-kullekens.*

CYPARISSVS, idem quod *Cypreſſus.*

CYPERVS, duplex eſt, *longus* et *rotundus.* Cyperus odoratus radice longa, ſ. Cyperus officinarum *Bauh. Cyperus longus Linn.* (Triandr. Monogyn.) culmo triquetro foliofo, vmbella folioſa, ſupradecompoſita, pedunculis nudis, ſpicis alternis. Habet folia porri, ſed longiora, duriora, tenuiora et acutiora. Caulis eſt rectus, duos circiter pedes altus, ſine nodis, trigonus, medulla alba plenus. Flos apetalus, in capitulum ſquamoſum collectus; in ſquamarum autem alis oritur piſtillum, quod deinde abit in ſemen plerumque triangulare. Radix oblonga, craſſa inſtar cygni plumae, nodoſa et geniculata, contorta, repens, fractu contumax, fibroſa, flexilis, foris coloris ſubobſcuri, intus griſei, ſaporis ſuauis, ſubaeris, et aromatici, paululum exſiccantis, odoris fragrantis, ad nardum accedentis. Gaudet viribus diureticis et emmenagogis. Creſcit in Galliae et Italiae paludibus.— *Cyperus rotundus Pharm. Pariſ.* eſt Cyperus Orientalis maior *Bauh. Cyperus rotundus* culmo triquetro ſubnudo, vmbella decompoſita, ſpicis alternis linearibus *Linn.* Habet radicem rotundam, oliuae magnitudine et figura, foris rufam, ſcabram, intus albam, pluribus ex vno capite tenuibus quaſi filis dependentibus, ſaporis et odoris eiusdem et earundem virium cum Cypero longo. Creſcit in India Orientali, nempe in Iaua, et aliis in locis. Adfertur ex Italia, Syria, Alexandria, India, etc. A radicis effigie, quae pyxidulam, aut poculum, vaſculumue puſillum imitatur, dictus videtur, ſiquidem apud *Theophraſtum* folliculus vlmi κύπειρος τῆς πτελείας legatur, iuxta aquas facile ſuccreſcit, et radices odorem gratum ſpargunt. Longus praefertur ab *Hermanno;* alii rotundum meliorem eſſe putant: vtraque ad calefaciendum ventriculum laudatur. Proſtant et aliae Cyperi ſpecies, minus tamen apud nos frequentes, vt *Cyperus Americanus*, ſeu radix *Sanctae Helenae*, cui vires emmenagogae, et *Cyperus Italicus*, ſ. eſculentus, ſeu *Traſi* Italorum, cui vires pectorales tribuuntur. Ge. Cyperwurzel. G. *Souchet long*, *Souchet rond.* A. *Cyperus.* B. *Cyper-wortel.*

CYPHOMA, idem quod *Cyphoſis.*

CYPHOS, idem quod *Cyphoſis.*

CYPHOSIS, Lat. *Incuruatio*, eſt ſpinae dorſalis verſus poſteriora incuruatio. A κύπτω, inclino. Ge. Ein Buckel, ein Höcker. G. *Boſſe.* A. *A Bunch back.* B. *Een Bult*, *Bogchel.*

CYPRESSVS, ſeu CVPRESSVS, (Monoec. Monadelph.) eſt arbor frondis amoenae, procera, valde ramoſa, pyramidalis. Lignum habet durum, compactum, odoratum, coloris flaueſcentis, cariei non facile obnoxium. Folia ſquamatim ſibi mutuo incumbunt, profunde ſunt inciſa, vt in Tamariſco, ſed magis carnoſa, duriora, et firmiora. Flos mas amentaceus, ſquamoſus, apices puluerulentos habens ſquamulae calycinae inferne adnatos. Foeminei flores in cono ſubrotundo congeſti ſunt, qui deinde fit quaſi nux nucis moſchatae magnitudine, ſeu fructus ſubrotundus, ſiccus, griſeus, dehiſcens in multos quaſi clauos, ſub quibus ſemina anguloſa, plana, rubicunda, medulloſa. Haec arbor ſemper viret. Diſtinguitur in marem, qui ramis eſt extra ſe expanſis, quae vero ramos in metae faſtigium erectos habet, dicitur foemina. Creſcit in Graecia, Italia, Hiſpania, Creta et Aſia, inque regionibus calidis. Fundit reſinam, quae per inciſionem, in trunco arboris factam, educitur. Gr. Κυπάρισσος. Deriuatur *ἀπὸ τῦ κύειν παρίσως τὰς ἀκμαζούσας, a partu parilium ramorum.* Poëtae tamen cupreſſum a Cypariſſo, in hanc arborem conuerſo, dictam putant; Plutoni ſacra erat. G. Cypreſſenbaum. G. *Cypres.* A. *The Cypreſs-Tree.* B. *Cypres-boom.*

CYPRIPEDIVM, i. q. *Calceolus Mariae.*

CYPRVS, ſeu ALCANNA, eſt arbuſcula, et quidem *Lawſonia* inermis et ſpinoſa *Linn.* Vide *Alcanna.* Folia et radices ad pigmentum adhibentur, quo Orientales populi cutem, vngues, pilos tingunt, ex foliis vero in Aegypto *oleum cypri* aromaticum exprimitur. Dici videtur a Venere, quae Graecis appellatur Κύπρις, quoniam foeminae ſeſe eadem tingunt, ſeu ab Inſula Cypro, vel ab Hebraeo *Kopher.*

CYRTOMA, eſt gibbus dorſi. Item tumor contra ſanitatem in quacunque corporis parte excitatus. A κυρτόω, incuruo.

CYRTOSIS, idem quod *Cyrtoma.* Nonnulli rhachitidem ita vocant.

CYSSAROS, eſt inteſtinum rectum, item podex: κύρθος enim, ſiue κύσος, vocatur podex.

CYSTHEPATICI DVCTVS, ſ. *ductus hepatico-cyſtici*, vocantur a nonnullis illi exigui canales, qui bilem in hepate ſecretam in cyſtidem felleam infundere creduntur. Dubia tamen adhuc eorum eſt exiſtentia et demonſtratio, facileque aut arteriolae, aut fibrae cyſtidem hepati adnectentes, pro huiusmodi ductibus falſo haberi poſſunt.

CYSTICA, ſunt medicamenta aduerſus veſicae morbos. A κύστις, veſica. — *Cyſtica* etiam vocatur bilis, quae ob diu-

turniorem in cyſtide fellea moram acrior eſt, ſicque ab *hepatica* differt.

CYSTICAE ARTERIAE, vel GEMELLAE, ſunt duae arteriae exiguae, arteriae hepaticae propagines, vtrinque ſupra cyſtidem felleam decurrentes. Ge. Gallenblaſenpulsadern. G. *Artéres cyſtiques.*

CYSTICVS DVCTVS, ſiue BILARIVS, idem quod *Porus Bilarius.*

CYSTICVS TVMOR, dicitur tumor enatus in cellulis dilatatis tunicae adipoſae, materiam variae conſiſtentiae proprio folliculo incluſam continens. Vide *Atheroma*, *Steatoma*, *Melliceris*. G. Sackgeſchwulſt, Balggeſchwulſt. G. *Tumeur enkyſtée.*

CYSTIS, in genere eſt quodcunque receptaculum, veſicae formam habens, variam materiam continens, vnde diverſa adduntur epitheta: hinc etiam eſt veſica vrinaria, aut fellis *Cyſtides* etiam vocantur tumores capſulati, ſ. tunicati, fluido referti. A κύω, praegnans ſum, quia aliquid continet

CYSTIS CHOLIDOCHVS, i. q. *Veſicula fellis.*

CYSTIS FELLIS, i. q. *Veſicula fellis.*

CYSTITIS eſt inflammatio veſicae vrinariae, cuius praecipua ſymptomata ſunt intumeſcentia oualis in pelui cum tenſione, dolore tactum non tolerante, dyſuria, vel iſchuria, et febre continua. Ge. Entzündung der Harnblaſe. G. *Inflammation de la Veſſie.*

CYSTOCELE, eſt veſicae vrinariae trans annulos inguinales, ſub arcubus cruralibus, et per laxatos, diductos perinaei, hypogaſtrii, nec non vaginae parietes elapſae ectopia hernioſa, quam ſiſtit protuberantia in locis iam dictis obſervanda, initio parua, ſenſim creſcens, preſſione, aut commodo corporis ſitu, regrediens; mutata corporis poſitura, aut niſu edito, reuocanda, mollis, et membranas craſſas, flaccidas, ſub digitis volubiles tactu referens, ſi veſica lotio vacua ſit; fluctuans, ſi adſit lotium; maiori donata volumine poſt retentas diu vrinas, decreſcens, aut fere euaneſcens, iis emiſſis; qua leuiter compreſſa, excitatur in aegro meiendi deſiderium, ſi vero validior ſit compreſſio, ſequitur mictio plena, vel ſtillatitia. Dantur aegri, in quibus nulla ſuccedit vrinae emiſſio, niſi manibus admotis protuberantia eleuetur ac prematur. *Sauv.* Ge. Ein Blaſenbruch. G. *Cyſtocéle, Hernie cyſtique, Hernie de la veſſie urinaire.*

CYSTOTOMIA, eſt veſicae ſectio, ſeu *Lithotomia.*

CYTINVS, eſt flos ſatiuae *Punicae.* *Plinius* cytinum interpretatur primum partum punicae florere incipientis. A κύω, praegnans ſum.

CYTISVS, eſt frutex, qui creſcit ad altitudinem quatuor, vel quinque pedum. Caules ſunt tenues, lignoſi, in multos ramos anguloſos, flexiles, et virides ſe extendentes. Folia terna, acuta, villoſa. Flores ſunt papilionacei, (Diadelph. Decandr.) leguminoſi, coloris flaui, raro albi: calyx eſt bilabiatus; flori ſuccedit ſiliqua plana, ampla, nigra, villoſa, baſi anguſta in duas partes dehiſcens, foeta ſeminibus planis et oblongis reniformibus. Radix diuiſa eſt in multos ramos, neruoſos, flexiles, flauos. Tota planta habet odorem penetrantem, et ſaporem amarum. Creſcit in locis deſertis et montibus, regionum calidarum et Europae auſtralis. Eius plures dantur ſpecies, quarum tamen nullus hucusque eſt vſus medicinalis. Sic dictus a Cythiſo, vel Cythno inſula, in qua inuentus eſt, et abundat. Malunt alii a Cynthyſa inſula, quae e Cycladibus eſt, nomen accepiſſe. G. Baumklee, Geißklee. G. *Citiſe.* A. *Baſe-tree, Shrub-Trefoil.*

D.

D olim per hanc literam maiuſculam myſtice febrem quartanam denotabant.

D, in formulis medicis idem denotat ac Detur. Sic D. ad Vitr. D. in Scat. Detur ad vitrum, Detur in ſcatula, etc.

DACRYDIVM, quod male *Diagrydium* dicitur, latine *lacrymula*, eſt ſuccus ſcammonii e vulnerata planta effluens, indutatus, et cydonio excauato inditus, qui paſta obductus in furno, vel ſub cineribus, aſſatur, et poſtea exemtus ſeruatur vſui. Purgans eſt. Inter varias methodos, quibus ſcammonii draſticam vim corrigere tentarunt medici, maxime vulgaris eſt ea praeparatio, qua reſina ſcammonii fumo ſulphuris exponitur, et quae *Diagrydium ſulphuratum* vocatur.

DACRYODES, ſiue LACRYMOSVS, eſt vlcus continuo ſaniem, aut ichorem, effundens. Gr. Δακρυώδες ἕλκος. A δακρύω, lacrymo.

DACRYON, i. q. *Lacryma.* A δακρύω, lacrymo.

DACTYLIOS, proprie podex. Sunt, qui eo nomine rectum inteſtinum intelligunt. *Hippocrati* circulus eſt, paſtillus, ſiue orbiculus, quo in medicina vtimur, vel etiam *ſuppoſitorium.* A δάκτυλος, digitus.

DACTYLVS, ſ. CARISTA, eſt fructus palmae, et quidem Palmae maioris *Bauh.* Palmae hortenſis *Kaempf.* quae eſt *Phoenix dactylifera Linn.* frondibus pinnatis, foliolis complicatis, enſiformibus, oblongo-rotundus, dulcis, intus duriſſimum continens nucleum, per longitudinem ſulcatum. Arbor procera eſt; creſcit in Iudaea, Syria, Aegypto, Africa, India, etc. Folia enſibus ſimilia habet, deorſum cannarum modo decidentia. Vere floret. Ramus enim quodam inuolucro oblongo, veſicae modo, ad ver vsque clauſo, et tunc aperto, ſeu ſpatha, praeditus, flores emittit paruos, albos, odoratos, racematim deorſum ab inuolucro reſidentes, ac pendentes. Autumno fructus maturantur. Qualitas eorum eſt vinoſo dulcis, ſubpinguis, visque nutriens, edulcorans, expectorans, hinc in tuſſi, raucedine et ſtranguria conducunt. Dicitur et φοινιξ: hinc compoſitio, *Diaphoenicum* dicta, nomen habet; recipit enim dactylorum pulpam. Ge. Dattelin. G. *Dattes, ou Dactes.* A. *A Date.* B. *Dadel.*

DACTYLVS IDAEVS, eſt lapis lyncis, ſeu *Belemnites.*

DAEDALEA dicuntur botanicis folia, quae ſimul flexuoſa et lacera ſunt.

DAEMONOMANIA, DAEMONIA, dicitur inſania chronica, partialis, furibunda, meticuloſa de Daemonibus.

DAMNATA TERRA, idem eſt, quam *Caput mortuum.*

DANICH, pendet grana octo, idem quod *Lupinus.*

DAPHNE, eſt *Laurus*, quoniam eius folia, dum vruntur, ſonant, crepitant. A δαιω, vel δαω, vro, et φωνη, ſonitum do. Alii a Daphne puella, in laurum conuerſa, denominationem trahunt. Vide *Laurus.*

DAPHNE, Ill. *Linnaeo* eſt plantae genus (Octandr. Monogyn.) calyce nullo, corolla monopetala, infundibuliformi, quadripartita; bacca ſubrotunda, vniloculari, ſemine vnico, ſubrotundo, carnoſo. Plures continet ſpecies. Vide *Thymelaea, Laureola*, etc. G. Seidelbaſt, Kellerhals. G. *Garou.* A. *Spurge Laurel.*

DAPHNE ALEXANDRINA, vide *Laurus Alexandrina.*

DAPHNOIDES, eſt *Laureola*, ſic ob Lauri ſimilitudinem dicta. Ex δαφνη, laurus, et ειδος, forma.

DARSIS, eſt excoriatio cutis. A δερω, excorio. Vide *Intertrigo.*

DARTOS, DARTVS, eſt membrana ſcroti, celluloſa, interſtratis fibris muſcularibus, a muſculo abdominis oblique adſcendente prouenientibus. Eſt vera burſula, ambiens teſtem vndique, cui ab altera parte alia ſimilis accreſcit, ſicque

ſicque ſeptum dictum conſtituunt, vel potius faciunt duo per ſubſtantiam ſuam celluloſam concreta ſcrota, vnicuique teſti vnum, hinc proprie ſeptum dici non debet. Id peculiare inuolucrum rubens eſt, vaſculoſum, non vero muſculoſum, neque fibris factum parallelis, hactenus tamen muſculoſae fere indolis, quod cum cute a frigore irritabile ex laxitate ſe concutiat, erigat, firmet et adſcendat; etiam a multo collecto ſemine in ſano homine breuius fit et criſpum, et ſe ipſum corrugat ac teſtes ſurſum ducit, idem in morbo et ab amiſſo ſemine laxum dependet. A δερμα, pellis.

DASYMMA, eſt palpebrae internae inaequalitas ſuperficiaria et herpetica cum rubore. A δασυς, hirſutus.

DATVRA, eſt Solani ſpecies. Deriuatur ab Indica voce *Datiro* et *Tarel*, ſeu *Datel.* Vide *Stramonia.*

DAVCVS, duplex eſt, vel Creticus, vel vulgaris. *Creticus* eſt Daucus foliis foeniculi tenuiſſimis *Bauh.* Libanotis foliis tenuiſſime pinnatis, laciniis petiolatis *Hall. Athamanta cretenſis* foliolis linearibus planis hirſutis, petalis bipartitis, ſeminibus oblongis hirſutis *Linn.* (Pentandr. Digyn.) Naſcitur in Alpibus Heluetiae. Habet caulem ſeſquipedem circiter altum, rotundum, ſtriatum, villoſum. Folia inciſa inſtar foeniculi, ſed tenuius, lanuginoſa. Flos eſt roſaceus et vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans inaequalibus, in orbem poſitis, et calyci inſidentibus; is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, roſtro auium aemulis, ſtriatis, hinc gibbis, inde vero planis, parum villoſis, albeſcentibus; ſaporis acris aromatici, grati, odoris debilis, virtute carminatiua, diuretica, emmenagoga praeditis. Radix eſt longa, digiti craſſitie, fibroſa, odorata, ſaporis paſtinacae. Colitur etiam in hortis: *Daucus vulgaris, Daucus ſylueſtris*, vel *ſatiuus, Pharm.* Paſtinaca tenuifolia ſylueſtris Dioſcoridis, vel ſatiua, radice lutea, vel alba, *Bauh. Daucus carota*, ſeminibus hiſpidis, petiolis ſubtus neruoſis *Linn.* Cultura tantum differens a priore, habet ſemina compreſſa, cinerea, Dauco Cretico breuiora, latiora, circa marginem vtrinque villo obſita, ſaporis Dauco Cretico debilioris, odoris fragrantis. Qualitas plantae aquoſo-aromatica et fragrans eſt. Radix viribus diluentibus et humectantibus, ſemen carminatiuis, diureticis et emmenagogis pollet. Semen inter ſemina quatuor calida minora numeratur. Haec planta a quibusdam Nidus auis dicitur, quia vmbella eſt inſtar nidi auis. Eſt planta, quae απο του δαινειν, quod tormina ſedet quietemque inducat, flatus diſcutiendo, nomen accepit. Ge. Mohrenkümmel, Möhren. G. *Paſtenade, ou Carotte*

ſauvage, Panais. A. *Birdsneſt, Wild-carrot.* B. *Kroontjes-kruid, Vogelneſt.*

DEALBATIO, ſiue LEVCOSIS, pertinet ad artem cosmeticam, qua facies, dentes, cicatrices, vel aliud quid, dealbantur. Vtuntur hac voce quoque chymici, et *Dealbationem* e. g. *Veneris* vocant, dum cuprum variis cum additamentis fuſum colore ſuo fuluo ſpoliatur. Ge. Weißmachung. G. *Blanchiſſement.* A. *Whiting, Bleaching.* B. *Witmaakinge.*

DEARTICVLATIO, ſiue ABARTICVLATIO, idem quod *Diarthroſis.*

DEAVRATIO, dicitur, quando pilulae ad amaritiem euitandam auro foliato obducuntur. Item tinctura fucata metallorum, monetarum, etc. Gr. Χρύσωσις. Ge. Uebergüldung. G. *Dorure.* A. *A Gilding.* B. *Vergulding.*

DEBILITAS, eſt, quando quis viribus minus pollet, ſeu muſculos corporis ſatis mouere nequit, quod vel ex humorum defectu poſt parciorem ingeſtionem, aut copioſiorem euacuationem, vel ex eorum colliquatione, aut ex tanta ſanguinis viſciditate, vt per vltimos vaſorum fines tranſire nequeat, vel ex lipothymia, aut ſyncope, vel ex inedia quoque, vel ex morbo, laxitate fibrarum, vel alio quouis modo exoritur. Iuxta Ill. *Sauvages Debilitates* peculiarem claſſem morborum conſtituunt, et quidem illorum, in quibus adeſt impotentia vires ſolitas apperendi et mouendi, debito modo exercendi. Ge. Schwachheit, Unvermögen. G. *Foibleſſe, Debilité.* A. *Feebleneſs, or Weakneſs.* B. *Zwakheid.*

DECANDRIA, conſtituit claſſem plantarum in ſyſtemate *Linnaei*, eas comprehendentem, quarum flores decem ſtaminibus, ſeu partibus maſculinis, inſtructi ſunt.

DECANTATIO, et DECVPELATIO, eſt liquoris limpidi per vaſis, in quo continetur, inclinationem, per eius canthum, ſine colatione et filtratione a faecibus effuſio. Ge. Abgießung. G. A. *Decantation.* B. *Afgieting.*

DECIDENTIA, idem quod *Cataproſis.* Dicitur quoque neuter ſtatus, qui ex ſtatu optimo et temperato verſus morbum inclinat. Inde *Morbus ex decidentia*, quando ſcilicet morbus acutus, e. g. pleuritis in lentum, vt empyema, abit.

DECIDVA, dicuntur folia, ſtipulae et bracteae, peracta vnica aeſtate caſurae.

DECIDVA TVNICA VTERI, vide *Tunica decidua.*

DECLINATIO morbi, eſt, quando a ſtatu et vigore recedit, et aeger extra diſcrimen ponitur. Nemo enim in declinatione, niſi accidentaliter, accedentibus ſcilicet aliis cauſſis, moritur. Vide *Acme.* *Per Declinationem* aliquid effundere,

eſt, quando vas continens declinatur, ita vt liquor ſenſim effundatur, ne ſedimentum moueatur, et liquorem turbet.

DECLINATVS, botanicis eſt truncus, vel pedunculus, arcuatim deſcendens.

DECOCTIO, et DECOCTVM, vide *Apozema.*

DECOMPOSITVM, auget ſignificationem compoſiti, eſtque illud, quod e partibus iam antea compoſitis conſtat. Sic antimonium eſt decompoſitum e ſulphure et parte regulina. Illud e parte inflammabili et acido, haec ex ſulphure ſuo et terra metallica compoſita eſt. — *Decompoſita* quoque botanicis dicuntur folia bigemina, biternata et bipinnata.

DECORATIO, dicitur conſeruatio, vel reſtitutio, pulchritudinis naturalis, vel in toto corpore, vel in quadam parte.

DECORTICATIO, eſt, quando res, vt radices, ſemina, fructus, etc. a ſuo cortice liberantur. Ge. Abſchälung. G. *l'action d'oter l'écorce, ou de peler.* A. *A pulling of the Bark.* B. *Affchilling, Ontſchorſſing.*

DECREMENTVM, dicitur vel de aetate, quae in ſenectutem vergit; vel de morbo acmen praetergreſſo, et hoc ſenſu idem eſt, quam declinatio.

DECREPITATIO, de ſale communi et ſimilibus muriaticis ſalibus dicitur, quae cum ad ignem ſine fuſione calcinantur, ſtrepitum, ſeu crepitum, edunt, donec aquoſam partem amiſerunt. Ge. Verknaſtern, verpraſſeln. G. et A. *Decrepitation.* B. *Kraaking.*

DECVPELATIO, idem quod *Decantatio.*

DECVRRENTIA, botanicis dicuntur folia, petioli et ſtipulae, baſi deorſum per caulem extenſa.

DECVSSATA vocantur folia, quae ita diſpoſita ſunt, vt rami apice inſpecto, quatuor ordines referant. Conf. *Decuſſis.*

DECVSSIS, idem quod *Denarius.*

DECVSSIS, antiquis ad x. literae figuram fiebat, quae Latinis decem ſignificat. Hinc *Decuſſare* eſt in ſpeciem literae x. deduci.

DECVSSORIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo dura mater, leuiter preſſa, accurate cranio adiungitur, vt pus intra cranium et meningem craſſam collectum euacuetur, per foramen, trepano factum. Ge. Ein Drücker. G. *Decuſſoire.* B. *Nederdruk-tuig.*

DEFATIGATIO, denotat incommodum leue, quod ab exercitio, vel labore vehementiore, aut protractiore, accidit, vnde quietis appetentes minus alacres euadunt. Haec imbecillibus, valetudinariis, aegris et recollualescentibus facile ſuperuenit; item iis, qui non aſſueuerant laboribus et

exercitiis, aut qui noctu vigilarunt, aut qui ieiunium, alui fluxum, vel alia, passi sunt. Ge. Müdigkeit. G. *Fatigue, Lassitude.* A. *Wearines.* B. *Vermoeidheid.*

DEFECTIO ANIMI, vide *Lipothymia.*

DEFENSIVVM, a defendere, est medicamentum chirurgicum vulgare, quo imminentia symptomata a parte affecta praecauentur, aut quo partes laesae ab iniuriis externis et aëre defenduntur. Talia sunt emplastra defensiua etc. G. Ein Defensiv. G. A. *Defensif.* B. *Een Defensyf, Verhoed-middel.*

DEFLAGRATIO, est operatio chymica, qua medicamenta deflagrantur, hoc est, per ignem subito purgantur, vt est nitri cum sulphure, antimonii cum nitro, vnde subito flamma exoritur. Ge. Abbrennen. G. *Deflagration, Incendie, Embrasement.* A. *A Deflagration, or Burning.* B. *In de Vlam steken.* —— Item denotat febrium intermissionem. Vide *Apyrexia.*

DEFLEXI vocantur plantarum trunci arcuatim deorsum inclinati.

DEFLVVIVM CAPILLORVM, vide *Alopecia.*

DEFLVXVS, i. q. *Catarrhus.*

DEFORMITAS, vocatur recedens figura partium, vel organorum, a naturali, vt inde fiat functionis impedimentum, vel saltem turpitudo ad adspectum. Ge. Ungestalt. G. *Deformité.* B. *Mismaaktheid.*

DEFRVTVM, est mustum ad dimidias coctum, vt *Sapa* ad tertias partes. Ge. Zur Hälfte eingesottener Most. G. *Vin cuit, Raisiné.* B. *Gekookte Most tot de Helft.*

DEGLVTITIO, est actio animalis, qua alimentum, in ore masticatum, aut aliud liquidius absorptum, in ventriculum per oesophagum protruditur ex ore et faucibus. Quae actio cum sit intricatissima, explicatuque longiore egeat, ex physiologis petenda. Vide *Boerhaave in instit. med.* et Ill. *Halleri* elem. physiol. Tom. VI. pag. 62. sq. Ge. Das Schlingen. G. *Deglutition.* A. *A Swallowing down.* B. *Doorzwelging.*

DEIECTIO, seu EGESTIO, et EIECTIO, est excrementorum alui per anum depositio, quae non tantum reliquias alimentorum, sed alias etiam impuritates in se continet. Hinc varia est tum in statu sanitatis, tum morbosa, liquida nempe, mediocris consistentiae, versicolor, alba, flaua, nigra, viridis, etc. Ge. Abgang, Stuhlgang. G. A. *A Dejection, or Going to stool.* B. *Afgang.*

DEIECTORIA, vide *Cathartica.*

DELAPSIO, est quaedam decidentia, s. prolapsus v. c. vteri, ani, intestini, etc. Ge. Ausfall, Vorfall. G. *Descente.* A. *A falling down.* B. *Uitval, Uitzinking.*

DELETERIVM, est quodvis venenosum. A βέλεαρ, esca, qua animalibus exitus paratur, vel a δηλέω, noceo, decipio, deludo, vel a delendo, quod vitam deleat.

DELIGATIO, est pars *Chirurgiae,* quae partes corporis laesas deligat: secundum veteres est vel simplex, vel composita. Simplex est aequalis, vel inaequalis. Aequalis est tantum rotunda, quae membrum affectum circumquaque sine vlla in partem alterutram declinatione complectitur. Inaequalis in asciam et simam diuiditur: tamen saltem ratione magnitudinis et declinationis differunt; ascia parum a rotunda declinat, sima vero multum. Variae in vniuersum sunt fasciarum differentiae, sumtae a partium, quae vinciuntur, vel quorundam animalium, vel aliarum rerum, similitudine, Gr. ἐπίδεσις. Ge. Verband. G. *l'Appareil, Bandage.* A. *Dressing.* B. *Verbinding.*

DELIQVIVM ANIMI, siue SVBITVS ANIMI CASVS, suis non caret gradibus. Dicitur enim *eclysis, lipothymia, lipopsychia, apopsychia, syncope, asphyxia,* etc. quae sunt totidem gradus. Obseruandum primo, quod *Animi deliquium* saepe antecedunt, cardialgia, anxietas ex improuiso, cordis quasi compressio, oscitatio, ventris murmur, grauitas, vel dolor capitis, vertigo, tinnitus aurium, caligines, varii colores oculo obuersantes, pandiculationes, horrores, frigus extremorum, pallor et pulsus mutatio. His apparentibus et ingraueſcentibus, insequuntur lapsus, si steterint, vel sederint; maior pallor et frigus intensum, pulsus rarus, paruus, tardus, debilis, vnguium liuor, respiratio minuta, denique motus vbique et sensus intercepti; at in *Syncope* pulsus plane cessat, vt et respiratio et motus omnis, sudor frigidus et viscidus exprimitur, vrina saepe, alui faeces, aut semen, effluunt. Soluto paroxysmo, qui breuior esse, vel longior, solet, suspiria fiunt, languor adest, imbecillitas, lassitudo, pigritia. Sed vti *Animi deliquium* gradum sternit ad *Syncopen,* ita *Syncope* prima mortis linea est. Hoc malum multis aliis morbis accidere solet, cum nempe vires prosternuntur, vti ex iis, quae de imbecillitate dicta sunt, patet; ideo reperitur in febribus, in asthmate, hydrope, doloribus, etc. Aliquando ab haereditate est, sed valetudinarii, cachectici, hypochondriaci, reconualeſcentes, pueri, senes, macilenti, obesi, facile in id incidunt. Alii id patiuntur ab odoribus, a conspectu rerum, quae offendunt, ab esu etiam inscio rerum, quarum fastidio laborant, ab exercitiis vehe-

mentioribus, a nimio et repentino gaudio, a purgatione, venae sectione, sudore, aestu, puris magna effusione, a gravi dolore, a venenis, vel per consensum ex affecto orificio ventriculi sinistro, aut ab ictibus, vel morsibus animalium venenatorum. Caussa omnium horum affectuum consistit in sublata, aut imminuta, contractilitate cordis et arteriarum, vel in impedito et turbato influxu fluidi neruei in organa motui sanguinis inseruientia. Dicitur et *defectio*, *defectio virium*, *languor virium*, *imbecillitas*, *debilitas*, Gr. ἀτονία, ἀσθένεια, ἔκλυσις, ἀῤῥωστία τῆς δυνάμεως. Ge. Ohnmacht. G. *Defaillance*. A. *A Fainting, or Swoonnig*. B. *Flaauwte, Magteloosheid, Onmagt*.

DELIQVIVM CHYMICVM, est destillatio per inferiora mediante igne: vel calcis, aut salis alcalini, in cellis humidis suspensi deliquatio et in humorem lixiuiosum resolutio: vel myrrhae, albumini oui cocti inclusae, in liquorem oleosum mutatio. Ge. Zerfließung. G. *Deliquescence*, *Destillation par defaillance*. B. *Smelting*.

DELIRIVM, est idearum ortus non respondens externis obiectis, vel causis, sed internae cerebri dispositioni, vna cum iudicio ex his sequente, et animi affectu, motuque corporis inde pendente: seu est error iudicii ab imaginationis vitio, quod intellectus corrigere nequit, atque his quidem per gradus auctis, solitariis, vel combinatis, varia deliriorum genera fiunt. Ponit semper cerebri medulloſi affectionem morbosam a quacunque caussa ortam. Gr. παραφροσύνη. *Hippocrates* et *Galenus* variis vocabulis vtuntur. *Hippocrates* quidem ad leuem desipientiam significandam fere vocabulo παραφρονῆσαι et ληρῆσαι, siue παραληρῆσαι, *Galenus* vocabulo παραπαῖσαι, παραιρεῖσαι, sicut ad grauem significandam λυσσᾶσαι, μανῆναι et ἐκμανῆναι, vtitur, παρακόψαι vero de vtraque vsurpant. Species varias veteres constituunt, vnde σιωπηλοί, qui pauca loquuntur: alii et sermone delirant, et ridicula, aliena, magnifica, vel maledica, non saltem cogitant, sed et proloquuntur: alii denique opere et factis cogitata exsequuntur, et haec omnia praestant vel μετὰ γέλωτος, vel μετὰ σπουδῆς, sed hi omnes delirantium ordines ad certas differentias redacti sunt. Sub delirio in genere dicto comprehenduntur παραφροσύνη, φρενῖτις, μελαγχολία, μανία, et alii, qui huc referuntur, affectus. Delirium iterum est cum, vel sine febre. Sine febre *Melancholia*, *Mania*, cum febre φρενῖτις vocatur, et quod simplex appellatur delirium, Gr. λῆρος, vel παραφορὰ, vel παράληρος, symptomata nimirum febrium ardentium. Ge. Aberwitz, Wahnwitz Phantasien. G. *Radotement, Delire, Reverie*. A. *A*

Doating, Doting, or Dotage, Rauing. B. *Yliboofdigheid, Ligthoofdigheid*.

DELPHINIVM, Consolida regalis aruensis *Bauh. Delphinium consolida Linn.* (Polyandr. Trigyn.) nectariis monophyllis, caule subdiuiso, est planta procera, ramosa, quae habet folia in longas partes diuisa, et fere instar Foeniculi incisa. Flos est polypetalus, anomalus, ex quinque nempe petalis dissimilibus constans, quorum superius in cornu tubulatum, rectum, longum, obtusum attenuatur, excipitque aliud petalum, scilicet nectarium, bifidum et pariter caudatum. Horum autem meditullium occupat pistillum, quod deinde abit in fructum, in quo veluti in capitulum colliguntur vaginae tres, secundum longitudinem dehiscentes, seminibusque foetae vt plurimum angularis, nigris, saporis amari et ingrati. Colitur haec planta in hortis, propter pulchritudinem floris sic dicitus, quod eius flores nondum explicíti similitudinem cum pisce delphino habent. Vocatur etiam *Consolida regalis* a virtute consolidante et floris pulchritudine: nec non *Equestre calcar*, *Equitis calcar*, *Calcatrippa*. Qualitas ob affinitatem cum Aconito suspecta est, vixque ad vsum medicum commoda. Vide *Staphis agria*. Ge. Ritterſporn. G. *Pied d'alouette*. A. *Larks spur, Larks foot*. B. *Ridder-sporen*.

DELTOIDES, est musculus instar Δ Graecum, triangularis, situs in superiore parte brachii sub integumentis communibus; oritur a clauicula, acromio, processu spiniformi scapulae; articulum humeri suo ventre tegit, inseritur parti anteriori et magis superiori, quam mediae, ossis humeri; e pluribus fasciculis musculosis compositus est, in quos facile dissolui potest. Humerum attollit: a figura Δ et εἶδος, forma. Ge. Der dreyeckigte Armmuskel. G. *Muscle deltoide*. A. *The deltoide muscle*. B. *De drieboofdige spier*.

DEMENTIA, inter species *delirii* refertur. Idem quod *Anoea*.

DEMERSIO, siue IMMERSIO, est, quando a chymicis metallum aliquod liquori soluenti submergitur. Ge. Eintauchung. G. *Demersion*. A. *A Dipping*. B. *Induikeling*.

DEMVLCENTIA, medicamenta sunt, quae possunt figuras medicamentorum, vel humorum nostrorum morbosorum, vel venenorum acrium, ita immutare, vt ex figura acri transeant in obtusam et inertem. *Demulcentia* quoque dicuntur, quae superficiei, vel internae, vel externae, corporis sese applicando eam ab actione acrium defendunt. Ge. Lindernde Arzeneyen. G. *Remedes adoucissans*. B. *Verzagtende Middelen*.

DENARIVS, eſt vnciae pars ſeptima: vncia enim continet ſeptem denarios. Vide *Aureus*. G. *Denier*.

DENDROIDES, eſt planta arbori ſimilis. Ex δένδρον, arbor, et εἶδος, forma.

DENDROLACHANA, oleris arbores. Sic vocantur *olera*, cum fere in arboris altitudinem aſſurgunt. Ex δένδρον, arbor, et λάχανον, olus.

DENDROLIBANVS, eſt *Rosmarinus*, quia arbuſcula quaſi fit. Vocatur δένδρον, arbor, et λίβανον, quod thus, ſeu olibanum, oleat.

DENDROMALACHE, eſt *Malua* arboreſcens. Ex δένδρον, arbor, et μαλάχη, malua.

DENDRON, arbor. Δένδρος, quia δεινῶς δείρεται, grauiter et moleſte decorticatur, vel a δέμω, ſtruo, aedifico, quia ex iis aedificia etc. eriguntur, ſtruuntur.

DENIGRATIO, dicitur de parte, quae ex ſanguine, per contuſionem extrauaſato, nigrorem contrahit; eſtque idem, quam *Sugillatio*. Vel etiam de parte ſphacelo correpta.

DENS CANINVS, *Erythronium Linn.* (Hexandr. Monogyn.) eſt planta, quae habet folia bina, aliquando terna, repentia, cyclaminis ſimilia. Flos liliaceus, ex ſex petalis compoſitus, pendulis et repandis, quorum meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, ad baſin anguſtiorem, triualuem, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque foetum ouato-acuminatis, flaueſcentibus. Radix oblonga, carnoſa, alba, dentis canini forma. Sic vocatur, quia eius floris folia dentem caninum referunt, vel etiam radix. Radici externe applicatae vires reſoluentes et emollientes tribuuntur. Ge. Hundszahn. G. *Dent de Chien*. B. *Hondstand*.

DENS LEONIS, eſt *Taraxacum*, Cichorei ſylueſtris ſpecies. Sic dicitur, quod folium ſinuatim per lacinias denticulatum ſit, et *Roſtrum* quoque *porcinum* nominatur. Vide *Taraxacum*. G. Löwenzahn. G. *Piſſe en lit*. A. *Dogstooth*.

DENTAGRA, vide *Forfex*. Eſt proprie forfex ad euellendos dentes. Ge. Pelikan. G. *Dauier*. — Sed etiam odontalgia ex cauſſa arthritica orta a nonnullis *dentagra* vocatur.

DENTALIVM eſt conchylium vniualue, paruum, apertum, non turbinatum, habens ſegmentum circulare, et rimam dentatam; ſeu teſta vniualuis, tubuloſa, recta, monothalamia, vtraque extremitate pertia. Eius ſpecies eſt *Entalium*, ſcilicet Dentalium teſta tereti ſubarcuata continua. Habitat in Oceano Indico et Europaeo. Ingreditur vnguentum citrinum et quaedam emplaſtra antiquorum. Qualitas eſt inſipida, inodora et calcaria. Ge. Zahnſchnecke. G. *Dentale*.

DENTARIA, eſt planta (Tetradyn. Siliquos.), quae habet folia Quinquefolii, ſeptem in vno latere diſpoſita, oblonga, acuta, dentata, viridia, aſpera. Flores ſunt albi, purpuraſcentes, tetrapetali, cruciformes. Ex calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valuae vtrinque adhaereſcunt, in duo loculamenta diuiſam, ſeminibusque foetam plerumque ſubrotundis. Valuae per maturitatem in helicis formam conuoluuntur, magnoque cum impetu ſemina eiiciunt. Radix carnoſa, ſquamoſa, ac veluti dentibus inciſa. Haec planta creſcit in montibus humidis et vmbroſis. Sic dicitur, quod eius radix dentiformis, et in corallii modum nodoſa ſit. Omnibus huius generis ſpeciebus virtutes carminatiuae et vulnerariae adſcribuntur. Quae *Dentaria maior* vulgo dicitur, eſt Orobanche, radice dentata, maior *Bauh.* ſeu *Lathraea ſquamaria*, caule ſimpliciſſimo, corollis pendulis, labio inferiori trifido *Linn.* (Didyn. Angioſperm.) — *Dentaria* vero *minor* eſt *Dentaria enneaphyllos*, foliis ternis ternatis, et *Dentaria pentaphyllos*, foliis ſummis digitatis *Linn.* Ge. Zahnkraut. G. *Dentaire*. A. *Toothwort*, *Coralwort*. B. *Haaneuoet*.

DENTATA, botanicis dicitur radix moniliformis ex articulis concatenatis. *Dentata* vocantur folia, aut ſtipulae, margine acuminibus patentibus remotis.

DENTES, Gr. ὀδόντες, ſunt oſſicula vtriusque maxillae, omnium corporis oſſium duriſſima, per gomphoſin infixa, ad frangendos conterendosque cibos deſtinata. In adultis plerumque triginta et duo, vel viginti octo, numerantur. Quantum extra gingiuas eminent, ſine perioſteo cortice adamantino tecta conſpiciuntur, ne ad omnem rei acris adtactum dolori eſſemus obnoxii, quae pars *corona* vocatur, ſed in maxillae cauernis, ſeu alueolis, radix membranam a gingiuis vaſculoſam, firmam illam reddentem accipit. Continuo, ſed tardiſſime, creſcunt, ſecus ex frequenti detritione comminuerentur. Non tantum arteriis et venis, quae ramuli ſunt carotidum et iugularium, ſed et neruis proſpiciuntur, a quinto pari oriundis, ipſisque immiſſis, quod dolor vehemens aliquando arguit. Quatuor anteriores *Primores*, *Inciſores* Iſidoro, *Tomici* Celſo dicuntur. Gr. Τομεῖς, δηγατῆρες, κτένες, τομίται, γελασῖνοι. Ge. Die Schneidezähne. G. *Les dents de devant, ou inciſives*. A. *The fore teeth*. B. *Boxer-tanden, laag-tanden*. — Qui a lateribus inſequuntur, in quauis maxilla duo acuti

magis ſunt, vocanturque *Canini*, *Oculares* et *Columellares*. Gr. Κυνοδόντες, μύλοι et γόμφιοι. Ge. Die Augenzähne, Spitzzähne. G. *Les dents oeilléres*. A. *The dog-teeth, or the eye-teeth*. B. *Honds-tanden*, *Oog-tanden*. — Poſteriores, qui tunc ſequuntur, *Molares* appellantur, habent maiores ſuperficies, et duas, tres, vel quatuor radices, cum priores vnicam tantum acceperint. Hiſce cibi duriuſculi, a prioribus inciſi, mola quaſi in pulmentum conteruntur. Ge. Die Stockzähne, die Backenzähne, große Zähne. G. *Les dents molaires, ou machelieres*. A. *The jaw-teeth, or the grinders*. B. *Bak-tanden*, *Maal-tanden*. — Qui poſt annum trigeſimum et quadrageſimum interdum erumpunt, *ſapientiae dentes* ſunt. Item *Genuini*, Cic. *Intimi*, Eid. Κεντητῆες, ὀψιγονοι, σωφρονιστῆες appellantur. Omnes *dentes* in genere vocari ſolent. Ge. Die Zähne. G. *Les dents*. A. *The Teeth*. B. *De Tanden*. — *Dentalis* vertebrae ſecundae prominentia, *Dentis* quoque nomine venit, vel etiam proceſſus odontoideus dicitur.

DENTIDVCVM, vide in *Forfex*.

DENTIFRICIVM, eſt medicamentum ad dealbandos, extergendos et ſtabiliendos dentes, gingiuasque roborandas paratum. Gr. Ὀδοντότριμμα, σμῆγμα ὀδόντων. Ge. Zahnpulver. G. *Dentifrice, Poudre à frotter ou nettoyer les dents*. A. *Powder to rub the teeth with, to make them white*. B. *Tandpoeyer*.

DENTILLARIA, i. q. *Denzaria*.

DENTIO, i. q. *Dentitio*.

DENTITIO, eſt tempus illud, quo infantum dentes erumpere, ſcilicet rudimenta dentium mollia iam in neonatorum maxillis earumque alueolis deliteſcentia ſenſim nutriri, euolui et protrudi incipiunt, quod fit menſe ſeptimo, vel ferius, et extenditur ad ſecundum annum; et citius *ſuperiores*, nonnullis citius *inferiores*, et in his anteriores prius. Tempore dentitionis ſaepe febres, conuulſiones, alui profluuia, a neruorum irritatione, etc. exoriuntur, praecipue quando canini prodeunt. Gr. Ὀδοντοφυΐα, *Aegin*. Ὀδοντίασις, a qua differt ὀδαξισμὸς *Galeno*, ſiue ἄλυσις ὀδαξισμοῦ, vt ab *Hippocr*. vocatur, pruritus ille gingiuarum, quem dentientes pueri ſentiunt. Ge. Das Zahnen. G. *La venuë ou ſortie de dents*. A. *Breeding of teeth*. B. *De tyd, wanneer de tanden komen*, *Tandinge*.

DENTIVM DOLOR, i. q. *Odontalgia*.

DENTO, eſt is, qui dentes eminentiores, prominulos, et os productum habet.

DEOBSTRVENTIA, ſiue DEOPPILANTIA, ſunt medicamenta, quae obſtructiones aperiunt. Proſtat ſic in officinis vnguentum deoppilatiuum.

DEPASCENS VLCVS, dicitur de eo, quod vicinas partes erodendo perpetuo proſerpit: aliquando *Phagaedenicum*, vel *Noma*, vocatur.

DEPENDENTIA, botanicis dicuntur folia, quae terram recta ſpectant.

DEPHLEGMATIO, eſt operatio, qua reiterata deſtillatione aqua ſuperflua a ſpiritibus, vel puriori parte, ſeparatur. Ge. Abziehen. G. *A. Dephlegmation*. B. *Van zyn water zuiveren, dephlegmeren*.

DEPILATORIVM, idem quod *Pſilothron*. G. *Depilatoire*.

DEPLVMATIO, idem eſt quod *Ptiloſis*, vbi palpebrae obſidentur tumore calloſo, pili quoque earundem decidunt; eſtque compoſita affectio ex *Madaroſi* et *Sclerophthalmia*. Verum ſemper coniunctum non habet pilorum defluuium.

DEPOSITIO proprie de cataracta dicitur, et eſt operatio chirurgica, qua ope acus lens cryſtallina opaca e ſede ſua dimouetur et in corpus vitreum adigitur. Vide *Cataracta*. Ge. Das Staarſtechen. G. *La depoſition de la Cataracte*.

DEPRESSIO cranii, eſt ea laeſio cranii a cauſſa violenta, qua illud in parte quadam, amiſſa figura conuexa, concauitatem externe exhibet. Sine fractura in tenellis eſſe poteſt; in adultis plerumque cum fractura eſt. Ge. Niederdrückung der Hirnſchale. G. *Depreſſion du Crâne*.

DEPRESSOR, eſt nomen, datum variis muſculis, qui, dum agunt, partes deorſum trahunt, quibus affiguntur. Tales ſunt depreſſor alae naſi, anguli oris, et labii inferioris. Ge. Niederziehende Muskeln. G. *Abbaiſſeur*. B. *Neerdrukkende ſpieren*.

DEPVRATIO, eſt rei alicuius purae ab impuro ſeparatio, vt eſt deſpumatio, clarificatio. Ge. Reinigung. G. A. *Depuration*. B. *Zuivering*.

DERIVATIO, eſt actio, qua humor, pus, vrina, ſanguis etc. qui in partem influxit, et nondum impactus eſt, artis ope per locum vicinum educitur, vel ex loco vno in alium allicitur, cuius reſiſtentia aliquo modo tollitur; vti fit per venaeſectionem, cucurbitulas, epiſpaſtica, frictiones, etc. Ge. Ableitung. G. A. *Derivation*. B. *Af-of Verleiding*.

DERMA, idem quod *Cutis*. A δέρω, cutim detraho. Hinc *Dermatologia* doctrina de integumentis.

DESCENSORIVM, est fornax chymicis familiaris, destillationibus per descensum inseruiens. Ge. Ein Ofen, wo man niederwärts destillirt. G. *Fourneau pour distiller per descensum.* B. *Een Oven, daar men mede na om laag destilleert.*

DESCENSVM, seu per descensum destillare. Vide *Deliquium.*

DESICCATIO, est superflui humoris, vel humiditatis, per calorem euaporatio. Ge. Austrocknung. *G. Desechement.* A. *Desiccation, or drying.* B. *Uitdrooging.*

DESICCATIVVM, est vnguentum, vel emplastrum, humores tenues vlceri instillantes exsiccans; a desiccare. Ge. Trocknendes, austrocknendes Mittel. G. *Un desiccatif.* A. *A Desiccative, or drying medicine.* B. *Opdroogend Middel.*

DESIPIENTIA, est delirii species. Idem quod *Paraphrosyne.*

DESPVMATIO, est alicuius rei, vt syrupi, mellis, etc. inter coquendum, spumae detractio. G. Abschaumung. *G. A. Despumation.* B. *Schuiming.*

DESQVAMATIO, Gr. Ἐκλέπισις, est, quando in carie ossis, vel alias, ab osse squamae quaedam abscedunt. Ge. Abblätterung der Knochen. G. *Exfoliation, Desquamation.* A. *A Scaling of bones.* B. *Been-schilfering.* — Rectius tamen dicitur *Exfoliatio*, et sub *Desquamatione* intelligitur cuticulae, post morbos cutaneos secessio.

DESTILLATIO, eodem modo sumitur, vt *Catarrhus.* Vide suo loco.

DESTILLATIO, est partium spirituosarum, aquearum, vel oleosarum, in halitus fumosue vi ignis extenuatarum, atque eleuatarum extractio atque collectio. Destillatio fit per vesicam, cucurbitam, retortam, deliquium, filtrum, descensum, etc. eaque in balneo mariae, arena, vaporibus, fimo, sole, reuerberio, etc. peragitur. Ge. Distillirung. G. A. *Destillation.* B. *Neerdruppinge, Distilleeringe.*

DESTRVCTIO, a *Gortero* vocatur quaecunque solutio continui, quae partes firmas in sanis cohaerentes separat, cuius species sunt in partibus duris *Fractura*, etc. in mollibus *Vulnus*, etc.

DETERGENTIA, a *detergere.* Vide *Abstergentia.*

DETONATIO, est deflagrationis modus cum sonitu, ex. gr. cum sulphurea quaedam, cum nitro permixta, igniue admota, pulueris pyrii instar, cum strepitu et fulgore deflagrant: vt in praeparatione antimonii diaphoretici, et in accensione auri tonantis. Vide *Deflagratio.* Ge. Verpuffung. G. A. *Detonation.* B. *Ontploffinge.*

DETRVSOR VRINAE, nomen est musculi, cuius actione vrina expellitur. Vide *Accelleratores.*

DEVNX, sunt vnciae vndecim: libra medica, siue romana, continet vncias duodecim, ideoque *deunx* est, quasi deesset vncia. Ge. Eilf Unzen. B. *Elf onzen.*

DEVTEROPATHIA, est morbus, ab alio morbo, qui est *Propopathia*, originem ducens, ex. gr. si caput ex alterius partis vitio laborat, communicata ad id materia morbifica, relicto priore foco; vt, si phthisi pulmonali vlcerosae sputum sanguinis ab erosione superueniat, phthisis est morbus propopathicus, haemoptoe vero deuteropathicus. A δεύτερος, secundus, et πάσχω, patior.

DEXTANS, est nomen ponderis, pendens vncias decem.

DIA, *per, ex*, est praepositio, quae saepe additur praeparationibus medicamentosis, quarum sic basis, seu ingrediens primarium, indicatur, vt *Diaprunum*, hoc est, compositio ex prunis; sic dicitur diasena, diaireos, diaphaenicum, diambrae, diascordium. Compositio scilicet ex senna, iride, dactylis, etc.

DIABETES, sic *Galeno* dicitur. *Dipsacus Aegineae* ab immensa siti, quam inuehit. Vel, vt alii, a serpentis quodam genere, quod Dipsas appellatur, et in *Libya* praesertim reperitur, quod morsu suo venenum quoddam in homines insinuet, a quo sitis inextinguibilis inducitur, διάβροια εἰς ὕδωρ, ὕδωρ εἰς ὑδρία, quasi *Hydrops ad matulam.* Hinc est, quod hunc affectum *Matulam inter cutim*, alii *Vrinae profluuium* et *siphonem* nuncupant. Rarissimus est affectus, quem *Gal.* se bis tantum vidisse refert 6. de Loc. aff. Cap. 3. Est vrinae fluxus valde copiosus, potum assumtum longe quantitate superans, cum siti intolerabili, et summo virium prolapsu. Imo vrina non tantum, sed potus, et is parum, vel nihil, immutatus egeritur sub forma aquae lacte dilutae, sicque inodorae, insipidae, aut subdulcis. Quos affligit, emaciantur, debilitantur, et prae siti, ardoreque viscerum vix se continent, et vrinam cohibentes mox sentiunt, lumbos, coxas et testes cum ardore et grauitate intumescere. Oritur autem a laxitate fibrarum in renibus, et aquosa indole liquidorum corporis, vel a tam singulari humorum acrimonia, vt vim diureticam acquirant. Haereditariam adesse ad hunc morbum praedispositionem, interdum obseruatum est. A διαβαίνω, permado. Ge. Harnfluß. G. *Diabete, Flux d'urine.* A. *A Diabetes.* B. *Pisvloed.*

DIABOTANON, nomen eſt emplaſtri a *Galeno* deſcripti, quod plurimae herbae ingrediuntur, quodue viribus digerentibus et reſoluentibus pollet.

DIABROSIS, ſeu ANABROSIS, eſt ſolutio continui per exeſionem, a quacunque acrimonia facta. A διαβρώσκω, peredo. Ge. Durchfreſſung, Zernagung. G. A. *Corroſion.* B. *Door-eeting.*

DIACARYON, eſt rob dianucum, quod in angina commendatur. Gr. Διακαρύων. Ge. Eingekochter Saft von wälſchen Nüßen.

DIACHORESIS, et DIACHOREMA, eſt excretio quorumvis excrementorum; frequentiſſime tamen ſignificat euacuationem, quae per aluum fit. Ab διαχωρέω, ſecedo. Germ. Stuhlgang. G. *l'Ordure.* A. *Caſting out.* B. *Uitwerpſels.*

DIACHYLON, dicitur emplaſtrum ex ſuccis quibusdam compoſitum, vt et de gummis, hincque ſimplex et cum gummis proſtat. Ex διὰ, ex, et χύλος, ſuccus. Ge. Saftpflaſter, Zugpflaſter. G. *Emplaſtre Diachylon.* A. *Sap-plaiſter.* B. *Sap-pleiſter.*

DIACINEMA, dicitur, cum oſſa de loco ſuo nonnihil receſſerint. Ex διὰ, ex, et κινέω, moueo.

DIACLYSMA, eſt oris collutio, ad foetorem abigendum, vel dentes, aut gingiuas ſordidas, vel aegras, confirmandas. Vocantur collutiones oris; parantur ex adſtringentibus variis, vt biſtorta, tormentilla, fl. balauſtiorum, cort. granatorum, gallis, aut aliis remediis morbis oris oppoſitis, etc. Sub eo quoque comprehenditur *Gargariſma* et *Apophlegmatiſmus.* A διακλύζω, colluo. Ge. Spülung des Mundes. B. *Mond-ſpoeling.* Vide *Collutio.*

DIACODION, eſt medicamentum, ex papaueris capitibus, ſiliquis dulcis, radice glycyrrhizae, altheae et ſaccharo paratum, habetque ſyrupi conſiſtentiam, et eximias vires demulcentes, bechicas et pectorales exſerit. Ex διὰ, ex, et κώδια, papaueris caput. Ge. Bruſtſyrup, Mohnſaamenſaft. G. *Sirop pectoral.* A. *Syrup made of the tops of Poppies, Breaſt ſyrup.* B. *Borſt ſyroop, Slaapbolle ſyroop.*

DIACOPE, praeciſionem, vel diſciſſionem in aliqua parte ſignificat, ſiue ſtudio, ſiue caſu. A διακόπτω, praeſcindo. *Hippocrati* vulnus eſt omne, quod alte deſcendit impactumque eſt. *Galeno* eſt ſoluta in oſſe capitis continuitas ab aliquo acuto occurſante, atque abſcindente. Vocatur quoque ὄψις et ἰκκοπή.

DIACOPRAEGIA, eſt medicamentum ex ſimo caprino, aduerſus ſplenes et parotides. A διὰ, ex, et κόπρος, ſtercus, et αἴξ, capra.

DIACRISIS, eſt diſtinctio et diiudicatio morborum et ſymptomatum. A διακρίνω, diſtinguo, diiudico.

DIACRITICA, dicuntur illa ſigna, e quibus diacriſis formari poteſt.

DIACRYDIVM, vide *Dacrydium.*

DIACYDONIVM, eſt medicamentum compoſitum ſpiſſae conſiſtentiae, cuius excipiens eſt Mina, vel Rob cydoniorum, et cuius variae formulae in pharmacopoeis, praecipue antiquioribus, proſtant.

DIADELPHIA, denotat apud *Linnaeum* claſſem plantarum, in quibus ſtamina bifariam inter ſe connata, ſicque in duas affinitates diuiſa ſunt.

DIADOCHE, eſt ſucceſſio per criſin. A διαδέχομαι, ſuſcipio.

DIADOSIS, eſt veteribus alimenti diſtributio, ſiue per omnes partes peruaſio. Denotat etiam remiſſionem morbi. Ex διὰ, per, et δίδωμι, do.

DIAERESIS, eſt ſolutio continui, quae fit, cum a cauſis variis via aliqua, quae adeſſe non debebat, aperitur. Nam primo poteſt διαίρεσις fieri ab humoribus acribus, qui erodendo vnitatem ſoluunt, et viam pateſaciunt; quod etiam medicamenta acria praeſtare poſſunt. Deinde humores craſſi accumulati διαιρέσεως cauſa eſſe poſſunt, qui partem diſtendendo rumpunt. Proprie vero cauſae plurimae euidentes veram διαίρεσιν faciunt, omnes ſcilicet, quae contundendo et diſtendendo vnitatem vaſorum ſoluunt; qualia ſunt motus vehemens, clamor, pondus graue, vulnerantia, contundentia, caſus, ſaltus et ſimilia, inter quae et flatus referri poſſunt, ſi retenti tanta vi interdum corporis partes diſtendunt, vt non ſolum corporis cauitates dilatent, ſed rumpendo etiam nouas faciant, et ipſi quoque vnitatem ſoluant. Item diaereſis operatio chirurgica eſt, quae partes, praeter naturam vnitas, vel concretas, ſeparat, vt fieri ſolet in concretione palpebrarum, inteſtini recti, vaginae, digitorum, etc. et fit inciſione, vſtione, terebratione, raſione, limatione, ſerratione, exeſione. A διαιρέω, diuido. Conf. *Diabroſis.* Germ. Die Trennung. G. *Diereſe.*

DIAERETICA, ſunt medicamenta corrodentia et exedentia. A διαιρέω, diuido.

DIAETA, ſtrictiori ſenſu alimentorum rationem reſpicit: latius autem eſt rectus vſus rerum non naturalium, vel methodus ſanis moderate viuendi, quae propter differentiam corporis a corpore, ratione aetatis, temperamenti, habitus corporis, conſuetudinis, et connatae diſpoſitionis, diuerſa eſſe debet. At *Diaeta aegrorum* eſt remedium in recto rerum, vitae neceſſariarum, vſu conſiſtens. Hanc veteres ſcrupuloſe admodum diſtinxere vario modo, iuxtaque illos ratione conſiſtentiae eſt ſecundum veterum diuiſionem *craſſa*, *mediocris* et *tenuis*. Craſſa inſtituitur alimentis copioſis, firmis et ſolidis, multumque nutrire aptis, haec *ſimpliciter plena* eſt, quae fiebat olim per ptiſanam hordeaceam integram. Vel eſt *plenior* et *craſſior*; quae fit per carnes pullorum et oua ſorbilia. Vel eſt *pleniſſima*, quae etiam carnes caſtratorum concedit. *Mediocris* eſt, quae ex mediocris ſubſtantiae et quantitatis alimentis conſtat. Haec olim per panem iure tinctum, vel etiam per carnes pullorum, fiebat. *Tenuis* eſt, quae et alimentis paucis, tenuibus et infirmis perficitur, quae vt plurimum acutis morbis conuenit: eaque triplex eſt, *tenuis ſimpliciter*, quae olim per ptiſanae ſuccum fiebat; vel *tenuior*, in qua melicratum propinabatur; vel *tenuiſſima*, in qua nihil cibi aeger ſumebat. Verum praeſtat, diaetam pro natura et viribus ſingulorum aegrorum, et pro tempore et indole cuiusque morbi inſtitui. Complexus harum regularum, quarum obſeruatione cauſſae morbi et proximae et remotiores tolluntur, *Fons diaeteticus* dicitur. A διαιτάω, nutrio. Ge. **Speisordnung, eine gewiſſe Ordnung im Eſſen und Trinken.** G. *Diéte*, *Régime de vivre*. A. *Diet*. B. *Levens wet*, *of Levens Manier*.

DIAETETICA, eſt pars medicinae, praeſcribens cognitionem et vſum rerum ſex, quibus ſanitas, et vita noſtra, eiusque regimen maxime conſtat, vt imminentes morbi praecaueantur, et praeſentes profligentur. Hae ſaepe dicuntur *res non naturales* a ſcholis: vt ſunt aër, cibus et potus, motus et quies, ſomnus et vigilia, animi pathemata, excreta et retenta: quae ſi modum excedant, morbos pariunt. Ex διαιτάω, alo, nutrio. Ge. **Verhalten, Diätetick.** G. *Partie de la Medecine, qui enſeigne la diete, & un reglement de vivre*. A. *Diet*. B. *Levens wys*.

DIAGNOSIS, eſt ſignorum praeſentium cognitio: ſiue cognitio, qua praeſentem morbum ab aliis dignoſcimus. Eſtque triplex, partis *affectae*, ipſius *morbi*, eiusque *cauſae* recta inueſtigatio. *Signa*, e quorum conſideratione haec cognoſcimus, *diagnoſtica* vocantur. Ex διά, per, et γινώσκω, cognoſco.

cognoſco. Ge. **Kennzeichen, Erkennung der Krankheit.** G. *Signe, Diagnoſtique*. A. *Diagnoſtick, or the ſigns of a diſeaſe*. B. *Kenteken*.

DIAGRYDIVM, vide *Dacrydium* et *Scammonium*.

DIALEMMA, idem quod *Apyrexia*. Ex διά, in, et λείπω, relinquo.

DIALEPSIS, eſt quaedam interceptio: item intermiſſio quaedam in fractura cum vulnere, vel vlcere, vbi intermedium ſpatium relinquitur, pro vlceris, aut vulneris, curatione, itaque eſt intermiſſio deligationis. A διαλείπω, inter relinquo.

DIALYSIS, eſt ſolutio virium, ſeu impotentia corporis quasuis actiones debito modo perficiendi. Ge. **Nachlaſſung der Kräfte.** G. *Epuiſement*.

DIAMARENATVM, ſ. DIAMARMATVM, eſt confectio liquida ex ceraſis acidis, ſaccharo et aromate. Ge. **Kirſchſaft.**

DIAMNES, eſt excretio vrinae in ſomno, praeter voluntatem, absque dolore et ſenſu, quae praecipue a laxitate et debilitate ſphincteris veſicae pendet. Ge. **Unvermögen den Harn im Schlafe zu halten.**

DIAMORON, eſt nomen medicamenti, quod in officinis paratur ex ſucco mororum, cum melle in ſyrupum ſpiſſiorem cocto. Dicitur etiam rob ex moris.

DIANGIOSPERMAE, vocantur plantae, quae ſemen in capſula et quidem duplici, ferunt.

DIANDRIA, eſt claſſis plantarum, apud *Linnaeum*, quae ſtamina duo in flore hermaphrodito ferunt.

DIANOEA, eſt mens praemeditata. A διανοέω, praemeditor.

DIAPASMA, *Plinio*, medicamentum aridum, ex ſiccis pulueribus conflatum, inſperſile, quod aut veſtibus ad gratiam odoris, aut vlceri vulnerique varia ratione, aut potui etiam ad luxum inſpergitur, Gr. διάπασμα, κατάπασμα, κατάπασις, φάρμακον. *Oribaſius* non male diſcrimen inter has voces ex *Antyllo* ponere mihi videtur, vt ἐμπάσματα ſint, quae ſudoribus cohibendis et commouendo pruritui adhibentur, quae *ſympaſmata* et *aſpergines Aurelianus* nominat: καταπάσματα ſunt, quae vlceribus ſuperponuntur, ξηρία etiam dicta: διαπάσματα vero conciliandae fragrantiae ergo inuenta. Ge. **Wohlriechender Puder.**

DIAPEDESIS, eſt ea conditio vaſorum, qua membranacea latera ita diuelluntur a cauſa intus extendente, vt inter fibras naſcantur interſtitia hiantia, quae emittunt in cauitate

contentum. Ex διὰ, per, et πηδάω, ſalio, ſalto. Ge. Durchſchwitzung. G. *Suinter.* B. *Uitbarſting.*

DIAPEGMA, eſt inſtrumentum veterum chirurgicum, dictum et *Intercolumne*, ſiue pars transuerſaria, ad crurum laterumque compaginem firmandam. A πηγνύω, compingo.

DIAPENSIA, vide *Sanicula.*

DIAPHANVM, eſt omne, quod pellucidum eſt, vt humores oculares, tunica cornea, ſeptum lucidum, etc. A διαφαίνω, pelluceo.

DIAPHOENICVM, eſt compoſitio ex dactylis. Ex διὰ et φοῖνιξ, dactylus. Ge. Eine Arzeney von Datteln. B. *Conſerf van Dadelen.*

DIAPHORESIS, ſiue TRANSPIRATIO, et SVDATIO, eſt decedentia omnis generis effluuiorum per inuiſibiles corporis poros, omnes alias excretiones ſubtilitate et copia ſuperans, inutilium humorum excretioni non tantum, ſed et tactui, et aſſiduae cutis humectationi, inſeruiens. Minor et inuiſibilis haec excretio *Diapnoe*, maior et viſibilis, *Sudor* dicitur. Ex διὰ, per, et φέρω, fero. Ge. Ausdünſtung. G. *Tranſpiration.* A. *Perſpitation.* B. *Uitwaaſſeming*

DIAPHORETICA, medicamenta ſunt, quae perſpirationem ex vaſis cutaneis minimis augent, ſanguinem paululum magis agitando, quam naturaliter ſolet, vel ſeparationem partium aquearum a reliquo ſanguine promouendo, vel impedimenta tranſpirationis tollendo. Quae mitiori gradu agunt, et ſolummodo inſenſibilem perſpirationem augent, *Diapnoica* dicuntur. G. Schweistreibende Arzeneyen. G. *Diaphoretiques.* A. *Diaphoretic medicines.* B. *Uitwaaſſemende Middelen.*

DIAPHORETICVM IOVIALE, vide *Antihecticum Poterii.*

DIAPHORETICVM MARTIALE, eſt *Antimonium diaphoreticum martiale.*

DIAPHRAGMA, ſeu *ſeptum transuerſum*, ὑπόζωμα *Ariſt.* Gr. φρένες, quae vox etiam mentem ſignificat; ita dicitur, quod, hac parte laeſa, cerebrum ſtatim in conſenſum trahatur. Eſt ſepimentum muſculoſum thoracem ab abdomine diſtinguens, in medio tendinoſum, exterius in ambitu muſculoſum; ſitum habet transuerſum, ſed valde obliquum, antice altiorem, figuram fere circularem; ſuperficiem ſuperiorem conuexam, quae pleura, inferiorem concauam, quae peritonaeo tegitur; oeſophagus, arteria magna, vena caua, atque azygos et ductus thoracicus, per illud transeunt. Componitur e duobus ſtratis muſcularibus, quorum alterum muſculus ſuperior, alterum inferior dicitur. Superior oritur a cartilagine enſiformi, infima parte ſterni et cartilaginibus

omnium coſtarum ſpuriarum et duarum inferiorum verarum totidem dentationibus, tum radiatim quaſi faſciculis verſus medium directis aponeuroſin format, quae centrum tendineum, vel ob ſimilitudinem trifolium dicitur. Muſculus inferior a centro tendineo retrorſum tendens, in faſciculos carneos craſſos duos, raro tres, rariſſime quatuor, finditur, qui capita, et minus recte tendines diaphragmatis vocantur, et quorum dexter plerumque ad corpus vſque quartae vertebrae lumborum, ſiniſter ad corpus tertiae vertebrae lumborum protenditur; vnde agens ex magis conuexo minus conuexum fit, hinc abdomen et contenta arctat et premit, thoracem vero dilatat, et ſic reſpirationi vna cum caeteris muſculis inſeruit, placidam reſpirationem ſolum fere abſolvit, et motu ſuo excrementa aluina, vrinam, foetum expellit. Quadrupedibus praecipue calidi ſanguinis diaphragma datum eſt; auibus enim aliquae membranae, ſed diaphragmatis nomine minus dignae, abdomen et transuerſim et ad perpendiculum in plures cellulas diuidunt. Frigidi ſanguinis animalia aut nihil habent diaphragmatis ſimile, aut membranaceum aliquid. A διαφράσσω, ſepio, munio. A nonnullis tribuitur quoque non tantum huic parti illud nomen, ſed et mediaſtino, ſepto in naribus, ſepto cerebrum in duo hemiſphaeria ſecanti, auris tympani membranae, aliisque. Ge. Das Zwerchfell. G. *Pleure.* A. *Midriff, or diaphragme.* B. *Middel-rif, Middel-ſchot.*

DIAPHRATTONTES, ſunt membranae, pleura dictae, quae thoracem intus ſuccingunt, et in medio ſeptum, vulgo *Mediaſtinum*, formant. A διαφράσσω, ſepio. Vide *Diaphragma.* Ge. Bruſtfell. G. *Pleuro.* A. *The Pleura and mediaſtin.* B. *Borſtvel.*

DIAPHTHORA, eſt corruptio alicuius partis in corpore. A διαφθείρω, corrumpo. Ge. Verderbung. G. A. *Corruption.* B. *Bederving.*

DIAPHYSIS, eſt corpus, ſeu media pars oſſis, cui vtrinque *Epiphyſes* adhaerent.

DIAPLASIS, eſt membri luxati, vel fracti, reſtitutio. A διαπλάσσω, conformo. Ge. Einrichtung

DIAPLASMA, eſt vnctio, ſiue fomentum. A διαπλάσσω, illino.

DIAPNOE, idem quod *Diaphoreſis.* A διαπνέω, perſpiro. Ge. Die Ausdünſtung. G. *Tranſpiration.* A. *Perſpiration.* B. *Uitwaaſſeming.*

DIAPXEMA, idem quod *Empyema.* Ex διὰ, per, et πύον, pus.

DIAPYETICA, ſunt medicamenta pus maturantia. A διαπυέω, ſuppuro.

DIARIA FEBRIS, i. q. *Ephemera.*

DIARRHODON, eſt nomen ſpeciei cuiusdam, vel pulueris compoſiti, quod roſae praecipue ingrediuntur.

DIARRHOEA, eſt copioſus aluſi fluxus, in quo liquida egeruntur absque inſigni dolore; conſideratur vel quatenus ſympromatica eſt, vel critica, vel ratione gradus, vel ratione materiae excretae. Diarrhoea in multis morbis euenit, praeſertim in quibusdam febribus et habet ſuas ſpecies, quae tum gradu morbi, tum natura materiae eiectae differunt. *Grauis* eſt, vbi paucis interuallis, interdum ferme citra remiſſionem, copioſe per repetitos fluxus, nunc maiores, nunc minores, excretis primo foecibus, humores expelluntur viſcidi, aquei, bilioſi, flaui, purulenti, aut aliter conſtituti, vna cum muco quodam fundum matulae occupante. Adſunt febris, anxietas, virium lapſus, neque dolor inſignis vrget, ſed murmur auditur ſubinde, cum deiectio fit, inteſtinum rectum tamen nonnihil dolet, nauſea, vel vomitus, ſaepe incidunt, et potus, vel cibus ingeſtus vna tranſit. Vide *Cholera* et *Lienteria. Seroſa*, eſt vbi tantum aquea et fluida prodeunt, cum murmure, teneſmo et aliquo dolore. Haec phthiſi, hydropi, ſcorbuto, etc. familiaris eſt, ac ſubinde in iis, qui ſunt frigori ſuſtinendo minus validi, vel a pedibus refrigeratis accidit. *Bilioſa* vocatur, quoties bilis maiori copia ſecreta, et per ductum hepaticum ad inteſtina delata, ibique corrupta excernitur: talis in febribus putridis accidere ſolet, inprimis cum in morbi initio vomitorii propinandi occaſio ſe obtulit, neque tamen propinatum fuit. *Maligna* eſt, quae in peſte, febribus malignis, variolis, morbillis, cum recedere putantur ad interiora, contingit; in hac vires ſubito deiiciuntur, et anxietates non leues oriuntur. Humores ſunt omnis generis, ſaepe foetentes, atque ſi a variolis, etiam cruſtae et pelliculae in excretis, quaſi hac via exirent variolae, ipſae apparent. *Critica* dicitur, quae ipſam materiam morbi euacuat, et hinc cum leuamine euenit in morbis, vel etiam in ſanis, quos niſi ſubinde diarrhoea iuuerit, male habent. Huic opponitur *ſympromatica. Hypercatharſis*, ſiue *Superpurgatio*, eſt diarrhoea valida a medicamento purgante, aut emetico, excitata. A διαῤῥέω, perfluo. Ge. **Bauchfluß, Durchlauf.** G. *Devoyement, Flux de ventre, Cour de ventre, Diarrhée.* A. *A Diarraea, Looſeneſs, or Flux of the belly.* B. *De Loop.* Luſitan. *Bixbe.*

DIARTHROSIS, ſiue ABARTICVLATIO, et COARTICVLATIO, ſeu DEARTICVLATIO, eſt compoſitio oſſium, ab inuicem ſeparatorum, ad euidentem, validum, facilemque motum comparata: qualis eſt in brachio, manibus, femore, pede, etc. ſicque opponitur *Synarthroſi.* Vide *Articulatio.* Ex διὰ, per, et ἄρθρον, membrum, articulus. Ge. **Vergliederung mit deutlicher Bewegung.** G. *Diarthroſe.* A. *Conjunction of the Bones.* B. *Inwrigting der beenen, loſſe leding.*

DIASCORDIVM, eſt medicamentum aliquod compoſitum, electuarii conſiſtentia, vſitatiſſimum, a *Fracaſtorio*, Medico Tridentino, inuentum, quod ad opiata pertinet.

DIASPASIS, vocatur partium mollium a vicinis et continuis ſeparatio, qualis per cucurbitas effici poteſt.

DIASTASIS, eſt cartilaginum, vel oſſium, immobiliter combinatorum, ſeu per raphen, harmoniam, ſynoſteochondrium, ſynchondroſin vnitorum, aut per ſyndeſmoſin ſenſibiliter immobilem connexorum, ſeparatio vitioſa, ſeu receſſus ab inuicem, partialis, vel totalis. Eſt vel ſimplex, vel complicata cum fractura, inflammatione, vulnere, etc. oriturque vel a cauſſa externa, ſeu violenta, vel a cauſſa interna. Germ. **Trennung der Knochen.** G. *Ecartement. des os.*

DIASTOLE, eſt arteriarum, auricularum et ventriculorum cordis per impreſſum ſanguinem dilatatio, quae actio eſt oppoſita *Syſtolae*, qua ſanguis, per diaſtolen acceptus, comprimitur et expellitur. Ex διὰ, per, et στέλλω, mitto. Ge. **Erweiterung des Herzens.** G. *Diaſtole, ou dilatation du coeur.* A. *The dilatation of the heart.* B. *Opening des herts.*

DIATERETICA, eſt pars Hygieinae, qua ſanitas firma conſeruatur, quae pro aetate et conſtitutione hominis varia eſt. Ex δίαιτα, victus ratio, et τηρέω, ſeruo. Vide *Diaeta.*

DIATESSARON, ſ. DIATESSARVM, eſt medicamentum ex quatuor ingredientibus compoſitum, ex ariſtolochia nempe, gentiana, baccis lauri et myrrha, quae melle excipiuntur. Ex διὰ, ex, et τέσσαρα, quatuor. G. **Viehtheriack.** B. *Tonnekens Triakel, en Paarde Triakel.* Sed nomen nimis vile, pro tam egregio medicamento.

DIATHESIS, eſt diſpoſitio corporis ſani, vel morboſi, qua ad actiones peragendas bene, vel male, ſumus diſpoſiti. Praecipue vero de ſtatu fluidorum intelligitur, diciturque ſic e. g. diathesis ſcorbutica, phlogiſtica, etc. Ge. **Beſchaffenheit.** G. *Diſpoſition.* A διατίθημι, diſpono.

DIATRITARII dicebantur olim medici e ſchola methodi-

corum, qui omnes morbos inedia ſanari poſſe autumantes, non niſi tertio die infirmis cibum concedebant.

DIAVOLETTI, DIAVOLINI, ſunt paſtilli, vel rotulae, e feruidiſſimis aromatibus et cacao confectae, quae ad frigidam venerem excitandam, tamen non ſine noxa, adhibentur. G. Stärkküchlein. G. *Diablotins.*

DIAZOMA, idem quod *Diaphragma*, ſeu *Septum Transuerſum*. Ex διὰ et ζῶμα, cingulum.

DIAZOSTER, dicitur duodecima thoracis vertebra, ſupra quam ſcilicet cingi ſolemus.

DICHALCVM, eſt pondus duorum aereolorum, continens tertiam oboli partem. Obolus enim habet aereola ſex.

DICHOPHYIA, eſt capillorum vitium, quando extrema eorum bifariam plerumque in partes finduntur. Ex δίχα, dupliciter, et φύω, creſco. Ge. Spalten der Haare. B. *Splytinge des hairs.*

DICHOTOMI, botanicis dicuntur plantarum caules bifariam ſemper diuiſi.

DICOTYLEDONES, dicuntur plantae, quibus duo ſunt folia ſeminalia.

DICROTVS, eſt pulſus digitos arteriam comprimentes bis feriens, ſed ita, vt ſecunda pulſatio languidior et minor ſit, quam prima. Hinc indicat conſtrictiones cordis interruptas et repetitas, ſiue hoc fiat a ſanguinis circulatione plus minusue impedita, ſiue a vacillantibus cordis et arteriarum viribus, ſiue a criſi, aut haemorrhagia imminente, ſiue ab obſtructione viſcerum abdominis. Ex δὶς, bis, et κρύω, pulſo. Ge. Ein zweymalſchlagender Puls. B. *Dubbelt slaande pols.*

DICTAMNVM, DICTAMNVS, duplex hodie in officinis habetur; *albus*, de quo videatur *Fraxinella*, et *Creticus*, qui ſpecies eſt Origani, et quidem Origanum creticum latifolium, tomentoſum *Tournef.* *Origanum dictamnus Linn.* (Didynam. gymnoſp.) foliis inferioribus tomentoſis, ſpicis nutantibus. Eſt planta pulchra et viſui grata: caules habet duos circiter pedes altos, villoſos, purpureos, ramoſos, aut in alas diuiſos. Folia obrotunda, et parum acuta, lanuginoſa, odorata, ſaporis acris. Flores cum verticillis in longas et laxas ſpicas congeruntur, coloris purpurei; in ſingulo flore galea eſt erecta, bifida, ſubrotunda, barba tripartita. Semina quatuor ſubrotunda, in capſula, quae flori tanquam calyx inſeruiuit, incluſa. Radix parua eſt, numeroſa. Continet oleum aethereum, in frigore coagulabile, in maſſam camphorae ſimilem abiens, hinc qualitatis eſt ſpirantis et calidae, viribusque reſoluentibus, pellentibus, neruinis et emmenagogis pollet, et plures compoſitiones, praecipue antiquiores ingreditur. Creſcit haec planta in Candia, quae Inſula olim *Creta* vocabatur, in monte Ida. Nomen accipit a Dictae monte illius inſulae. Sed alii deducunt ἀπὸ τοῦ τίκτειν, a pariendo, quod parientibus opituletur, opemque promittat haec planta. Ge. Kretiſcher Diptam. G. *Dictame de Candie, ou de Crete.* A. *Dittany of Candy.* B. *Diktamnus.*

DICTAMNVS ALBVS, vide *Fraxinella.*

DIDYMA, botanicis eſt pericarpium, ſeu capſula, ſeminalis duobus nodis extus gibba.

DIDYMI, ſunt gemelli, vnico partu editi. Item *Teſticuli.* A δύο, duo.

DIDYNAMIA, eſt claſſis plantarum apud *Linnaeum* eas comprehendens, in quarum floribus ſtamina duo ſemper reliquis breuiora ſunt.

DIES CRITICI, vide *Critici Dies.*

DIFFVSVS, botanicis eſt truncus plantarum ramis patentibus.

DIGASTRICVS, ſiue GRAPHOIDES, eſt muſculus biuenter, qui a proceſſu mammiformi oſſis temporum ortum adipiſcitur, deſcendens tendinem facit, quo per muſculum ſtylohyoïdeum, et ligamentum annulare hyoidis tranſit; inde rurſus carnoſus fit, et ab ipſo oſſe hyoide fibris quibusdam inſtructus, directione per trochleam quaſi mutata, adſcendit, et in parte menti interiori mediaque interius deſinit, atque maxillam inferiorem deorſum trahit. Ex δὶς, bis, et γαστὴρ, venter. Ge. Der zweybäuchige Muskel. G. *Muſcle Digaſtrique.* A. *The two-bellied muſcle.* B. *Twee-buikige ſpier.*

DIGERENTIA, vocantur medicamenta, quae vulneri, aut vlceri, applicata, illa in hanc conditionem diſponunt, vt bonum in iis naſcatur pus, quod fit liquida allata conſeruando ab acredine, et vaſcula excreſcentia ita moderando, vt nec luxurient, nec exedantur nimis, vel arida fiant. *Digerentia* etiam vocantur medicamenta, quae humores viſcidos et cruditates primarum viarum incidunt et ad excretionem diſponunt. *Digeſtiua* quoque vocantur. Ge. Digeſtivmittel. G. *Digeſtifs.* A. *Digeſtive.* B. *Ettermaakende dingen.*

DIGESTIO, eſt prima mutatio, quam alimenta aſſumta in ventriculo ſubeunt, dum partes eorum tum per actionem diaphragmatis et contractionem ventriculi, tum per liquidum gaſtricum, tum calore, tum ope aeris incluſi, reſoluuntur, ſicque ad vlteriorem concoctionem et chylificationem praeparantur. Ge. Die Dauung. B. *Verteering.* — —

In Pharmacia eſt, eum tincturae, infuſiones, etc. blando ignis calore fouentur, vt res crudae in iis latitantes diſſolvantur, craſſae incidantur, viresque affuſo liquido communicent, inutiles vero in fundo deſidant; atque haec peragitur arena calefacta, ſimo equino, athanore, etc. G. Digerirung. G. A. *Digeſtion.* B. *Digerering, Uitbaeling door warmte.* — Chirurgis vero diſpoſitionem tumoris ad bonam ſuppurationem ſignificat.

DIGESTIVA, vide *Digerentia.*

DIGITALIS, eſt planta (Didynam. Angioſperm.), quae habet caulem, duos, vel tres pedes altum, craſſum inſtar pollicis, anguloſum, villoſum, rubicundum, excauatum. Folia fere Verbaſco ſimilia, oblonga, acuta, in margine inciſa, villoſa, ſuperne atro-virentia, inferne incana. Flores monopetali tam ſingularis ſtructurae ſunt, vt perfecte referant digitabula. Parte anteriori, in bina labia ſunt diſciſſi, coloris purpurei, iuxta caulium longitudinem plerumque naſcentes, pedunculis breuibus villoſis caulibus adhaerentes. His floribus delapſis, ſequitur fructus oblongus, villoſus, in duas cauernulas diuiſus, ſemina exigua continens. Radix eſt fibroſa, amara. Tota planta, et praecipue folia ſaporis ſunt acris et nauſeoſi, hinc a quibusdam inter plantas venenatas relata eſt. Alii foliorum decoctum vt inſigne remedium antiepilepticum, nec non in vlceribus aliisque grauioribus morbis, et cataplaſma vt praeſtantiſſimum reſoluens, commendant. Haec planta creſcit in locis arenoſis ſiccis, praeſertim in montibus, et in hortis colitur. A ſimilitudine florum, qui digitale pulchre referunt ac exprimunt, nomen habet. G. Fingerhut, Fingerkraut. G. *Digitale, Gants noſtre dame.* A. *Fox-glove.* B. *Vingerhoedskruid.*

DIGITATA, botanicis ſunt folia compoſita e foliolis petiolo ſimplici apice adnexis.

DIGITVS, ſiue δάκτυλος. Singulis manibus, ſingulisque pedibus tribuuntur quinque, quorum ordines, ſeu articuli, *Phalanges* vocantur. In manu habemus *pollicem, indicem, medium, annularem,* et *auricularem,* qui longiores requirebantur, quam in pedibus, vt mobiliores forent, et corpora ſatis magna iisdem obuoluì et comprehendi poſſent. In pedibus propriis nominibus non gaudent. Primae phalangae oſſibus metacarpi et metatarſi per *Arthrodiam,* phalangae inter ſe per *Ginglymum* articulantur. Eſt item quaedam menſurae ſpecies, quibus rerum interualla metiuntur. Ge. Der Daum, der Zeiger, der Mittelfinger, der Goldfinger, der kleine Finger. G. *Le pouce, le doigt indice, le milieu, l'annulaire, le petit doigt.*

A. *Thumb, Fore finger, middle finger, ring finger, little finger.* B. *De duim, de wys-vinger, middel-vinger, ring-vinger, pink.* — In Pede. Ge. Zehen. G. *Orteils.* A. *Toes.* B. *Toonen.*

DIGLOSSON, ſeu HYPOGLOTTON, vel HYPOGLOSSVM, vocatur etiam *Laurus Alexandrina,* Latinis *Bislingua,* quod ſupra folium aliud foliolum, linguae ſimile, gerat. Ex δὶς, duplex, et γλῶσσα, lingua. Ge. Zungenblatt. B. *Tonge blads, Tapkenskruidt.* Vide *Bislingua.*

DIGYMNOSPERMAE, dicuntur *Linnaeo* plantae quae duo ſemina nuda, nulla ſcilicet capſula communi incluſa, ferunt.

DIGYNIA, eſt ordo plantarum apud *Linnaeum,* quarum flores duobus organis foemininis, ſcilicet piſtillis, vel ſtigmatibus, inſtructi ſunt.

DILATATIO, eſt, cum meatus, vel receptacula, plus debito diſtenduntur, vt in varice, aneuryſmate, etc. Graec. εὐρυσμὸς, ab εὐρύνω, dilato, amplio. Item ſignificat diaſtolen cordis. Ge. Erweiterung. G. A. *Dilatation.* B. *Verwydering.*

DILATATORIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo vulnus, vel anus, vel vterus, vel os eius, dilatatur et aperitur; vocatur etiam *Speculum,* et *Diopera,* quia per id in os, vel vterum, introſpicimus. Ge. Ein Sperreiſen, Mund- oder Mutterſpiegel. G. *Dilatatoire.* A. *An Inſtrument to ſtretch out, or open any place.* B. *Een verwyderend inſtrument.*

DILVENTIA, ſunt, quae permiſta alicui fluido, eius partes magis fluidas, vel partes, antea non fluidas, iam fluidas reddunt, ea lege ne immutent partes ipſas. Ge. Verdünnende Arzeneyen. G. *Delayans.* B. *Verdunnende Middelen.*

DILVTVM, dicitur, quod eſt aqua mixtum: vnde vinum aqua mixtum dicitur *Dilutum. Dilutum* vero, ſubſtantiuum factum, eſt id liquidum, in quo aliquid certo tempore maceratum et infuſum fuit: vt ſi in vas vini appoſitum abſinthium fuerit, deinde poſt interiectum tempus abſtractum, id vinum abſinthii *Dilutum* vocatur: idem quod *Infuſio.*

DINICA, ſunt medicamenta contra vertiginem. A δινέω, circumago.

DINVS, idem quod *Vertigo.* A δινέω, circumago. Haec vox, teſte *Erotiano,* proprie ſaltationis genus ſignificat, quum ſaltaturus vno tantum pede terrae inſiſtebat, et in gyrum ſe vertebat; qui luſus ſi ab inexercitato peragebatur, mox poenam vertigine luebat.

DIOBOLON, ſiue GRAMMA, eſt obulorum duorum pondus, ſiue ſcrupuli vnius. Ex δὶς, et ὀβολος.

DIOECIA, eſt claſſis plantarum, quae flores maſculinos et foemininos in diſtincto indiuiduo profert, vt cannabis, ſpinachia, humulus, palmae, etc.

DIONYCIA, vide *Hedera*.

DIOPTRA, eſt ſpeculum matricis, ſiue dilatatorium, quo vterus, in foetus mortui extractione eiusque vlcerationum inſpectione, dilatando ampliatur. A διόπτομαι, perſpicio. Ge. Ein Mutterſpiegel. G. *Dilatatoire de la matrice, ou ſpeculum matricis.* A. *An Inſtrument to open the womb.* B. *Een Moeder-verwyderend inſtrument, een Moeder-ſpiegel.*

DIORTHOSIS, eſt operatio chirurgica, qua membra luxata, aut corpora curua, in debitum ſtatum reſtituuntur. A διορθόω, corrigo, emendo.

DIOTA, eſt vas circulatorium, a duabus auribus, vtrumque brachium lateribus applicatum amplexantibus, dictum. Huius inferior pars eſt in modum cucurbitae, cui impoſitus eſt alembicus, in ſummo canalem, qui liquori infundendo inſeruit, habens, in loco autem conueniente duobus roſtris incuruatis et in cucurbitam a capitello humorem condenſatum deuehentibus praeditum. Ex δύο, duo, et οὖς, auris. Ge. Ein zweyhenklich Faß, oder, ein Faß mit zweyen Handhaben. G. *Vaiſſeaux à deux anſes.* A. *A Veſſel with two Handles.* B. *Een Vat met twee Ooren, een dubbelt Vat.* — Item eſt vaſculum, vel poculum, ex ligno odoro confectum et reſina incruſtatum. Ge. Ein wohlriechender Becher. G. *Coupe odorante.* A. *A ſweet ſmelling Cup.* B. *Een riekende beker.*

DIPCADI, eſt ſpecies Hyacinthii botryoidis; eſt vox barbarica: dicitur et *Tipcadi*.

DIPETALVS flos eſt is, cuius corolla e duobus petalis, ſeu foliis, coloratis compoſita eſt.

DIPHRYGES, eſt genus recrementi metallici, quod ſubſidet, dum aes in fornace fuſum aqua frigida perfunditur. Ge. Kupferſchlacke.

DIPLASIASMVS, eſt morborum reduplicatio. Item duo muſculi brachii circumductioni inſeruientes. Pronatores ſcilicet et ſupinatores. A διπλάω, duplico, vel διπλάσιος, duplo maior.

DIPLOE, eſt chymicis vas duplex, quod vſu venit iis, quando e. g. vas continens alii vaſi arena, cineribus, aut aqua, repleto imponitur, hocque igni admouetur. Ge. Ein doppelt Gefäß. G. *Vaiſſeau double.* A. *A double Veſſel.* B. *Dubbelt Vat, een Bad.* A διπλόω, duplico.

DIPLOE, ſeu DIPLOIS, eſt cranii duplex tabulatum, paries, ſquama, ſeu lamina. Dicitur et tabula, quarum inferior vitrea ob teneritudinem appellatur. Proprie eſt ſubſtantia oſſea et celluloſa, inter vtrasque lamellas, quibus conſtat cranium, interiecta, in qua continetur ſubſtantia cruenta et medulloſa cranii. Ge. Das Mark der Hirnſchale. G. *Le Diploe.* B. *Herſen-tafels, Tafel-ſcheidſels, het mergachtig Deel tuſſchen beide de Tafels van het Bekkeneel.* A διπλόω, duplico.

DIPLOMA, idem quod *Diploe*. Sumitur aliquando pro linteo complicato, πτύγμα Aeginetae, πτύγμα ξάκυ, δίπλωμα *Heſychio*, Plagella *Celſo*, *Aurel.* Ge. Ein zuſammengelegtes Tuch. G. *Compreſſe.* A. *Complicated linneu.* B. *Compres, gevouwen Band, een opgerolde Band.* — Vulgo etiam ita vocatur ſcriptum, quod gradum doctoratus, et praxeos exercendae auctoritatem, medico praebet. — Denotat etiam vas clauſum, in quo ſpecies in vſum medicum decoquuntur.

DIPLOPIA, eſt vitium organi viſus, ſcilicet hallucinatio, qua idem obiectum geminum, multiplicatum, vel multoties repetitum, apparet. Ge. Ein doppeltes Geſicht. G. *Bévue.*

DIPSACVS, eſt planta, quae habet caulem, quatuor, vel quinque pedes altum, pollicis craſſitie, erectum, firmum, ramoſum, ſtriatum, ſpinis quibusdam paruis cinctum. Folia ſunt longa, lata, bina oppoſita, iuxta longitudinem caulis et ramorum in dorſo et latere hirſuta, poſitu ſuo peluis, vel lauacri, ſpeciem conſtituunt, vbi humor ſemper continetur. Flos eſt floſculoſus, floſculis ſcilicet in capitulum quoddam collectis fauis aemulum. Capitulum autem componitur ex plurimis bracteis, ſeu foliis imbricatis, ſquamarum inſtar poſitis, et axi medio affixis, e quorum alis ſurgunt floſculi multifidi, (Tetrandr. Monogyn.) embryonis parti ſupremae inſidentes, et abeuntes deinde in ſemen plerumque ſtriatum quadrangulare, oblongum, margine calycino integro coronatum. Radix laeuis, candida, impenſe amara eſt. Eſt *Cardnus fullonum.* Eius folia ita conſtituta ſunt, vt circa truncum alterum excipiat alterum, ita vt catini inſtar aquam ſemper ſeruent, ac ſi truncus ſitiret: vel nomen a contrario inuenit, quoniam concauo alarum ſinu rorem, vel imbrem, recipiat, quod velut ad abigendas ſitis iniurias inſeruit. Hinc a δίψα, ſitio. Latinis *Labrum Veneris*; nempe a catinato foliorum habitu hoc nomen contraxit, quae ſe anfractuoſa ſinuantia ambage, peluis, vel lauacri, ſpeciem conſtituunt, et intra ſe humorem nunquam non retinent. *Virga Paſtoris* haud dubie dicta eſt, ob longas virgas, quibus cardui ad poliendos pannos vtiles inſident, quas paſtores forte ſumunt,

et ea parte, qua poſſit manu capi, aculeis nudant, reliqua autem aculeata parte gregem ducunt. *Carduus* vero *Fullonius* coepit appellari, quod ea rudes pannos, velut echino quodam, expoliunt, detractisque floccis concinnant. Radici vires inſignes antihydropicae, diureticae et antinephriticae tribuuntur. Ge. Kartendiſtel, Weberkarten. G. *Chardon de Foulon, Chardon à Bonnetier, Chardon à carder, Verge à Berger.* A. *Teaſel.* B. *Kaarden, Volders-kaarden.*

DIPSACVS, etiam i. q. *Diabetes.*

DIPSAS, eſt ſerpens e Colubrorum genere, et quidem Coluber caeruleſcens ſquamis margine albidis; cauda ſubtus futura caeruleſcente, in Africa, Arabia et America reperiundus, cuius morſus febrem continuam cum inexſtinguibili ſiti excitat. Ἀδιψάω, ſitio.

DIPTAMNVM, i. q. *Dictamnum.*

DIPTERA, vocantur inſecta proprium ordinem conſtituentia, quae alis duabus, et halteribus clauatis, ſolitariis, pone ſingulam alam, ſub ſquamula propria inſtructa ſunt. Ge. Zweyflügelichte Inſekten. G. *Diptères.*

DIPYRENAE, vocantur plantae, quarum fructus duo ſemina continet.

DIPYRITES, ſ. DIPYROS, eſt panis biſcoctus. Germ. Zwieback. G. *Biſcuit.*

DISCRETORIVM, eſt idem quod *Diaphragma.* Sic dictum, quia thoracem et ventrem diſtinguit.

DISCRIMEN, faſciarum ſpecies eſt, quae in frontis phlebotomia et temporum adhibetur.

DISCVS, eſt media plana pars florum compoſitorum, radiatorum, cuius figura *Diſcum* antiquorum, qui erat rotunda proiectilis lamina, (eine Wurfſcheibe) refert, vnde tales flores *Diſcoidei* vocantur. Talis eſt *Corona ſolis* etc. G. *Diſque.*

DISCVTIENTIA, ſunt medicamenta, quae liquidum in vaſis, vel extra ea, ſiue ſtagnans, ſiue coagulatum, ſubtilitate ſua diſſoluunt, diſſipantque ſine ſolutione ſenſibili continui in externis. Talia ſunt frictiones, fomenta, et topica aromatica, vel ſalina, quae in tumoribus incipientibus inprimis conueniunt. Ge. Zertheilende Mittel. G. *Diſcuſſifs.* A. *Diſcuſſing Medicines.* B. *Verdryvende Middelen.*

DISLOCATIO, i. q. *Luxatio.*

DISPENSATIO, pharmacopoeis dicitur, quando ſimplicia alicuius compoſitionis ordine diſpenſantur, ne quid ingredientium omitti poſſit.

DISPENSATORIVM, dicitur *Liber pharmaceuticus*, continens omnia medicamenta, tam ſimplicia, quam compoſita, ſecundum mentem doctorum, qui in hac, vel illa vrbe praxin exercent, vti eſt Pariſienſe, Londinenſe, Edinburgenſe, etc. Dicitur quoque *Pharmacopoea.* Ex hiſce medicamentis ſecundum normam et doſin officina pharmaceutica inſtruitur. Ge. Apothekerbuch, Diſpenſatorium, Apothekertaxe. G. *Diſpenſatoire.* A. *Diſpenſatory.* B. *Een Apotekers-boek.*

DISPOSITIO, eſt habitus, quo ad actiones peragendas, bene, vel male, ſumus diſpoſiti. Vide *Diathesis.*

DISSECTIO, idem eſt quam *Anatome.*

DISSEPTVM, i. q. *Diaphragma.*

DISSIMILARES, partes ſunt, quae in varias partes ſibi diſſimiles diuidi poſſunt; vt manus, vena, muſculus, quibus opponuntur ſimilares, ſ. partes compoſitae. Ge. Ungleiche Theile. G. *Parties diſſimilaires.* A. *Diſſimilar parts.* B. *Deelen, die malkander niet gelyk zyn.*

DISSOLVENTIA, i. q. *Diſcutientia.*

DISSOLVTIO, eſt, quando metalla, lapides, ſalia, reſinae, aut aliud quid, in quodam liquore diſſoluuntur. Vel quando corpora arte chymica in ſua elementa rediguntur. Vel etiam quando partes ſanguinis vitioſe a ſe inuicem ſeparantur, et in aliam morbidamque mixtionem abeunt, vt in febribus putridis fieri ſolet. Ge. Auflöſung. G. A. *Diſſolution.* B. *Diſſolutie, Ontbinding.*

DISTANS, botanicis dicitur verticillus, in quo pedunculi remoti ſunt.

DISTENSIO, eſt, quando partes cohaerentes longius a ſe inuicem recedunt, ita tamen vt cohaerentes maneant, vel quando ab alio inflantur, dilatantur, et relaxantur; vt v. c. ex efferueſcentiis, vel contractionibus in inteſtinis concitatis, oriuntur flatus, et non raro preſſiones doloresque. Ge. Ausdehnung. G. A. *Diſtenſion.* B. *Een Uitrekkinge.*

DISTICHA, vocantur folia, quae duo tantum latera rami reſpiciunt, licet vndique inſerta ſint.

DISTICHIA, et DISTICHIASIS, vel DISTRICHIASIS, eſt duplex pilorum in palpebris ordo, et continuus lachrymarum defluxus, a pilorum in palpebris, ordinariis pilis ſubnaſcentibus, et verſus oculum conuerſis, punctione. Ex δις, bis, et στιχος, ordo, vel ex δις, et θριξ, pilus. Ge. Doppelte Reihe der Augenliederhaare. B. *Dubbele Hairtjes der Oogſchelen.* Vide *Trichiaſis.*

DISTICHVM, vocatur Hordeum minus, ſeu aeſtiuum. Sic dictum, quod ſpica tantum duos granorum ordines habeat.

Est *Hordeum* floseculis lateralibus masculis muticis, seminibus angularibus imbricatis *Linn.* Ge. Zweyzeilige Gerste.

DISTORSIO, est, cum partes situ, aut figura, peccant. G. Verdrehung. G. et A. *Distorsion.* B. *Verdraajing, Verwringing.*

DISTRACTIO, vocatur, quando fibra, vel membrana, vltra suum naturalem tonum extenditur.

DISTRIBVTIO, intelligi potest de quocunque humore singulari per corpus distributo; vt cum chylus ex ventriculo et intestinis, ac per venas lacteas, ductumque chyliferum, in venam subclauiam exantlatur, vt vna cum sanguine circuletur et purpureo colore induatur. Vel quando sanguis ex corde, et fluidum neruеum ex neruis per totum corpus distribuitur. Talis distributio vocatur ἀνάδοσις. Verum de excrementis dicitur διαχώρησις. Ge Vertheilung. G. *Distribution, Division, Partage.* A. *Distribution.* B. *Distributie, Verdeeling.*

DIVARICATI, botanicis dicuntur caules, vel rami, a trunco ad angulum obtusum discedentes.

DIVERGENS, dicitur plantarum somnus, si foliola basi approximantur, apicibus vero patent.

DIVINVM, in medicina saepe notat aliquid ita occultum, vt causam eius nulla fere ratione assequi possimus (τὸ θεῖον *Hippocrati*): vel est pomposum epitheton quorundam medicamentorum, quibus vis quaedam egregia adscribitur. Sic *Diuinus* dicitur *Lapis*, vel *Ophthalmicus*, ex vitriolo, nitro, alumine et camphora praeparatus, cuius insignis in quibusdam affectibus oculorum efficacia est.

DIVISAE, dicuntur spinae plantarum apice partitae.

DIVRESIS, est vrinae per renes secretio, quae hoc modo peragitur. Nascuntur ex arteriis renalibus laterales arteriolae cincinnatae, quibus serum a sanguine secernitur, et per canaliculos exiguos, seu tubulos *Bellini*, vel vrinarios, (ex quibus renum substantia maxima ex parte constat) ad carunculas papillares, et deinde ad peluim, vreteres, vesicamque foras deducitur. Ex διὰ, per, et ῥέω, fluo. G. Absonderung des Urins. G. *Secretion d'Urine.* A. *Secretion of the Urine.* B. *Pis-scheiding.*

DIVRETICA, seu VRETICA, *Vrinalia medicamenta Aurel.* sunt medicamenta, quae sanguinem incidendo et dissoluendo, serum per renes ad vesicam copiosius determinant, vel smegma, quod vias vrinarias lubricat, abradendo, ad copiosiorem vrinae secretionem et perpetuam excretionem stimulant. Ex διὰ, per, οὖρον, vrina, et ῥέω, fluo. Ge. Harn- oder

Vrintreibende Mittel. G. *Diuretiques.* A. *Diuretic Medicines.* B. *Pisdryvende Middelen.*

DIVVLSIO, idem est quam *Conuulsio.* Dicitur etiam de vrinis, quarum hypostasis non aequabilis, sed hinc inde quasi nebulosa est.

DOCIMASIA, ARS DOCIMASTICA, est pars chymiae, quae docet fossilia in partes suas dissoluere, vt sic, quid et quantum particularum metallicarum, semimetallicarum, salinarum, sulphurearum, aut terrearum, contineant, appareat. A δοκιμάζω, exploro. Ge. Probierkunst. G. *Docimasie.*

DODECADACTYLVM, siue DVODENVM, est intestinorum tenuium primum, a ventriculi pyloro incipiens, et flexu versus superiora facto primo perpendiculariter, deinde horizontaliter, a dextra abdominis parte versus renem sinistrum, excurrit. Recipit ductum choledochum et pancreaticum, qui successiue eius tunicas perforantes, et inter eas decurrentes, tandem ad trium, vel quatuor, digitorum distantiam a pyloro, in homine orificio frequentissime communi et vnico instar monticuli cuiusdam, vel papillae, in duodenum aperiuntur, bilemque et succum pancreaticum infundunt. Tunicarum eius crassities maior, quam reliquorum tenuium; sed cauitas fere minor; glandulas *Brunneri* copiosissimas habet: terminatur, vbi ieiunum incipit. Ex δώδεκα, duodecim, et δάκτυλος, digitus. Graecis dicitur ἐκφυσις δωδεκαδάκτυλος, id est, processus habens longitudinem duodecim digitorum; quod tamen in hominibus nunquam obseruatur. Forte veteres ex brutorum inspectione hallucinabantur, forte digiti tantum sunt transuersi. Ge. Der Zwölffingerdarm. G. *Duodenum.* A. *The gut duodenum.* B. *De twaalf vingerige darm.*

DODECANDRIA, est *Linn.* classis plantarum, eas comprehendens, quarum flores duodecim partes masculinas, scilicet stamina, vel antheras, habent.

DODECAPHARMACVM, est compositio obsoleta constans ex duodecim simplicibus, vt vnguentum apostolorum. Ex δώδεκα, duodecim, et φάρμακον, medicamentum.

DODRANS, est pondus vnciarum nouem. Item mensura nouem digitorum, alias *Palmus maior* Latinis, et Gr. σπιθαμὴ dicitur. *Dodrantalis* itaque cauliculus vocatur, qui longitudine nouenos aequat digitos, vel spatium inter apicem pollicis et indicis extensum. Ge. Spanne. G. *Empan.*

DOGMATICA MEDICINA, seu RATIONALIS, quae ex obseruatis et analogia raciocinatur. Huius autor fuit *Hippocrates*, et post eum *Galenus*, qui experientiae rationem ad-

didere. Ita a δοκέω, censeo. Ge. Gründliche oder theoretische Arzneywissenschaft. G. A. *Medicine Dogmatique.* B. *Eene regelmatige Medecyne.*

DOGMATICI, sunt, qui experientiae rationes inquisiuerunt, omniaque, quae ad artem medicam spectant, in certas regulas artificioſe digerere conati sunt, hocque modo se ab empiricis distinxerunt. Ge. Theoretische Aerzte. B. *Reckmatige Medicyns.*

DOLABRA, seu ASCIA, vel FASCIA SPIRALIS, est fasciae genus, cuius variae species ab auctoribus distribuuntur. Ge. Spiral- oder Hobelbinde. G. *Bandage en doloire, Coignée.*

DOLABRIFORMIA, botanicis sunt folia compressa, subrotunda, extrorsum gibba, acie acuta, inferne teretiuscula.

DOLICHOS, est Smilax hortensis, seu Phaseolus, vel leguminum species. Nomen accepit a longitudine siliquarum, aut fructuum; δολιχὸς enim est longus. Proprie vero hoc nomine denotatur hodie plantae genus (Diadelph. Decandr.) flore papilionaceo, quod plurimas inter se species comprehendit, et praecipue a phaseolorum genere in eo differt, quod carina floris non sit spiralis, quae in phaseolo cum contentis genitalibus spiraliter contra solem reuoluta est. Ge. Wälsche Bohnen. G. *Fèves d'Italie.* A. *Kidney bean.*

DOLIVM, idem quod *Lolium*, mutato L. in D.

DOLOR, Gr. ἄλγημα, ὀδύνη, πόνος. Quid sit, dici non debet, cum nemo sit, cui id persuadeas, nisi aut dolet, aut doluerit aliquando, quod animaduerti debet aduersus eos, qui putant, se bene definiuisse, cum dolorem dixerint esse vel continui solutionem, vel periculum ruptionis fibrarum, vel denique summam distensionem, a qua ruptionis periculum abesse nequit, sed in iis non consistit dolor. Verum dolor est ingrata perceptio in mente orta, quoties corpus noxa, vel molestia quadam, affici intelligimus, quod neruus, ex cerebro originem habens, tunc valide per has causas afficiatur, sicque motus materiae nerueae praeternaturaliter incitetur, sensumque ingratum menti imprimat. Pro varietate etiam variant nomina: vt *Algens*, si frigoris sensus. *Grauatiuus*, si caput, vel alia, pars grauatur, et pars affecta non valde sensilis est, quod in parenchymate plerorumque viscerum obtinet. *Pungens*, quando gladii instar pungit. *Osteocopus*, quando dolor circa ossa est. *Stupidus*, si vix sentiatur, aut saltem ferri possit. *Tensiuus*, quando sensus quidam distractionis cum rigiditate et duritie partis adest. Sic a parte affecta etiam varia sortitur nomina. In capite *Cepha-*

Cephalalgia, *Cephalaea*, *Hemicrania*, etc. Circa articulos *Arthritis* dicitur. In renibus *Nephritis*, in aluo *Colicus*, etc. Ge. Der Schmerz. G. *Douleur.* A. *A Pain.* B. *Pyn*, *Wee.*

DOLORES PARTVRIENTIVM et PVERPERARVM; illi sunt vel *spurii* a flatibus, vel etiam partibus ab vteri volumine compressis, orientes, vel *veri* ip um partum promouentes, suntque primo praeparantes, tum aperientes, denique foetum cum secundinis expellentes. Ge. Wahre und falsche Wehen. G. *Douleurs de l'enfantement.* A. *Pains*, *Labour pains.* — *Dolores post partum* oriuntur a constrictione vteri nunc vacui, et a sanguine lochiali in cauo vteri collecto et congrumato. Ge. Nachwehen. G. *Douleur après l'accouchement.* A. *After-pains.*

DONAX, i. q. *Calamus.*

DORIA HERBA, est species *Solidaginis Saracenicae.* Nomen accepit ab *Andrea Doria*, Genuensi duce, qui eam ex Africa attulit. Quidam Doriam a luteo aureoque colore nomen accepisse dicunt. Variae tamen occurrunt plantae ab autoribus hoc nomine denotatae, quas Ill. *Linnaeus* ad diuersa genera, immo et ordines diuersos, refert. Sic *Doria* maior repens *Morif.* est *Cacalia Saracenica Linn.* (Syngenes. Polygam. aequal.) caule herbaceo, foliis lanceolatis, serratis, decurrentibus; *Doria* folio sinuato hirsuto *Sloan.* est *Conyza lobata Linn.* (Syngenes. Polygam. superfl.) foliis inferioribus trifidis, superioribus ouato-lanceolatis, obsolete serratis, floribus corymbosis; *Doria* seu Virga aurea maior *Bauh.* est *Senecio Doria Linn.* (Syngenes. Polygam. superfl.) corollis radiantibus, floribus corymbosis, foliis subdecurrentibus, lanceolatis, serratis, superioribus sensim minoribus. Ge. Gülden Wundkraut. G. *Verge dorée.* A. *Doria.* B. *Guldenkruid.*

DORONICVM, est planta officinalis, quae veteribus omnino incognita, sed Arabibus magno in vsu fuit. An vero nos illam cognoscamus, merito dubitatur. Planta, quae hodie hoc sub nomine prostat, est Doronicum Romanum *Pharm.* Doronicum radice scorpii *Bauh.* *Doronicum pardalianches Linn.* (Syngenes. Polygam. superfl.) foliis cordatis obtusis denticulatis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus. Habet scilicet folia ampla, subrotunda, viridia, lanuginosa, cucumeris satis similia, sed magis exigua, et molliora. Caulis pedem circiter altus est, parum lanuginosus, rotundus, striatus, in summitate in plures ramusculos diuisus, florifer. Flos est radiatus astere maior, flauus: huiusque discus

ex floſculis, corona ex ſemifloſculis componitur; ſemen eſt pappoſum, minimum, nigricans; calidum eſt, ac ſudoriferum inſigne. Radix compoſita ex radiculis oblongis, rotundis, tuberoſis, nodoſis, digiti minoris craſſitie, ex viridi palleſcentibus, plures ex vno capite tenuibus quaſi filis dependent, ſaporis ſubacris, ſubdulcis, ad glycyrrhizam accedentis, interim minus aromatici, quam glycyrrhiza, odoris nullius. Haec quibusdam ſpecificum dicitur contra vertiginem remedium, aliis tamen ſuſpecta eſt et venenata habetur, quia quibusdam animalibus exitioſa deprehenſa fuit, vnde non Doronicum, ſed *Daemoniacum*, appellat *Matthiolus*, forte quia guſtata in faucibus relinquit aliquam acrimoniam, et infeſta dulcedine os replet, prauaque interdum eius vſum ſymptomata ſecuta ſunt. Qui venenatam dixerunt, crediderunt eſſe *Aconitum Theophraſti*. A δορὰν, et νίκη: ſed indoles eius adhuc dubia eſt. In pluribus Pharmacopoeis hodie exploſa eſt. Qualitas tamen ſuſpecta magis quadrat in Doronicum radice brachiata *Dalech.* quod eſt *Arnica ſcorpioides*, foliis alternis ferratis *Linn.* Putatur a nonnullis eſſe *Auicennae Duronegi* et *Doronigi*, atque hinc deuolvitur *Doronicum*. Ge. Genſenwurzel, Schwindelkraut. G. *Doronic.* A. *Leopards-bane.* B. *Reebokkruidt.*

DORONICVM, plantaginis folio, vide *Arnica.*

DORSIFERAE *plantae*, vide *Epiphylloſpermae.*

DORSVM, ſeu *Tergum*, pars thoracis poſterior dicitur. Gr. νῶτον. *Dorſum manus*, vel *Pedis*, eſt exterior eorum facies. Ita gibba naſi, ſcapulae et ilii oſſis pars etiam dorſum appellatur. Ge. Der Rücken. G. *Le Dos*, *l'Epine.* A. *The Back.* B. *De Rug.*

DOSIS, eſt medicamenti determinata portio, ſiue quantum vnica vice exhibetur, vel propinatur. Haec autem abſolute vix determinari poteſt, ſed ratione aetatum et temperamentorum, nec minus ratione morbi et indicationis, maxime differt. Hinc diuiditur in *ſummam*, quam nemo facile tranſeendit; *mediam*, quae vt plurimum tutiſſima eſt, et *minimam*. Si medicamentum aliquod in parua doſi, ſed repetitis vicibus, exhibetur, *refracta doſis* vocatur. A δίδωμι, do. G. Was auf einmal eingenommen wird, Doſis. G. *Doſe*, *Priſe.* A. *A Doſe.* B. *Artzenymaat of Gift.*

DOTHIEN, Gr. δοθιὴν, idem quod *Furunculus.*

DRABA, vide *Arabis.*

DRACHMA, eſt et pondus et menſura. *Aegyptiaca* fuit olim et *Attica.* Illa pendebat obolum, haec vero ſcrupulos tres, vel obolos ſex, vt et hodie in officinis. Octo conſtituunt vnciam. Signatur ſigno ʒ. Olim δλκὴ dicta fuit. Et ſignabatur cum Λ, quod ab inferiore parte ο habebat, vnde forte figura nunc vſitata orta eſt. Quandoque manipulum ſignificat. A δράττομαι, prehendo, manu corripio. Germ. Eine Drachme, Quentchen, Quintlein. G. *Drachme.* A. *A Dram.* B. *Een Dragme, een vierendeel loots.*

DRACO ARBOR, et DRACONIS SANGVIS, eſt arbor vtriusque Indiae, cuius lacrymae rubicundum et ſanguineum fundunt ſuccum reſinoſum, vnde ei nomen impoſitum *ſanguis*; additur *Draconis*, quoniam profluit ex arbore *Dracone* dicta, ex cuius cortice vel diſciſſo, vel ſponte, deſtillat. Arbor illa eſt Draco Indica ſiliquoſa, populi folio, angſana Iauanica *Commelin.* Lingoum *Rumph.* *Pterocarpus Draco Linn.* (Diadelph. Decandr.). Fertur tamen etiam ex aliis arboribus ſanguinem draconis elici, vt ex palma prunifera, foliis Iuccae, ex palma conifera, ſpinoſa, etc. Reſina illa adfertur ad nos in folliculis digiti magnitudinis, foliis arundinaceis inuolutis, et obſcure rubrum colorem habet, igni admota facile liqueſcit, et in eum coniecta flammam concipit; in menſtruis ſpirituoſis et oleoſis, non vero in aquoſis, facile ſoluitur; ſi teratur, color magis ad ſanguineum vergit; ſaporem habet adſtringentem, hinc ad haemorrhagias quascunque laudatur, et pulueres dentifricios pro firmandis dentibus frequenter ingreditur. Hanc reſinam putant eſſe *Cinnabarin Dioſcoridis.* Ge. Drachenblut. G. *Sang de Dragon.* A. *Dragons-blood.* B. *Draken bloed.*

DRACO HERBA, vel DRACVNCVLVS ESCVLENTVS, Dracunculus hortenſis *Bauh.* Abrotanum lini folio acriori et odorato *Tournef.* eſt *Artemiſia Dracunculus Linn.* (Syng. Polygam. ſuperfl.). Eſt planta, quae habet caules plures, tres pedes altos, tenues, duros, parum anguloſos, folia plurima gerentes longa et anguſta inſtar lini, odorata, coloris viridis, obſcuri, ſplendentia, ſaporis acris, aromatici, cum dulcedine quadam grata Aniſum referente. Flores in ſummitate caulis creſcunt inſtar abrotani, ſed minimi: his ſuccedunt ſemina exigua, pappo nequaquam inſtructa. Radix longa, ramoſa. Eſt herba non inſuauis odoris ac ſaporis. Qualitatis eſt carminatiuae et ſubaromaticae. Vſus tamen maxime culinaris eſt, et inter acetaria apponitur. Eius nomen videtur fuiſſe *taracon*, *tarchon*, *tragum*, *tragium*, etc. hinc mutato T in D, oritur *Draco.* Ge. Dragon. G. *Eſtargon*, *Dragon.* A. *Taragon.* B. *Dragon.*

DRACONIS SANGVIS, vide *Draco.* Ita quoque vocatur *Lapathum rubrum*, cuius folia coſtas habent obſcure rubicundas,

seu sanguineas. Ge. Drachenblut. G. *Sang-Dragon, Patience rouge.* A. *Dragons-blood.* B. *Draken-bloed.*

DRACONTHAEMA, idem quod *Sanguis draconis.* Ex δράκων, draco, et αἷμα, sanguis.

DRACONTIA, DRACONTIVM, DRACVNTIVM, *Serpentaria Pharm.* Dracunculus polyphyllus *Bauh.* est species ari, et quidem *Arum Dracontium Linn.* (Gynandr. Polyandr.) foliis pedatis, foliolis lanceolatis integerrimis, superantibus spatham spadice breuiorem; vel Arum polyphyllum minus et humilius. Habet vnicum caulem tres pedes circiter altum, pollicis crassitie, erectum, cortice tectum cutim serpentis referente. Folia profunde incisa in magnas, varias, et profundas lacinias, angusta, polita, carnosa, splendentia, caulibus longis et fungoiis adhaerentia, caetera vt in aro. Radix est crassa, fere rotunda, carnosa, externe coloris flauescentis, interne albescentis, saporis, dum recens est, admodum acris et vrentis. Hinc ratione qualitatis et virium cum radice Ari conuenit, immo eam superat. Folia Dracontii haemorrhoidibus dolentibus applicata, summopere prodesse, et bono cum successu cancris exulceratis imponi lego. Crescit haec planta in locis vmbrosis, praesertim in regionibus calidis. *Dracontii, Dracunculi, Serpentariae* nomen a figura sumsit. Caulis enim pollicis crassitie glaber purpureisque respersus lituris, versicolori facie, corpus anguinum repraesentat, et aequat longitudine. Vertex quoque sinuoso oris hiatu, linguam exserens cruentam, caput exprimit. Atque hinc est, quod veteribus etiam Romanis *Colubrina* ac *Serpentaria* nuncupata sit. Vel sic dicta est, quod e terra ad primas serpentium vernationes exeat, rursusque cum iisdem se in terram recondat. Ge. Schlangenkraut, Drachenwurzel. G. *Serpentaire.* A. *Dragon-wort.* B. *Speer-wortel, Speerkruid.*

DRACVNCVLVS, i. q. *Dracontia.*

DRACVNCVLVS, dicitur vermis corpore filiformi, aequali, laeui, seu *Gordius mediuensis* totus pallidus *Linn.* corpus humanum tranans, qui cruribus Indorum frequenter innascitur, inter membranas musculorum se insinuans, pessimaque vlcera producens. Ab auctoribus Arabicis *Vena Mediuensis* vocatur. Hic vero morbus in Europa fere est incognitus. A δράκων, draco.

DRACVNCVLVS *esculentus.* Vide *Draco herba.*

DRAGETA, i. q. *Tragea.*

DRAGMA, i. q. *Manipulus.*

DRAGMIS, i. q. *Pugillus.*

DRAKENA, vide *Contrayerua.*

DRASTICA, sunt medicamenta praesentissima et multarum virium. In specie sic vocantur emetica et purgantia fortiora, totum corpus conturbantia, et humores fundentia. A δράω, facio. Ge. Heftigwirkende Arzeneyen, starke Brech- und Purgiermittel. B. *Geweldige Purgeermiddelen.*

DROPACISMVS, est medicamentum externum, partibus rubefaciendis, adeoque motum in iis excitandis, dicatum, quo membra externa extenuata, resoluta, frigida et humida, oblini solent. Est autem vel simplex, vel compositus. *Simplex* ex pice modica oleo liquata constat. *Compositus* praeter picem oleo liquatam recipit apud veteres etiam piper, pyrethrum, bitumen, semen rorismarini: et si opus sit siccare, sulphur viuum, salem, cinerem sarmentorum; sin vellicare, euphorbium. Forma varia est; quidam enim emplastri referunt, alii cataplasmatis formam. A δέπω, decerpo, colligo. Lat. *Picatio.* Gr. δεπάκ. Ge. Ein Zugpflaster, Pechpflaster. G. *Dropacisme.* B. *Een pik-pleister, zalf om het haar uit te trekken.*

DROPAX, i. q. *Dropacismus.*

DROSOMELI, vide *Manna.*

DRVPA, botanicis dicitur pericarpium farctum eualue, continens nucem, scilicet semen tectum epidermide ossea, sponte deciduum.

DRVS, seu Δρῦς, quercus. A δέρω, excorico: eius enim cortex βυρσοδέψαις vsui est. Vel a δρύω, erumpo, pullulo. Veteres omne genus arboris δρυὸς appellatione intellexerunt: posterioribus δρῦς omnem arborem glandiferam tantum significat, et praesertim *Quercum.* Etymologia fit quoque a δρίαω, seu δρίω, arboribus et herbis vireo.

DRYOPTERIS, est filicis species, et proprie *Polypodium quercinum.* Ex δρῦς, quercus, et πτέρις, ala, quod folia alarum in modum se expandant.

DRYPETES, *Oliua*, sic vocatur, quod fructus maturi sponte ex arbore cadant. Ex δρῦς, arbor, vt apud veteres, et πίπτω, cado, antiquo more πέτω. Lat. *Drupa.*

DVCTVS, in genere vocatur tubus, qui transitum humori cuicunque praebet.

DVCTVS ADIPOSI, vide *Sacculi Adiposi.*

DVCTVS AQVOSI, vide *Venae Lymphaticae.*

DVCTVS BILARIVS s. CHOLEDOCHVS, vide *Porus Biliarius.*

DVCTVS CHYLIFERVS, DVCTVS THORACICVS, est canalis, qui a superiori parte receptaculi chyli, seu cisternae lumbaris, supra primam vertebram lumborum, sub appendi-

cibus diaphragmatis, pone vaſa renalia poſitae oritur, ſiue eſt tantummodo receptaculum in arctiorem canalem protractum, ſimili, tenui, membranoſa, ſatis tamen firma, tunica formatum, valuulis inſtructum: idcirco, vbi chylo repletus, candidus apparet, vbi vero inanis collabitur, aegre, nec niſi ab exercitato reperitur, et mercurio iniecto demonſtratur. Ab hac origine (ſaepe duplici, mox coeunte) flexuoſo quodammodo (quandoque inſulam formante) mox recto itinere adſcendit, in media corporum vertebrarum thoracis ſede, medio inter venam ſiue pari a dextris et aortam deſcendentem a ſiniſtris loco; ita tamen, vt aorta ipſi maximam partem incumbat. Progreditur dein a deſcripto loco, ſemper incumbens vertebris, ſub oeſophago, ſubter arcum venae azygae; (quae arcum venoſum in dextro latere, vti arterioſum aorta in ſiniſtro format), inde ſupra corpora vertebrarum ſiniſtrorſum inclinat; pergit ſubter carotidem arteriam ſiniſtram, vſque ad medium vltimae ceruicis vertebrae. Toto hoc decurſu, ſaepe inſulas maiores, minores, vario loco efformans, decurrit in celluloſa quadam ſubſtantia, ſaepe vt alibi in corpore, pinguedine infarcta, ſub pleura membrana, adeoque extra thoracis cauum. Poſtquam ad mediam vltimae ceruicis vertebrae ſedem ſiniſtrorſum inclinando adſcendit, ibi arcus forma incuruatus, ſiniſtrorſum deorſum tendit, pone venam iugularem internam ſiniſtram, et terminatur vt plurimum in venam ſubclauiam ſiniſtram, a parte poſtica, ſub valuulis venae iugularis internae, vno ſaltem trunco et orificio. Tamen et bifidum duobus oſculis in venam ſubclauiam patuiſſe, imo et alterum ramum dextram ſubclauiam adiiſſe repertum eſt. Praeter valuulas ſemiuniculares, et geminatas, quae in toto hoc ductu reperiuntur, quaeque parte ſua conuexa receptaculum chyli, parte concaua venam ſubclauiam reſpiciunt, datur et altera ſemilunaris, aperturae ductus thoracici in venam ſubclauiam appoſita, ita vt cornua eius venam ſubclauiam reſpiciant, admittens liquidum ex ductu in venam ſubclauiam, ſed regreſſum ipſi negans. Vſus eſt chylum et lympham ex inteſtinis et partibus inferioribus et ſuperioribus in ſanguinem vehere et adducere: hinc non incongrue dici poteſt vena caua chyli et lymphae. Vocatur etiam *Pecquetianus* a *Pecqueto*, qui primus eum deſcripſit, quanquam eius etiam mentionem fecerit *Euſtachius* ſub titulo *Venae albae*. Vide *Sacculus chyliferus*. Ge. Der Bruſtgang. G. *Le conduit du Chyle, ou Thoracique.* A. *The Thoracic duct.* Belg. *De gyl-leider, gyl-voeder, borſt-buis.*

DVCTVS COMMVNIS, DVCTVS CYSTICVS, DVCTVS CHOLEDOCHVS, vide *Veſica fellis.*

DVCTVS EXCRETORIVS, eſt canalis, liquidum, in certis glandulis, aliisque viſceribus ſecretum, ſuſcipiens, et in deſtinata loca excerneus.

DVCTVS HEPATICO-CYSTICI, vide *Cyſto-hepaticus ductus.*

DVCTVS HEPATICVS, vide *Hepar.*

DVCTVS HYGROBLEPHARI, vel MEIBOMIANI, ſunt ductus exigui pluribus orificiis in margines palpebrarum patentes, eoque liquorem in glandulis palpebrarum ſecretum, indolis ſebaceae, effundentes, ad noxium harum attritum praecauendum. Ex ὑγρὸν, humidum, et βλέφαρον, palpebra. Ge. Waſſergänge. G. *Les Conduits aqueux.* B. *Oogleden bevogtigers.*

DVCTVS HYGROPTHALMICI, idem ac *Ductus Hygroblephari.* Ex ὑγρὸν, humidum, et ὀφθαλμὸς, oculus.

DVCTVS LACRYMALES, ſunt duo canales exigui ab vtroque puncto lacrymali in margine vtriusque palpebrae ad canthum internum oculi ſito incipientes et ad ſaccum lacrymalem tendentes, in quem omnem humorem, quo oculi irrigantur, conuehunt, vlterius demum per canalem naſalem in nares effundendum. Ge. Die Thränengänge. G. *Trous lacrymaux, Conduits lacrymaux, Sacs lacrymaux, Conduits de Larme.* A. *The lacrymal ducts.* B. *Traanbuizen.* — *Ductus glandulae lacrymalis*, ſunt ductus excretorii plures minores, qui in interna ſuperficie palpebrae ſuperioris aperiuntur, et lacrymas ex glandula lacrymali, ſeu innominata, eo deferunt. A *Mouroo* iuniore primum deſcripti ſunt.

DVCTVS PANCREATICVS, eſt canaliculus albicans, vtcunque pellucidus, principiis anguſtis ex *Pancreate* ortum ducens, qui per medium fere eius corpus decurrens, amplitudine paulatim aucta, verſus duodenum exporrectus, iuxta, vel non procul a ductu bilario, vel frequentiſſime communi cum eo orificio inteſtino inferitur; ſuccum vehit ſaliuae analogum, quem in inteſtinum duodenum mittit, ad bilem diluendam, eius acrimoniam temperandam, ſicque concoctionem debitam promouendam. Inuentus fuit hic ductus anno 1641. a *Mauritio Hoffmanno* in gallo indico. Mox *Ioan. Georg. Virſungius* in homine a ſe viſum et inuentum tabulae aeneae inciſum Patauii 1642. publicauit, vnde ipſi etiam nomen eſt *Ductus Virſungiani.* Vide *Callicreas* et *Pancreas.* Ge. Der ausführende Gang der großen Magendrüſe. G. *Con-*

duit Pancreatique. A. *The pancreatick duct.* B. *De groote kliers buis.*

DVCTVS RORIFERVS, ſic a *Bilſio* dictus, idem eſt quod *Ductus Chyliferus.*

DVCTVS SALIVARES, ſeu SALIVARII, ſunt meatus, qui a glandulis maxillaribus, parotidibus, ſublingualibus, et glandulis paruis, per totam membranam oris, praecipue per labra, palatum, buccas et linguam diſperſis producti, ſuccum ſaliualem effundunt in os, ad cibi ſolidioris dilutionem, miſtionem, ſolutionem, maſticationem, deglutitionem, et nonnullam fermentationem promouendam. In ſpecie *Ductus ſaliualis Stenonianus* vocatur ille canalis, qui a glandula parotide emergens genam tranſit, et perforato muſculo *Buccinatore* iuxta dentes molares ſuperiores aperitur. *Ductus ſalivales Warthoniani* ſunt ductus excretorii glandularum maxillarium, e quibus vtrinque orti ad latera fraenuli linguae iuxta vaſa ranina orificio facile viſibili aperiuntur. Pertinent huc *Ductus Waltheriani*, ſ. *Bartholiniani*, ſ. *Riuiniani*, glandularum ſublingualium. Ge. **Speichelgänge.** G. *Conduits ſalivaires.* A. *The ſaliual ducts.* B. *Speekſel-vaten.*

DVCTVS THORACICVS, i. q. *Ductus Chyliferus.*

DVCTVS VIRSVNGIANVS, idem quod *Ductus Pancreaticus.*

DVCTVS VMBILICALIS, vide *Funiculus Vmbilicalis.*

DVCTVS VRINARIVS, i. q. *Vreter* et *Vrethra.*

DVELLA, eſt veterum pondus, pendens octo ſcrupulos. *Caſtellus* in lexico dicit, quod tertia pars vnciae fuerit. Ge. **Der dritte Theil einer Unze.** B. *Het derde deel van een once.*

DVLCAMARA, ſeu GLYCYPICRIS, eſt Solani ſpecies, et quidem *Solanum dulcamara Linn.* (Pentandr. Monogyn.) caule inermi fruteſcente, flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, racemis cymoſis; Solanum ſcandens *Bauh.* Solanum Liguoſum *Pharm. Edimb.* Dicitur Dulcamara, quod ſaporem inter dulcem et amarum parum nauſeoſum habeat; quod ſi enim radicis, vel caulis, portio recenter auulſa manducetur, per totum os amaritiem, et paullo poſt melleam dulcedinem diffundit. Non, vt reliqua Solana, viribus narcoticis, ſed magis reſoluentibus, purificantibus, diaphoreticis, diureticis et eccoproticis gaudet. Hinc decoctum ſtipitum in arthritide, ictero, pleuritide, aſthmate et ſcabie commendatur. Creſcit inter ſepes humidiuſculas Europae. Ge. **Hundskraut, Hindſchkraut, Alpranke, Bitterſüß.** G. *Douceamere, Morelle rampante, Dulcamere.* A. *Woody Nightshade, or Bitter-ſweet.* B. *Alfs-ranken.*

DVLCEDO AMORIS, vide *Clitoris.*

DVLCIFICATIO, eſt idem quod *Dulcoratio.* Proprie tamen coniunctio acidorum mineralium, ſ. potius concentratorum cum oleo vini, ita vocatur. Vnde *Acida* ſic dicta *Dulcificata* oriuntur, ad quae liquor anodynus, ſpiritus nitri dulcis, ſpiritus ſalis dulcis, acetum dulcificatum, etc. pertinent.

DVLCORATIO, i. q. *Edulcoratio.*

DVODENVM INTESTINVM, vide *Dodecadactylum.*

DVPONDIVM, pendit drachmas quatuor, ſeu ſemiunciam. Ge. **Ein Loth.** G. *Demi once.* A. *Half an ounce.* B. *Een Lood.*

DVPLICATAE, vocantur febres intermittentes, quae in illo temporis ſpatio, quo vnus paroxyſmus cum intermiſſione ſua adeſſe ſolet, duos paroxyſmos exhibent. Ge. **Doppelfieber.** G. *Fièvre double.*

DVRA MATER, vide *Mater dura.*

DYSAESTHESIA, eſt difficultas, ſeu vitium, ſenſuum. Ex δυς, difficile, et αἰσθάνομαι, ſentio. Ge. **Gebrechen der Sinne.**

DYSCINESIA, eſt mouendi impotentia, ſiue ſit imminuta, ſiue abolita. Denotat ergo ordinem morborum, quorum praecipuum ſymptoma eſt debilitas, imminutio, aut ſuppreſſio, motus muſcularis in organis voluntati ſubditis, quae immobilitas nec dolori, nec ſopori, tribuenda ſit. A δυς, difficilis, et κινέω, moueo. Ge. **Das Unvermögen ſich zu bewegen.** G. *Impuiſſance à ſe mouvoir.* B. *Onmagt om te bewegen.*

DYSCRASIA, eſt inaequalis et vitioſa particularum in ſanguine mixtura. A δυς, difficile, et κεράννυμι, miſceo, tempero. Ge. **Ueble Miſchung der Säfte.** G. A. *Dyſcraſie.* B. *Ongeſtalte.*

DYSECOIA, Gr. δυσηκοία, eſt audiendi difficultas, et quidem illa ſpecies, in qua vndae ſonorae non poſſunt libere transmitti ad labyrinthum alias bene conſtitutum; quo a *Cophoſi* differt, in qua neruus acuſticus immeabilis eſt fluido nerueo. Ex δυς, difficile, et ἀκούω, audio. Ge. **Schweres Gehör.** G. *Oute dure.* A. *Heavineſs of hearing.* B. *Zwaarhoorigheid.*

DYSELCES, (cui opponitur *Euelces*, vide ſuo loco) eſt is, qui vlceribus curatu difficillimis laborat. Ex δυς, difficile, et ἕλκος, vlcus. Ge. **Der böſe Geſchwüre hat.** B. *Die quaade zweren heeft.*

DYSENTERIA, Lat. *Tormina*, vel *Difficultas inteſtinorum*, eſt morbus, cuius praecipuum ſymptoma et character eſſentialis eſt frequens, torminoſa, mucoſo-cruenta alui deiectio. Eſt ſcilicet diarrhoea cum teneſmo leuiore, vel grauiore, totiusque ventris torminibus, viſcerumque omnium moleſtiſſimo quaſi deſcenſu, quoties aluus exoneratur, ac ſanguinis, etiam puris excretione; hiſce accedunt anxietates magnae, deiectiones frequentes, quae ſaepe habent breuia interualla, deinde mucus et pelliculae prodeunt, quae *Dyſenteria alba* dici ſolet; ſiti adhuc, febri, inquietudine, virſumque imbecillitate eiusmodi aegri laborant. Oritur ab acri et maligna materia, quae in gyris et inteſtinorum rugis retenta, ea rodit et exulcerat, ac proinde ad continuam excretionem irritat, vel etiam a materia perſpirabili per intemperiem aeris retropulſa, et ad tunicas inteſtinorum conuerſa. Hinc a *Caelio Aureliano Rheuma inteſtinorum* vocatur, et plerumque eo tempore homines inuadere ſolet, quo feruidos dies noctes frigidiuſculae ſequuntur, menſe ſcilicet Iulio et Auguſto. Dicitur vel benigna, vel maligna, pro grauitate ſymptomatum, aut numero decumbentium, aut faciliori contagio. Dyſenteriae aliquando epidemicae ſunt, aut cum peſte, et in vrbibus, vel caſtris, multos vno tempore affligunt. Nonnunquam excreta halitum exſpirant, quo adſtantes inficiunt. A δύς, difficile, ἔντερον, inteſtinum, et ῥέω, fluo. Ge. **Die Ruhr.** G. *Dyſenterie, Tranchée de ventre, Flux de ſang.* A. *The Bloody flux, or Dyſentery.* B. *Roodeloop, roodmelizoen, bloedgang.* Luſit. *Biche.*

DYSEPVLOTICA, ſunt vlcera maligna, curationem reſpuentia. Ex δύς, difficulter, et ἐπουλόω, cicatricem induco. Ge. **Hartnäckige Geſchwüre.** G. *Ulcéres malins.* B. *Zweeren, die niet willen toeheelen.*

DYSLOCHIA, eſt lochiorum fluxus impeditus, aut ſuppreſſus. Ge. **Verhaltene Reinigung der Kindbetterinnen.** G. *Suppreſſion des lochies.*

DYSMENORRHOEA, eſt ſuppreſſus, vel impeditus, et dolorificus fluxus menſtruorum. Ex δύς, difficilis, μήν, menſis, et ῥέω, fluo. Ge. **Verhaltene monatliche Reinigung.** G. *Suppreſſion des regles.*

DYSODES, δύσοσμος, vel δύσοδμος. Eſt omne illud, quod male olet, vt excrementa. Ei opponitur *Euodes.* Ex δύς, difficile, et ὄζω, oleo. Ge. **Uebelriechend.** B. *Stinkende dingen.*

DYSODIA dicitur foetidorum vaporum e corpore exhalatio, ſiue e naribus, ore, ventriculo, ſiue ex axillis, pedibus, vulua, inguinibus. Ge. **Der üble Geruch.** G. *Puanteur.*

DYSOREXIA, eſt appetitus diminutus, ex mala ſuccorum in ventriculo diſpoſitione, vel deficiente fibrarum neruearum ventriculi vellicatione, ortum habens. Ex δύς, difficile, et ὄρεγω, cupio. Ge. **Unluſt zum Eſſen.** G. *Degout, ſans appetit.* B. *Traage eet-luſt.*

DYSPATHIA, eſt patiendi difficultas, cui opponitur *Eupathia.* Ex δύς, difficile, et πάσχω, patior. Ge. **Ungedult.** B. *Onlydzaamheid.*

DYSPEPSIA, eſt difficultas cibos concoquendi, ſeu attenuandi, et ſubigendi per liquida affuſa in ventriculo et inteſtinis, vnde non raro hi ſequentes ſuam naturam, quam extra corpus animale induiſſent in ſimili calido humidoque loco, in nidorem, vel aciditatem, conuertuntur. Ei oppoſitum eſt *Eupepſia.* Ex δύς, et πέσσω, coquo. Ge. **Ueble Dauung.** G. *Digeſtion difficile.*

DYSPERMATISMVS, eſt ſeminis emiſſio in actu venereo ſtillatitia, tarda, impedita, et ad generationem inſufficiens. Oriri poteſt a vitio vrethrae, corporum cauernoſorum, praeputii, caruncula, debilitate, etc. G. **Verhinderter Auswurf des Saamens.** G. *Impuiſſance d'éjaculation.*

DYSPHAGIA, eſt difficultas et dolor deglutitionem concomitans et non raro impediens, ſine notabili reſpirationis laeſione; hinc ab angina differt. Cauſſa eſſe poteſt ſpaſmus, paralyſis oeſophagi, hydrophobia, excreſcentiae, tumores aut peregrina deglutita oeſophagum obſtruentia, muſculorum hyopharyngaeorum violenta diſtractio et luxatio appendicum oſſis hyoidis, qualis per bolum magnum deglutitum fieri poteſt, etc. Ge. **Schweres Schlingen.** G. *Difficulté d'avaler.*

DYSPHONIA, eſt loquendi difficultas, ex mala organorum diſpoſitione. Ex δύς, difficile, et φωνέω, voco. Ge. **Schwere Sprache.** B. *Een belemmering van uitſpraak.*

DYSPHORIA, eſt tolerandi, vel patiendi, difficultas, vel moleſta ſenſatio, quae infirmos ad iectigationem cogit. Ex δύς, difficile, et φορέω, tolero. Ge. **Unleidigkeit.** G. *Inquiétude.* A. *Reſtleſsneſs.*

DYSPNOEA, eſt reſpirandi difficultas tanta, vt aeger ad aërem hauriendum et emittendum animali motu pluribusque muſculis vti debeat, quia ſola actio vitalis et diaphragmatis non ſufficit, comite dolore et fatigatione ab organis

reſpirationis vitiatis, obſeſſis, aut irritatis, orta. Sumitur etiam a nonnullis pro genere morborum, in quibus reſpiratio impedita eſt. Hinc varias ſpecies, variosque gradus, aſthma ſcilicet, orthopnoeam et apnoeam comprehendit. Diſtinguunt tamen alii eo, quod orthopnoea ſit aegritudo acuta, aſthma intermittens, dyſpnoea vero chronica non intermittens. Ex δύς, difficile, et πνέω, ſpiro. Ge. Schwerer Athem, Engbrüſtigkeit. G. *Reſpiration embaraſſée, Difficulté de reſpirer.* A. *Difficulty of breathing.* B. *Moeyelyke adem.*

DYSTHERAPEVTA, ſunt morbi curatu difficiles. Ex δύς, peruicaciter, et θεραπεύω, curo. Ge. Hartnäckige Krankheiten. G. *Maladies difficiles à guerir.* B. *Ziekten, die zwaar te geneezen zyn.*

DYSTHYMIA, eſt animi aegritudo. Ex δύς, aegre, et θυμός, animus. Ge. Schwermüthigkeit. G. *Melancolie.* A. *Melancholy, Lowſpirited.* B. *Zwaarmoedigheid.*

DYSTICHIASIS, vide *Diſtichia.*

DYSTOCIA, eſt partus difficilis, ſiue praeter ordinarium curſum foetus in lucem editio. Hoc fit, quando non intra breue et conſuetum tempus paucarum horarum ſponte contingit, et ſine auxilio aliorum vix, aut prorſus non, abſolui poteſt, ſi foetus nempe oblique, transuerſim, vel pedibus, primo egreditur, vel cum viae ex inflammatione, vel praeternaturali conformatione, anguſtae ſint, vel cum foetus nimis magnus, aut monſtroſe, conformatus ſit. Ex δύς, difficile, et τίκτω, pario. Ge. Schwere Geburt. G. *Accouchement laborieux, Travail difficile.* A. *Difficult birth, or hard labour.* B. *Een moeyelyke baaring.*

DYSVRIA, eſt mingendi difficultas, ab organis male diſpoſitis, vt plurimum ab excoriatione, vel exulceratione, veſicae colli, vel vrethrae, aut a calculo, arenis, vel viſcidis humoribus obſtructis, vel tumore et inflammatione partium vicinarum. Plerumque cum ardore vrinae, et dolore eſt, vrina tamen guttatim non effluente, quod in *Stranguria* fit. Ex δύς, difficile, οὖρον, vrina, et ῥέω, fluo. Ge. Harnſtrenge, Harnwinde. G. *Difficulté d'Urine.* A. *Difficulty in piſſing.* B. *Een Moeyelykheid in het Watermaaken.*

E.

EBENVM, EBENVS, vel HEBENVS, eſt arbor duriſſimi, et nigerrimi ligni, adeo ponderoſi, vt in aqua ſubmergatur. Arbor eſt *Vuaria Zeylanica Linn.* (Polyandr. Polygyn.) foliis integerrimis; Narumpanel *Rheed.* Creſcit in India Orientali. Vſus eius magis mechanicus, quam medicus, eſt. Sunt tamen, qui inſignes ei vires diaphoreticas tribuunt, idque in decocto lignorum adhibent. Procul dubio eius origo debetur voci Arabicae *Alban, Albanos, Abenus.* Hinc facilioris elocutionis gratia *Ebenus.* Ge. Ebenholz. G. *Ebene.* A. *Ebony tree.* B. *Ebben houte boom.*

EBENVS CRETICA, *Linn.* eſt planta flore papilionaceo (Diadelph. Decandr.) Cytiſus incanus creticus *Bauh.* Trifolium ſpicis ouatis villoſis, caule fruticoſo *Roy.* Habitat in Creta. Haec planta differt a Trifolio bracteis inter flores in ſpica.

EBISCVS, i. q. *Hibiſcus*, vide *Althaea.*

EBVLLITIO, ab ebullire, eſt liquorum, mediante igne, rarefactio, per quam aëris particulae ſe ex iis extricant, et impetum ſurſum faciunt. Vel quando alcalia et acida mutuo commiſcentur, vt in efferueſcentiis. Ge. Das Sieden, Aufwallen. G. *Ebullition.* A. *A Boiling, Bubling.* B. *Opzieding.*

EBVLLITIO SANGVINIS, vide *Orgaſmus.*

EBVLVS, eſt Sambucus humilis, a quo vix differt, niſi quod ſit multo humilior. Eſt *Sambucus Ebulus Linn.* (Pentandr. Trigyn.) cymis tripartitis, ſtipulis foliaceis, caule herbaceo. Vires reſoluentes, diureticae, diaphoreticae et hydragogae praecipue in cortice interiori et baccis reſident. Rob frequentiſſime in hydrope, leucorrhoea, ſcabie adhibetur. Ab ἔβυλος. Ex εὖ, bene, et βυλή, conſilium, quod aegris bene conſulat, atque ebullientes feruidosque humores per aluum ducat. Gr. χαμαιάκτη. Ge. Attich, Niederholunder. G. *Yeble.* A. *Dwarf elder.* B. *Hadig, wilde Vlier.*

EBVR, eſt dens elephantis valde ſolidus, durus, politus, continens gelatinam inſtar cornu cerui: vſtum dicitur *Spodium*, quod ratione virium cum cornu cerui vſto conuenit. Ge. Helfenbein. G. *Yvoire.* A. *Iuory.* B. *Yvoor.*

EBVR FOSSILE, vide *Vnicornu foſſile.*

ECBOLICA, ſunt medicamenta, quae foetum in partu difficili expellunt. Item medicamenta, quae abortum concitant. Ab ἐκβάλλω, deiicio.

ECCATHARTICA, vide *Catharticum*. Ab ἐκκαθαίρω, expurgo.

ECCENTRICVS MOTVS, eſt idem quod peripherícus, ſeu motus a centro corporis ad peripheriam eius et cutem. Ge. Der Trieb von innen gegen die Haut.

ECCHYLOMA, i. q. *Extractum*.

ECCHYMOMA, ſ. ECCHYMOSIS, eſt cutis ſugillatio, a ſanguinis extrauaſatione ex vaſculis ſanguineis in telam celluloſam. Sequitur aliquando venae-ſectionem, quando aeger citius, quam par eſt, brachium vehementer mouet. Vel in genere eſt macula nigricans, aut atrorubra, aut liveſcens, ſucceſſu temporis flaueſcens, non congenita, nec aſpera, ſed plana, aut parum prominens et ſubſolitaria, quae aut ab ictu, aut in ſcorbuto, ſenio, morbis malignis, aut a catameniis ſuppreſſis, aut a compreſſione oriri ſolet. Ab ἐκχέω, effundo, et αἷμα, ſanguis. Ge. Blaue Flecken, mit Blut unterlaufen, Ergießung des Blutes aus den Gefäßen in das zellichte Gewebe. G. *Ecchymoſe*. A. *Liuid Spots in the Skin*. B. *Blaauwe vlekken*.

ECCLISIS, eſt ſeceſſio oſſis a ſede ſua naturali. G. Ausweichung eines Knochen. G. *Entorſe*.

ECCOPE, idem quod *Exſtirpatio*. Ab ἐκκόπτω, exſcindo. *Eccope*, eſt quoque oſſis inciſio perpendicularis absque totius continui diſſolutione, remanente tantum ſigno. *Hippocrates* nominat *Hedram*, Lat. *Veſtigium*, vel *Sedem*.

ECCOPROTICA, i. q. *Cathartica*, ſed leniora. Ab ἐκκοπρόω, aluum depono. Vide *Ectoprotica*.

ECCRIMOCRITICA, ſunt iudicia de excretis particularibus. Ab ἐκκρίνω, ſecerno, et κρίνω, iudico.

ECCRISIS, eſt excrementorum ſecretio. Ab ἐκκρίνω, ſecerno.

ECHIDNIVM, eſt diminutiuum ab *Echium*. Vide ſuo loco.

ECHINOMELOCACTOS, eſt Melocarduus, ſeu *Cactus Melocactus Linn.* (Icoſandr. Monogyn.) ſubrotundus, quatuordecimangularis. Habitat in Iamaica et America calidiore. Ab ἐχῖνος, echinus, qui aechini animalis in modum ſpinis vndique eſt obductus, et μῆλον, melo, pomum, et κάκτος, carduus. Conf. *Cactus*.

ECHINOPODA, quidam *Geniſtam* eſſe putant. Ex ἐχῖνος, echinus, ob ſpinas, quas habet, et πούς, pes.

ECHINOPS, ECHINOPVS, eſt plantae genus flore compoſito (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) cuius floſculi quinquefidi calyce proprio comprehenſi, communi thalamo inſident, et ſinguli abeunt in ſemen vnicum, ouato-oblongum, calyce reconditum. Species, quae ob vires vulnerarias a quibusdam commendatur, eſt Echinopus maior *Bauh. Echinops ſphaerocephalus*, capitulis globoſis, foliis pubeſcentibus *Linn.* — Echinopus minor *Baub.* eſt *Echinops Ritro* capitulo globoſo, foliis ſupra glabris *Linn.* Ge. Kugeldiſtel. G. *Chardon Echinope*. A. *Globe-Thiſtle*.

ECHINVS, eſt, quicquid numeroſa congerie aculeorum ſtipatur, ſiue tegmen, ſiue caput, ſiue cacumen fuerit, ſic dictus, quod globoſo ſpinarum agmine erinaceum mentiatur. Sic vocari poſſunt caſtaneae, capita carduorum, etc.

ECHINVS MARINVS, eſt animal marinum ad vermes molluſca pertinens, cuius corpus eſt ſubrotundum, cruſta oſſea tectum, ſpinis mobilibus ſaepius aculeatum; os quinqueualue ſubtus. Eius quam plurimae dantur ſpecies, quarum teſtae ſub nomine *Echinodermatum* paſſim aſſeruantur. Nonnullae ſpecies eduntur Ge. Seeigel. G. *Ourſin de mer*. A. *Sea-Urchin*. B. *Zee-Egel, Zee-Appel*.

ECHINVS TERRESTRIS, vide *Erinaceus*.

ECHIVM, VIPERINA, ſeu Ἀλκιβιάδιον, ab *Alcibio* quodam, qui a vipera commorſus vſu huius herbae interno et externo ſanatus fuiſſe dicitur. Eſt herba, quae ad plantas gymnotetraſpermas verticillatas pertinet; (Pentandr. Monogyn.) cuius character eſſentialis eſt corolla laciniis duabus longioribus, infima minore, acuta, reflexa. Habet ſcilicet caules lanuginoſos, virides, et punctis nigris inſtructos. Folia oblonga, anguſta, lanuginoſa, aſpera, ſaporis inſulſi ſunt. Flos monopetalus, infundibuliformis, ex anguſto in latum inſtar cornu venatoris expanſus, ſuperior pars ſupra reliquas eminet, formatque quaſi galeam. Ex calyce autem ad baſin vſque vt plurimum ſecto quinquefido ſurgit piſtillum, poſticae floris parti adinſtar claui infixum, et quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina viperini capitis aemula, quae in calyce ipſo longe ampliato matureſcunt; vnde herba *viperina* dicitur: vel quod contra ferarum ictus ſint vtilia ſemina: vel quod floreſcit planta capitulis viperae ſimilibus: ἔχις enim et ἔχιδνα, vipera eſt. Species officinalis eſt *Echium vulgare Linn.* Habitat ad vias et agros in Europa. Gaudet, vt pleraeque aſperifoliae, viribus traumaticis et ſubadſtringentibus. Ge. Wilde Ochſenzunge. G. *Herbe aux viperes, Viperine, Bugloſſe ſauvage*. A. *Vipers Bugloſs*. B. *Slangen-boofd, Slangen-kruid*.

ECLACTISMA, ECLACTISMVS, dicitur *Hippocrati*

agitatio, qua pueri exſiliunt et calcitrant, propter membranarum cerebri morſum, vel dolorem, vel incipientem convulſionem.

ECLAMPSIA, eſt epilepſia pueris familiaris, quae differt ab epilepſia vulgari, quod ſit acuta, quandoque remittens, aut omnino continua.

ECLEGMA, ſiue LINCTVS, quem Arabes *Loch* et *Lohoch* ſic appellant, aliis *Illinctus*, et ἐκλικτὸν, eſt medicamentum internum, quod conſiſtentia inter ſyrupum et opiatum medium eſt, ex ſyrupis officinalibus, oleis preſſis, blandis, et vitellis ouorum compoſitum, aduerſus thoracis, aſperae arteriae, et pulmonum affectus, quod per vices, doſi rarius limitata, linctum, ore detentum, ſenſim liqueſcens, deglutitur. Ab ἐκλείχω, lingo, lambo. G. Ein dicker Bruſtſaft, Leckſaft. G. *Eclegme.* A. *Lohock.* B. *Een Likking, Slikking, Slikmarkt.*

ECLIPSIS, medicis eſt animi defectus, idem quod *Eclyſis.* Ab ἐκλείπω, deficio.

ECLYSIS, *Animi defectus.* Ab ἐκλύω, delinquo. Vide *Deliquium animi.*

ECPHRACTICVM, eſt medicamentum incidens et deobſtruens. Vide *Attenuantia.* Ab ἐκφράσσω, deobſtruo.

ECPHRAXIS, eſt alicuius partis per medicamenta incidentia deobſtructio. Ab ἐκφράσσω, deobſtruo.

ECPHYSESIS, eſt efflatio, vel exſpiratio, confertim facta. Ab ἐκφυσάω, efflo. Vide *Efflatus.*

ECPHYSIS, vide *Apophyſis.* Item *Duodenum* ſignificat. Vide *Dodecadactylum.* Ab ἐκφύω, excreſco.

ECPIESMA, eſt ſuccus expreſſus. — Item foeces, quae ab expreſſo remanent. — Item caluariae fractura, in qua partes cranii fractae meninges premunt. Ab ἐκπιέζω, exprimo.

ECPIESMVS, eſt quaedam expreſſio, ſed maxime oculorum protuberantia extra orbitae cauitatem, quae fit ab ictu, caſu, vehementi conatu cum ſpiritus compreſſione, etc. Vide *Exophthalmia.* Ab ἐκπιέζω, exprimo. Ge. Das Heraustreten der Augen. G. *Ecpieſme.* B. *Een Uitwyking der Oogen.*

ECPLEXIS, eſt perterrefactio, ſeu ſtupor, qua quis repentino quodam caſu perculſus, attoniti inſtar, oculis apertis, quietus manet, neque aliquid agit. Ab ἐκπλήσσω, perterrefacio. Graeca vox Latinis vertitur Obſtupeſcentia. Ge. Das Erſchrecken, Erſtarren. G. *Epouvante.* A. *Sudden fear, or Aſtonishment.* B. *Verbaaſtheid, Verſchrikking.*

ECPNEVMATOSIS, vide *Exſpiratio.*

ECPTOSIS,

ECPTOSIS, idem quod *Excidentia* et *Luxatio.* Ab ἐκπίπτω, excido.

ECPYCTICA, ſunt medicamenta condenſantia, idem quod *Incraſſantia.* Ab ἐκπυκάζω, condenſo.

ECPYEMA, idem quod *Empyema.* Ab ἐκ, ex, et πύον, pus.

ECPYESIS, vide *Ecpyema.*

ECRHYTHMVS, eſt pulſus, qui nullius aetatis rhythmum, ſeu modulum, obſeruat. Ab ἐκ, ex, et ῥυθμὸς, modulus. Ge. Ein unordentlicher Puls. G. *Le pous derégle, irregulier.* A. *An irregular Pulſe.* B. *Een ongeregelde Pols.*

ECSARCOMA, idem quod *Hyperſarcoſis.* Ab ἐκ, ex, et σὰρξ, caro.

ECSESMATA, ſunt exanthemata milii granis non maiora, ſubito in cute exorta, confertа, et vt plurimum fugacia, non cohaerentia, phlyctenoidea. Iuuenes et calidos potiſſimum adoriuntur aeſtiuo tempore. Ge. Hitzblätterlein. G. *Echauboulures.*

ECSTASIS, vide *Exſtaſis.*

ECTASIS, eſt cutis quaedam in longitudinem et latitudinem extenſio. Ab ἐκτείνω, extendo. G. Ausſpannung der Haut. G. *Extenſion de la peau.* A. *A Stretching of the Skin.* B. *Uittrekking der Huid.*

ECTHLIMMA, eſt vlceratio, a violenta compreſſione, in cutis ſuperficie oborta. Ab ἐκθλίβω, exprimo.

ECTHYMATA, ſunt puſtulae, ſiue cutis quaedam efflorescentiae, vt in variolis, etc. Ab ἐκθυμιάω, exhalo, euaporo. Ge. Blattern. G. *Ampoulles, Boutons.* A. *Pimple, Puſtle.* B. *Puiſten.*

ECTILLOTICA, ſunt medicamenta, quae callos et clauos abſumunt, crinesque euellunt. Ab ἐκτίλλω, euello. Ge. Leichdorn- und Haarvertreibende Mittel. B. *Weer verdryvende Middelen, voor Exteroog en Nynagel.*

ECTOME, i. q. *Exſtirpatio.* Ab ἐκτέμνω, exſcindo.

ECTOPIA, dicitur Cl. *Sauuages* ordo morborum, omnes illos comprehendens, in quibus partium ſolidarum e ſua ſede dimotio ſenſibus obuia adeſt, quo ergo prolapſus, herniae, luxationes pertinent. Ab ἐκ, ex, et τόπος, locus. Ge. Ausweichungen. G. *Déplacement.*

ECTOPROTICA, ſunt medicamenta purgantia, at quae tam leniter ſtomachum et inteſtina ſtimulant, vt haec intus contenta tantum reddant, id eſt, ſtercus naturale expellant. Ge. Gelindabführende Mittel. B. *Zagte Purgeer-Middelen.*

ECTROPIVM, eſt vitium palpebrarum, quando inferior palpebra breuior eſt ſuperiore, vt oculum claudere non poſſit, aut eius intrauerſio, ita vt pars rubra interior, turpem generans adſpectum, promineat, nec ſufficienter oculus contegatur. Ab ἐκτρέπω, euerto. Ge. Umkehrung des Augenliedes. G. *Eraillement des paupieres.* B. *Intrekking der Oogen.*

ECTROTICA, ſunt medicamenta, quae abortum inferunt. Ab ἐκτιτρώσκω, abortio. Ge. Unzeitige Geburt verurſachende Arzeney. B. *Miskraam maakende middelen.*

ECTYLOTICA, ſunt medicamenta, callum conſumentia. Ab ἐκ, ex, et τύλος, callus.

ECZEMATA, ſunt puſtulae rubicundae feruidae, et flammeae; quidam hydroa pro eczemate, ſed male, ſumunt. Ab ἐκζέω, efferueſco. Vide *Ecſesmata.* Ge. Hitzige Blätterlein. G. *Ampoulle ardente.* A. *Burning, or red puſtles.* B. *Vuurige Puiſten.*

EDVLCORANTIA, remedia vocantur, quae acrimoniam quamcunque corrigunt, hinc latius patent, quam *Abſorbentia*, quae acido tantum ſunt oppoſita; alioque etiam nomine *Epiceraſtica* et *Temperantia* dicuntur.

EDVLCORATIO, et DVLCORATIO, dicitur, quando calcinata ſale grauida, aqua (vt plurimum calida) abluuntur, qua ablutione ſal inibi contentum aquae immiſcetur. Vel dulcorare etiam dicitur, quando potiones, addito ſaccharo, aut ſyrupis conuenientibus, gratiores reddantur. Ge. Verſüßung. G. *Adouciſſement.* A. *A Edulcoration, Sweetening.* B. *Afzoeting.*

EFFERVESCENTIA, ab EFFERVERE, eſt ſubitus et inteſtinus motus inter ſales oppoſitos inuicem mixtos, vt alcali et acidum, interueniente aqua, cum ſpuma, bullularum excitatione, rarefactione, et tendentia ad mutuam deſtructionem, ſeu particularum connubium; illum nonnunquam calor, aut flamma, ſubſequitur, vt in calce viua, foeno madide repoſito, et miſcelis chymicis. Ge. Das Aufbrauſen. G. A. *Effervescence.* B. *Opgeſting, Opbruiſing, Opwelling, Opzieding.*

EFFLATVS, eſt valida aëris ex ore coarctato expreſſio. Hoc fit per omnes cauſſas, quae exſpirationem efficiunt, inprimis per muſculos abdominales, viſcera ibi contenta ſurſum, adeoque diaphragma in thoracem prementes, et ſic aërem, in pulmonibus contentum, expellentes, clauſo interim foramine narium per velum pendulum palatinum. Gr. ἐκφύσησις. Ge. Das Blaſen. G. *Souffleement.* A. *Blowing.* B. *Blaazing.*

EFFLORATIO, idem quod *Exanthema.*

EFFLORESCENTIA, idem quod *Exanthema.* In genere denotat maculas, ſeu mutationes coloris in cute vna cum eleuatione cutis coniunctas. *Efflorescentia* etiam chymicis dicitur materia ſalina, ſulphurea, etc. quae ſub floccorum, aut puluerıs, forma in ſuperficie variarum minerarum aeri expoſitarum naſcitur. Ge Beſchlag.

EFFLVVIVM, i. q. *Aporrhoea.*

EFFRENITATIO, nonnullis idem denotat quam *Hypercatharſis.*

EGESTIO, i. q. *Deiectio.*

EIACVLATORIA, EIACVLANTIA VASA, vide *Vaſa Deferentia.*

EIECTIO, i. q. *Deiectio.*

EILEMA, vide *Ilema.*

EILEOS, vide *Ileus.*

EISPNOE, i. q. *Inſpiratio.*

ELAEA, *Olea*, a ἀλείω, laeuis, quia eius oleum laeue eſt et glabrum. G. Oelbaum.

ELAEAGNVS, hoc nomen diuerſis imponitur arbuſculis. Ex ἐλαία, olea, et ἀγνὸς, caſtus, hinc *Agnus caſtus* ita appellatur. Hodie tamen hoc nomine denotatur plantae genus, (Tetrandr. Monogyn.) cuius calyx monophyllus, quadrifidus, campanulatus, interne coloratus, deciduus, corolla nulla, drupa ouata, nux oblonga, obtuſa eſt. Ge. Wilder Oelbaum. G. *Olivier ſauvage.* A. *Wild Olive.* Vide *Heleagnus.*

ELAEOSACCHARVM, oleum eſt ſtillatitium, vel balſamum naturale ſpiſſiuſculum, cum ſaccharo mixtum, quod diuidit tenacitatem glutinoſam olei, ſe elementis eius interponit, illaque ſibi arctiſſime adunat, facitque ſaponem extemporaneum, qui patitur ſe aqua dilui in vſus medicatos: inter terendum pauxillum vitelli oui recentiſſimi, puriſſimi, intermiſceri poteſt tam ſaccharo, quam oleo, vt reductio olei in aptiorem miſcendo formam facilius abeat; ſed tum miſtum non poteſt tamdiu ſeruari ſine rancedine. Ex ἔλαιον, oleum, et ſaccharum. Ge. Oelzucker. G. *Sucre huileux.* A. *Oil and ſugar mingled together.* B. *Geolyde Zuiker.*

ELAEOSELINVM, ſeu ELEOSELINVM, eſt *Apium paluſtre.* Ex ἕλος, palus, et σέλινον, apium. Hinc etiam appellatur Ἑλεοσέλινον, ſiue *Apium aquaticum.*

ELAPHIA, CATOCHVS CERVINVS, eſt morbus equis et ceruis familiaris, in quo cutis durities eſt lignea, cum cordis palpitatione et oculorum circumgyratione. Ge. Hirſchkrankheit. G. *Mal de cerf.*

ELAPHOBOSCVM, eſt *Paſtinaca.* Ab ἔλαφος, ceruus, et βόσκω, paſco, quaſi cerui pabulum; quod cerui eam plantam primum demonſtrarint. Hoc enim pabulo ceruos ſerpentibus reſiſtere, veterum fabula eſt.

ELAPHOSCORODON, eſt *Ceruinum Allium.* Ex ἔλαφος, ceruus, et σκόροδον, allium.

ELASTICA VIS, eſt vis corporum, qua compreſſioni, aut extenſioni ſuae reſiſtunt, et ſi compreſſa, aut extenſa fuerint, iam ablata cauſſa comprimente, vel extendente, ſponte in priſtinam formam reſtituuntur. Ge. Die Schnellkraft, Federkraft. G. *Elaſticité.* A. *An Elaſtick force.* B. *De veerende kragt.*

ELATE, eſt *Abies*, dicitur παρὰ τὸ ἐλᾶν, ὅ ἐστιν εἰς ὕψος ἐκτετάσθαι, quod in praecelſam proceritatem aſſurgat.

ELATERIVM *veterum*, eſt faecula ſucci viridis, luridi, et viſcoſi, ex fructibus maturis Cucumerum ſylueſtrium, vel ſua ſponte, vel leni compreſſione, emiſſi. Noſtro tempore ſuccus ex tota planta expreſſus, coctus, inſpiſſatus, in ſpiſſam duramque conſiſtentiam redactus, cŏloris fuſci, inſtar extracti, ſaporis amari, nauſeoſi et vinoſi Elaterium dicitur. Cucumis hic eſt Cucumis ſylueſtris aſininus dictus *Bauh. Momordica Elaterium Linn.* (Monoec. Syngeneſ.) pomis hiſpidis, cirrhis nullis; qui in Italia, Gallia et Sicilia abvnde prouenit. Succus eius inſpiſſatus viribus admodum draſticis, hydragogis, emmenagogis et abortiuis pollet. A quibusdam ad grana duo pro doſi in hydrope et aſthmate adhibetur. Latiſſima ſignificatione eſt omne medicamentum, quo aluus purgando ſubducitur. Ab ἐλαύνω, agito, expello. Ge. Springgurkenſaft, oder Eſelsgurken. G. *Le Suc de Comcombre ſauvage.* A. *The juice of wild Cucumbers.* B. *Een ſterk Purgeer-middel van wilde Komkommers.*

ELATINE, quibusdam Veronicae, quibusdam Helxines ſpecies eſt. Forte quaſi μικρὰ ἐλάττων ἑλξίνη, parua, ſeu minor, Helxine.—Proprie tamen hoc nomine intelligitur *Elatine* folio acuminato *Bauh. Antirrhinum elatine L.* (Didyn. Angioſp.) Qualitatis eſt amarae et auſterae, et olim egregium remedium vulnerarium et antiſcorbuticum habebatur. Proſtabat etiam in officinis Mel elatines. Ge. Wilder Flachs. G. *La Velvote.* A. *Fluellin.* — Ill. *Linnaeo* quoque *Elatine* eſt

genus plantarum, (Octandr. Tetragyn.) cuius calyx tetraphyllus, corolla tetrapetala, capſula orbiculata, globoſo-depreſſa, quadrilocularis, quadriualuis, polyſperma.

ELCIDRION, eſt vlceratio corneae ſuperficialis facta a quadam fluxione clara, ſubtili.

ELCOSIS, in genere denotat vlcus, ſeu ſolutionem continui in partibus mollibus cum ſubſtantiae diſſolutione a cauſis erodentibus ſucceſſiue factam. Ge. Ein Geſchwür. G. *Exulcération.*

ELCTICA, vide *Attrahentia.* Ab ἕλκω, traho.

ELCVS, vide *Helcus.*

ELEAGNVS, i. q. *Elaeagnus.*

ELECTRICITAS, eſt illa corporum proprietas, per quam fricata, vel calefacta, vim acquirunt alia corpora remota alliciendi et repellendi, et ſaepe etiam lucem ſpargendi. Materiae electricae in corporibus delitescentis conſideratio proprie ad phyſicos pertinet; ſed quoniam noſtris temporibus ad ſanandos morbos adhiberi incepit, medicis etiam non omittenda eſt. Conſtitit autem per experimenta, quod per electricitatem pulſus arteriarum acceleretur, quod ſcintillae ex corpore eliciantur, quae ſingularem in eo ſenſationem efficiunt, et rubicundas in cute maculas poſt ſe relinquunt. Ex eo colligi poſſe videtur, electricitatem circulum ſanguinis incitare, calorem corporis naturalem intendere, omnesque ſecretiones et excretiones, inprimis vero tranſpirationem, adiuuare: vnde in morbis, qui aucta circuli ſanguinis velocitate tolli poſſunt, vtilis eſſe poteſt, ſimilemque effectum praeſtare poterit, quam veſicatoria et calefacientia. Tales autem ſunt varii morbi, qui generi neruoſo inhaerent; hinc in paralyſi, ſimilibusque affectibus, tentata et ſaepe cum inſigni fructu adhibita fuit. Ge. Elektricität. G. *Electricité.* A. *Electricity.* B. *Elektriciteit, Brandſteenkragt.*

ELECTRVM, vide *Succinum.* Romani quoque aurum argento miſtum ita vocabant.

ELECTVARIVM, ab electione, dictum, eſt confectio ex ſpeciebus, pulpis, gummis, ſyrupo, vel melle, excepta, conſiſtentia conſeruae inſtar craſſa in plures diſpenſanda doſes, in quo a bolo differt. Eſtque *ſimplex*, vel *compoſitum. Simplex* tantum ex pulpa caſſiae, tamarindorum, vel prunorum, conſtat. *Compoſitum* vero vt plurimum ex ſpeciebus, pulpis, ſuccis condenſatis, gummis, etc. quae melle, vel ſyrupo, excipiuntur. Electuaria ſunt digerentia, laxantia, purgantia, confortantia, alexipharmaca, etc. In officinis quam plurimae compoſitiones, maxime veterum, proſtant. Gr. λεκτυάριον. Voca-

tur etiam *Antidotus*, quia theriaca, mithridatium, et similia composita, hac forma gaudent. Nomen ab ἐκλεικτὸν, vel ἐλεικτὸν, i. e. pharmacum, quod lingendo absumitur, ab ἐκλείχειν, vel ἐλλείχειν. G. Eine Latwerge. G. *Un Electuaire.* A. *An Electuary.* B. *Electuarien, te samen gestelde Conserven.*

ELEMENTA, seu PRINCIPIA, sunt corpora simplicissima, minima, seorsim insensibilia, mole et figura immutabilibus praedita, quae nec ex se inuicem sunt, neque ex aliis, sed ex quibus omnia sunt composita, et in quae resoluuntur. Elementa quibusdam chemicis dicuntur quinque, *spiritus, sal, sulphur, aqua*, et *terra*, quorum postrema duo passiua, caetera actiua dicuntur. Alii, vt *Basilius Valentinus* et *Paracelsus*, enumerant tria chemica, *Salem* nempe, *Sulphur* et *Mercurium*, quae *Beccherus* reuocauit, qui et tres terras, *vitream, pinguem, sulphuream* et *mercurialem*, siue *arsenicalem*, assumit. *Peripateticorum* schola quatuor existere docet, *Ignem* scilicet, *aërem, aquam*, et *terram*. Cum vero ex his chemica elementa composita sint, omnino inter *chemica* et *physica* elementa distinguendum est. Verum isthaec elementa omnia sunt ex aliis composita, propterea ex eorum elemento quippiam constare, idem est, quasi diceres, arborem ex radice, trunco, ramis, foliis, floribus, etc. esse compositam. Elementa enim vltima corporum sensibus nostris nunquam percipere possumus. Ge. Die Elemente, Grundtheile. G. *Elemens.* A. *The first principles, or elements.* B. *De Elementen, Hoofdstoffen.*

ELEMI, est gummi, siue resina, aut lacryma pellucida, albicans, cum flauis particulis mixta, in massam redacta, molliuscula, dum recens est; facilius in menstruo oleoso et spirituoso dissoluenda, quam aquoso, suauem accensa halans suffitu odorem. Venit ex Hispania noua et Brasilia, vbi ex arbore manat, quae ex albo viridia et acuminata folia, et fructus oliuas aemulantes dicitur proferre. Hanc oleam nonnulli volunt, alii cedrum, alii aliam arborem. Proprie vero haec arbor est Lentiscus Peruuiana *Chabr.* Frutex trifolius resinosus, floribus tetrapetalis albis, racemosis *Royen. Amyris Elemifera Linn.* (Octandr. Monogyn.) foliis ternatis, quinato pinnatisque subtus tomentosis. Icicariba *Marcgr.* Resina ipsa eximiis viribus digerentibus et vulnerariis pollet, hinc in balsama et emplastra recipitur. Dicunt, ei saepe resinam cachibou, arboris Americanae chibou, intermiscerl. Dicitur et *Elemni.*

ELEMMI, i. q. *Elemi.*

ELEOCHRYSON, et HELEOCHRYSON, recentioribus botanicis ἐλίχρυσον et ἐλείχρυσον vocatur. Forte ἠλιόχρυσον *Plinii.* Planta est, quae habet caulem, in multos ramos diuisum, lignosum, lanuginosum, album, pedem vel sesquipedem, altum, emittentem parua folia villosa, albescentia. Gymnomonosperma est flore flosculoso aureo et calyce aureo, vnde nomen ἀπὸ τῆς ἑλῆς, et χρυσῦ, quod color eius sit instar solis, et auri. Dicitur hinc quoque *coma aurea*, et *stoechas citrina.* Ge. Reinblumen, Winterblumen, Flußblumen. G. *Immortelle, ou Amarantbe jaune.* A. *Goldy-locks.* B. *Zonne Gouds-bloem.* — Plures tamen plantarum species variorum generum apud autores *Elichrysi* nomine veniunt; sic Elichrysum foliis abrotani *Bauh. Pluk.* et *Clus.* est *Tanacetum annuum Linn.*—Elichrysum africanum lanuginosum latifolivm *Old.* est *Gnaphalium grandiflorum Linn.*—Elichrysum obtusifolium capitulis argenteis conglobatis *Dillen.* est *Gnaphalium obtusifolium Linn.*—Elichrysum africanum lanuginosum angustissimo folio *Breyn.* est *Xeranthemum sesamoides L.* — Elichrysum, seu stoechas citrina latifolia *Bauh.* et *Tournef.* est *Gnaphalium stoechas Linn.* praeter plures alias.

ELEOSACCHARVM, vide *Elaeosaccharum.*

ELEOSELINVM, i. q. *Elaeoselinum*, s. *Apium palustre.*

ELEPHANTIASIS, siue LEPRA, et LEPROSIS, morbus est Aegypti endemius, nunc in Europa exoletus, chronicus, contagiosus. Hic primo constat ex tuberibus in facie, malis, fronte, pectore, brachiis, et circa coxas. Colore sunt liuido, vt cancri, absque tamen dolore, mobiles sunt; cum ita aduenium, huius morbi certum signum est et praesagium: nam semper cum istis tuberibus incedit. Cutis est elephantina, dura, vnctuosa, hic et illic crassa, rugosa, rimosa, aspera, anserina, nigricans, pilis destituta. Deinde in faucibus ad linguae radicem tubercula sunt, vt in grandinosis porcis apparent; eorum color flauus est, vel liuidus, quae sunt certa leprae signa. Ea desinunt in vlcerationes planas et latas, raro cute profundiores, cum labiis duris et tumidis, et, quod mirum est, sine dolore, et serpunt, et si in vno loco sanentur, in altero denuo renascuntur, digitos manuum ac pedum vulgo occupant, internodia quoque et loca plana, item cubitum aliaque loca. Vlcerationes hae certum praebent morbi indicium, sed quia leprosi simulare possunt, illam plagam ab adustione prouenire, ad similia signa quoque attendendum est. Notatu denique dignum, huic vlcerum generi, imo et in tumoribus, nullum adesse dolorem, aut sensibilitatem, si acu pungantur. Porro, vlcera quo-

que in ipſis haribus inueniuntur, quibus integer naſus cum oſſibus ſaepe depaſcitur. Denique ipſum palatum non intactum relinquunt. imo vuulam et aſperam arteriam inuadunt, vnde et tandem vitam tollunt. Adeſt quoque circa narium et aurium extremitates intumeſcentia, cum incraſſatione et extenſione. Deformitas faciei horrenda, genae atro-rubrae, rugae frontis leoninae, adſpectus fixus, oculi rotundi, naſus reſimus, rictus ſatyrorum, mentum complanatum. Pellicula etiam tota obducitur oculi pupilla. Tandem totius cutis ſcabrities conſpicitur, quae quaſi intumeſcit, ſicca redditur et ſcabra, rimas agit et fiſſuras patitur. Obducitur ſquamis furfuribusque caput, praeſertim et cilia; cutis porro pallida eſt, flaua item, livida, et colore viuo orbata. Decidunt capilli et barba, ſiue quod pili rareſcant, ſiue quod pili ex ciliis enaſcentes conſumantur. Vngues denique finduntur, intorquentur, et vt brutorum vngulae eodem modo excreſcunt. In ſummo gradu morbi muſculi, et praeſertim reſpiratorii, aliquatenus mutilantur, idque propter tubera et exulcerationes. Vox fit rauca, ob pelliculam viſus amittitur, nec non ſenſus tactus ob tubera et exulcerationes, quae ſi contingant, circa extremitates vt plurimum fiunt. Poſt aliquod tempus, poſtque plurimas intumeſcentias, vaſa ſanguinea ita coarctantur, vt ſi acus immittatur, nullus ſanguis, ſed ſanies, effluat. Foecundi dicuntur leproſi et ad coitum ardentiores, quia a coitu prohibentur. Bis haec lepra in Europam translata, ab exercitu ſcilicet *Pompeii* ex Oriente reduce, et tempore migrationum in Palaeſtinam religionis cauſſa inſtitutarum; ſenſim tamen exoleſcere coepit, iamque nunc prorſus apud nos exoleuit. Ge. Der Ausſatz. G. *Ladrerie, Lepre.* A. *The Leproſy.* B. *Lazery, Olifants-ziekte.*

ELEPHANTIASIS ARABVM, de quo morbo ne verbum quidem fecerunt Graeci; Arabes eius mentionem paſſim faciunt, quae varicibus cognata eſt, atque ex iſtis ortum habet, et tantum pedum tumor eſt. Agit de hoc morbo *Auicenna*, vbi de varicibus tractat. *Rhaſes* diſſentit tamen ab his, et Graecos ſequitur *Haly Abbas*, qui elephantem dicit eſſe morbum, omnia corporis membra corrumpentem, et quaſi cancrum vniuerſalem, qui ergo ſic magis ad lepram accederet. Verum nec ipſe ſibi conſtat, cum ſcribit: Vlcera, quae in pedibus et cruribus fiunt, *Elephas* vocantur, et Elephanticus morbus apoſtema eſt melancholicum, quod in cruribus et pedibus apparet, et eius ſignum eſt, quod pedis Elephantis figurae ſimilis ſit. Reliqui omnes Auctores Arabes ſeorſim de Lepra et

Elephantia agunt, et Elephantiam pedum tumorem eſſe dicunt a ſanguine melancholico et pituitoſo et varicibus ortum, ob quem pedes aegri pedibus elephantis figura et craſſitie ſimiles fiunt. Videtur ſic ſpeciem leprae conſtituere, quae *malum mortuum* vocatur. Ge. Todtenbruch, Delſchenkel. G. *Le mal mort.* B. *Lazery, Melaatsheid, Olifants ziekte.*

ELEPHANTIASIS GRAECORVM, quam Arabes *Lepram* vocant. Appellatur autem *Elephas* et *Elephantiaſis*, et *Elephantia*, ab elephante, ob ſimilitudinem, quam hic morbus habet cum elephante: nimirum, vt nonnulli putant, quod eo morbo laborantes magni, vt Elephantes, fiant; quae inepta eſt notatio, cum Elephantiaci non maiores fiant, niſi quis non magnitudinem corporis elephantiaſi laborantium, ſed morbi magnitudinem, reſpiciat: vel quod malum, in cruribus ſerpens, efficiat ea elephantis ritu fere rigida et aequalia: vel quod inter alios morbos vehemens ac validus ſit, veluti elephas: vel quod membra et cutis tumida, ſcabra, rugoſa, tuberoſa, et inaequalis, vt elephantum, reddantur. *Galenus* de tumoribus cap. 14. malum hoc, cum incipit, etiam σατυριασμὸν nominari ſcribit, eo quod facies ſimilis ſatyrorum faciei reddatur. Nam labia fiunt craſſa, naſusque tumet, atque ideo depreſſus apparet, aures tabeſcunt, maxillae rubore perfunduntur, in fronte hinc inde tumores, quaſi quaedam cornua, apparent; quanquam alii ea etiam de cauſa σατυριασμὸν hoc malum nominari cenſeant, quoniam videlicet malae faciei iisdem cum rubore attolluntur, et muſculis maxillaribus veluti conuulſionem patientibus, mentum ipſum dilatatur, quemadmodum ridentibus euenire ſolet, ſimilitudine quadam ad picturas ſatyrorum, quos ἀπὸ τῦ σατυρίζειν *Cael. Rhodiginus* ita nominatos putat, quod ore hiante labiisque diductis inſtar ridentium cantent et ludant, vel, vt nonnulli, quod ſatyris in venerem propenſione et libidine ſimiles ſint. *Celſus* ita deſcribit: Totum, *inquit*, corpus afficitur, ita vt oſſa quoque vitiari dicantur: ſummae partes corporis crebras maculas crebrosque tumores habent. Rubor horum paulatim in atrum colorem conuertitur: ſumma cutis inaequaliter craſſa, tenuis, dura, mollisque quaſi ſquamis quibusdam aſperatur, corpus emarceſcit, os, ſurae, et pedes intumeſcunt. Vbi vetus eſt morbus, digiti in manibus pedibusque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quae facile tot malis obrutum hominem conſumit. Plura de hoc morbo apud *Aretaeum* reperiri poſſunt, *Diuturn.* lib. II. cap. XIII.

ELEPHAS, *Elephas maximus L.* eſt animal quadrupes ad Mammalia bruta pertinens; maximum omnium; oculi parui, dentes primores nulli; laniarii ſuperiores exſerti; aures ampliſſimae, pendulae, dentatae; cutis craſſiſſima, calloſa, nudiuſcula; mammae duae iuxta pectus; vngues in apicibus loborum pedum; genua flexilia; collum breue; proboſcis longiſſima, extenſilis, acute odorans, loco manus ipſi inſerviens; ea cibum potumque haurit, hoſtemque pellit; ea praeciſa occiditur. Portat domos, rectore collo inſidente; in bello armatur falcibus; vulnuſculo inter atlantem furioſus occiditur; caeterum prudens, docilis. Habitat in Zeyloniae paludoſis ad amnes. Edit ramos, coccos, Guilandinae ſemina, frumentum. Dentes laniarii ſub *Eboris* nomine in vſum medicum adhibentur. Vide *Ebur.* Ge. **Elephant.** G. A. *Elephant.* B. *Olifant.*

ELEVATOR, idem quod *Eleuatorium.* Datur hoc nomen etiam variis muſculis, qui partes quasdam attollunt, vt palpebram ſuperiorem, labia, etc.

ELEVATORIVM, ab eleuando dictum, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo crania depreſſa eleuantur. Ge. **Ein Hebeiſen.** G. *Elevatoire.* A. *An Elevator, a Chirurgical inſtrument.* B. *Een Hef-boom, Been-heffer, Hef tuig.*

ELICHRYSON, i. q. *Eleochryſon.*

ELIQVATIO, eſt operatio chemica, qua argentum cupro inhaerens, dum plumbo addito combinatur, a cupro, leniori ignis gradu fluens, ſeparatur. Ge. **Das Seigern.** G. *Liquation.*

ELIXATIO, eſt, quando res coquendo emolliuntur. Ge. **Das Sieden, Kochen.** G. *Elixation.* A. *Seething, or boiling.* B. *Kooking, Opzieding.*

ELIXIR, dicitur ab Arabica voce *Elecſchir*, ſiue *Elieſchir*, ſiue *Aleſchis*, id eſt pura ſine foecibus maſſa, vel eſſentia, quibusdam ab ἕλκω, traho, aut ab ἀλέω, auxilior. Eſt liquor ſpirituoſus, vel vinoſus, vel aquoſus, vi medicata, mediante infuſione et digeſtione, impraegnatus; ſiue tinctura, ſeu eſſentia, alicuius rei, per ſpiritum vini, aut aliud ſimile menſtruum, extracta. Hinc idem quod *Tinctura.* Sunt tamen, qui elixiria ab eſſentiis et tincturis diſtinguunt, eo quod illa aliquanto ſpiſſiora, minusque diaphana ſint, vt elixir ſtomachicum, aperitiuum, vterinum, etc. vel dum extracta in menſtruis aquoſo-ſalinis, vel pure aquoſis, diſſolvuntur. Ge. **Elixir.** G. *Extract, Elixir, Quinteſſence.* A. *Elixir, the quinteſſence of any thing.* B. *Elixir, Uittrekſel.*

ELLEBORISMVS, ſ. HELLEBORISMVS, ita veteres vocabant curationem morbi melancholici etc. ope hellebori ſuſceptam. Ge. **Eine Nießwurzelkur.** A. *A Courſe of Hellebore.*

ELLEBORVS, HELLEBORVM, MELAMPODIVM, ſeu VERATRVM. Duae diuerſae plantae diuerſorum generum hoc ſub nomine veniunt, ſcilicet *Elleborus niger* et *Elleborus albus.* — *Helleborus niger*, flore roſeo *Bauh.* et *Tournef.* Helleborus niger legitimus *Cluſ.* eſt *Helleborus niger Linn.* (Polyandr. Polygyn.) ſcapo ſubunifloro, ſubnudo, foliis pedatis. Habet hic caules ex radice erumpentes, longos, rotundos, ſucco plenos, punctis purpureis inſtar ſerpentariae notatos, horum ſinguli emittunt nouem folia vtplurimum digitata, ſatis firma et craſſa, viridiſſima, polita, in margine inciſa. Flores pentapetali inſtar roſae expanſi ſunt. Ex horum meditullio ſurgit piſtillum, plurimis corniculis, ſeu nectariis monophyllis, tubulatis, bilabiatis, inter ſtamina et petala iacentibus cinctum circa baſin, quod abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginae membranaceae, in cornu plerumque deſinentes, ſecundum longitudinem dehiſcentes, ſeminibus foetae ſubrotundis, vel ouatis. Radix tenuis, fibroſa, nigricans, ex vno capite prodiens, ſaporis acris, pungitiui, amari, nauſeoſi. Creſcit in Alpibus Auſtriae et Hetruriae. Fibrae radicis efficaciores ſunt, quam truncus. Frequentiſſimus vſus ſub forma extracti eſt, quod ad octo et decem grana propinari poteſt, et inſignibus viribus purgantibus et pellentibus, praecipue vero emmenagogis, pollet, hinc in mania, melancholia, chloroſi commendatur. Num is verus ſit Helleborus, qui veteribus adeo contra maniam in vſu fuit, et cuius gratia Helleboriſmum inſtituturi Anticyram nauigarunt, dubium videtur, dum longe magis draſticae vires huius hellebori veterum deſcribuntur. *Tournefortius* hanc ſpeciem ſe detexiſſe putat, et vocat Helleborum nigrum Orientalem, ampliſſimo folio, caule praealto, flore purpuraſcente. — Paſſim in officinis ei ſubſtituitur *Adonis vernalis Linn.* flore dodecapetalo, fructu ouato. Ge. **Adonisröslein, falſche Nießwurzel, Teufelsauge.** Hunc etiam vulgo *Helleborum Hippocratis* dicunt. — *Elleborus* nomen accepit ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quod eſu perimat, cibumque corporis eripiat: ἑλεῖν enim eſt capere, et βορὰ, pabulum, eſca. — *Helleborus albus Pharm.* eſt Veratrum flore ſubuiridi *Tourn.* ſeu *Veratrum album L.* (Pol. Mon. racemo ſupradecompoſito, corollis erectis, ſertque florem

roſaceum hexapetalum, absque corniculis, vel nectariis, et capſulas tres, quae ſemina includunt compreſſa marginata. Creſcit in montoſis Ruſſiae, Sibiriae, Auſtriae, Heluetiae, Italiae. Qualitas radicis admodum acris et nauſeoſa, viresque draſticae, emeticae et ſternutatoriae ſunt. Proſtat quidem in quibusdam officinis Mel helleboratum, et tinctura veratri; eius tamen vſus rariór eſt. Radice interdum veterinarii vtuntur; ſunt, qui pulueris vſum externum, ſi quid vrgeat, in cophoſi, epilepſia, mania, ſcabie et phthiriaſi commendant. Ge. Nießwurz. G. *Ellebore.* A. *Bears-foot, Chriſtmas-flower, Hellebore.* B. *Nies-kruid, Heilig Kerſt-kruid.*

ELLEBORASTER *Officin.* eſt *Helleborus viridis*, caule multifloro, folioſo, foliis digitatis *Linn.* Hic vt ſequens viribus anthelminthicis pollet.

ELLEBORASTRVM *Officin.* eſt *Helleborus foetidus*, caule multifloro, folioſo, foliis pedatis *Linn.*

ELLEBORINE, eſt planta ab Helleboris diſtincta, ſcilicet Helleborine foliis liliaceis, radice aſphodeli minor *Plum.* Eſt *Satyrium plantagineum Linn.* (Gynandr. Diandr.) — Helleborine vero latifolia montana *Bauh.* eſt *Serapias Helleborine latifolia Linn.* Ge. Wieſenbiegel, Cymbelblume. G. *Elleborine.*

ELIXIVATIO, eſt operatio chymica, qua ex cineribus vegetabilium, aqua calida affuſa, ſal eluitur. Ge. Auslaugung.

ELLIPTICA, botanicis dicuntur folia lanceolata latitudine ouati folii.

ELMINTHES, HELMINTHES, in genere vermes denotat, in ſpecie illos, qui in corpore animali, et maxime in inteſtinis, hoſpitantur, vnde remedia illos expellentia *Anthelminthica* vocantur. Vide *Aſcarides*, *Taenia*, *Lumbricus*, *Trichuris.* Ge. Würmer. G. *Vers.* A. *Worms.*

ELODES, et HELODES, eſt ſpecies febris continuae, et quidem tritaeophiae, cuius praecipuum ſymptoma eſt ſudor perpetuus, colliquatiuus, ita vt aegri ob humiditatem in paludibus degere videantur, et exinde paene exſoluantur. Ab ἕλος, palus, et εἶδος, forma. Ge. Das Schwitzfieber. G. *Fievre Suante.* A. *The Sweating-fever.* B. *Zweet-koorts.*

ELONGATIO, Gr. παράτασις, in genere eſt tanta extenſio, vt partes firmae ſimul amittant accurtationis potentiam; ſed ſtrictiore ſenſu eſt luxationis imperfectae ſpecies, quando ligamentum alicuius articuli tantum elongatur, ita vt os ex iunctura non prorſus exeat. Ge. Ausdehnung. G. *Allongement.* B. *Uitrekking, Verlenging.*

ELVMBIS, vel ELVMBATVS, vocatur, qui ex dolore lumborum imbecillis redditur.

ELVTRIATIO, vocatur effuſio liquoris ex vno vaſe in aliud, vt a ſedimento ſuo libereturr. Ge. Das Abſchwemmen. G. *Le Lavage.*

ELVXATIO, i. q. *Luxatio.*

ELYMVS, eſt plantae genus ad graminum ordinem pertinens, (Triandr. Digyn.) cuius inuolucrum tetraphyllum, gluma nulla, corolla biualuis, valuula exteriore acuminata, interiore plana. Ab ἑλίττω, (forte) inuoluo, quod eius ſemina inuolucris inuoluantur, vel ab ἥλιος, a calore ſolari, quem amat. Ge. Sandhaber.

ELYTHROIDES, *vaginalis* dicta eſt *tunica* propriarum teſtis prima, darto nexa, virilemque teſtem vaginae in modum includens, ſiue capſula, qua includuntur vaſa ſpermatica. Ex recentiſſimis Cel. *Hunteri* obſeruationibus omnino a peritonaei productione oritur, quae teſticulum, qui in foetu in abdominis cauitate latet, in ſuo deſcenſu comitatur, et ita canalem coecum format, qui concreſcit et tunica vaginalis fit. Vide *Proceſſus peritonaei.* Singulo teſticulo priuatam vaginam concedit. Ab ἔλυθρον, vagina, inuolucrum, et εἶδος, forma. Vocatur etiam *Erythroides* a colore (ἐρυθρός, ruber). Malunt tamen quidam anatomici vtramque diſtinguere. Ge. Scheidehaut der Geilen. G. *Tunique Elythroide* ſ. *Vaginale.* A. *The Vaginal coat of the cods.* B. *Scheede-vlies.*

EMARGINATA, botanicis dicuntur folia, quae crena terminata ſunt. Ge. Ausgeſchweifte Blätter. G. *Feuilles évaſées.*

EMBAPHIVM, eſt acetabulum, aut vaſculum, quo medicamenta, aut alimenta, induntur, vel menſurantur. Item vas, in quod intingitur. Ab ἐν, in, et βάπτω, immergo, intingo.

EMBASIS, eſt balnei ſpecies, in quo quis aqua calida lavatur. Ab ἐμβαίνω, ingredior. Ge. Ein Bad. G. *Bain.* A. *A Sort of an hot Bath.* B. *Een Bad.*

EMBROCHE, EMBROCATIO, EMBROCHA, ſeu *irrigatio, inſtillatio, ſtillicidium*, fomentationis genus eſt, quando humor ex alto, pluuiae inſtar, in partem aliquam deſtillat, quae fit vel prolutione ex vaſculo proboſcide inclinata, vel deſtillatione, vel ex gutturnio. Adhibebatur olim *primo* ſuper futuram coronalem, quia cranium ea parte tenuius eſt, in cerebri intemperiebus, ſinebaturque humor per ſagittalem futuram decurrere. Praecipue ſic aqua frigida in mania applicari ſolet. *Secundo* ad principium ſpinalis medullae in

neruorum morbis, ſinebaturque humor per totam ſpinam defluere. *Tertio* ad calefaciendum, vel exſiccandum ventriculum, ſinebaturque materia per totum abdomen excurrere. *Quarto* ad reſoluendos tumores duros, vel etiam ancyloſes, poſt vulnera grauia remanentes.— Embrocharum materia eſt aqua communis, thermarum, decoctum ex herbis, lac, oleum, prout partis affectus et neceſſitas requirat. Aliis quoque *embroche* eſt fomentationis ſpecies, quæ fit, quando calida manus parti affectae imponitur; vel quando ſpongia, ſtupa conuenienti liquore repleta, adhibetur. Ab ἐμβρέχω, intingo. G. Ein Tropfbad. G. *La Dauche.*

EMBRYON, eſt rudimentum foetus in vtero materno, qui primo initio ſuis membranis contentus, corpuſculum in principio exiguum, figurae oualis, minime vero animalis quid refert, niſi quod caput, fere totum conſtituens, parum poſſit internoſci; ſicque *Embryonem* primis poſt conceptionem diebus, *foetum* poſt plures ſeptimanas, aut menſes, euolutione iam ad ſimilitudinem ſpeciei facta, dicunt. Alii *Embryonem* prima rudimenta dicunt in ouulo nondum vtero adnexo deliteſcentia, *foetum* vero, poſtquam ouulum vteri vaſculis adhaeſit. Sic botanici *Embryonem* vocant plantam ſeminalem, rudimenta plantae in ſemine latentia, ſucceſſiue ad perfectionem euoluenda; *Tournefortius* vero ipſa ſeminum rudimenta *Embryones* dicit. Ab ἐμβρύω, pullulo. Ge. Unzeitige Frucht. G. *Embryon, Germe.* A. *The rudiment of a child, or an embryo.* B. *Een onvolwaſſene Vrucht.*

EMBRYOTHLASTES, chirurgis inſtrumentum eſt, ad contundenda oſſa in extrahendo foetu accommodatum. Ab ἔμβρυον, foetus imperfectus, et θλάω, contundo. Ge. Ein Haken, damit die todte Leibesfrucht ausgezogen wird. G. *Un Crochet.* A. *A Crochet.* B. *Een inſtrument om een Kind af te haalen.*

EMBRYOTOMIA, eſt foetus diſſectio. Nec minus diſſectio foetus in vtero, in partu difficili, ad promouendam eius extractionem facta. Vel etiam diſciſſio funiculi vmbilicalis, et foetus a placenta ſeparatio. Ex ἔμβρυον, foetus rudimentum, et τέμνω, ſeco. G. Zerſchneidung der unzeitigen Frucht. G. *Embryotomie.* B. *De Ontleding van een onvolwaſſene Vrucht.*

EMBRYVLCIA, eſt in vniuerſum idem, quod ars obſtetricia, in ſpecie vero foetus mortui extractio. Ab ἔμβρυον, et ἕλκω, traho. Ge. Geburtshülfe, Entbindungskunſt. G. *Art des Accouchemens.* A. *Midwifery.*

EMBRYVLCVS, vncus ferreus, foetui extrahendo deſtinatus. Ab ἔμβρυον, foetus imperfectus, et ἕλκω, traho. Idem

quod *Embryotblaſtes.* Hinc *Embryulcia* vocatur illa operatio chirurgica, qua in partu praeternaturali foetus mortuus manibus, aut inſtrumentis, ex vtero protrahitur.

EMETICVM, ſiue VOMITORIVM, eſt medicamentum, quod particulis ſuis irritatiuis ventriculi fibras verſus ſuperiora contrahit, et quicquid ventriculo contentum moleſtum eſt, vel materiam peccantem aliunde eo deriuatam, per os expellit. Conficitur ex decoctis, tincturis, infuſionibus, etc. ideoque vt plurimum in liquida forma propinatur, licet in pilulis, puluеribus, etc. etiam aegris porrigatur. Ab ἐμέω, vomo. Ge. Ein Brechmittel. G. *Vomitif, Emetique.* A. *A Vomit, Puke, or an Emetick Medicine.* B. *Een Braakdrank, Braak-middel.*

EMETOLOGIA, eſt deſcriptio Emeticorum. Ab ἐμέω, vomo, et λόγος, ſermo. Ge. Beſchreibung der Brechmittel. G. *Une Deſcription des vomitifs.* A. *A Deſcription of the vomits.* B. *Beſchryving van de Braak-middelen.*

EMETOS, vide *Vomitus.* Ab ἐμέω, vomo.

EMINENTIA, dicitur de omnibus partibus ſolidis, quae ſupra aliam ita eleuantur, vt manifeſte ab ea diſtingui poſſint, quales eminentiae in variis cerebri partibus, vt etiam in variis oſſibus, conſpiciuntur. Ge. Eine Erhöhung. G. *Eminence.* B. *Uitpuiling.*

EMISSARIVM, eſt canalis, per quem humor quicunque effluit, vel de corpore excernitur. Ge. Der Ausführungsgang. B. *Uitloopsbuis.* — *Emiſſaria Santorini,* vocantur ab hoc auctore venae minores, quae per aliqua cranii foramina, v. c. maſtoidea poſtica, bregmatica, etc. inter ſinus durae matris et venas capitis externas communes intercedunt. — *Emiſſaria durae matris* dicuntur proceſſus durae matris nervos v. c. opticum extra cranium comitantes.

EMMENAGOGA, ſunt medicamenta menſes mulierum ſubſiſtentes, vel non ſatis fluentes cientia. Sunt haec vel calida ſanguinem commouentia, vt myrrha, ſabina, etc. quae, minus licet recte, cum vix dentur ſpecifica *Emmenagoga,* pro talibus habentur: vel latiori ſenſu, huiusmodi remedia, quae cauſſas Dyſmenorrhoeae tollunt, quo ergo diluentia, reſoluentia, roborantia pertinent. Ex ἐν, in, μήν, menſis, et ἄγω, duco, quoniam catamenia intra ſpatium vnius menſis fiunt. G. Mittel zu Beförderung der Monatlichen Reinigung. G. *Remedes Emmenagogues.* B. *Maandſtond, of Vloed verwekkende Middelen.*

EMMENIA, idem quod *Catamenia* et *Menſes.* Ex ἐν, in, et μήν, menſis.

EMMOTON, eſt medicamentum liquidum, quod penicillis vulnerariis, vel linteo concerpto, exceptum, puſtulis, aut vlcerum ſinibus, iniicitur. Ab ἐν, in, et μοτὸς, linteum, quod vulneribus inditur. *Hippocrates* autem videtur hoc vocabulo etiam vti, ad deſignandum vlcus, quod tali medicamento indiget. Hinc μοτόω, indo tale linamentum.

EMOLLIENTIA, ab *Emollire*, ſeu Μαλακτικὰ, ſunt medicamenta, quae calefaciendo, diſſoluendo, diſſipando et penetrando, partes ſolidas molles reddunt, et humorum acrimoniam leniunt; vel etiam huiusmodi remedia, quae tumoribus duris, nec amplius diſcutiendis, impoſita, eos ad ſuppurationem perducunt. Talia ſunt vnguenta, emplaſtra, cataplaſmata, quae componuntur ex partibus aqueis et mucilaginoſis, et ex regno vegetabili et animali depromuntur. A μαλάσσω, emollio. Ge. Erweichende Mittel. G. *Remedes emolliens*. B. *Verzagtende dingen.*

EMPASMA, eſt puluis adſtringens, halitum ex ore foetidum corrigens, vel qui nimium ſudoris effluxum cohibet. Idem quod *Catapaſma*.

EMPEIRIA, ſeu EMPIRIA, vide *Empirica medicina*, eſt experientia in arte medica obſeruationibus absque ratione innixa, praecipiens in morbis eiusdem generis applicare, quae antea prodeſſe viſa, et abſtinere ab iis, quae noxia comperta ſunt. Ex ἐν, in, et πεῖρα, experientia. Ge. Empiriſche Arzneykunſt, Medicin, die ſich blos auf Erfahrung gründet. G. *Empiriſme*. B. *Ervaring*.

EMPETALON, idem quod *Eupetalon*.

EMPETRON, vide *Saxifraga*.

EMPETRVM, *(nigrum, ſ. Erica baccifera)*, eſt frutex, qui habet caules ramoſos, flexiles, lignoſos, repentes, valde extenſos, cortice fuſco rubicundo inſtructos. Folia ſunt parua, oblonga, habitus Ericae. (Dioec. Triandr.) Flos mas tripetalus eſt, et tribus ſtaminibus conſtans: fructus vnilocularis alio loco plantae natus baccae ſimilis eſt, foetus ſeminibus nouem oſſeis et cartilagineis. Radix lignoſa, dura. Haec planta creſcit in montibus et locis ſaxoſis. Ab ἐν, et πέτρος, ſaxum. Baccae vertiginem inducunt. Ge. Beerheide, Apenbeere, Trunkelbeere. G. *Bruiere baccifere*. A. *Black-Berry Heath, Craw-berries*.

EMPHRACTICA, ſunt, quae poros obſtruunt. Ab ἐμφράττω, obſtruo. Idem quod *Emplaſtromena*.

EMPHRAXIS, eſt obſtructio in quacunque cauitate, vel canali, per viſcoſam, vel alterius indolis materiam in ipſo cauo haerentem facta, ita vt tota cauitas aboleatur. Ab ἐμφράσσω,

ἐμφράσσω, obſtruo. Ge. Verſtopfung. G. A. *Obſtruction*. B. *Verſtopping*.

EMPHYSEMA, eſt tumor flatulentus, cuti concolor, indolens, preſſioni digitorum cedens, ſed ea ſublata, ilico iterum aſſurgens, ortus ab aëre ſubdole ingreſſo, aut impulſo, et hoſpitante in cellulis panniculi adipoſi vbicunque loci. Nonnunquam a putredine oritur, ſi aër in fluidis haerens euoluitur. Vocatur etiam Gr. ἐμπνευμάτωσις. Ab ἐμφυσάω, inflo. Vide *Pneumatoſis*. Ge. Windgeſchwulſt G. *Enflure, Emphiſeme, Bourſouflure*. A. *A Puffing up, Emphyſematous ſwelling*. B. *Opblaazing*.

EMPHYTON THERMON, eſt calidum innatum, ſeu calor ex parentum ſemine primo in foetu ſeminatus, qui poſtea, inchoata reſpiratione, et foetu per ſe ſubſiſtente, ſenſim perit. Calidum hoc philoſophi et medici veteres *ſpiritum inſitum* et *natiuum* nominarunt, et ex tribus conſtare partibus aſſerunt, videlicet ex *humido primigenio, inſito ſpiritu, et calore*. Vnde *Fernelius* definit calidum innatum, quod ſit humidum primigenium, inſito ſpiritu, et calore vndique perfuſum. Verum vix nobis multum lucis haec commenta ſuppeditant; calidum enim illud in recens natis inſpirando, et alimenta ſumendo, et per motum ſanguinis conſeruatur. Ab ἐμφύω, innaſcor, et θερμαίνω, calefacio. Ge. Angeborne Wärme. G. *Chaleur naturelle, innée*. A. *The innate heat*. B. *De ingeboren warmte*.

EMPIRICA MEDICINA, vide *Empeiria*. Secta olim fuit in medicina, cuius autor fuit *Acron Agrigentinus*, aut iuxta alios *Serapion*; qui, neglectis rationibus, poſthabitaque rerum inveſtigatione et anatome, ſolis experimentis nitebatur, et in incognitis morbis ad ſimiles affectus et ſimilia remedia confugiebat. Floruit haec ſecta potiſſimum apud *Aegyptios*, apud quos, teſte *Herodoto*, ſinguli morbi ſingulos fere medicos habebant. Progreſſu autem temporis homines experientiae rationem addere ſtudebant, et ita paulatim ante *Hippocratem* apud *Cnidios, Rhodios* et *Coos*, noua ſecta ſubnaſci coepit, quae primo dicta fuit *Dogmatica*, ſeu *Rationalis*. Ab ἐμπειρέω, tento. Ge. Empiriſche Arzneykunſt. G. *Medicine Empirique*. A. *Empiric Medicine*. B. *Proefkundige Medicyne*.

EMPIRICI, ſunt medici, qui in curandis morbis experimentis ſolummodo contenti ſunt, neglecta ratione. Vide *Empirica Medicina*. — Hoc nomine etiam circumforanei et medicaſtri denotantur. Ge. Quackſalber, herumziehender

Arzt. G. *Medecins empiriques, Charlatans.* A. *Empiricks, or Quacks, Mountebanks.* B. *Quakzalvers.*

EMPLASTICA, idem quod *Emplatromena.*

EMPLASTRVM, eſt medicamentum topicum, quod linteo, vel pelli tenui, inductum, cuti applicatur, eique tenacivs adhaeret, et pro varietate ingredientium varios effectus exſerit. Componitur vulgo ex oleis, aut iis, quae olei conſiſtentiam fere habent, qualia ſunt axungiae, medullae, butyrum, mucilagines. Item ex pulueribus, et cera, aut iis, quae ad cerae conſiſtentiam accedunt, vt reſina, pix, gummi, etc. cuius maſſa adhuc calida in teretes et longas figuras, ſiue magdaleones cylindraceas, formatur, quales quam plurimae compoſitiones in officinis proſtant. Ab ἐμπλάσσω, fingo, formo, illino. Ge. Pflaſter. G. *Emplatre.* A. *A Plaiſter.* B. *Zalf, Pleiſter.*

EMPLATTOMENA, ſeu EMPLASTICA, et ἐμφρακτικὰ, ſunt medicamenta, quae applicata corpori humano, illi ſua tenacitate adhaerent, meatusque externos ingrediendo conſtipant ſimul, id eſt, perſpirationem iſtius partis vna impediunt. Ab ἐμπλάσσω, illino. Ge. Dürrbänder. G. *Remedes, qui empechent la tranſpiration.* B. *Medicyne, die de Zweetgaten ſtopt.*

EMPNEVMATOSIS, ſiue INSPIRATIO, eſt adductio aëris per os, nares, glottidem, tracheam, in pulmones, qua pulmonales veſicae expanduntur, earumque parietes ab invicem recedunt, cauſam habens thoracis dilatationem, per muſculos ſubclauios, intercoſtales, et depreſſionem diaphragmatis deorſum in abdomen factam, vnde aër interior rarior fit, aerique externo magis elaſtico ingredienti minus reſiſtit. Per inſpirationem ergo et veſicularum pulmonalium expanſionem etiam ipſa vaſcula pulmonalia explicantur, ſicque faciliorem tranſitum ſanguini a ventriculo cordis dextro appulſo concedunt. Ab ἐμπνέω, inſpiro. Ge. Das Athemholen. G. *Inſpiration.* A. *An Inſpiration.* B. *Inademing.* — In praxi haec vox denotat collectionem aëris elaſtici in quadam corporis parte, vbi in ſanis non reperitur. Vide *Pneumatoſis*, et *Emphyſema.*

EMPROSTHOTONOS, TETANVS EMPROSTHOTONICVS, eſt ſpaſmus tonicus ceruicis et reliqui corporis verſus anteriora, ita vt mentum pectori applicetur et femora ventri, cum rigore, qui aliquamdiu hanc inſolitam figuram retinet, et difficultate deglutiendi et reſpirandi. Ab ἔμπροσθεν, anterius, et τείνω, tendo. German. Emproſthotonus, krampfichte Vorneigung des Halſes und des Körpers. G. *Emproſthotone.* B. *Voorovertrekking, Halsſpanning voorwaarts.*

EMPYEMA, proprie dicitur puris in thoracis cauitate collectio, quae fit, quando vomica quaedam poſt praeuiam inflammationem in pulmone, pleura, mediaſtino, ea ratione rumpitur, vt pus per ſputa euacuari nequeat; vel vulnus thoraci inflictum nimis cito clauditur, vnde puri ad externa egreſſuro via impeditur, cum ſumma difficultate reſpirandi, pro vario ſitu corporis aucta, decubitu praecipue in latus ſanum difficili, niſi pulmones accreti pleurae pus ſuſtineant, palpebris tumidis, vnguibus aduncis, macie, febre hectica, etc. Sed ſi latius ſumatur, etiam pro pure in abdomine, aut alibi, collecto accipi poteſt. Dicitur et *Ecpyema*, et *Ecpyeſis.* Ab ἐν, intus, et πύον, pus. Ge. Bruſtgeſchwür, Eiterbruſt. G. *Empyéme, Apoſtume dans la Poitrine, ou dans le bas ventre.* A. *An Impoſtume in the cavity of the breaſt or belly.* B. *Een Etter-borſt.* — *Empyematis operatio* fit, quando inciſione in latere thoracis inferius inter coſtas facta pus in cavitate thoracis haerens emittitur.

EMPYOCELE, eſt hernia purulenta, ſeu collectio puris in ſcroto. Ab ἐμπυὸς, ſuppuratio, et κήλη, hernia. Ge. Ein Eiterbruch. G. *Empyocéle.*

EMPYOMPHALVS, eſt abſceſſus ſub vmbilico natus. Ab ἐμπυὸς, ſuppuratio, et ὄμφαλος, vmbilicus. Ge. Nabelgeſchwür. G. *Empyomphale.*

EMPYREVMA, aduſtum quid ſignificat, v. c. quando aquae recens deſtillatae ingratum odorem et ſaporem habent, vel eſt craſſamentum illud viſcidum, quod in aquis deſtillatis ad fundum ſubſidet. Eſt ergo ſeparatio et noua coniunctio minus placida particularum corporis animalis, vel vegetabilis, calori expoſiti maiori, quam eſt gradus aquae bullientis, hinc aut defectus aquae, aut contactus immediatus cum parietibus vaſis, vel cum ipſo igne, facile empyreuma inducit, et producti colorem, odorem et ſaporem mutat, atque ingratum efficit. Sic *Olea empyreumatica* vocamus olea eſſentialia aduſtione quoad formam et indolem ſuam mutata. — Item reliquiae alicuius febris poſt paroxyſmum. Ab ἐμπυρεύω, accendo. Ge. Brandicht. G. *Empyreume, qui ſent le brulé.* A. *Any Thing that taſts or ſmells, as if it were burnt.* B. *Verbrandheid.*

EMVLGENTIA VASA, ſed melius *Renalia*, dicuntur venae et arteriae, quae renes ſubeunt, ſingulae vtrinque ortae ex trunco venae cauae et arteriae magnae, quorum numerus interdum varius eſt in variis corporibus, imo in renibus

vtriusque lateris in eodem homine. Vide *Renes*. Ge. Nierengefäße. G. *Vaiſſeaux emulgens*. A. *The emulgent veſſels of the Kidneys*. B. *Nier-vaten*.

EMVLSIO, ab *Emulgere*, eſt medicamentum potulentum, lactis colorem aemulans, ex ſeminum quorundam, quae multum olei vnguinoſi continent, nec ingratum, vel aromaticum, ſaporem habent, expreſſo oleo cum affuſo commodo liquore contuſione et expreſſione educto, compoſitum, cuius colaturae ſyrupi, ſaccharum, etc. adiiciuntur. Improprie etiam dicuntur emulſiones, dum balſama naturalia aut gummata cum vitello oui ſubacta aquae permiſcentur, ad faciliorem, aut gratiorem, vſum. Ge. Mandelmilch, Emulſion. G. *Emulſion, lait d'Amandes*. A. *Emulſion*. B. *Amandelmelk*.

EMVNCTORIA, ſunt cauitates, in quibus aliquid excernitur, vt nares pituitam recipiunt: aures humorem flauum craſſiuſculum: aluus excrementa aluina: veſica vrinam, etc. Latiori ſenſu etiam ipſa organa, in quibus humores excrementitii ſecernuntur, *Emunctoria* dicuntur. Ge. Ausführungswege. G. *Emonctoires*. A. *Emunctory veſſels*. B. *Ontfang-buizen*.

EMVNDANS, medicamentum eſt, quod externe applicatum, detergit et abluit ſimul per vehiculum aquoſum, quae externe vlceribus, vel vulneribus, adhaerent. Ge. Reinigendes Mittel. B. *Zuiverend Middel*.

ENAEMON, proprie ſignificat cruentum, et dicitur de vulnere recenti, quod ſanguinem ſtillat. *Dioſcorides* ſic etiam vocauit medicamentum ſanguinem ſiſtens, vel quod adſtringendo, refrigerando et exſiccando meatus vaſorum apertorum claudit, ſanguinis fluiditatem, motumque vehementiorem imminuit, vel ſiſtit. Ex ἐν, in, et αἷμα, ſanguis. Ge. Blutſtillendes Mittel. G. *Reméde qui etanche le ſang*. A. *A Medicine to ſtop bleeding*. B. *Een bloedſtillend Middel*.

ENAEOREMA, ſiue NVBECVLA, aut NVBES, eſt craſſamentum illud, quod vrinae innatat, vel in vrinae medio nubeculae inſtar ſuſpenſum continetur, et ab *hypoſtaſi*, ſiue *ſedimento*, ſola grauitate differt. In vrina ſanorum matutina plerumque Enaeorema apparere ſolet; in morbis ante hypoſtaſin apparens, coctionem nondum factam, poſt hypoſtaſin apparens, eam maximam partem abſolutam eſſe ſignificat. Ab ἐναιωρέω, in ſublime attollo. Ge. Das Wölklein im Urin. G. *Eneoréme*. A. *The contents that ſwim in the middle of the Urine*. B. *De Wolken in de Pis*.

ENARTHROSIS, eſt articulatio, cum cauitas excipiens profunda admodum, et caput, quod in eam inſeritur, fere rotundum eſt, quali articulatione os non ſolum flecti, ſed et ad omnem directionem aliquantum poteſt circumduci. Atque haec conſpicitur in femore et acetabulo, quod iſchio vulgo tribuitur. Maior ſic articulo firmitas, at minus liber in omnem directionem motus, quam in *Arthrodia*, datur. Ab ἐν, in, et ἄρθρον, artus. Ge. Tiefe Einlenkung. G. *Enarthroſe*. A. *An Inarticulation*. B. *Inleding*.

ENCANTHIS, eſt caruncula lacrymalis, ſiue ſubſtantia membranoſo vaſculoſa ad angulum internum vtriusque oculi poſita, ad faciliorem lacrymarum in puncta et ductus lacrymales influxum.—Dicitur etiam *Encanthis*, vel *Sarcoma Encanthis*, morbus quidam oculorum, qui duplex eſt ratione ſedis; alter eſt excreſcentia ipſius caruncula lacrymalis; alter vero naſcitur inter palpebram et globum; vtriusque ſuperficies eſt granuloſa ad inſtar fructus mori, vnde nomen Gallicum; color nunc plumbeus, nunc ruber. Ex ἐν, in, et κάνθος, angulus. Ge. Ein Gewächs am großen Augenwinkel. G. *Mure*.

ENCATHISMA, idem quod *Inſeſſus*. Ab ἐν, in, κάτω, infra, et ἕζομαι, ſedeo.

ENCAVMA, ſeu INVSTIO, non tantum maculam alicui parti inuſtam ſignificat, ſed proprie denotat vlcus corneae admodum ardens, profundum, cruſtoſum, ſordidum et dyſepuloticum, vnde globus oculi ſenſim deſtruitur et viſus extinguitur. Ab ἐγκαύω, inuro. Ge. Ein Geſchwür auf der Hornhaut. G. *Ulcére de la Corvée*.

ENCAVSTVM, eſt materia in vitrum conuerſa, cui alia materia immiſta eſt, quae non in vitrum abiit. Eſt itaque vitrum minus pellucidum, cuius minor pelluciditas a calce metallica admiſta pendet. Vaſa murrhina vt plurimum encauſti variis ſpeciebus picta, aut murrhina viliora (*fayence*) iis obducta ſunt. Ge. Email, Schmelzerde. G. *Email*.

ENCEPHALON, eſt, quodcunque cranii moeniis concluditur; vt *cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, corpus calloſum, corpus ſtriatum*, etc. Quae vide ſuo loco. Ab ἐν, in, et κεφαλή, caput. Ge. Das Gehirn. G. *Cerveau*, vel *Cervelle*. A. *The brain*. B. *Het Herſen geſtel*.

ENCEPHALOCELE, HERNIA CEREBRI, eſt cerebri, cerebelli, aut vtriusque, per oſſium cranii non penitus oſſificatorum hiatum circa fontanellam, vel futuras, prorumpentis ectopia hernioſa, quae cognoſcitur protuberantia variae magnitudinis, rotunda, integumentis communibus ſupertecta colore natiuo donatis, molli, cum pulſatione pulſui reſpondente, et preſſioni cedente, baſi circulo oſſeo digitis ex-

plorando cincta: interdum vix grauia ſymptomata adſunt; ſaepe vero paralyſis, conuulſio, ſopor, anaeſthesia ſequuntur. Ge. Ein Hirnbruch. G. *Encephalocéle*, *Hernie du Cerveau.*

ENCHARAXIS, vide *Scarificatio.* A χαράσσω, ſcarifico.

ENCHEIRESIS, eſt dexteritas quaedam ſingularis, inſtructione, vel habitu, acquirenda, in iis laboribus, qui manibus perficiuntur. Sic *Encheireſis anatomica* eſt dexteritas in rite diſſecandis corporis partibus. Sic etiam in chirurgia, in chymia, Encheireſi opus eſt. Ab ἐγχειρέω, manum admoueo. Ge. Handgriff, Vortheil. G. *Adreſſe.* B. *Vaardigheid.*

ENCHERIDAE, ſunt grumi, qui in emplaſtris inter liquefaciendum inueniuntur.

ENCHRISTVM, eſt vnguentum, aut linimentum, quo pars affecta illinitur. Ab ἐγχρίω, inungo.

ENCHVSA, i. q. *Anchuſa.*

ENCHYMOMA, ENCHYMOSIS, ſ. *Ecchymoma*, vel *Ecchymoſis*, eſt ſanguinis effuſio, qua partes externae liuidae et nigrae conſpiciuntur, vt in ſcorbuto, et ſugillationibus oculorum, aliarumque partium. Dicitur etiam *Vibex.* G. Blaue Striemen, ausgetretenes Blut. G. *Meurtriſſure.* A. *An Effuſion of blood in any part.* B. *Striemen, Blaauwigheid.* — Item ſanguinis diffuſio, quando nimirum eius motus citatior fit, et totum corpus inde vehementer rubet, vt in ira, et gaudio effuſo. Ab ἐγχέω, infundo, et χυμός, humor. Ge. Plötzliche Röthe. G. *Enchymoſe.* A. *Flushing.*

ENCHYTA, ſeu INFVNDIBVLVM, eſt inſtrumentum, quo liquida in oculos, nares, vel aures, inſtillantur. Ab ἐγχέω, infundo. Ge. Ein Trichter. G. *Un Entonnoir.* A. *A Funnel.* B. *Een Trechter.*

ENCLYSMA, idem quod *Clyſter.* Ab ἐν, intus, et κλύω, abluo.

ENCOPE, eſt partis alicuius inciſio, ſiue caſu facta, ſiue conſilio, vt in Gangraena, etc. Ab ἐγκόπτω, incido. Ge. Einſchnitt. Ga. et A. *Inciſion.* B. *Inſnyding.* — — Apud *Galenum* denotat ſolutam cranii continuitatem ab aliquo acuto occurrente et ſcindente.

ENCRANIVM, idem quod *Cerebellum.* Ab ἐν, in, et κρανίον, caluaria.

ENDEIXIS, eſt morborum indicatio, qua demonſtratur, quid fit faciendum, ſumiturque a propria cuiusque morbi natura: ex. gr. vulnus indicat deligationem. Alui obſtructio indicat purgationem, ſiue ἄνω, vel κάτω. Eſt vero vel

Conſeruatoria, vel *Curatoria.* Ab ἐνδείκνυμι, demonſtro. Vide *Indicatio.* Ge. Anzeige, Abſicht. G. *Indication, Intention.* A. *Indication.* B. *Inzigt, Intentie, Aanwyzing.*

ENDEMIVS, ſiue *Morbus Vernaculus*, et *Communis*, eſt, qui omni tempore plurimos in vna regione inuadit, a cauſa, loco, vel regioni, propria, et inquilina proueniens. Vt ſcorbutus Hollandis, vel lepra olim Iudaeis. Ab ἐν, in, et δῆμος, populus. Ge. Landkrankheit. G. *Maladie endemique, Mal du pais.* A. *An endemic Diſeaſe.* B. *Land-ziekte.*

ENDEMVS, i. q. *Endemius.*

ENDIVIA, ſeu INTVBVM. Haec corrupta ab Intubo voce, in Hetruria paſſim *Endiuia* appellatur. Dicitur etiam *Seris*, *Seriola*, et *Scariola.* Endiuia ſyluestris eſt proprie *Cichoreum Intybus Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) Cichoreum ſyluestre, vel officinarum, *Bauh.* et *Tournef. Endiuia* communis vero eſt Cichorium Endiuia *Linn.* vel Cichorium latifolium, ſeu Endiuia vulgaris, *Tournef.* Huius folia teneriora hyemali maxime tempore acetaria ſuppeditant. Ge. Endivien. G. *Endive, ou Scariole.* A. *Endive.* B. *Endivie.*

ENEMA, i. q. *Clyſter.* Ibidis, auis Aegyptiae, inuentum dicitur. Ab ἐνίημι, immitto.

ENERGIA, eſt actio, vel operatio, virium naturae in corpore animali. Ab ἐνεργέω, operor. Ge. Wirkung, Kraft. G. *Energie, Efficace.* A. *Efficacy, Force.* B. *Werking.*

ENERVATIO, eſt debilitas in actionibus voluntariis peragendis. G. Kraftloſigkeit, Schwachheit. G. *Epuiſement, Debilité.* A. *Weakneſs.* B. *Zwakheid, Kragteloosheid.*

ENERVIA, botanicis dicuntur folia, in quibus nulla vaſa a baſi ad apicem vsque extenſa conſpiciuntur.

ENGASTRIMYTHI, idem quod *ventriloqui*, dicuntur, qui clauſo ore aerem inſpirando loqui ſciunt, ſic vt in ventre vocem edere videantur, vt Pythii olim ſolebant. Ge. Ein Bauchredner. G. *Engaſtrimandre, Engaſtromante, Engaſtrimythe, Ventriloque.*

ENGIZOMA, eſt caluae ictus, in quo offenſum os ad interiorem cerebri membranam deſcendit, eamque premit. — Item inſtrumentum, quo in eiusmodi affectibus vtimur. Ab ἐγγίζω, appropinquo.

ENGONIOS, eſt brachii, vel cruris, flexura. Ab ἐν, in, et γωνία, angulus.

ENISCHOMENA; ita fluida, ſiue partes contentae, vocantur.

ENIXVM SAL; per illud intelligunt ſal quoddam, ex acido et alcali participans: dicitur quoque ſal *neutrum*, vel *ſal*

medium, quia nec alcali vere eſt, nec acidum; et huiusmodi ſunt ſal commune, natrum, alumen, vitriolum, etc. G. Mittelſalz. G. *Sel neutre.* A. *Neutral ſalt.*

ENNEANDRIA, eſt claſſis plantarum, quarum flores novem ſtamina, ſeu organa maſculina, includunt.

ENORMON, ἐνορμῶν. Vide *Impetum faciens.*

ENS, ab ESSE, proprie eſt quaecunque res exiſtens; quibusdam vero ita dicitur alicuius mixti pars eſſentialis.

ENS VENERIS BOYLEI, eſt productum chymicum, ſcilicet ſal ammoniacum a colcothare ſublimatum, cuius olim in cancro, ſcorbuto et epilepſia efficacia a quibusdam ſummopere laudabatur. Vocatur etiam *Ens Martis*; nil enim cupri continet.

ENSIFORMIA, botanicis dicuntur folia, duobus angulis prominentibus longitudinalibus, diſco conuexiore, a baſi ad apicem ſenſim attenuata.

ENSIFORMIS CARTILAGO, Gr. ξιφοειδὲς, eſt infima oſſis ſterni pars, cartilaginea, non raro oſſea, enſis inſtar mucronata, nonnunquam bifurcata, quod tamen, notante *Monroo*, in foeminis frequentius eſt, quam in viris. G. Der Schwerdtförmige Knorpel. G. *Le Cartilage Enſiforme, ou Xiphoide.* A. *The Sword-like cartilage.* B. *Hertendekzel, Zwaartachtig Kraakbeen.*

ENTALIVM, teſtaceum quoddam marinum eſt, fiſtulae modo longum et concauum, album, foris ſtriatum, intus laeue, raro longitudinem digiti ſuperans, quod olim in remediis quoque adhibebatur. Vide *Dentalium.*

ENTERADONES ſunt glandulae inteſtinorum, hinc *Enteradenologia*, eſt doctrina de glandulis inteſtinorum.

ENTERENCHYTA, eſt inſtrumentum, quo clyſteres immittuntur. Vocatur et *Siphon*, et *Syringa.* Ge. Eine Clyſtierſpritze. G. *Siringues.* A. *Clyſter pipe.* B. *Clyſteerſpuit, Syringe.*

ENTERITIS eſt inflammatio inteſtinorum, ſcilicet phlegmaſia acuta, cuius praecipua ſymptomata ſunt tenſio ſumme dolorifica et tumida earum partium abdominis, quibus inteſtina reſpondent, cum pyrexia, meteoriſmo, quibus ileus, dyſenteria, vel ſimilia ſymptomata adiunguntur. Extenſione phlegmonodea tactum non tolerante, ſumme dolorifica, cum pyrexia acuta, diſtinguitur ab ileo, dyſenteria, colica, quarum ſpecies etiam plures inflammatoriae ſunt, ſed in quibus ſymptomata generi propria praedominantur. Ge. Entzündung der Gedärme. Ga. *Inflammation des boyaux.*

ENTEROCELE, ſiue hernia inteſtinalis, eſt inteſtinorum, praeſertim ilei, per annulos muſculorum abdominis dilatatos, ad inguina, vel ſcrotum, prolapſus. Ab ἔντερον, inteſtinum, et κήλη, tumor. Nonnullis vocatur *Oſcheocele*, vel *Hernia perfecta*, ſeu *Scrotalis*, vt a *Bubonocele*, quae imperfectior quaſi hernia eſt, quoniam inteſtinum in inguine haeret, nec ad ſcrotum extenditur, diſtinguatur. In vniuerſum tamen omnem herniam inteſtinalem ſignificat. Ge. Ein Darmbruch. Ga. *Deſcente, Hernie.* A. *A Rupture, where the inteſtines are falln into the ſcrotum.* B. *Scheurzel, Darmbreuk.*

ENTEROCYSTOCELE, eſt ectopia hernioſa veſicae vrinariae vna cum inteſtinis per annulos muſculorum abdominalium prolapſae. Ge. Ein Blaſen- und Darmbruch. Ga. *Enterocyſtocéle.*

ENTEROEPIPLOCELE, eſt ſpecies herniae, quando omentum et inteſtina ſimul in ſcrotum per dilatatum annulum muſculi abdominis deuoluuntur et prolabuntur. Ex ἔντερον, inteſtinum, ἐπίπλοον, omentum, et κήλη, tumor. Ge. Netz- und Darmbruch. G. *l'Entero-epiplocele, ou deſcente des inteſtins & de l'Epiploon.* A. *A Rupture when the Omentum and the inteſtines fall together into the Scrotum.* B. *Net en Darmbreuk.*

ENTEROGASTROCELE, eſt prolapſus inteſtinorum per hiatum quendam in muſculis abdominalibus. Idem quod hernia abdominalis. Ge. Ein Bauchbruch. G. *Enterogaſtrocéle.*

ENTERO-HYDROCELE, eſt illa *Hydroceles* ſpecies, quae cum hernia ſcrotali coniungitur, quam adeſſe colligimus, ſi, inteſtinis repoſitis, nihilominus in latere affecto tumor aliquis, veſicae aqua repletae ad tactum ſimilis, circa teſticulum remanet. Ge. Darm- und Waſſerbruch.

ENTEROMEROCELE, idem quod hernia cruralis, vel femoralis, dum inteſtinum non per annulum muſculi abdominis, ſed altius paulo, ſcilicet ſub ligamento Poupartii, prorumpit. Ge. Ein Schenkelbruch. G. *Enteromerocéle.*

ENTEROMPHALOS, eſt *Hernia vmbilicalis*, cum inteſtina, ob peritonaeum hic facile dilatandum, in vmbilico protuberant, quod neonatis ante vmbilici conſolidationem multum clamantibus, neque minus mulierculis grauidis, interdum contingit, et poſt partum non raro remanet. Ex ἔντερον, inteſtinum, et ὀμφαλὸς, vmbilicus. Idem quod *Exomphalos.* Si vero omentum ſimul cum portione inteſtini exit, voca-

tur *Enteroepiplomphalos.* Ge. Nabelbruch. G. *Hernie du nombril.* A. *A Navel rupture.* B. *Nável-breuk.*

ENTERON, eſt fiſtula longa, membranacea, a ventriculo incipiens, atque inde alimenta recipiens et vlterius propellens, meſenterio, ne confundantur inteſtina, annexa, flexuris variis et in quouis fere corpore diſſimilibus dotata, vt eo plura vaſa lactea admittant, eorumque anguſtia numero compenſetur. Hunc vero canalem ſex inteſtina conſtituunt, *duodenum, ieiunum, ileum, coecum,* cui adhaeret *appendicula vermiformis* ad finem clauſa, quae a nonnullis pro coeco habetur, *Colon,* et *Rectum.* Superiora tria *tenuia* dicuntur, in quibus chylus diluitur et attenuatur, vt vaſorum lacteorum orificia ſubire poſſit. Rectius tamen hodie ieiunum et ileum iunctim *Inteſtinum tenue* dicuntur, cum non niſi ſucceſſiue inter ea appareat differentia ratione tranſparentiae, valuularum conniuentium, et numero vaſorum lacteorum. Inferiora *craſſa* appellantur, in quibus faeces aluinae aſſeruantur, ne continuo deiicere cogamur. Tunicas habent quatuor: Primo *communem,* quae a peritonaeo, ſeu a duplici membrana meſenterii ſecedente et inteſtina transſcendente oritur: *muſculoſam,* quae conſtat ex fibris albicantibus, ſe contrahere valentibus, quarum exteriores longitudinales, tantum inueniuntur a parte meſenterio oppoſita; interiores orbiculares, quae totum inteſtinum ambiunt, et inſeruiunt contrahendo tubo inteſtinali: *nerueam,* ſeu tendineam, quae firmitatem inteſtinis largitur, et *internam,* quae etiam *rugoſa* et *villoſa* dicitur, quia a parte inteſtinorum cauum ſpectante villos habet pendulos, in quorum extremis oſculis patentibus hiant venae meſeraicae et vaſa lactea. Quintam addidit tunicam *Ruyſchius,* nimirum *celluloſam* inter tunicam communem et muſculoſam, ſed haec inter ſingulas tunicas conſpicua eſt, ſi infletur, easque inuicem nectit. Inteſtinorum magnitudo, ſeu longitudo, vt plurimum ſexies plus minus ſuperat longitudinem hominis, cuius ſunt. Vocantur item inteſtina, ἐγκοίλια, ἐνδύνα, χοῆδαι *Aureliano,* ἔγκατα. Ab ἐντὸς, intus. Ge. Das Gedärm. G. *Les Boyaux, les Inteſtins.* A. *The guts, inteſtines.* B. *De Darmen.* — — Rectum inteſtinum. Ge. Der After- oder Maſtdarm. G. *l'Inteſtin rectum, ou droit.* A. *The ſtrait gut.* B. *De Regte-darm.*

ENTEROPERISTOLE, eſt inteſtinorum compreſſio, conſtrictio, ſtrangulatio, vel incarceratio, ſiue qua intra abdominis cauitatem per partium vicinarum tumores conſtringuntur, ſiue qua extra abdomen prolapſa per excrementorum accumulationem, flatuumque acceſſionem ſpaſmum

muſculorum tumentia comprimuntur, vnde, tranſitu contentorum denegato, vomitus excitatur, et excretio per aluum penitus prohibetur. Ge. Einklemmung der Gedärme.

ENTERORHAPHIA, eſt operatio chirurgica, qua inteſtina vulnerata acu et filo conſuuntur, ſicque eorum conſolidatio promouetur. Ge. Darmnath. G. *Entéroraphie.*

ENTEROSARCOCELE, eſt tumor teſtis cum hernia inteſtinali ſcrotali coniunctus.

ENTEROTOMIA, eſt operatio, qua in herniotomia, vel inteſtinis e vulnere abdominis progreſſis, gangraenoſa eorum pars a ſanis ſeparatur. Ge. Darmſchnitt.

ENTRICHOMATA, dicuntur tarſi, ſiue extremi palpebrarum ambitus, vnde excreſcunt cilia.

ENTROPIVM, eſt morboſa palpebrarum introrſum converſio, vnde continua a ciliis oculi irritatio, lacrymarumque effluxus. Ge. Verdrehung der Augenlieder. G. *Trichiaſe avec l'inverſion des tarſes.*

ENTYPOSIS, eſt humeri acetabulum. Item articulatio humeri cum brachio, quae etiam dicitur ἀμφαρθρωσις.

ENVLA CAMPANA, vide *Helenium.*

ENVRESIS eſt mictio inuoluntaria et inopportuna, quam nullus veſicae ſtimulus ſollicitat, quaeque ſaepius inſciis accidit. Differt a diabete, quod non maior ſit vrinae copia, nec diuerſus a ſano color; a dyſuria, quod ſine ardore et ſtimulo fiat. Familiaris eſt infantibus, paralyticis, hernioſis, grauidis, puerperis et calculoſis. Ge. Ausfluß des Urins. G. *Incontinence d'urine.*

ENYPNION, eſt inſomnium. Ab ἐν, in, et ὕπνος, ſomnus. Ge. Ein Traum. G. *Un Songe.* A. *A Dream.* B. *Een Droom.*

EPACMASTICA, eſt febris continuo inualeſcens. Ab ἐπακμάζω, inualeſco. Ge. Ein ſteigendes Fieber. B. *Een groeyende of toeneemende Koorts.*

EPACME, i. q. *Anabaſis.* Ab ἐπακμάζω, increſco.

EPAGOGIVM, eſt membri genitalis praeputium, et, vt *Gorraeo* placet, male affectum, quod nec reduci facile poteſt. Ab ἐπάγω, adduco. Ge. Die Vorhaut. G. *Le Prépuce.* A. *The Fore-Skin, Prepuce.* B. *De Voorhuid.*

EPANADIPLOSIS, ſeu REDVPLICATIO, vide *Anadiploſis.*

EPAPHAERESIS, eſt phlebotomia iterata. Ab ἐπαφαιρέω, demo.

EPAR, vide *Hepar.*

EPARMATA, ſunt tumores glandularum parotidum pone

aures. Ab ἐπαίρω, attollo, eo quod aures hoc vitio eriguntur. *Galenus* tamen hoc sub nomine quaeuis exanthemata eleuata d notat.

EPHEBAEVM, est locus ab hypogastrio ad pudendum vsque. Dicitur quoque *Sumen*, *Pecten*, *Pubes*, *Aqualiculus*, etc. Ex ἐπί, supra, et ἥβη, pubes. Ge. Gegend über der Schaam.

EPHEDRA, est planta flores masculos a foemininis separatos ferens (Dioec. Monadelph.). Flos masculus amentaceus; foeminae racematim crescentes constant e squamis calycinis, incrassatis, succulentis, baccam diuisam constituentibus, inter quas semina duo, ouato-acuta, hinc conuexa, inde plana, a calyce vndique tegente compressa. Caulis plures pedes altus, ramis geniculatis. Crescit in Galliae australis littoribus arenosis. Qualitas fructus acido-dulcis, seminum subadstringens est. Ge. Meertraube. G. *Raisin de Mer*, A. *Shrubby Horse-Tail.*

EPHELCIS, est sanguinolentum illud et purulentum, quod in haemoptysi exspuitur. Item crusta vlceribus superinducta. Ex ἐπί, supra, et ἕλκος, vlcus.

EPHELIS, siue LENTIGO, est macula roscida, vmbrina, glabra, ab insolatione vt plurimum excitata. Vere et aestate maxime increbescit, idque potissimum in iis, qui cutim rarissimam habent, verum circa hyemem rursus euanescit. Figura est magnitudine morsus pulicaris: maculae hae non raro totam faciem deformant. In grauidis plerumque solitariae sunt, et frontem occupant, colorisque magis obscuri, et ambitus maioris, hinc peculiarem speciem constituentes. Ex ἐπί, supra, et ἥλιος, sol. Ge. Sommerflecken, Sonnenflecken. G. *Lentilles*, *Rousseur*, *Hale.* A. *Freckles.* B. *Sproeten.*

EPHEMERA, siue DIARIA, est febris continua, omnium leuissima inter continuas, quae vltra diem non extenditur, et plerumque a perspiratione, per susceptum frigus prohibita, aut alio leuiori vitio diaetae, ortum habet. Si diem excedat, *Synochus simplex* appellatur. Ex ἐπί, supra, et ἡμέρα, dies. Ge. Das eintägige Fieber. G. *Fievre d'un jour*, *Fievre éphemère.* A. *An Ephemera.* B. *Een Een-daegse Koorts.*

EPHEMERVM, est planta venenata, quae sic appellatur, quod eodem, quo assumta est, die interimat, vel quod, quo die nascatur, eodem intereat. Ex ἐπί, in, sub, et ἡμέρα, dies. Sed et aliae plantae non venenatae sic dicuntur, quoniam flos earum confestim marcescit, nec longius vno

alteroue die commoratur. Hinc plures species diuersorum generum saepe *Ephemeri* nomine indicantur. Plerumque vero Ephemerum *Tournefortii* intelligitur, quod est *Tradescantia Linn.* (Hexandr. Monogyn.) cuius inuolucrum spathaceum, perianthium triphyllum, corolla tripetala patens, capsula ouata, calyce tecta, triualuis, trilocularis, polyspermа.

EPHIALTES, i. q. *Incubus.*

EPHIDROSIS, est sudoris prouentus, vel in superioribus corporis partibus, vel in toto corpore. Ab ἐπί, supra, et ἱδρώς, sudor.

EPHIPPIVM, siue SELLA EQVINA, seu TVRCICA, est pars ossis sphenoidis, in cranio intus conspicua, excauata cum quatuor eminentiis, quae processus clinoïdei dicuntur, sellae in modum, cui glandula pituitaria insidet. Ex ἐπί, supra, et ἵππος, equus. Ge. Das Sattelbein. G. *Selle sphénoidale*, *Selle de Turquie*, *Fosse pituitaire.* A. *A Boile of the os sphenoide like to a sadls.* B. *Het Zadel been.*

EPIALA, siue QVERCERA, est febris continua, et maligna, in qua calor et frigus simul percipiuntur eodem tempore. Plurimae quidem febres incipiunt cum frigore, quod in calorem terminatur, sed haec febris id speciale habet, quod simul et calor et frigus adsint, et inuicem pugnare videantur, vnde forte a structura solidorum et dissolutione fluidorum ortum habet. Ab ἥπιον, mite, et καίω, caleo. Ge. Ein hitziges Frostfieber. B. *Een heetkoude Koorts.*

EPIALTES, EPIBOLE, i. q. *Incubus.*

EPICARPIVM, est medicamentum externum, emplastri, vel cataplasmatis, instar, quod pulsibus, seu carpis manuum, febribus intermittentibus depellendis, vel in conuulsionibus, vel in summa debilitate, applicatur. Ex ἐπί, super, et καρπός, carpus. Ge. Pulspflaster, Pulsarzeney. G. *Epicarpes*, *remedes qu'on applique aux pouls.* A. *A Wrisht plaister.* B. *Pols-pleister.*

EPICAVMA, est vlceratio crustosa oculorum cum nigredine obtingens. Ex ἐπί, supra, et καίω, vro. Idem quod *Encauma.*

EPICERASTICA, sunt medicamenta plerumque externa, quae humores acres obtundunt et temperant, et incommodi sensationem, inde oriundam, mitigant. Ex ἐπί, supra, et κεράννυμι, tempero. Ge. Mildernde Mittel. G. *Remedes epicéraſtiques.*

EPICHEIRESIS, idem quod *Encheiresis.* Ab ἐπιχειρέω, manum adhibeo.

EPICOLICAE REGIONES, siue LATERALES, eae sunt, quae *Laurentius Lumbares*, et *Bartholinus*, ex *Aristotele*, λαγόνας nominat, quasi diceres *Libidinis partes*. Sed a *Glissonio Epicolica* dicitur ea pars, quae coli intestini partibus incumbit, vnde denominationem accepit. G. Die Gegend um den Krummdarm. G. *Région epicolique.*

EPICOPHOSIS, i. q. *Cophosis.*

EPICRANIVM, est tenue inuolucrum musculosum, quo caput tectum est. Aliis musculus *Occipitio-frontalis* dicitur. Rectius hoc nomine aponeurosis musculi frontalis et occipitalis coniuncta, et cranium tegens denotatur, quae sic a *Pericranio* distinguitur. Nonnulli *epicraniam membranam* nominant. Ga. *La Calotte.*

EPICRASIS, euacuatio quaedam est per vices instituta, vel etiam alterantium et euacuantium prudens coniunctio. Ab ἐπικεράννυμι, attempero. Ge. Allmählige Abführung. A. *A Critical evacuation of bad humours.*

EPICRISIS, est morbi diiudicatio, vel in genere applicatio principiorum nobis cognitorum ad ea, quae obseruamus, qua horum originem, effectus et euentum explicamus. Ab ἐπικρίνω, iudico.

EPICRVSIS, est leuibus ferulis, partium mollium, percussio, ad tumorem et ruborem vsque, qualis Iaponensibus familiaris est. Ab ἐπικρούω, percutio.

EPICYEMA, est superfoetatio, siue superimpraegnatio, cum mulier iam impraegnata alio post tempus impraegnatur foetu. Vnde differt a gemellis, quod hi contemporanei, vel simul concepti sint, illi vero obseruati sunt aliquot mensium differentiam habuisse, nec quoque eodem tempore vterque ex vtero prodit, sed distantia mensium aliquot interdum intercedit. Hoc tamen rarissime, si vnquam, in vtero in primis simplici, contingit. Ab ἐπί, super, et κύω, grauida sum. Ge. Eine Ueberschwängerung. G. A. *Superfétation.* B. *Een dubbelde Verzwangering, Overbevrugting.*

EPIDEMIVS, est morbus communis, a causa communi inuectus, non tamen patrius et familiaris, sed potius externus et aduentitius, et vario tempore nunc in vna, nunc in pluribus regionibus, multos simul inuadens: vt pestis, dysenteria, febres malignae, etc. Causa videtur haerere in aëre, victu, et dispositione corporis, quibus in certum statum redactis, semina morbi adolescere posse videntur, et vim exercere in corpus animalis ita dispositi; cum vero causa tam communis sit, seminium primum in aëre generatum et allatum fuisse verosimile est. Ex ἐπί, supra, et δῆμος, populus.

Ge. Eine herrschende Seuche, Epidemische Krankheit. Ga. *Maladie Epidemique.* A. *An epidemic disease.* B. *Eene doorgaans in Zwang gaande Ziekte.*

EPIDERMIS, est membrana tenuis, sicca, vtcunque alba, pellucida, flexilis, in quauis parte satis homogenea, nec tamen in omnibus locis aeque crassa, crassior in manibus, quam per reliquum corporis ambitum, crassissima vero in plantis pedum, totam cutim, interiecto corpore reticulari, arcte ambiens, reliquis corporis integumentis superincumbens, minima vi facile soluenda, integre a subiacentibus separabilis, in plurimas lamellas diuisibilis, vasis constans nullis, quae vlla arte visibilia reddi queunt, nullo sensu praedita, tota squamosa, squamis adeo paruis, vt incredibile, ad succumbentium figuras se accommodans, in sulcos areasque exsculpta, quae ad apices digitorum spirales, maxime spectabiles. In medio horum sulcorum tuto condita haerent vasa sudorifera, in vtroque autem sulci latere parallela priori series papillarum neruearum: vnde liquet vasa sudoris, vasa exhalantia, papillas tactus, hoc tenui, nec impediente sensum, nec increscente, munimento defendi. Videatur *Cuticula.* Ex ἐπί, supra, et δέρμα, cutis, hinc vi originis laminam supra cutem extensam significat. Ge. Das Oberhäutlein. G. *l'Epiderme, ou la surpeau.* A. *The scarf-skin.* B. *Opperhuid.*

EPIDESIS, seu DELIGATIO, est ligamenti iniectio, ad cruoris fluxum sistendum. Ex ἐπί, super, et δέω, vincio.

EPIDESMVS, est fasciarum superligatio. Ab ἐπί, super, et δεσμέω, subligo. Ge. Ein Band über den andern. Ga. *Bandage.* B. *Boven-zwagtel.*

EPIDIDYMIS, siue PARASTATA, Latine *Supergeminalis*, est vas tortuosum et variis flexibus velut varicosum corpus, quod testium dorso affixum est, idemque constituens. Maiori suo globo, seu capite, Epididymis testi annectitur, eo praecipue loco, vbi vasa spermatica se in testes insinuant; exterius gibba est, quodammodo teres, latior nonnihil, quam crassa, et qua parte testem respicit, concaua. Constat ex vno vase, seu ductu, ex teste continuato, iuxta nonnullos, si euoluatur, longitudinem quinque vlnarum facile excedente, infinitis autem gyris, cellulosо nexu collectis, in se ipsum replicato; extremitate superiori, quae cauda dicitur, vasi deferenti coniungitur. Semen ex testibus recipit, vlterius perficit, et ad vas deferens transmittit. Ex ἐπί, supra, et διδυμος, testiculus. Ge. Die Oberhöblein. G. A. *Epididyme.* B. *De Opper-klootjes.*

EPIDROME, eſt idem quod *Congeſtio.*

EPIGASTRIVM, eſt anterior pars infimi ventris, quae a coſtis ſpuriis ad pubem vſque protenditur, cuius pars lateralis vtrinque *Hypochondrium;* media *Regio vmbilicalis;* inferior vero *Hypogaſtrium* vocatur. Exactius vero *Epigaſtrium,* ſeu *Regio Epigaſtrica,* dicitur regio illa media, quae inter ſcrobiculum cordis et regionem vmbilicalem interiacet, cui a lateribus hypochondria adiacent. Ex ἐπὶ, ſuper, et γαστὴρ, venter. Ge. Der Ober-Schmeerbauch. G. *l'Epigaſtre, ou la region Epigaſtrique.* A. *The upper part of the belly.* B. *Middel boven-buik.*

EPIGASTRICA VASA, ſunt arteriae et venae, vtrinque vna, ex arteria iliaca externa iuxta ligamentum Fallopii ortae, et pluribus ramis ſub muſculo recto abdominis vtrinque adſcendentes et cum vaſis mammariis internis communicantes, qua communicatione plures ad explicandum vteri et mammarum, in negotio menſtruo et grauiditate conſenſum vſi ſunt, cum tamen plures et aliis in locis corporis huiusmodi vaſorum coniunctiones deprehendantur.

EPIGENIMA, EPIGENOMENON, SYMBEBICOS, vocatur id, quod morbo cuidam ſuperuenit, neque tamen ab ipſo morbo, aut cauſſa morbi, ſed ab alia origine, pendet; vt ſi febri vulnus, aut ictero luxatio, vel ex refrigerio tormina ſuperueniunt. Ab ἐπὶ, ſupra, et γίνομαι, fio.

EPIGINESIS, i. q. *Epigenima.*

EPIGLOSSVM, eſt *Laurus Alexandrina.* Sic dicitur, quod ſupra eius folium aliud foliolum inſtar linguae habeat. Ex ἐπὶ, ſupra, et γλῶσσα, lingua.

EPIGLOTTIS, ſiue EPIGLOTTALIS, eſt cartilago membrana mucoſa tecta, lingulae forma, valde mobilis, nullibi, niſi ſua baſi, inferiori et poſteriori parti linguae adhaerens, concaua quadantenus, qua parte laryngem reſpicit, ſed qua palatum et linguam, conuexa. *Glottidis,* ſiue rimulae, operimentum eſt, cum cibi et potus deglutiuntur, ne quid incidat in eam. Graece χόνδρος *Poll.* Ex ἐπὶ, ſupra, γλῶσσα, lingua, et τίθημι, pono. Ge. Das Kehldecklein. G. *l'Epiglotte.* A. *The Epiglottis.* B. *Strotlap, Strot-tongsken.*

EPIGONATIS, eſt *Mola,* ſeu *Patella,* vel potius tuberculum illud acutum in genu, quod a Patella formatur. Ex ἐπὶ, ſupra, γόνυ, genu, et τίθημι, pono.

EPILEPSIA, ſiue MORBVS CADVCVS, a caſu, quia aegri derepente in terram proſternuntur: vel *Comitialis,* quod eo laborantibus non licebat comitiis Romanorum intereſſe: vel *Herculeus,* quia difficulter curationem admittit. Item *Lunaticus,* ſiue

ſiue σεληνιακὸς, quod ad lunae curſum paroxysmus, vt veteres credebant, eueniat. *Lues* quoque *Sontica, Deifica, Morbus ſacer,* etc. appellatur. Eſt genus morbi ſpaſmodici clonici chronici intermittentis, cuius acceſſus ſubita interceptione ſenſuum, variorum muſculorum agitatione et dyſpnoea notantur, ſeu eſt interpolata totius corporis conuulſio, omnes actiones totius corporis laedens. Adſunt ſubitus prolapſus, ſaepe cum clamore, ſi aeger ſteterit, motus conuulſiui totius fere corporis, membra huc illuc proiiciuntur, et praecipue pedes, quibus aeger obuia quaeuis pulſat, oculi circumuoluuntur, abolitio ſenſus et memoriae, ſtridor dentium, ſaepe etiam capitis concuſſio, et ad terram alliſio, ſaepe pollicum contractio, ſpuma circa os, effluxus ſeminis, ſtercoris, vrinae, reſpiratio frequens et inaequalis, ſonitus incongruus: quibus omnibus ſymptomatibus remittentibus, aegri tanquam ſopore oppreſſi iacent; ad ſe redeuntes nihil horum ſciunt, ſed tantum de torpore, capitis quadam grauedine, et artuum laſſitudine conqueruntur. Haec phaenomena tamen nonnihil variant, iuxta gradus violentiae morbi. In vniuerſali omnia haec fere ſunt, non item in mitiori, vel in *Epilepſia* puerorum, quae in dentitione, febri, etc. euenit. Eſt porro epilepſia vel vaga, vel periodica, ſeu certis temporibus rediens; haereditaria, vel contingens; recens, vel inueterata; idiopathica, quae in cranio originem habet, vel ſympathica, a vitio quodam in ventriculo, aliisque partibus, quae conſenſum cum cerebro habent. *Epilepſia* diſtinguitur ab *Eclampſia* ex eo, quod morbus ſit chronicus, a *Tetano,* quod ſit ſpaſmus clonicus et chronicus cum ſenſuum feriatione; a *Catocho,* quod partes agitentur, et reſpiratio in paroxyſmo ſit frequens, interturbata, ſaepe ſtertoroſa; ab *Apoplexia epileptica* ex eo, quod periodice recurrat; ab *Hyſteria,* per animae extra paroxyſmum habitualem ſecuritatem, cum ſint in hyſteria meticuloſitas, in paroxyſmo ſtrangulatio, globus abdominis, aliaeque differentiae, etc. Ab ἐπιλαμβάνω, inuado, prehendo. Conf. *Eclampſia.* Ge. Die fallende Sucht. G. *Epilepſie, haut mal, mal caduc.* A. *The falling Sickneſs, Epilepſy.* B. *Vallende Ziekte, Sint Jans euvel.*

EPILEPSIA INTESTINALIS, nihil aliud eſt, quam conuulſio, quae a rebus inteſtina irritantibus oritur, quod infantibus ſaepe euenit.

EPILEPSIA PVERORVM, vide *Eclampſia.*

EPILEPTICA, ſunt medicamenta aduerſus Epilepſiam

EPILOGISMVS, eſt medicorum ſuffragium. Ab ἐπιλογίζομαι, poſt deliberationem concludo.

EPIMEDIVM, *Vindicta* Romanis. Eſt planta, (Tetrandr. Monogyn.) quae habet folia hederacea, ampla, acuta, lata, viridia, ſatis dura, in margine dentata, terna iuncta pedi culis tenuibus et rotundis. Intra haec aſſurgit caulis pedem circiter altus, qui habet flores paruos, pulchros, coloris variegati, cruciformes, quatuor ſcilicet petalis tubulatis conſtantes, nectaria quatuor, cyathiformia, fundo obtuſo, magnitudine petalorum, petalis incumbentia, margine oris affixa receptaculo, ex quorum calyce tetraphyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu ſiliquam vnicapſularem, biualuem et ſeminibus foetam fere rotundis. Radix in multos ramos diuiſa, in inferiori parte fibroſa. Creſcit in Alpibus. Ge. Biſchofshut. G. *Epimède, Chapeau d'Eueque.* A. *Barrenwort.*

EPIMELIS, dicitur *Meſpilus.* Sic vocatur, quod iuxta malos naſcatur. Ex ἐπὶ, ad, iuxta, et μῆλον, malus.

EPINYCTIDES, ſunt puſtulae humorem emanantes, noctu praeſertim ſaeuientes et cruciantes, ſubliuido colore, vel ſubnigro, vel albo. In ambitu illorum vehemens inflammatio eſt, et ſi aperiantur, ſanies effluit, et interius exulceratae reperiuntur. Ab ἐπὶ, ſupra, νύξ, nox, et τίθημι, pono. G. Nachtblattern. G. *Epinyctides.* A. *Night ſwellings.* B. *Nagt-gezwellen.*

EPIPAROXYSMVS, eſt, quando aegri plures febrium exacerbationes, quam ſolent, patiuntur, quod in febribus inordinatis contingit. Ab ἐπιπαροξύνω, iterum exacerbo.

EPIPHAENOMENA, vel EPIGENOMENA, ſunt ſigna, quae ab initio morborum non apparent, ſed iis poſtea ſuperueniunt. Ab ἐπιφαίνω, inſuper appareo.

EPIPHORA, eſt impetus quidam, vt dicitur, humorum, ſiue ſanguinis, ſiue alterius humoris, inflammatorius, in totum corpus, vel in aliquam partem. Per impetum intelligenda potius eſt humorum quaedam ſubſiſtentia, in qua alii humores, ab arteriis affluentes, morantesque, incaleſcunt et phlogoſin conſtituunt. — Ita quoque vocatur inflammatio proprie oculorum, cum ſalſi et acris laticis fluxu, pruritu et dolore palpebrarum, tumore circa tarſos, lucis intolerantia, rubedine interioris oculi, impoſſibilitate palpebras diducendi, et ſaepe cum maculis inde in cornea orientibus coniuncta. Aliis *Epiphora* idem eſt ac oculus lacrymans, dum ſcilicet ob ductus lacrymales obſtructos lacrymae non in nares influunt, ſed perpetuo ſupra genas deſtillant. Ab

ἐπιφέρω, infero. Ge. Entzündung der Augen, Thränenauge. G. *Epiphore, Larmoyement.* A. *An Inflammation of the eyes.* B. *Oog-ontſteeking.*

EPIPHYLLOSPERMAE, ſeu *Dorſiferae*, ſunt plantae, (Cryptogam.) quae partes fructificationis et ſemina in dorſo foliorum ferunt, vt filices, aſplenia, etc. Ex ἐπὶ, ſupra, φύλλον, folium, et σπέρμα, ſemen.

EPIPHYSIS, ſeu APPENDIX, eſt os paruum maiori oſſi adnatum in corporibus nondum incrementum ſuum adeptis, per contiguitatem ſimplicem et immediatam, quamuis non adeo plana ſuperficie, ſed nonnihil mutuo capitum ſinuumque ingreſſu inſtar ginglymi, licet absque motu. Epiphyſes accreſcunt duobus diuerſis locis, vel oſſium extremitatibus, vel ipſorum lateribus, vt in femore, vbi duae epiphyſes ſunt *trochanteres* dictae. Non tantum iunguntur cum aliis oſſibus per indentationem, ſed etiam ope cartilaginis, quae ſenſim indureſcit, et in adultis nimia compreſſione oſſeſcit ita, vt tota iunctura diſpareat in his, et tunc epiphyſes plerumque degenerant in apophyſes. Vſus eorum varii ab auctoribus recenſentur, ſuntque ii, qui apophyſium, vt nempe in oſſibus medulloſis nimis facilem medullae transſudationem impediant; motum articulorum amplitudine ſua turiorem reddant; cellulis ſuis ad leuitatem oſſium conferant; prominentiis ſuis circa tendines vim muſculorum augeant; muſculis locum inſertionis ampliorem praebeant; et articulorum ligamentis firmiorem largiantur cohaeſionem. Inprimis autem foetubus inſeruiunt, vt corpora melius in vtero complicari et in anguſto ſpatio contineri, eorum oſſa in incremento corporis commodius elongari, et cuicunque iniuriae externae melius cedere poſſint. Ab ἐπιφύω, accreſco. Ge. Anſatz eines Beins. G. A. *Epiphyſe.* B. *Een aangewaſſen Been.*

EPIPLASMA, in genere idem quod *Catapláſma.* Sed in ſpecie dicitur de farina triticea in hydrelaeo cocta et vulneribus impoſita.

EPIPLEGIA, vide *Hemiplegia.*

EPIPLEROSIS, eſt vaſorum a nimia copia humorum diſtenſio atque repletio. Ge. Anfüllung der Gefäße. Ga. *Epiplérose.*

EPIPLOCELE, eſt omenti per annulos inguinales, arcus crurales, in vmbilici annulo, trans vaginae parietes, vel abdominis muſculos elapſi ectopia herniosa, quae cognoſcitur ex protuberantia ad varias abdominis ſedes modo dictas obſeruanda, lente ſaepius exoriente, tardius creſcente, aegre

ne quidem animaduertente, ſponte per ſolum ſitum congruum nunquam, per preſſionem ſub congrua corporis poſitura factam, etiam initio non penitus regrediente, niſi exigua ſit, difficile, aut partim tantum, ſi maior; conatibus ſub mutato corporis ſitu editis ad priſtinum ſtatum reuocanda, aegre, eum regreſſa eſt, continenda, molli, inaequali, rugoſa, membranas craſſas ſub digitis volubiles ad tactum referente, impreſſionis digito factae tenaci, ſubcomplanata, a preſſione, contrectatione, reſtitutione non obmurmurante, a ſpiritu retento et ſub alui deponendae conatibus non multum intumeſcente, dolorem, renitentiam, moleſtiam minorem, quam enterocele, prae ſe ferente, decubitum corpore extenſo, inceſſum trunco erecto difficilem, anxioſum, impoſſibilem, ita ſaepe inducente, vt ad ſolandos dolores colicos, ad effugiendas tractiones moleſtas, ſingultum, vomitum, corpore incuruato incedere, ac iacere non raro cogatur aeger epiplocele completa laborans; tandem ſymptomatis tum acutis, tum chronicis variis ex compoſitione et complicatione ortum ducentibus ſtipata. *Sauv.* Ex ἐπίπλοον, omentum, et κήλη, tumor. Ge. Netzbruch. G. *Epiplocele, ou Hernie de l'Omentum.* A. *A Rupture where the Omentum falls in the ſcrotum.* B. *Een Netbreuk.*

EPIPLOCOMISTAE, ſunt homines obeſi et ventre tumidi, quibus eſt pingue et magnae molis omentum. Ab ἐπίπλοον, omentum, et κομίζω, gero, fero. Ge. Ein Dickbauch. G. *Ventru.* A. *Fat or Big-bellied* B. *Dikke Buik.*

EPIPLOITIS, eſt inflammatio omenti, quae omnium facillime ob pinguedinem omenti in ſuppurationem abit. Ge. Entzündung des Netzes. G. *Epiploitie.*

EPIPLOMPHALVM, eſt hernia omenti vmbilicalis, quando ab omento tumido et prolapſo dilatatum peritonaeum ex abdomine in vmbilico nimis protuberat. Ab ἐπίπλοον, omentum, et ὄμφαλος, vmbilicus. Ge. Nabelbruch des Netzes. G. *Epiplomphale.* A. *The Navel rupture.* B. *Navel-breuk.*

EPIPLOON, OMENTVM, ſeu RETICVLVM, eſt operimentum membranaceum, ſitum in ſuperiori abdominis parte, et ſub peritonaeo proxime inteſtinis ſuperſtratum, eorumque conuolutionibus aliquo modo inſinuatum. Originem a ventriculi fundo, et inteſtini coli transuerſi dorſo ducit, quibus adhaeret, nempe a peritonaei duplicatura; inferne eſt liberum, magis, vel minus, ad inguina protenſum. Hoc vulgo *Omentum maius*, ſeu *Gaſtrocolicum*, eſt. Similis vero productio, a ventriculi curuatura minore ad hepatis concauam ſuperficiem expanſa *Omentum minus*, ſeu *hepaticogaſtricum*, vocatur. Pone illud inter hepar dexterrimum et hepatica vaſa, portarum venam, ductus bilarios et arteriam vicinumque duodenum oſtium naturale eſt, quo flatus intra omenti laminas recipitur et ſaccum format. Ab inuentore *Foramen Winslouii* nonnullis dicitur. Eſt autem membrana ex meris cellulis compoſita, hinc figura eſt inſtar retis, ſeu aucupis marſupii; nec tamen inſtar retis perforata, ſed incaute tractando facile laceratur. Plurimis vaſis ſanguineis, ductibus, et folliculis adipoſis abundat. Vſus eſt inteſtina et ventriculum pinguedine ſua inſtar puluinaris fouere, et pinguedinem recipere, quae calore, motu, attritu, perpetuo in loculis hiſce oleoſis mirifice attenuatur, acrior, volatilior, bili ſimilis redditur, ita vt tandem ex ſacculis his adunatis per venas epiploicas dextram et ſiniſtram deferatur ad hepar, ac materiem bili in hepate ſuppeditet. Ab ἐπιπλέω, supernauigo. Ge. Das Netz. G. *l'Epiploon, ou Coëffe qui couvre les inteſtins.* A. *The Caul, or Omentum.* B. *Het Net.*

EPIPOROMA, callus dicitur, vel tophus, in articulis enatus, et induratus. Ab ἐπιπωρόω, induro.

EPISARCIDIVM, vel HYPOSARCIDIVM, idem quod *Anaſarca.* Ex ἐπί, inſuper, et σάρξ, caro.

EPISCHION, eſt *Os pubis*, ſeu pecten. Oſſa transuerſa vtrinque et lata, in imo ventre, quae peluim antice formant. Ex ἐπί, ſuper, et ἰσχίον, os coxae. Ge. Das Schaambein. G. *l'Os Pubis.* A. *The privy bone, Os Pubis.* B. *Schaambeen.*

EPISCOPALES VALVVLAE, a figura ſic dictae, vocantur et *Mitrales* et *Sigmoideae*; tales duae in ſinu cordis ſiniſtro reperiuntur, quae impediunt, ne ſanguis e ventriculo ſiniſtro in atrium ſiniſtrum refluat. Aliis *Epiſcopales*, vel *Sigmoideae*, dicuntur tres valuulae ſemilunares arteriae pulmonali praepoſitae. Ge. Die Mützenförmigen Herzklappen. G. *Valvules mitrales.* A. *The Mitral valves.* B. *De Biſſchops of miters gelykenende Klapvliezen.*

EPISEMASIA, eſt ipſa morborum inuaſio; ſiue illud tempus, quo morbus primo notatur, et proprie *Significatio* dicitur. Ab ἐπισημαίνω, inſuper ſignifico.

EPISION, eſt pubis regio, ſiue *Aqualiculus.*

EPISPASTICA, ſunt, quae deriuant liquidum in partem, cui applicantur, dum vaſa tenerrima, lymphatica, et ſudori et materiae perſpirabili dicata irritant; liquor autem affluens ab epidermide illaeſa, in veſiculas eleuata, retinetur. Hinc illa medicamenta, quae id praeſtant, conſtare debent ex partibus tam acribus et tenuibus, vt per epidermidem illaeſam tranſeuntes ſeſe lateribus dictorum vaſculorum in-

figant, et irritatione maiorem affluxum efficiant; epidermidem vero intactam relinquunt. Idem quod *Attrahentia*. Ab ἐπισπάω, attraho. G. Ein Zug, Zugpflaſter. G. *Epiſpaſtique*.

EPISPHAERIA, ſunt gyri et anfractus exteriori ſubſtantiae cerebri inſigniti, vti vaſa ſanguifera, per cerebri ſubſtantiam diſtributa. Ex ἐπί, ſupra, et σφαῖρα, globus.

EPISTASIS, vocatur omnis ſubſtantia, quae ſuperficiei vrinae innatat; opponitur autem *Hypoſtaſi*, ſiue ſedimento.

EPISTOMIA, ſunt extrema vaſorum oſcula. Ex ἐπί, ad, et στόμα, os. Chemicis ſic dicuntur ſpiracula in furnis, quae *Ventilia* et *Regiſtra* quoque vocantur, nec minus cylindri verſatiles, quibus pro lubitu plus, vel minus, claudi, vel aperiri, vaſorum canales poſſunt. Ge. Luftloch, Hahnventil. G. *Soupirail, Robinet*. B. *Het Togtgat, Windgat*.

EPISTROPHE, eſt, i. q. *Recidiua*, inprimis ſi poſt longum tempus accidit.

EPISTROPHEVS, eſt colli vertebra ſecunda: ſic dicitur a vertendo: nam ex medio eius corpore aſſurgit appendix inſtar dentis, quae ideo *Proceſſus Odontoideus* dicitur, et circa quam caput cum prima vertebra vertitur. Olim prima eodem nomine veniebat. Ab ἐπιστρέφω, circumuerto. Ge. Das zweyte Wirbelbein. G. *La ſeconde vertébre du col, qui à une eminence en maniere de Pivot, ou de dent*. A. *The ſecond joint, or Vertebra of the Neck*. B. *De Draayer*.

EPITHEMA, eſt medicamentum externum liquidum, quod partibus corporis nobilioribus, praeſertim cordi et hepati, linteo ſtupaue exceptum admouetur. In genere vero quoduis medicamentum externum cuique corporis parti applicatum, aut idem quod fomentatio, denotat. Ab ἐπιτίθημι, impono. Ge. Ein Ueberſchlag, warme Bähung. G. *Fomentation*. A. *A Kind of fomentation uſed chiefly to the more noble parts*. B. *Stooving*.

EPITHYMBRVM, EPITHYMBRA, eſt *Cuſcutae* ſpecies Thymbrae adnaſcens. Ex ἐπί, ad, et θύμβρα, thymbra.

EPITHYMVM, eſt *Cuſcutae* ſpecies, Thymo adnaſcens, foliis carens, et conſtans capillamentis tenuibus, coloris ſubrubentis, ſaporis ſubadſtringentis ſubaromatici, quibus vires aperientes et aluum leniter laxantes adſcribuntur. Ex ἐπί, ad, et θύμος, thymus. Ge. Thymſeide. G. *Epithyme*. Vide *Cuſcuta*.

EPOMIS, eſt ſuperior humeri pars, quae et *Acromium* nominatur. Ex ἐπί, ſupra, et ὦμος, humerus. *Fallopius* notat, anatomicos de ſignificatione huius vocis minime inter ſe eſſe concordes, eamque ſumi vel pro regione, quam

muſculus deltoides occupat; vel pro illa, quae inter ceruicem et humerum iacet; vel pro parte clauiculae ſcapulis coniuncta; vel pro ſummo ipſius brachii capite.

EPOMPHALVM, eſt Emplaſtrum, vel aliud quid, quod extuberantiis vmbilici applicatur. Ex ἐπί, ſupra, et ὀμφαλός, vmbilicus. Ge. Nabelpflaſter. G. *Emplatre pour le nombril*. A. *Navel-plaiſter*. B. *Navel-pleiſter*.

EPSEMA, eſt decoctio muſti in defrutum. Ab ἕψω, coquo.

EPVLIS, eſt tumor inflammatorius gingiuarum, plerumque ad radices dentium carioſorum oriens, et cum ſummo dolore in ſuppurationem tranſiens. Ex ἐπί, ſupra, et οὖλον, gingiua. Ge. Zahngeſchwür. B. *Baſterd Tandvleeſch*.

EPVLOTICA, idem quod *Cicatrizantia*. Ab ἐπουλόω, cicatricem infero.

EQVISETVM, eſt plantae genus ad Cryptogamia filices pertinens, quod ſpicam ſparſam, fructificationibus peltatis, baſi dehiſcentibus multiualuis habet. Species, quae *Equiſetum aruenſe* dicitur, eſt ſcapo fructificante nudo, ſterili frondoſo. Ge. Kannenkraut, Taubenrock. — *Equiſetum* vero *fluuiatile* eſt E. caule ſtriato, frondibus ſubſimplicibus *Linn.* G. Pferdeſchwanz, Roßſchwanz. — Plures quoque reperiuntur aliae huius generis ſpecies. Omnes gaudent viribus ſubadſtringentibus, diureticis; hinc infuſum in haematuria et gonorrhoea benigna, nec non in gargariſmatibus, commendatur. Herba recens bobus noxia. Vſus quoque equiſeti mechanicus ad polienda vaſa, etc. Gr. Ἵππουρις, ſeu planta, quae caudam equinam refert. Ga. *Prêle, Queue de cheval*. A. *Horſe tail*. B. *Paarde ſtaart*.

EQVITANS, botanicis dicitur ea foliorum diſpoſitio intra gemmam, qua marginibus ſitu oppoſito conniuent, vt alterum includat alterum.

EQVVS *caballus* cauda vndique ſetoſa *Linn.* animal ſatis cognitum. Teſticulis equi vim emmenagogam et echolicam tribuit credulitas, hinc in dyſmenorrhoea et diſtocia eos commendarunt veteres. Ge. Ein Pferd. G. *Un Chéval*. A. *A Horſe*. B. *Paard*.

EQVVS MARINVS, vide *Rosmarus*.

ERANTHEMVM, ita Delphinium, it. Camomilla, dicitur, quod vere floreat: ἦρ enim eſt ver, et ἄνθος, flos. — — *Eranthemum* proprie etiam denotat genus plantarum, (Diandr. Monogyn.) cuius calyx quinquefidus tubuloſus, corolla infundibuliformis, tubo filiformi, longiſſimo, limbo quinquepartito, capſula oblonga, polyſperma eſt.

ERECTI, botanicis dicuntur caules et folia fere ad perpendiculum constituta.

ERECTOR, est nomen musculi, cuius actione vtrinque partes quaedam tenduntur. Tales sunt *Erectores penis* et *Clitoridis*, qui ab interiore parte tuberis ossis ischii oriundi spongiosis harum partium corporibus inferuntur. Num tamen in viris horum musculorum actio in erectione consistat, tum exiguum eorum volumen, tum insertio, tum directio actionis fere dubium reddunt, qua fere acceleratorum vrinae socii sunt, eoque magis, cum etiam in papilla mulieris lactantis absque musculis fiat erectio.

ERETHRIA TERRA, vide *Bolus*.

ERGASTERIVM, furni pars.

ERICA, est plantae genus, (Octandr. Monogyn.) quod habet caules, vel virgulta numerosa, dura, lignosa, ramosa, pedem vnum, vel sesquipedem, alta, coloris rubicundi, fusci, aut obscuri. Folia, exigua aliquantulum dura et aspera, semper virentia, Tamariscum referentia. Calyx est tetraphyllus, coloratus, persistens. Flos monopetalus, campaniformis, nudus, saepe vrceolum referens. Ouarium in fundo fit fructus subrotundus, quadrifariam hians, quadrilocularis, foetus seminibus exiguis, imo flore, vt calyce, tectus: radix lignosa est, se in terra extendens. Haec arbuscula crescit in syluis, et sterili, squalido, palustri, et spongioso solo viget. Dantur huius generis species calyce duplici. Figura corollae ex ouata et oblonga in diuersis varia est. Antherae in aliis bicornes, in aliis emarginatae sunt. Stamina in aliis longiores corolla, in aliis breuiores. Haec planta saporis est austeri et subadstringentis, hinc viribus vulnerariis pollere creditur. Nomen deducitur a verbo Graeco ἐρεικω, frango, confringo, an, quia frangat, abradatque, idque scopis ex Erica colligatis, inque fasciculum redactis? An ab ἔρημος, desertum, quod in desertis et sterilibus locis proueniat? An corrupta vox a myrica, quod eam aliquo modo referat? Ge. Heide. G. *Bruyere*. A. *Heath or Ling*. B. *Heide*.

ERICERVM, Gr. ἐρικηρον, collyrii species est, cuius aliquot differentias *Aetius* enumerat. Denominationem a fructu Ericae accepisse videtur.

ERIGERVM, seu SENECIO, sic dici volunt, quod vere tam cito eius flores in lanuginem vertantur, atque senescat, seu quasi vernus senex. Ab ἦρ, ver, et γέρων, senex, vnde et quoque *Senecio* dicitur. Vide *Senecio*.

ERINACEVS, est animal quadrupes cuniculi magnitudine, (Mammal. best.) cuius dentes primores duo, paralleli, subcutanei, longiores, distantes; superiores remotiores; laniarii duo vtrinque, antrorsum decumbentes, parui; molares tres, seu quatuor, acuti, lobati; corpus spinis obtectum, Habitat in Europa. Est animal mite, polyphagum, nocturnum, monogamum, hybernans, nidificans e musco in fruticibus, meru se contrahens, naribus cristatis. Enectum in olla, operculo leuiter tecta comburi solet, cineresque Erinacei, ad scrupulum vnum pro dosi dati, cachecticis, ictericis et hydropicis a quibusdam dantur, specifice vero contra Enuresin commendantur. Ge. Ein Igel. G. *Heriſſon*. Vide quoque *Echinus*.

ERINVS, est nomen variis plantis impositum, Latinis *Caprificum* sonat. Sic vocantur quaedam Campanulae, Basilici, et Eſulae species. An ab ἔρις, quod cum arbore velut contendendum sit et luctandum, vt maturet fructus suos. — *Erinus* Ill. *Linn*. est Ageratum *Tourneſ*. scilicet plantae genus, (Didynam. Angiosperm.) cuius calyx pentaphyllus, corolla monopetala, inaequalis, tubo ouato-cylindraceo, limbo quinquepartito, capsula ouata, bilocularis, polysperma.

ERIOPHORVM, est plantae genus ad gramina fere pertinens, (Triandr. Monogyn.) quod ab aliis *Linagrostis* vocatur, cuius spica vndique imbricata est, corolla nulla, semen triquetrum, acuminatum, villis spica longioribus instructum. Villos hos in vsum textorium adhibere, nunc feliciter tentatum est. Ge. Flachsgras.

ERIOPHORVS BVLBVS, est quae bulbus laniferus, idque propter lanuginem, quae inter radicum laminas est. Ex ἔριον, lana, et φέρω, fero.

ERODENTIA, sunt medicamenta externa, quae acrimonia sua ipsa vasorum ramenta tenuissima resoluunt et consumunt. V. *Caustica*. G. Beizende Mittel. B. *Wegvretende Middelen*.

EROSA, Botanici dicunt folia, quae sinuata sunt, sinubusque minimis obtusis, laciniisque inaequalibus instructa.

EROSIO, i. q. *Corrosio*.

EROTOMANIA, vocatur illa delirii species, quae ex amore nimio in quandam personam ortum habet. Dicitur ergo *Erotomania personalis*, in quo a satyriasi et priapismo virorum, et nymphomania mulierum differt, in quibus impudi-

cum eſt et effrene in obuios quosque veneris deſiderium. Ab ἔρως, amor, et μανία, furor.

ERPES, vide *Herpes.*

ERRATICA FEBRIS, aliis *incerta*, vel *vaga*, ita vocatur, quae nullum ſtatum tempus, nec vllum acceſſionis, aut remiſſionis, ordinem ſeruat; atque ſic febribus typicis opponitur. Ill. *Sauvages Febrem erraticam* vocat, quae acceſſus ſimiles ab inuicem magis diſtantes obtinet, quam quartana; ſic ergo ſub hoc nomine quintanam, ſextanam comprehendit.

ERRHINVM, Barbaris *Naſale* et *Caputpurgium*, eſt medicamentum, quod naribus inditum, humores, et praeſertim viſcidos, euacuat, vel neruos irritat. Eſtque liquidum, molle, vel ſolidum. *Liquidum* fit vel ex ſuccis herbarum errhinarum et cephalicarum, ope vini, aut alterius liquoris, extractis, quibus aliquando ſpiritus vini admiſcetur, vel ex decocto ſimplicium idoneorum, additis nonnunquam ſuccis, melle, oleo, vel ſuccis excepto, et ad vnguenti formam decocto. *Solidum*, vel forma pulueris, aut ſalis volatilis, datur, et hoc in ſternutatoriis, ſeu proprie ptarmicis, maxime locum habet, vel forma turundae, et dicitur *Naſale*, paraturque ex pulueribus idoneis, mucilagine, cera, vel terebinthina exceptis. Ab ἐν, in, et ῥὶς, naſus. Ge. Ein Schnupfmittel. G. *Sternutatoire.* A. *A Sternutatory.* B. *Niesprop*, *Nieswater*, *Niesmiddel.*

ERROR LOCI, terminus eſt, quo *Boerhaauius* primus vſus fuit. Nempe quoniam in corpore humano ex eius opinione decreſcens ſeries vaſorum eſt, et vnumquodque humorem ſibi proprium continet, ſanguifera ſanguinem, ſerifera ſerum, etc. fieri poſſe autumauit, vt, aucto motu, et dilatatis vaſorum lateralium orificiis, ſanguis in vaſa ſerifera, ſerum in lymphatica, lympha in ſubtiliora adhuc vaſcula ingrediatur, quod ſi fiat, *Error loci* ei dicitur. Exemplum huius rei praebet ophthalmia, in qua tunica adnata, naturaliter alba, rubro colore praedita conſpicitur. Cauſſa eſt vel maior fluidorum in vaſa minora impetus, vel minor vaſorum reſiſtentia, vel globulorum reſolutio, qua facta vaſcula minora ſibi alioquin non patentia ſubintrant. *Hallerus* tamen aliique recentiorum non in omnibus in hac re cum *Boerhaauio* conſentiunt.

ERVCA, planta officinalis antiſcorbutica eſt, cuius variae dantur ſpecies, tum ſatiuae, tum ſylueſtres. *Satiua* eſt Eruca latifolia alba *Bauh.* *Braſſica Eruca Linn.* (Tetradynam. Siliquos.) foliis lyratis, caule hirſuto, ſiliquis glabris; habet caules parum lanuginoſos, duos circiter pedes altos: folia

Sinapi albi minora, tenera, glabra, ſine lanugine, calyx vireſcens. Flos cruciformis, tetrapetalus, coloris ſubcaerulei albi, punctis nigris notatus; flori ſuccedit ſiliqua longa, diviſa in duos loculos, continentes ſemina ſubrotunda, flaua. Radix alba, tenuis, lignoſa. Haec planta creſcit in pratis. *Sylueſtris* parum a praecedenti differt. Eſt haec Eruca ſylueſtris maior, lutea, caule aſpero *Bauh.* *Braſſica Erucaſtrum* foliis dentato-pinnatifidis, caule hiſpido, ſiliquis laeuibus *Linn.* Vtraque planta in omnibus ſuis partibus, praecipue vero in ſemine, qualitatis eſt acris, feruidae, penetrantis et orgaſticae, viribusque antiſcorbuticis, apophlegmatizantibus et iuxta nonnullos aphrodiſiacis gaudet, facile tamen exſiccatione, vel coctione, amittendis. Commendatur quidem etiam in apoplexia, paralyſi linguae et atecnia, ob ingratum tamen et acrem ſaporem et odorem parum hodie in vſu eſt. Graecis εὔζωμον, quoniam iura commendet, habeatque in iisdem peculiarem gratiam. Ex εὖ, bene, et ζωμὸς, ius, eſculentum. Ge. Rauken, Raukenkraut, weißer Senf. G. *Roquette.* A. *Rokets.* B. *Raket.*

ERVCTATIO, vide *Ructatio.*

ERVPTIO, ſumitur, vel pro euacuatione quadam, v. g. ſanguinis, violenter facta; vel pro maculis, ſiue puſtulis cutaneis, quae etiam *Efflorescentiae*, vel *Exanthemata*, dicuntur.

ERVILLA, et ERVVM, eſt planta flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) ſiliqua articulata; Orobus ſiliquis articulatis, ſemine maiori *Bauh.* *Eruum Eruilia* germinibus vndato-plicatis, foliis impari pinnatis *Linn.* Semina ſunt qualitatis ſiccae, farinaceae, ſubinſipidae, eorumque farina epithemata reſoluentia, vel cataplaſmata emollientia, ingreditur. Dicitur forte ab *Eruendo*; capitur enim et manu vellitur. Ge. Erven. G. *Ers.* A. *Bitter Vetch.* B. *Erwt*, *Erwten*, *Erweten.*

ERYNGIVM, et ERINGIVM, eſt plantae genus, (Pentandr. Digyn.) cuius ſpecies officinalis eſt Eryngium vulgare *Bauh.* *Eryngium campeſtre* foliis radicalibus amplexicaulibus pinnato-lanceolatis *Linn.* In nonnullis officinis eius loco *E. maritimum Linn.* adhibetur. Habet vero prior ſpecies caulem ſeſquipedem, vel duos pedes altum, rotundum, ſtriatum, medulla alba repletum, in ſummitate in multos ramos diuiſum. Folia ſunt ampla, profunde inciſa, dura, ſpinoſa, alternatim in caule diſpoſita; in ſummitate caulis ſunt capitula ſquamoſa aculeata, vnita foliis quam plurimis repentibus, oblongis, latis, villoſis. Flores ad vmbelliferos a *Moriſono*

aliisque referuntur. Receptaculum commune conicum eſt, inuolucrum receptaculi polyphyllum, perianthium proprium pentaphyllum, corolla vniuerſalis vniformis, propria pentapetala, fructus ouatus, bifariam diuiſibilis, ſemina oblonga, teretia. Forma capitulorum cum Dipſaco conuenit. Radix eſt longa, digiti craſſitie, et interdum pollicis, foris nigricans, intus alba, ſaporis ſubdulcis et grati ſubaromatici, diſciſſa et preſſa ſuccum dat croceum. Haec planta creſcit in locis arenoſis, in campis, maris littoribus. Radix ſola in vſu eſt, quae qualitate ſubaromatico-aquoſa, viribusque diureticis, emmenagogis, antiſcorbuticis et aphrodiſiacis gaudet. Annumeratur radicibus quinque aperientibus minoribus. Dicitur et *Iringus*, ab ἰερύγειν, ab eructando, quod vti putant, caprae, quae morſu furculum Eryngii praeciderint, vel deglutiuerint, cunctum gregem pone ſequentem, quaſi ſtupore attonitum, ſiſtant, donec Eryngium ructu reiecerint: quod fabulam redolet. Sed ἠρίγγιον, vel ἠρύγγιον, aliis dicitur; ab ἐρέω, amo, et ἴγκος; nempe ex ἴν, pro ἐν, et κεδὸς, quod ſuis capitibus aſpectu ſit amabile; gaudet enim pluribus capitibus, hinc *Centumcapita* appellatur. Vel dicitur, quod τῷ ἦρι ſit ἐγγηλὸς, quod verno etiam tempore moleſtum ſit ſuis ſpinis, quibus facile laedit. Vel quod radicem habeat longe lateque per agros ſerpentem, ruſticis admodum moleſtam. Ge. Mannstreu, Roſendiſtel, Brachdiſtel. G. *Panicault, Chardon Roland, Chardon à cent têtes.* A. *Sea Holly, or Eryngo.* B. *Kruis-diſtel, Kruis-wortel, Endeloos.*

ERYSIMVM, eſt plantae genus, (Tetradynam. Siliquos.) cuius ſpecies officinalis eſt Eryſimum vulgare *Bauh. Eryſimum officinale* ſiliquis ſpicae appreſſis, foliis runcinatis *Linn.* Habet haec caulem duos circiter pedes altum, rubicundum, villoſum, ramos quosdam flexiles dimittentem. Folia bina, ſibi inuicem oppoſita, Sinapi referentia, profunde inciſa. Flores ſunt exigui, tetrapetali, flaui, cruciformes. Flori ſuccedit ſiliqua tenuis, linearis, ſtricta, rotunda, ſepto medio diuiſa in duo loculamenta, ſeminibusque foeta, vt plurimum exiguis et rotundis, ſaporis acris et feruidi. Radix alba, lignoſa, acris, digiti minimi craſſitie. Haec planta creſcit in locis deſertis, et inter olera recenſetur. Sapore acri et odore maxime cum Sinapi conuenit, gaudetque viribus abstergentibus, diureticis, antiſcorbuticis, et praecipue bechicis, et reſoluentibus, ſi inflammatio abſit. Hinc *Lobelii* Syrupus de Eryſimo, vel Syrupus cantorum frequentiſſimo in vſu eſt. Nomen accepit ab ἐρύω, ſaluum conſeruo, propter eximias qualitates, quas Eryſimo tribuerunt veteres. Ge. Wegſenf. G. *Velar, Ravenou, Tortelle.* A. *Hedgemuſtard.* B. *Edele Rakette.*

ERYSIPELAS, *Ignis Sancti Antonii, ignis ſacer Columellae, ignis Sammonico,* ἐρυσίπελας *Poll.* πῦρ ἄγριον *Hippocrati.* Eſt tumor ſuperficiarius, ſolitarius, diffuſus, rubro-roſeus, preſſione euaneſcens, glabritie vniformi praeditus, niſi phlyctaenis exaſperetur, et calore acri, vrente, vel pruriginoſo, ſtipatus, qui non ad ſuppurationem, ſed ad cuticulae ſeparationem, ſponte vergit. Plerumque inuadit cum febre, niſi ex cauſa externa originem ducat. A ſanguine in vaſis lymphaticis impreſſo et haerente producitur. Poteſt fieri in omni parte corporis; plerumque tamen pedes occupat, et omnium ſaepiſſime faciem, quoniam tenera eſt, et aëri expoſita. Aliquando eleuatur in bullas, ac ſi cantharidum emplaſtris eſſent excitatae; ſi in exulcerationem abeat, vocatur eryſipelas ſcorbuticum. Ex ἐρυθρὸν, et πέλας, prope, ferme; varias habet differentias, prout altius aſſurgit, vel depreſſius eſt, aut maiori, aut minori cum calore, vt tumor *Eryſipelatodes, phlegmonodes, oedematodes, ſcirrhodes*, etc. Ge. Die Roſe, der Rothlauf. G. *Eryſipèle, le feu de Saint Antoine, la Róſe.* Si occupauerit faciem, *la Roſe au viſage.* A. *St. Antony's Fire, Eryſipelas.* B. *De Roos, St. Anthonis Vuur.*

ERYSIPELATODES, eſt tumor erydipelati ſimilis, ſine eryſipelas ſpurium. Ex ἐρυσίπελας, inflammatio, et εἶδος, forma. Ge. Roſenartig. A. *Eryſipelatous ſwelling.* B. *Roosagtig.*

ERYTHREMATA, ſunt rubores pulicares, in febribus peſtilentialibus frequentes; alii hoc nomine mitiorem ſpeciem eryſipelatis, ſcilicet ſine febre inuadentis, denotant. Ab ἐρυθραίνω, rubeſco. Ge. Kleine Flecken. B. *Vlekken als vlooybeten.*

ERYTHRODANVM, vide *Rubia Tinctorum.*

ERYTHROIDES MEMBRANA, eſt poſt *Elytroidem* ſecunda, *rubra* dicta, teſtem inuoluens, e fibris muſcularibus cremaſteris conſtans, externe adhaeret vaginali tunicae, interne vero albugineae. *Rubra* dicitur a colore, nam ἐρυθρὸν eſt rubrum, et εἶδος, forma. Vide *Cremaſter.* Ge. Das rothe Hodenhäutlein. G. *Erythroïde.* B. *Het roode bal-vlies.*

ESCHARA, Gr. ἐσχάρα, eſt cruſta vlceribus ſuperinducta, vel cauterio, aut ruptorio, excitata. Ab ἐσχαρόω, cruſtam induco. Ge. Grind, Rufe, Schorf auf einer Wunde. G. *Eſchare, Ecarre.* A. *An Eſcar.* B. *De Korſt.*

ESCHAROTICA, idem quod *Cauſtica.* Ab ἐσχαρόω, cruſtam induco.

ESCVLVS, eſt proprie arbor glandifera, forte ſic dicta, quod eius glandes comedantur. Nunc *Caſtanea equina* ita vocatur. Vide *Aeſculus.*

ESCVRA, i. q. *Eſchara.*

ESOCHE, eſt excreſcentia, vel tuberculum in cauo inteſtini recti natum.

ESPHLASIS, eſt illa fracturae cranii ſpecies, in qua cranium a vi externa violenter premente introrſum pulſum eſt. Ge. Eingedrückte Hirnſchale. B. *Neerdrukking van het Bekkeneel.*

ESSENTIA, ſtricte dicta eſt illud, quod naturam alicuius rei conſtituit, eamque ab omni alia diſtinguit. Sed in chemia *Eſſentiae* vocabulum ſignificat accurate loquendo balſamicam rei partem (ſeu in qua vires potiſſimum reſident) a craſſiori ſeparatam, quare cum exactiſſima rei ſeparatio beneficio extractionis peragatur, fit, vt pars illa balſamica a craſſiore corpore extracta *Eſſentia κατ' ἐξοχὴν* dicatur, alias a modo fiendi *Extractum.* Nonnunquam attribuitur *Eſſentiae* vocabulum ſuccis expreſſis ac ſpiſſatis. Sunt et qui elaeoſacchara eſſentias vocant, ſed abuſiue. Proprie vero denotat particulas oleoſo-reſinoſas e corpore quodam per menſtruum ſpirituoſum inflammabile extractas et in eo contentas, cuiusmodi in officinis quam plurimae ſimplices et compoſitae proſtant. Ge. Eſſenz. G. A. *Eſſence.* B. *Eſſenz, het Pit.*

ESSENTIALE OLEVM, eſt, quod per deſtillationem ex plantis extrahitur, quo epitheto diſtinguitur ab illo, quod coctione, expreſſione, vel alia quacunque methodo, paratur. Alii tamen ſenſu magis lato *Olea Eſſentialia* empyreumaticis opponunt, et illa vocant, quae poſt ſegregationem e matrice ſua priſtinam indolem perfecte retinent, ac penitus ſimplicis eſſentiam ſecum auferunt, ſiue expreſſione, ſiue coctione, ſiue deſtillatione, e corporibus ſeparata ſint; ſic vt hoc nomine et olea *aetherea* et *vnguinoſa* comprehendantur.

ESSENTIALE SAL, eſt, quod per cryſtalliſationem ex ſuccis vegetabilium educitur, plane diſtinctum ab eo, quod per incinerationem acquiritur. Vt plurimum acidae indolis eſt. Tale eſt e. g. ſal acetoſellae, etc.

ESSENTIA QVINTA, ſiue CLYSSVS, eſt medicamentum, ex integris conſtituentium particulis energeticis, ſiue actiuis, conſtans, ſeparatis ab inertibus; vt ſi ſpiritui plantae cuiusdam aromaticae abſtractitio oleum aethereum eiusdem plantae ſeorſim elicitum admiſceatur. Ge. Quinteſſenz. G. et A. *Quinteſſence.* B. *De quinte eſſentie, het pit, of het kragtigſte der Medicamenten.*

ESSERA, it. SORA, et SARE, ſunt tubercula parua, pollicaria, ad rubrum vergentia, duriuſcula, ſine febre, ſed cum inſigni pruritu ſubito vniuerſum corpus occupantia, non ſecus ac ſi ab apibus, vel veſpis, vel culicibus, homo demorſus, aut vrticis percuſſus eſſet. Non ita tamen poſt longum tempus euaneſcunt, nulloque ichore, vel alia humiditate affluente, cutis priſtinam leuitatem et colorem recuperat. Differt ab *Epinyctide*, quod in hoc affectu ichor manat, in eſſera non item. Ge. Flugbeulen, Neſſelſucht. G. *Porcelaine.*

ESTHIOMENOS, eſt herpes exedens, cuius cauſa eſt, quod papulae cutis humorem quendam acrem in ſe contineant, qui ob perſpirationem inhibitam corrumpitur, et acrimonia ſua non tantum cutim, ſed etiam ſubiectas partes profundius corrodit. Ab *ἐσθίω*, comedo, *ἕρπω*, repo. Ge. Ein Haarwurm, Hauptgrind. G. *Eſtiomene, Herpes.* A. *An Herpes.* B. *Hairworm.*

ESVLA, eſt Tithymali ſpecies, ſcilicet Tithymalus paluſtris fruticoſus *Baub. Euphorbia paluſtris Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) vmbella multifida; ſubtrifida; bifida, inuolucellis ouatis, foliis lanceolatis, ramis ſterilibus. Habet caules pedem altos, ramoſos, folia gerentes anguſta inſtar Pini, vel Linariae, lacte turgentia. Flos vt in Tithymalo maiori, de quo ſub titulo *Tithymali.* Radix oblonga, Eſula maiori tenuior; foris fuſca, intus ex flauo albeſcens. Tota planta lacte acri et ſeptico turget, viribusque rodentibus, rubefacientibus, veſicantibus, excoriantibus, ſtimulantibus et draſticis pollet. Vix hodie adhibetur, niſi forte in obſoletis quibusdam compoſitionibus. Dicitur et Pityuſa Nomen deductum a *πιτυίη* videtur: duabus enim ſyllabis ſublatis, remanet *ἴσα*, cuius diminutiuum *Vſula*, et vocali prima mutata *Eſula.* Vide *Tithymalus.* Ge. Wolfsmilch. G. *Petite Eſule.* A. *Small Spurge.* B. *Kleine Spurge.*

ESVRIGO, eſt ſpecies bulimiae, ſeu famis intenſae, quae vix eſt morbus. Aegri duplum, immo triplum, conſuetae cibarum copiae ſumunt et digerunt; quod accidit grauidis, vegetis et guloſis, nec non adoleſcentibus exercitatis, vt venatoribus, militibus, fame exinanitis. *Sauv.* Ge. Gefräſſigkeit. G. *Voracité.*

ESVRINVM, dicitur de illis ſalibus, quae corrodentem indolem habent; applicatur quoque ad talia, quae ſtomachum vellicando famem excitant.

ETHMOIDES, OS CRIBRIFORME, est ex octo ossibus cranii minimum, figurae vtcunque quadrilaterae, situm est introrsum ad partem inferiorem ossis frontis immediate supra nasum internum, sex apophysibus donatum, vna cum primis eleuata, quae *Crista Galli* dicitur, et plurimis foraminibus peruium pro neruorum olfactoriorum transitu, hinc olfactui inseruiens, quatenus ad augendam illius organi extensionem concurrit. Ab ἠθμὸς, cribrum, et εἶδος, forma. Ge. Das Siebförmige Bein. G. *l'Os Ethmoide.* A. *The ethmoidal Bone.* B. *Het Zeef-been.*

EVACVATIO, est quaecunque depletio contentorum ex quolibet cauo corporis, Gr. κένωσις. Vel arte fit, vel per se. *Arte*, si sanguis euacuetur, aut purgando, vomendo, etc. vitiosi humores ex ventriculo et intestinis euacuentur. *Per se*, vt in haemorrhagia, menstruorum euacuatione, mictione, faecum aluinarum euacuatione, etc. G. Ausführung, Ausleerung. G. A. *Evacuation.* B. *Uitleering.*

EVAPORATIO, idem quod *Diaphoresis.* — — Item, quando succi, lixiuia, aliaque leni igne euaporando, amissis particulis aquosis, in spissiorem consistentiam rediguntur. Ge. Ausdämpfung. G. A. *Evaporation.* B. *Uitwaasseming, Uitdamping.* — Denotat in vniuersum omnem exhalationem vaporum, hinc etiam vapores, qui ex aqua stagnante in aerem euehuntur.

EVCHROA, est color et nitor faciei floridus et bonus. Ab εὖ, bene, et χρόα, color.

EVCHYLOS, est, qui succis bonis abundat. Ita alimenta, quae bonum succum praebent, dicuntur esse boni succi. Ex εὖ, bene, et χυλὸς, succus. Ge. Gutsäftig. G. *De bon suc.* A. *Good nourished.* B. *Goed-sappig.*

EVCHYMIA, est optima succorum temperies et constitutio. Ab εὖ, bene, et χυμὸς, succus. Ge. Gute Beschaffenheit der Säfte. G. *De bon suc.* A. *Good nourishment.* B. *Een welgesteldheit der Sappen.*

EVCRASIA, est *Temperamentum bonum*, siue illa corporis conditio, qua tum solida, tum fluida, pro aetate et sexu, optime sunt dispositа, et in se inuicem agunt, ita vt sanitas in cunctis obtineat. Ab εὔκρατος, bene temperatus, quod ab εὖ, bene, et κεράννυμι, misceo. Ge. Ein gutes Temperament. G. *Un bon Temperament.* A. *A good Habit of Body.* B. *Een goede Gestempertheit, Welgemaatigheit.*

EVDIAPNEVSTOS, qui bene perspirat et optimam habet *Diapnoen.* Ex εὖ, bene, διὰ, per, et πνέω, spiro. Ge. Einer der gehörig ausdünstet. B. *Die wel doorwaasemt.*

EVECTICA,

EVECTICA, idem quod *Gymnastica*, siue ea medicinae pars, qua aptis exercitiis bonus habitus acquiritur. Ab εὖ, bene, et ἕξις, habitus.

EVELCES, laborans ex vlceribus, curatu facillimis. Ab εὖ, bene, et ἕλκος, vlcus. Cuius oppositum est *Dyselces.*

EVEMES, EVEMETVS, dicitur ille, qui facile et per remedia leniora emetica, absque molestia, ad vomendum invitatur. Ge. Der sich leicht bricht. G. *Evemète.*

EVEXIA, est optima et sana habitudo. Ab εὖ, bene, et ἕξις, habitus. Cui opponitur *Cachexia*, malus habitus.

EVFORBIVM, i. q. *Euphorbium.*

EVFRASIA, i. q. *Euphrasia.*

EVGEOS, est *Vterus.* Sic dicitur ob analogiam cum terra fertili. Hoc nomine etiam *Hymen* appellatur. Ab εὖ, bene, et γαῖα, seu γῆ, terra.

EVODES, est odor suauis cuiuscunque rei, in specie vero materiae excrementitiae. Ab εὖ, bene, et ὄζω, olfacio. Cui opponitur *Dysodes*, male olens.

EVONYMVS, est plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) et quidem frutex, cuius species apud nos frequentissima est *Euonymus Europaeus*, floribus plerisque quadrifidis *Linn.* Huius lignum est durum, coloris flaui, albescentis. Habet folia oblonga, acuta, dentata, mollia; calycem monophyllum, quinquefidum, aut quadrifidum; florem roscaceum, tetrapetalum, vel pentapetalum, staminibus quatuor, vel quinque foetum. Ouarium in fundo calycis instructum tuba bifida, vnde fit fructus membranaceus, angulatus, in loculamenta quatuor, vel quinque, diuisus, quorum singulum continet semen longum, solidum, crocei coloris externe, continens medullam albam, saporis amari et ingrati. Haec arbuscula habet odorem penetrantem, et crescit in locis incultis. Qualitatis acris et drasticae est. Folia et fructus pecoribus exitiales creduntur. Insecta enecat. Ramorum combustorum vsus pictorius est. Ita dicitur, quasi boni nominis, per antiphrasin. Ex εὖ, bene, et ὄνομα, nomen. Vocatur etiam *Fusanus.* Ge. Spindelbaum, Pfaffenhödchen. G. *Fusain, Bonnet de Prêtre.* A. *Spindle Tree, or Prick-wood.* B. *Papenhout.*

EVOSMA, i. q. *Euodes.*

EVPATHIA, seu EVPHORIA, est affectio, quae facile fertur. Ex εὖ, bene, et πάθος, affectus. Cui opponitur *Dyspathia.*

EVPATORIVM, triplex potissimum a pharmacopoeis recensetur, *Graecorum*, siue *veterum*, de quo videatur *Agrimonia*;

Meſuae, de quo videatur *Ageratum*; et *cannabinum*, quod etiam dicitur *Auicennae*, vel *aquaticum*, de quo hic agitur. Hoc proprie eſt Eupatorium cannabinum *Bauh. Eupatorium cannabinum* foliis digitatis *Linn.* (Syngeneſ. Polyg. Aequal.) Eſt ſcilicet planta ramoſa, cuius caulis quatuor, vel quinque pedes eſt altus, rectus, rotundus, lanuginoſus, viridis purpureus, medulla alba repletus, et vbi diffecatur, odoris aromatici et grati. Folia ſunt hinc inde per interualla poſita, oblonga, plurima ſimul iuncta, acuta, in margine dentata, villoſa, ſaporis amari. Flos in vmbellam congeſtus plurimis floſculis (ex quibus longa capillamenta plerumque furgunt) conſtat multifidis, embryoni inſidentibus, et calyce longo, tereti, ac ſquamoſo comprehenſis. Embryo autem abit in ſemen pappis inſtructum. Radix eſt fibroſa, alba, amara, creſcit in locis humidis aquoſis. Qualitatis eſt peramarae, acris, ſubaromaticae, viribusque pollet roborantibus, vulnerariis, antiſcorbuticis, et aperientibus, in maiori doſi emeticis et catharticis; hinc in cachexia, hydrope, ictero et quartana commendatur. Nomen habere creditur a rege Eupatore, qui illam herbam primus inuenit. Sed forte ſic dicitur, quod hepatis morbis medeatur, vnde *Hepatorium* quoque appellatur, et tum deriuatur ab εὖ, bene, et ἧπαρ, hepar. Ge. Waſſerdoſt, Kunigundkraut, braun Leberkraut. G. *Euparoire.* A. *Euparory, or Agrimony.* B. *Boelkens-kruid, Koninginnen-kruid.*

Evpepsia, cui opponitur *Dyſpepſia*. Eſt coctio ventriculi facilis, vnde alimenta dicuntur *Eupepta*, quae facile in ventriculo diſſoluuntur. Ex εὖ, bene, et πέπτω, coquo. G. Gute Verdauung. G. *Une bonne Digeſtion.* A. *A good Digeſtion.* B. *Eene goede Kooking.*

Evphorbia, Tithymalus *Tournef.* eſt plantae genus, (Dodecandr. Trigyn.) cuius corolla tetrapetala, vel in quibusdam ſpeciebus pentapetala, calyci inſidens; calyx monophyllus, ventricoſus, rugoſus, coloratus, capſula tricocca, triloculatis, ſtylo elongato pendens, elaſtice diſſiliens; ſemina ſolitaria, ſubrotunda. Plura hoc genus genera ſecundaria ſpeciesque comprehendit, quorum illa ſunt: Euphorbiae fruticoſae aculeatae; Euphorbiae fruticoſae inermes; Euphorbiae dichotomae, vmbella bifida, aut nulla; Euphorbiae vmbella trifida; Euphorbiae vmbella quadrifida; Euphorbiae vmbella quinquefida; Euphorbiae vmbella multifida. Omnes ſpecies lacte, ſeu ſucco acerrimo, ſeptico, ſcatent. Pleraeque in regionibus calidis naſcuntur, apud nos in viridariis coluntur.

Ge. Euphorbenpflanze. G. *Euphorbier.* A. *The burning Thorny-Plant.*

Evphorbivm, eſt concretum gummoſo-reſinoſum acerrimum, ex ſauciata herba eiusdem nominis extractum. Species, e qua extrahitur, eſt Euphorbium Cerei effigie, caulibus craſſioribus, ſpinis validioribus armatum *Commel. Euphorbia officinarum* aculeata, nuda, multangularis, aculeis geminatis *Linn.* Haec eſt planta hominis longitudinem ſuperans, cuius cortex eſt durus et ſpinoſus. Folia digitum longa, craſſa, figura quadrangulari, in ſingulis angulis multas exiguas ſpinas habentia. Flores pentapetali, coloris viridis ſubflauescentis. Succedit fructus piſi magnitudine triangularis, in tria loculamenta diuiſus, vnico foeta ſemine oblongo. Naſcitur in modum, ac ſi ſingula folia repraeſentarent aculeatos cucumeres; totum enim folium ſpinis albis obſitum eſt, ita vt manibus prehendi absque laeſione non poſſit. Gummi igitur ex inciſis foliis emanans ſole induratur; illud debet eſſe purum, aliquando et ſpinas aliasque feſtucas admixtas habet, flaueſcit aliquomodo, aliquando albeſcit. Admodum et naribus et linguae acre eſt, et facile, niſi demulcentia et oleoſa adhibeantur, harum partium inflammationem producit; vehementer aluum ducit, et ſeroſos humores expurgat, ſed ob ſummam acrimoniam inteſtina excoriat. Viribus praeterea ſumme incidentibus, rubefacientibus, ſtimulantibus, et ſternutatoriis pollet, quae potiſſimum in parte reſinoſa reſident. Vix vnquam interne adhibetur, nec ſine periculo ptarmicis admiſcetur. Externe vix quidquam praeſtantius ad cariem oſſis auferendam ſe inueniſſe, teſtatur Hildanus. Venit ex Libya, Mauritania, Peru, etc. Nomen dedit ei primum Iuba, Libyae Rex, in monte Atlante vltra Herculis columnas, appellauitque *Euphorbium* medici ſui nomine, et fratris Muſae, a quo diuus Auguſtus fuit conſeruatus. Ge. Euphorbenharz. G. *Euphorbe.* B. *Gom van Euphorbium.*

Evphoria, idem quod *Eupathia.* Ab εὐφορέω, facile tolero. Ge. Das Wohlbefinden. B. *Een makkelyk Verdrag.*

Evphragia, vide *Euphraſia.*

Evphrasia, vel evfrasia, eſt plantae genus, (Didynam. Angioſperm.) cuius calyx monophyllus, quadrifidus; corolla monopetala ringens; antherae bilobae, quarum inferiores lobo inferiori in ſpinulam acuminatae ſunt. Species officinalis eſt Euphraſia officinarum *Bauh. Euphraſia officinalis* foliis ouatis, lineatis, argute dentatis, *L.* Habet haec planta caules tenues, villoſos, nigricantes. Folia parua, oblonga,

venoſa, minutim inciſa. Flos monopetalus, anomalus, perſonatus, in duo labia diſtinctus, quorum ſuperius ſurrectum, et multifariam ſectum; inferius vero in tres partes diuiditur, quae ſingulae quoque bifidae ſunt: coloris eſt albi, multis punctis purpureis et flauis notatus. Ex calyce ſurgit piſtillum poſticae floris parti ad inſtar claui infixum, quod abit in fructum, ſeu teſtam, exiguam, oblongam, in duo loculamenta diuiſam, ſeminibusque foetam exiguis et albis. Radix exigua, lignoſa. Creſcit haec planta in locis incultis circa vias et in pratis. Sic eius nomen a Graecae linguae imperitis pharmacopolis deprauatum eſt, cum olim εὐφροσύνη dicta ſit, quod nimirum oculos, quorum caliginem diſcutit, delectet. Ex εὖ, bene, et φῶς, laetus. Singulares enim virtutes ophthalmicae huic plantae olim tributae ſunt, quae tamen vix hodie, ad exactiorem experientiam, ei ineſſe deprehenduntur, niſi forte qualitate, qua pollet, ſubauſtera, leniter roborando prodeſſe poſſit. Ge. Augentroſt. G. *Euphraiſe.* A. *Eyebright.* B. *Oogen-trooſt, Klaar-oog.*

EVPHROSYNE, i. q. *Euphragia.*

EVPNOEA, eſt reſpiratio probe conſtituta, ſiue reſpirandi facilitas. Ab εὖ, bene, et πνέω, ſpiro. Ge. Leichter Athem. G. *Reſpiration facile.* A. *An eaſy Breathing.* B. *Een makkelyke Ademing.*

EVPORIA, eſt medicamentorum praeparandorum facilitas, vel eorum operationis promtitudo. Ex εὖ, bene, et πορεύω, gradior. Hinc *Euporiſta medicamenta* vocantur, quae promtos in curandis morbis effectus edunt, vel etiam, quae facile inueniri et praeparari poſſunt. Ge. Hausmittel. G. *Une Medecine euporiſte.* B. *Vaardige Medicyne.*

EVRHYTHMVS, eſt pulſus in homine ſano, rhythmum, ſeu ordinem, bene ſeruans. Ex εὖ, bene, et ῥυθμὸς, modulus. Ge. Ordentlicher Pulsſchlag. G. *Le Pouls regulier, égal.* A. *An orderly Pulſe.* B. *Ordentelyke Pols.*

EVSARCOS, Gr. εὔσαρκος, bene carnoſus, ſeu toroſus, ſiue quadratus. Ab εὖ, bene, et σὰρξ, caro. Ge. Fleiſchicht. G. *Charnu.* A. *Fleshy.* B. *Wel in het Vlees.*

EVSEMIA, eſt bonorum ſignorum praeſentia. Ab εὖ, bene, et σῆμα, ſignum. Ge. Ein gutes Zeichen. G. *Un bon Signe.* A. *A good Sign.* B. *Een goed Teken.*

EVSITIA, eſt bonus appetitus. Ab εὖ, bene, et σιτέω, alo, nutrio, paſco, ſagino. Ge. Guter Appetit. G. *Bon Appetit.* A. *A good Appetite.* B. *Goede Appetyt.*

EVSPLANCHNOS, eſt is, qui bene conſtituta et robuſta habet viſcera. Ab εὖ, bene, et σπλάγχνον, viſcus. Germ.

Einer der geſunde Eingeweide hat. B. *Die goede Ingewanden heeft.*

EVSTOMACHVS, eſt bene conſtitutus ſtomachus. Item cibus ſtomacho conueniens. Ab εὖ, bene, et στόμαχος, quod non ſolum ſiniſtrum ventriculi orificium ſignificat, ſed et pro toto ventriculo ſaepe ſumitur. Ge. Ein guter Magen. G. *Un bon Eſtomac.* A. *A good Stomach.* B. *Een goede Maag.*

EVTHANASIA, eſt facilis et leuis ſine conuulſionibus, aut aliis ſymptomatibus dolorificis, mors. Ex εὖ, bene, et θάνατος, mors. Ge. Ein ſanfter Tod. B. *Een gemakkelyke Dood.*

EVTHYPOROS, eſt rectus inceſſus. Ab εὐθὺς, rectus, et πορεύω, incedo. Ge. Ein gerader Gang. G. *La Demarche droite.*

EVTOCOS, ſeu *foecunda*, quae bene gerit, et facile parit. Ab εὖ, bene, et τόκος, foetus, a τίκτω, pario. Ge. Fruchtbar. G. *Fécond.*

EVTONOS, qui firmus eſt, et debitum membrorum tenorem habet. Ab εὖ, bene, et τόνος, tenſio, a τείνω, tendo. Ge. Von ſtarken Gliedern. G. *Membru.*

EVTROPHIA, eſt optima nutritio. Ab εὖ, bene, et τρέφω, nutrio. Ge. Das Gedeyen, Zunehmen. G. *Une bonne Nutrition.* A. *A good Nourishment.* B. *Eene goede Voeding.*

EXACERBATIO, i. q. *Paroxyſmus.*

EXAERESIS, ſic vocatur chirurgiae pars, quae extrahit peregrina e corpore noſtro, quae ei nocebant, ſiue intus in eo genita ſint, et in eo haereant, vt calculi, etc. ſiue extrinſecus immittantur, vt globuli plumbei in vulneribus, etc. Ab ἐξ, ex, et αἱρέω, traho, demo. Ge. Ausziehung. G. A. *Extraction.* B. *Uitbaaling.*

EXAGIVM, eſt veterum pondus ſcrupulos quatuor pendens.

EXALMA, eſt ſubitaneus oſſium e ſede ſua receſſus; in ſpecie de vertebris dicitur.

EXALTATIO, Gr. μετουσιωμὸς, ſeu SVBLIMATIO, eſt operatio, qua res affectionibus mutata, ad altiorem ſubſtantiae et virtutis dignitatem perducitur; vel eſt ſubtiliſatio, res ſenſim diſſoluendo in puriorem et maiorem virtutis ſuae gradum transponens, quae fit circulatione, ablutione, deſtillatione, vel fermentatione. Ge. Erhöhung, Verbeſſerung. G. A. *Exaltation.* B. *Verbeſſing, Verhooging.*

EXAMBLOSIS, i. q. *Abortus.* Gr. ἐξάμβλωσις et ἐξάμβλωμα. Ab ἐξ, ex, et ἄμβλωσις, abortus.

EXANASTOMOSIS, eſt oſculorum, ſiue extremitatum vaſorum apertio. Ab ἐξ, ex, et ἀναστόμωσις, aperio, relaxo. Ge. Oeffnung der Gefäße. B. *Opening der Monden der Vaten.*

EXANIA, PROCTOCELE, ſeu *Procidentia ani*, eſt ſphincteris ani, et inteſtini recti inuerſi procidentia, in qua pars prolapſa extuberat et rubet, plus minus longa atque incraſſata, reductibilis ſemper in principio, niſi ſaeuiat ſtrangulatio, vel obſtet nimia eius craſſities. Oriri poteſt a valida inſpiratione et preſſione, a laxitate partium, ab alui fluxu et teneſmo, a calculo, a diſtocia, a paralyſi, laeſione leuatorum in lithotomia, etc. Ge. Vorfall des Maſtdarms. G. *Chûte du fondement.*

EXANTHEMA, eſt *Efflorescentia*, ſeu *Efflorescentia*, quaedam ſuper cutem apparens. Eſt *ſymptomaticum*, vel *criticum*. Alia exanthemata colorem cutis ſaltem mutant, vt fit in febribus petechialibus, morbillis, maculis ſcorbuticis, hepaticis, lentigine, etc. in aliis tubercula quaedam in cute erumpunt, quae papillarum nomine venire ſolent, vt variolae, papulae, puſtulae, etc. Comprehenditur ergo hoc ſub nomine tota claſſis illorum morborum, in quibus adſunt eruptiones cutaneae, ſiue tumores humorales exigui, gregales, tranſitorii, in ſuperficie corporis, ſiue cum febre, ſiue ſine febre erumpant. Ab ἐξανθέω, efflorescо. Ge. Ausſchlag. G. *Exanthème, Efflorescence.* B. *Uitbottende Vlakke, Uitslag, Vuurigheid, Puiſte.*

EXARTHREMA, EXARTHROSIS, idem quod *Luxatio*, et quidem totalis, quando totus articulus ex ſede ſua naturali excidit. Cognoſcitur ex impotentia motus naturalis, ex dolore, ex mutatione figurae, inſolita hinc protuberantia, illinc cauitate, et ex accurtatione, vel prolongatione, partis luxatae. Ab ἐξαρθρέω, ex artubus ſum dimotus. Ge. Eine vollkommene Verrenkung. G. *Luxation, Exarthroſe, Foulure.* A. *Luxation.* B. *Ontledinge der lidmaten.*

EXARTICVLATIO, i. q. *Luxatio.*

EXCANDESCENTIA, eſt operatio chemica, qua metalla, quae forti percuſſione, aut compreſſione, minus ductilia facta ſunt, ignita iterum reddantur, quo amiſſam ductilitatem recuperent. Ge. Ausglühen. G. *Recuit.*

EXCATHISMA, ſeu SEMICVPIVM, eſt balneum ex aqua calida.

EXCIDENTIA, ſiue ECPTOSIS, idem quod *Luxatio*, *Ectopia.*

EXCEPTIO, eſt incorporatio, aut permixtio puluerum ſiccorum cum humiditate quapiam. Hoc pacto *Electuaria* conficiuntur, cum melle, aut ſyrupo, pulueres et pulpae excipiuntur: et pulueres pilularum cum ſyrupo, melle, vino, aut ſucco: idque, quod medicamentis eo fine additur, vocatur *Excipiens.*

EXCIPIENS, ſ. CONSTITVENS, dicitur in formulis medicis illud ingrediens, quod medicamento debitam formam et conſiſtentiam dat, vt ſi puluеribus mel, vel ſyrupi, ad conficiendum electuarium, vel extracta et mucilagines ad conficiendas pilulas, vel rotulas, admiſcentur.

EXCIPVLVM, i. q. *Recipiens.*

EXCIPVLVM CHYMICVM, vide *Receptaculum Chymicum.*

EXCISIO, ſiue ECCOPE, i. q. *Exſtirpatio.*

EXCITANTIA, ſunt talia medicamenta, quae ingeſta, aut alio modo corpori applicata, ſua irritatione faciunt, vt motus et ſenſus nimis languentes viuidiores fiant, vel deficientes reuocentur. Ge. Erweckende Mittel. G. *Excitans.*

EXCORIATIO, i. q. *Darſis.*

EXCORTICATIO, eſt corticis exterioris denudatio, quod pharmacopoeis vſitatum eſt circa radices, fructus, ſemina, etc. Ge. Abſcheelung der Rinde G. *l'Ecorcement.* A. *A peeling away of the bark.* B. *Een Ontbaſting.*

EXCREMENTVM, Gr. διαχώρημα, περίττωμα, notat omne, quicquid ab alimentis poſt coctionem ſeparatum, craſſius, indiſſolutumque exiſtens e corpore eſt excernendum; vel quicquid cum ſanguine circumiuit, et ſubtilius atque acrius eſt, quam vt corpus amplius nutriat, illiue inſeruiat, per excretoria corporis eliminatur; vt ſudor, aurium ſordes, alui et veſicae excrementa, etc. Ge. Auswurf. G. *Excrement, l'Ordure du corps.* A. *The Offall, Excrements.* B. *Uitwerpzel.*

EXCRESCENTIA, i. q. *Hyperſarcoſis.* In genere denotat tumores a ſolidis auctis orientes.

EXCRETIO, Gr. διαχώρησις, eſt actio excernendi. Vide *Excrementum.*

EXCVTIA VENTRICVLI, inſtrumentum eſt, ab *Heiſtero* deſcriptum et delineatum, ex mollioribus ſetis, in faſciculum contortis, filoque ferreo flexili annexis, confectum; quod ad fauces ab officulis inhaerentibus liberandas, imo ad ventriculum expurgandum, adhiberi poſſe nonnulli aſſerunt. Cuius vero vſus, hoc vltimo ſcopo, prorſus apud nos exolevit. Ge. Magenbürſte.

EXELCISMVS, eſt oſſium a ſuperficie in profunditatem depreſſio. Ab ἐξέλκω, extraho. G. Eindrückung. G. *Compreſſion de l'Os.* B. *Indrukking des Beens.*

EXERCITATIO, EXERCITIVM, eſt motus corporis humani voluntarius, ſanitatis tuendae, vel habitus boni comparandi gratia factus. Gr. Ἄσκησις, Ἄσκημα, Γυμνάσιον. Ge. Leibesübung. G. *Exercitation, Exercice.* A. *Exerciſe.* B. *Oeffening.*

EXFOLIATIO, eſt ſeparatio lamellarum oſſis corrupti; hinc remedia, quae eam promouent, *Exfoliatiua* dicuntur. Ge. Das Beinblättern. G. A. *Exfoliation.*

EXHALATIO, Gr. ἀναθυμίασις. Idem quod *Euaporatio.*

EXINANITIO, Gr. κένωσις, euacuatio, nec non vacuitas vaſorum inde producta.

EXISCHOS, eſt luxatio oſſis femoris. Vnde et illi, quibus nates rotundae exſtant et coxa eminet, dicuntur ἐξίσχιοι. Ab ἐξ, ex, et ἰσχίον, coxa. Ge. Verrenkung der Hüfte. G. *Luxation de la Hanche.* A. *Luxation of the Thigh-bone.* B. *Heup-ontwrigting.*

EXOCYSTE, prolapſus, inuerſio veſicae vrinariae in foeminis, eſt membranae tum veſicae corpus, tum ipſius collum interne obueſtientis procidentia per meatum vrinarium facta: inter magna vuluae labia conſpiciendam ſeſe praebet pars prolapſa, nunc forma veſicae rotundae, diaphanae, clauſae, lotio plenae cum iſchuria; nunc vero forma botuli oblongi, penduli, inferne aperti, cum vrinae emittendae difficultate. *Sauv.* Ge. Blaſenvorfall. G. *Renverſement de la Veſſie.*

EXOMPHALOS, eſt vmbilici protuberantia, infantibus frequens, vel foeminis poſt partum, quae facile fit, quoniam peritoneum eo in loco nullis muſculis tegitur. Rectius tamen quamcunque cyſticam collectionem fluidi ad vmbilicum, ſeu cyſtidem vmbilicalem, denotat, atque ſic ab omphalocele diſtinguitur. Ab ἐξ, ex, et ὀμφαλός, vmbilicus. Ge. Nabelgeſchwulſt, Nabelbruch. G. *Protuberance du nombril.* A. *Protuberance of the Navel.* B. *Uitbulting des Navels.*

EXOPHTHALMIA, eſt oculi extra ordinarium ſitum et extra orbitam protuberantia. Sequitur aliquando variolas, plerumque autem ineptam cataractae depoſitionem, vel quemcunque humorum praeternaturalium ad oculos deſtuxum, et accumulationem, qui membranas ita diſtendunt, vt orbita bulbum amplius retinere nequeat; vel prouenit a morboſis intra orbitam natis excreſcentiis, quae volumine ſuo bulbum oculi exprimunt. Ab ἐκ, ex, et ὀφθαλμός, oculus. Ge. Das Hervortreten des Auges. G. *Exophthalmie, Chûte de l'Oeil.* A. *A Protuberance of the Eyes.* B. *Eene Uitpuiling der Oogen.*

EXOSTOSIS, eſt ſubſtantiae oſſeae extuberantia et excreſcentia morboſa, plus vel minus maligna pro diuerſitate cauſſae vel externae violentae, vel internae rachiticae, ſcrophuloſae, ſiphyliticae, etc. Ab ἐξ, ex, et ὀστέον, os. Ge. Beingeſchwulſt. G. *Exoſtoſe, excroiſſance de l'Os.* A. *Extuberance of the Bones.* B. *Uitwaſſing des Beens, Been-Knobbels.*

EXOTICA, opponuntur *indigenis*, et ſunt corpora naturalia, quae aliunde ex peregrinis regionibus transferuntur. Ge. Ausländiſch. G. *Exotique.*

EXPANSIO, fit, dum volumen corporis augetur, non auctо particularum numero, et dicitur tam de ſolidis, quam de fluidis: prior eſt partium fibram conſtituentium a ſe mutuo receſſio, quae facit maiorem molem, ſiue tumorem: altera dicitur etiam *Rarefactio*, eſtque humorum maior moles ſine augmento ponderis, quae ſequitur auctum calorem. Ge. Ausdehnung. G. A. *Expanſion.* B. *Uitzetting.*

EXPECTORANTIA, medicamenta ſunt, quae morboſam materiam intra pulmonum vaſa contentam reſoluere et per laryngem expellere poſſunt. Ge. Bruſtmittel, den Auswurf befördernde Mittel. G. *Expectorant.* B. *Borſt-Middelen.*

EXPLORATORIVM, i. q. *Specillum.*

EXPLOSIO, erat iuxta quorundam medicorum hypotheſin actio ſpirituum, qua nerui ſubito contrahuntur. Cauſa dicebatur, quando ſpiritibus animalibus particulae heterogeneae accreſcunt, vel in confuſionem aguntur.— Sed eſt potius operatio quaedam chymica, qua res inflammabiles ſubito inflammantur, aeremque contentum extrudunt, vt fit, ſi cum nitro accendatur antimonii puluis. Vide *Detonatio.* Ge. Knallen, loßbrennen, verpuffen. G. A. *Exploſion.* B. *Ontploffing.*

EXPRESSIO, ab EXPRIMERE, eſt, quando amygdalae, aliaue ſemina pinguia, poſt debitam contuſionem, aut decocta, aut herbae recentes tuſae ob olea, aut ſuccum, praelo exprimuntur.

EXPVLSIO, i. q. *Expultrix vis.*

EXPVLTRIX VIS, ſiue FACVLTAS. Antiquis dicebatur illa actio, ſeu facultas, qua excrementa excernebantur, ſicut *Vis Aſſimilatrix*, qua nutritio corporis peragitur. Non vero neceſſe eſt ad coecas vires confugere, cum ſciamus, ea omnia a ſpiritibus animalibus fieri, motu ſcilicet periſtaltico.

EXQVISITA, dicitur *Febris*, quae perfecte regularis est, et typum suum seruat. Vide *Typus*.

EXSOLVTIO, i. q. *Eclysis*.

EXSPIRATIO, seu ECPNEVMATOSIS, est aëris inspirati et in pulmonibus contenti per asperam arteriam, os et nares expulsio. Causa eius consistit in thoracis dilatati collapsu, adeoque compressione pulmonis; tum actione musculorum abdominalium in viscera, proin in diaphragma, quod sursum agitur, et denique in vi propria contractili fibrarum musculosarum vasis aereis intertextarum. Ge. Die Ausathmung. G. A. *Exspiration*. B. *Uitademing*.

EXSTASIS, est sensuum omnium motuumque musculariv̄m subitanea suppressio, superstite pulsu et respiratione obscurissimis, absque membrorum rigore, orta a profunda contemplatione, mentisque attentione, aut a pathemate vehementi. Differt a *Catalepsi* eo, quod aegri artus non retineant situm quemuis ab adstantibus impressum, aeger tamen eam, quam initio insultus habuit, posituram constanter servat, et omni sensu motuque artuum orbatur. Ab ἐξ, ex, et ἵστημι, statuo. Ge. Entzückung. G. *Extase*. A. *Ectase*. B. *Een Verrukking van Zinnen*.

EXSVCCATIO, i. q. *Ecchymoma*.

EXSVDATIO, i. q. *Ephidrosis*.

EXSVFFLATIO, i. q. *Ecphysesis*.

EXTA, Gr. σπλάγχνα, i. q. *Viscera*.

EXTASIS, i. q. *Exstasis*.

EXTENSIO, i. q. *Anatasis*.

EXTENSORES, nomen hoc datum est variis musculis, qui partes quasdam extendunt, vt carpum, digitos et pollicem, brachium, femur, dorsum, etc. quorum antagonistae sunt *Flexores*. Ge. Ausstreckende Muskeln. G. *Extenseurs*.

EXTENVATIO, est totius corporis macies, quae vel subito fit ab euacuatione quadam sensibili, vel ex diuturniori morbo lentius contrahitur. Gr. Λεπτυσμὸς, et λεπτύνσις. G. Abnehmen des Leibes. G. *Extenuation, Maigreur*. A. *Leanness*. B. *Vermagering*.

EXTERGENTIA, i. q. *Abstergentia*.

EXTINCTIO, dicitur de lapidibus, v. g. crystallis, silicibus, etc. toties candefactis, totiesque aqua extinctis, vsque dum euaserint friabiles: ac interdum metalla ignita liquore aliquo extinguuntur, vt hic earum virium participet. Sic v. c. si ferrum aqua extinguitur, aqua ferri viribus hac ratione imbuta dicitur Ge. Löschwasser. — *Extinguere* etiam est, quando argentum viuum terebinthina, alioue liquido

ita inuoluitur, vt nec micula eius amplius conspici possit. Per *Extinctionem* etiam mercurius administrari dicitur, dum pluribus dosibus datis leniora cathartica infirmis propinantur, quo sic, facta humorum resolutione, tamen saliuatio, breui saepe succedura, impediatur. Ge. Auslöschung. Ga. *Extinction*. A. *Quenching*. B. *Uitblussing*.

EXTIRPATIO, est partis solidae propter deformationem, sphacelum, cancrum, etc. absciscio, vel exscisio, cuius recte instituendae praecepta chirurgia docet. Gr. Ἀποκοπὴ, et ἐκτομὴ. Ge. Ausschneiden, Abnehmen. G. A. *Extirpation*. B. *Exstirpatie, Afzetting*.

EXTRACTIO, ab EXTRAHERE, est resolutio, qua corporis mixti partes subtiliores a crassioribus ope menstrui soluentis segregantur. Ex. gr. quando mediante spiritu vini partes resinosae, vel mediante aqua partes gummosae, ex quocunque medicamento extrahuntur, tunc illud, quod post menstrui euaporationem relinquitur, vocatur *Extractum*. Gr. Ἐκχύλωσις, ἐκχύλωμα. Ge. Ausziehung. G. et A. *Extraction*. B. *Uittrekking*. — — — Chirurgice quoque sumitur pro extractione rei e corpore humano, e. g. dentis, calculi, polypi, globuli plumbei, foetus, etc.

EXTRACTVM, Gr. ὑπὸς, et ἐκχύλωμα, est purum, sincerum et efficax illud, quod a partibus minus efficacioribus, mediante liquore, segregatum, et ad iustam consistentiam inspissatum est. Tale fit ex vegetabilibus, quorum vires in parte fixa haerent, ex. gr. ex absinthio, aliisque amaris vel adstringentibus. Horum plura in officinis prostant. Ge. Extrakt. G. *Extrait*. A. *An Extract*. B. *Een Uittrekzel*.

EXTRAFOLIACEAE, dicuntur in plantis stipulae et pedunculi infra folium collocati.

EXTRAVASATVM, dicitur de humore, vel sanguine, qui e vasis effluxit, et vel in cauitatibus maioribus, vel cellulis tunicarum et integumentorum, colligitur. Ge. Ausgetretene Säfte. G. *Extravasé*.

EXTVBERATIO, idem quod *Apophysis*.

EXVLCERATIO, Gr. ἕλκωμα, ἕλκωσις, est solutio successiva continui, a materia erodente originem trahens, in mollibus corporis partibus, cum imminuta magnitudine, et iactura substantiae. Differt ab abscessu, quod abscessus producitur per se, praegressa tantum inflammatione. Ge. Verschwürung. G. *Exulceration, Bleſſure, Entameure de la peau*. A. *Exulceration*. B. *Verzweering*.

EXVMBILICATIO, idem quod *Exomphalos*.

EXVSTIO, eſt, quando quis ab igne laeſus fuerit. Eſtque triplex, *prima* laedit cuticulam, et cum veſiculis aquoſis eleuatur; *ſecunda* ipſam quoque cutim; *tertia* partes etiam cuti ſubiectas. Gr. Ἔγκαυσις. — *Exuſtio* etiam nonnunquam ſtudio et arte chirurgica fit, ope cauteriorum. Ge. Brand, Verbrennung. G. *Brulure.* A. *A Burning.* B. *Branding.*

EXVTORIVM, ita nonnulli Galli recentiores vlcus cutaneum dicunt in brachio alioque loco ope corti is Thymeleae excitatum, ad humores ferosos euacuandos. G *Exutoire.*

EXVVIAE, ſunt pelles quorundam animalium frigidi ſanguinis, ſponte fecedentes, quarum nonnullae in vſum medicum olim adhibebantur, vt ſerpentum. Ge. Ein Balg. G. *Dépouilles.*

F.

F ſignificat in fine formularum *Fiat.*

F. L. A. eſt, fiat lege artis.

F. S. A. eſt, fiat ſecundum artem, bolus, electuarium, etc.

FABA, eſt plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius calyx monophyllus eſt, tubulatus, ſemiquinquefidus; nectarii glandula intra ſtamen compoſitum et germen, e receptaculo oriens. Species, quae apud nos frequentiſſime colitur, eſt Faba flore candido, lituris nigris conſpicuo *Bauh. Vicia Faba*, caule erecto, petiolis absque cirrhis *Linn.* Habet haec caules tres pedes circiter altos, quadratos, excauatos. Folia ſunt oblonga, obrotunda, craſſa, pinnata, bina velut coniugata ad coſtam, quae in mucronem abit; flores ſunt leguminoſi, oblongi, coloris aliquando albi, ſtriis nigris inſtructi, aliquando purpurei, nigricantes. Flori ſuccedit ſiliqua longa, craſſa, carnoſa, vnicapſularis, foeta ſeminibus reniformibus oblongis, elatis, vel oualibus, coloris varii, plerumque albi. Radix longa, partim recta, et partim repens, fibroſa. Vſus maxime cibarius et culinaris eſt, licet qualitatis ſit flatulentae. In officinis aqua florum proſtat, quae coſmetica virtute pollet. Farina ſeminum inter quatuor farinas reſoluentes numeratur, et cum fructu tumoribus glandularum imponitur. Plantae combuſtae cinis eiusque ſal viribus diureticis et antihydropicis gaudet. Gr Κύαμος. Ge. Bohne. G. *Féve.* A. *Bean.* B. *Boonen.*

FABA SANCTI IGNATII, ſunt fructus plantae cucurbitaceae in Inſulis Philippinis naſcentis, quae eſt Cucurbitifera Malabathri foliis ſcandens *Pluk.* Catalongay et Centara

Philippinis Orientalibus dicta, cuius nuclei Pepitas de Beſayas, aut Catbabogan, et Fabae Sancti Ignatii ab Hiſpanis, Igaſur et Mananaog ab Inſulanis nuncupantur. Faba febrifuga, *Geof.* An *Strychni* ſpecies? *Linn.* In vno fructu viginti et plures huiusmodi nuclei reconduntur. Recentes ſunt odoris fragrantis, ad Moſchum accedentis, exſiccati absque odore, ſed ſapore amariſſimo, variae formae, vtplurimum oblongae, paruam nucem moſchatam magnitudine aequantes, nodoſi, duriſſimi, corneae ſubſtantiae, coloris inter album et glaucum medii. Ex India Orientali affertur, eſtque celebre antifebrile in tertiana, et a quibusdam etiam laudatur contra epilepſiam. Pollet quidem viribus emeticis, catharticis, emmenagogis, et anthelminthicis, et ab Indis contra omnes fere morbos adhibetur. Ipſum infuſum aquoſum profuiſſe deprehenſum eſt. Quoniam tamen ex eius vſu praecordiorum anxietates, et conſtrictiones ſpaſticae ſaepe ſecutae ſunt, hinc naturae noſtrae inimicam eſſe, et lenem recondere virulentiam, non ſine ratione ſuſpicamur. Ge. Ignatiusbohnen. G. *Féve de St. Ignace.* Vide *Nux Vomica.*

FABA AEGYPTIACA, vide *Arum, Colocaſſia, Nymphaea.*

FABA BENGALENSIS, creditur eſſe Myrobalanus citrinus ab inſecto laeſus, et inde formam monſtroſam et qualitatem ſtipticam nactus. G. *Féve de Bengale.*

FABA CRASSA, vide *Telephium.*

FABA FEBRIFVGA, vide *Vomica Nux.*

FABA INDICA, vide *Vomica Nux.*

FABA MARINA, vide *Vmbilicus Marinus.*

FABA PECVRIS, vel PECHVRIM, eſt nucleus Nucis auellanae figura, rotundus oblongus, membrana tenui nigreſcente inuolutus, pulpa flaueſcente viſcida molli tectus, compoſitus e duabus partibus, ſimilibus amygdalo ſecundum longitudinem fiſſo, et in latere plano, ſecundum longitudinem aliquantum excauato. Continetur in ſiliqua, vel fructu, arboris Braſilienſis, *Copaiferae officinalis*, flore roſaceo, foliis pinnatis (Decandr. Monog.) Nucleus ipſe fractus, aut ſciſſus, interiora ſubfuſca oſtendit, nihil lignoſi, aut fibroſi, nuci myriſticae ſciſſae, aut fractae, ſimilis. Friabilis eſt dentibus, odore ſaporeque inter Nucem myriſticam et Saſſafras mediis. Qualitatis eſt aromaticae, viribusque ſtomachicis et carminatiuis pollet. Praecipue vero vt remedium ſpecificum contra dyſenteriam epidemicam laudatur. Paſſim iam in vſu culinari Nuci myriſticae ſubſtitui lego. — Secundum recentiſſimas Ill. *Linné* obſeruationes ad Lauri genus pertinet.

FABA PORCINA, ſ. SVILLA, i. q. *Hyoſcyamus.*

FABA PVRGATRIX, vide *Ricinus.*

FABARIA, ſic appellatur Telephii quaedam ſpecies, idque a foliorum figura et craſſitie a faba. Vide *Telephium.*

FACIES, VVLTVS, Gr. *πρόσωπον.* Anterior capitis pars non capillata, continens oculos, naſum, os, labia, mentum, genas, frontem, etc. Ge. Das Angeſicht. G *La Face, le Viſage.* A. *The Face, the Viſage.* B. *Het Aangezigt.* — Anatomicis haec vox aliquando denotat ſuperficiem alicuius partis, ſed tunc ſemper additur anterior, poſterior, externa, interna, etc.

FACIES HIPPOCRATICA, dicitur, quando nares acutae ſunt, oculi concaui, id eſt intra ſua antra recedentes, ita vt haec minus, quam decet, impleta appareant; tempora collapſa, auriculae frigidae et contractae, auriumque lobi inuerſi, quin cutis, circa frontem dura, circumtenta, et arida, color totius faciei pallidus, liuidus, plumbeus aut niger. Ita vero dicitur, quoniam *Hippocrates* hanc faciem inter lethalia morborum acutorum ſigna recenſuit. Ge. Uebles Ausſehen. Ga. *La Face*, vel, *le Viſage d'Hippocrate, l'Air éthique.* A. *The Face, or Viſage of Hippocrates.* B. *Een Hippocraats Wezen.*

FACTITIVM, dicitur de omnibus illis, quae arte praeparantur, et opponitur illis, quae a natura producuntur, et *Natiua* vocantur.

FACVLTAS, ſiue *Δύναμις*, aut *Vis*, eſt potentia viui corporis functiones ſuas peragendi. Vide *Actio.* Ge. Vermögen. G. *Faculté, Pouvoir, Puiſſance.* A. *Faculty, Power.* B. *Magt, Kragt.*

FAECVLA, vide *Fecula.*

FAEX, vel FAECES, ſunt reliquiae, quae poſt fermentationem deponuntur. Sublidentia item eſt liquorum, ſpiſſitudinem habentium, ex tenuioribus ſe ſeparantium, ex quorum ſpecie habentur *faeculae.* Ge. Der Bodenſatz. Ga. *Lie, Fondrille.* A. *The Dreggs, Lees.* B. *Giſt, Moer, Droeſſem, Grond-zop, Onzuiverheid.* Vide *Excrementa.*

FAGARA, eſt ſemen Cubebis maxime ſimile, et eiusdem virtutis aromaticae, ſtomachicae, et carminatiuae. Arbor, quae haec ſemina fert, dicitur Fagara fraxini folio. *Duham.* Zanthoxylum ſpinoſum, Lentiſci longioribus foliis, Euonymi fructu capſulari *Catesb.* *Zanthoxylum Clava Herculis* foliis pinnatis *Linn.* (Dioec. Pentandr.). Creſcit in Iamaica, Virginia, et Carolina.

FAGITRITICVM, et FAGOTRITICVM, idem quod *Fagopyrum.*

FAGOPYRVM, *Polygonum Fagopyrum Linn.* (Octandr. Trigyn.) foliis cordato-ſagittatis, caule erectiuſculo inermi, ſeminum angulis aequalibus, eſt planta, duos pedes, vel duos cum dimidio, alta, quae habet caulem rotundum, mollem, excauatum, rubicundum. Folia in initio obrotunda, poſtea anguloſa, Hederae folia referentia, ſed minora. Flos eſt apetalus, paruus, albus, in ſpicis, vel racemis, aut muſcariis, habet octo ſtamina, e calyce quinquepartito ſurgentia. Ouarium in calycis fundo innaſcitur in placenta eleganter globulis in orbem poſitis ornata, eſt triquetrum tres emittens tubas; fit ſemen triquetrum, nigricans, farinoſum, intus album. Radix fibroſa annua. Colitur in agris, et nullum ſolum, quantumuis aridum et macrum, reſpuit. Semen qualitatis eſt farinoſae nutrientis, eiusque in quibusdam regionibus vſus culinaris frequentiſſimus. Sic dicitur a ſeminis figura, quod Faginam glandem, figura triquetra, et colore ſordido, quodammodo refert, licet quantitate multo minus; eſt enim vox ex Latino nomine Fagus, et Graec. *πυρὸς*, triticum, frumentum, compoſita. Hinc loco *πυρὸς* dicitur *Fagopyrum*, vel appellatur *Fagopyrum*; *φηγὸς* enim arbor glandifera eſt. Ge. Heidekorn, Buchweizen. G. *Blé noir, ou ſarraſin.* A. *Buck-wheat.* B. *Boek-weit.*

FAGVS, eſt arbor glandifera, (Monoec. Polyandr.) magna, craſſa, ramoſa, cuius cortex mediocriter craſſus, politus, coloris griſei cinerei: lignum eſt durum, album. Folia Populi ſunt minora, nigra, tenuia, mollia, ouata, obſolete ſerrata. Flos mas, amentaceus, glomeratus, conſtans ſtaminibus plurimis, e calyce campaniformi ſurgentibus: fructus in eadem arbore a floribus ſeparati naſcuntur, calloſi, acuminati, quadrifido apice dehiſcentes, foeti binis ſeminibus trigonis, duris, politis, rubicundis, interne habentibus medullam albam, edulem, ſaporis dulcis cum aliqua adſtrictione, qualitatis tamen temulentae et cephalalgicae, cum et nimium fructuum vſum hydrophobiam ſecutam eſſe eximiis ſcriptis proditum fit. Haec arbor creſcit in pratis, et locis montanis, et magnam vmbram facit Gr. *Φηγὸς*. Ita dicta *ἀπὸ τῦ φάγειν*, a comedendo, quod ante inuentas fruges (vt fabulantur poetae) homines eius arboris glandibus ſolebant victitare. Dicitur etiam Graecis *ὀξύη, ὀξύα, ὀξύα*, a foliorum forma, et forſan calycis et fructus ſapore. Ge. Buchbaum. Buche. G. *Hêtre, ou Fau, Fouteau, Foyard.* A. *Beech-Tree.* B. *Beuken-boom.*

FALTRAN, FALTRANK, eſt vox originis Germanicae, in Heluetia cumprimis vſitatiſſima, et denotat potum delapſis ab alto maxime proficuum. Eſt ſcilicet infuſum plantarum variarum vulnerariarum et ſubadſtringentium, maxime in Alpibus prouenientium, quarum variae compoſitiones venduntur. Ge. Falltrank. G. *Vulneraires de Suiſſe.*

FALX, eſt durae meningis duplicatio, ſinum *falciformem* dictum continens, figura falcem referens, inferius ſinui tertio annexam, hinc autem anteriora verſus progreſſa, criſtae galli implantatur. Huius membranae expanſione, ſub futurae ſagittalis curſu poſita cerebrum in dextrum et ſiniſtrum hemiſphaerium diuiditur, cui tamen vtrimque, mediantibus vaſis ſanguineis, tenuibusque quibusdam carnoſis, vel fibroſis, adnaſcentiis, adhaeret. Dicitur etiam *Proceſſus falciformis.* Ge. Der Sichelförmige Fortſatz der harten Hirnhaut. Ga. *La Faux.* A. *A Sickle.* B. *De Zikkel of de Herſſenen.*

FAMES, eſt ſenſus ingratus dolorisque ſpecies in ventriculo, qua animal a vellicatione nerui paris vagi, et intercoſtalis in ventriculo, ab humoris per arterias gaſtricas et tunicam glanduloſam huc delati, vel ſaliuae continuo deglutitae acrimonia, tum attritu mutuo laterum ventriculi ad inuicem excitatum, cibum ſibi, vt eius remedium, appetit. Atque haec ſana, ſeu ordinaria, eſt. Eſt vero etiam praeter ordinem, vel ſanitatem, ſeu deprauata, vt *pica, malacia, canina, bouina*, etc. Gr. Λιμὸς, πεῖνα. Ge. Hunger. G. *Faim, Appetit.* A. *A Famine, Hunger.* B. *Honger.*

FAMES CANINA, vide *Cynodes Orexis.*

FARCIMINALIS TVNICA, i. q. *Allantoides.*

FARCTVRA, vel FARTVRA, dicitur, quando animalia exenterata, aut fructus excauati, medicamentoſis rebus, ſuas vires communicantibus, a pharmacopoeis replentur.

FARFARA, eſt Tuſſilago, Gr. βήχιον. Sic appellatur, quod eius folia populi albae, ſeu Farfari, foliis ſimilia ſint. Hinc etiam *Populago* vocatur. Vide *Tuſſilago.*

FARFARVS, eſt *Populus* alba, an a farre, farinae ſpecie? An a Sabinorum flumine *Farfarus* dictus?

FARINA, eſt puluis ſeminum plantarum cerealium, leguminum, aliarumue plantarum partium, molendo contritus, vti farina lini, orobi, hordei, etc. quae pro cibo adhibetur, vel vſum in medicina habet. Graec. Ἄλφιτον, ἄλευρον. Ge. Mehl. G. *Farine.* A. *Meal.* B. *Meel.* — Illa vero femina, ex quibus talis puluis parari poteſt, *farinoſa* vocantur.

FARINA FOSSILIS, vide *Lac Lunae.*

FASCIA,

FASCIA, *Faſcicula Ciceroni, Anadeſmos* apud *Herodianum*, τελαμών, *παραίρημα Thucydidi, καμπάδιον Suidae, ἀνάδεσμος, ἐπίδεσμος, σπείρισις, ὀθόνιον, τελαμὼν σινδονίτης, Polluci.* Eſt vinculum longum, et mediocriter latum, ad vſus chirurgicos idoneum. Faſciae multum inter ſe differunt. Aliae enim ſunt glomeratae, longae et aequaliter latae, in orbem conuolutae: aliae ſciſſae, quae vno quidem conſtant linteo, ſed eo vel extremis, vel mediis partibus ſciſſo. Aliae aſſutae, quae ex faſciis et habenis, in varia capita deſinentibus, componuntur. Aliae ſunt, quae variis; aliae, quae certis ſaltem ſedibus idoneae ſunt. Longitudine etiam differunt, quod aliae ſint longiores, aliae breuiores; idem et de latitudine valet. Materia, ex qua conficitur faſcia, eſt linteum purum, vſu detritum, ne aſperitate ſua cutem laedat; et futuris liberatum, ne dolor inde a preſſione excitetur. Inſeruit partibus repoſitis in ſua ſede firmandis, ſanguinis profuſionibus inhibendis, medicamentis circa partem laeſam continendis, tumoribus reprimendis, noxiis humoribus expellendis, etc. Ge. Eine Binde. G. *Bande, Bandage.* A. *A Swadling-band.* B. *Een Windzel, Zwagtel.*

FASCIA LATA, et FASCIALIS MVSCVLVS, vide *Membranoſus Muſculus.*

FASCIA LATA, eſt lumbricus inteſtinalis latus, vlnarum multarum longitudine, teres et albicans. Vide *Taenia.* Ge. Ein Bandwurm. G. *Le Solitaire.* B. *Windzel-worm, Zwagtel-worm.*

FASCIA SPIRALIS, vide *Aſcia.*

FASCIA TORTILIS, eſt faſcia, qua mediante glomere truncus arteriae extremitatis maioris ad haemorrhagiam cohibendam comprimitur. Ge. Tourniquet, Aderpreſſe. Ga. *Tourniquet.*

FASCIATIO, eſt quaedam faſciarum, circa membrum curandum, circumductio et conuolutio. Ge. Das Wickeln, Binden. G. *Bandage.* A. *A winding, or binding up.* B. *Winding.*

FASCICVLVS, vide *Manipulus.*

FASCICVLATA, Botanicis ſunt folia plura ex eodem puncto prodeuntia; et *Faſciculus* eſt capitulum florum, colligens flores erectos, paſallelos, faſtigiato-approximatos.

FASCINATIO, erat, iuxta opinionem ante pauca adhuc luſtra ſuperſtitem, operatio hominum maleficorum in corpora ſanorum, qua hi, absque cauſſa corporea, aut contactu, ſaepe ſolo adſpectu, his ſubito morbos, eosque inuſitatis ſymptomatibus ſtipatos, immittere poſſe credebantur;

querente iam *Virgilio: Neſcio, quis teneros oculis mihi faſcinet agnos.* Hinc et ſuffimigia varia, et in pueris, qui faſcinati credebantur, varia balnea e ſpecificis antimagicis adhibebantur. At nunc prorſus fere, et in vulgo minus credulo, exoleuit haec ſuperſtitio. Ge. Das Beſchreyen. G. *Enchantement.*

FASELVS, vide *Phaſeolus.*

FASTIDIVM CIBI, i. q. *Auorexia.*

FASTIGIATVS, botanicis eſt truncus, ramis aequalis altitudinis.

FAVCES, et FRVMEN, vocantur illud oris ſpatium, quod lingua depreſſa videri poteſt, in quo via eſt ad pharyngem: ſcilicet cauum illud, quod ore diducto, retro velum palatinum, ad principium oeſophagi vſque conſpicitur. Ge. Rachen, Schlund. B. *Raaken, Strot.*

FAVVS, vide in *Achor.* Gr. Κηρία.

FEBRIFVGA, dicitur *Matricaria.*

FEBRIFVGVM, Gr. ἀντιπυρετικὸν, remedium aduerſus febris inſultus. Ge Arzeney gegen das Fieber. G. *Remede contrè la Fiévre.* A. *A Remedy ſpecifick againſt a Fever.* B. *Middelen tegen de Koorts.*

FEBRIS, Gr. πυρετὸς, ἀπὸ τῦ πυρὸς, id eſt ab igne, ſic dicta, vi vocis calidam et quaſi igneam corporis diſpoſitionem inuit: eſt ſanguinis velocitas aucta; adeoque motus cordis et arteriarum frequentior, ita vt inde functiones naturales laedantur: his enim notis ſolis, nempe pulſu frequentiori, et praeuia horripilatione et conſtrictione extremorum vaſorum, cognoſcitur febris; verum multa plerumque comitantur ſymptomata, in variis febribus varia, vti ſunt frigus, vomitus, tremor, calor, ſudor, ſitis, delirium, etc. quae in eadem febre vario tempore quoque variant. Cauſa proxima eſt ſuperſtes vitalium organorum vita, quae morbificam quandam materiam reſoluere, vel expellere conatur, et irritatio cordis a cauſſa materiali. Variae licet dentur febrium ſpecies, vt diariae, intermittentes, quotidianae, tertianae, quartanae, et eiusdem ſortis remittentes, erraticae, continuae, ſymptomaticae, etc. vnica tamen eſt febris, cuius ſpecies praetenſae gradibus, vt magis et minus, ab inuicem tantum differunt, quatenus in velociori pulſu earum natura ponitur; quae tamen ſpecies ad tria genera non male reduci poſſunt: dum ſcilicet vel *intermittentes*, vel *inflammatoriae*, vel *putridae*, dicuntur. Quas ſpecies ſuis ſub nominibus ſuo loco quaerere oportet. Ge. Das Fieber. G. *La Fiévre.* A. *An Ague, a Fever.* B. *De Koorts.* — Febrem erraticam

vocant Ge. Ein unbeſtändiges Fieber. — Febris intermittens eſt G. Ein Wechſelfieber. *G. Fiévre intermittente.* A. *Intermittent Fever, Ague.* B. *Gaande en komende Koorts.* — — Febris continua. Ge. Ein anhaltendes Fieber. G. *Fiévre continue, Continuelle.* A. *Continual Fever.* B. *Geduurige Koorts.* — Febris quotidiana. Ge. Das tägliche Fieber. G. *Fiévre quotidienne.* A. *Quotidian Ague.* B. *Daagelyksche Koorts.* — Tertiana Febris. Ge. Das Dreytägige Fieber. G. *Fiévre tierce.* A. *Tertian Ague.* B. *De Anderendaagſche Koorts.* — Febris Quartana. Ge. Das Viertägige Fieber. G. *Fiévre quarte.* A. *A Quartan Ague.* B. *Derdendaagſche Koorts.* — Ephemera. Ge. Das Eintägige Fieber. Ga. *Ephémére.* A. *The Ephemere Fever.* B. *Eendaagſche Koorts.* — Febris maligna. Ge. Das bösartige Fieber. G. *Fiévre putride.* A. *Putrid Fever.* B. *Kwaadartige Koorts.* — Febris Carcerum. G. Das Kerkerfieber A. *Jail-diſtemper.* — Febris caſtrorum. Ge. Lagerfieber. A. *Camp diſeaſe.*

FEBRIS VNGARICA THERIODES, ſeu LVES PANNONIAE, vulgo *Cerebri vermis*, eſt febris maligna putrida, cum primis militibus in Hungaria caſtra ſequentibus infenſa et familiaris, ideoque Hungarica dicta. Plerumque incipit cum leui rigore, qui frigus potius, vel ſuperficiarium horrorem, quam rigorem, prae ſe fert. Poſt horulae dodrantem aeſtus illum excipit, qui noctes et dies ſequentes aſſidue excruciatos detinet. Conqueruntur de capitis dolore, imo et moleſtia eſt circa enſiformem cartilaginem et durities. Ab initio ſitis adeo intenſa, vt vel vnis non ſit extinguibilis. Poſtridie, vel ad ſummum tertio die, deliria ingruunt, ita tamen, vt inter delirandum, dum ſibimet non conſtent, ſermones incompoſitos quisque de ſua arte, quaeſtu, aut genere vitae, plerumque habeat. Exacerbationes circa veſperam: per noctem recrudeſcit morbus; lingua torrida, labia fiſſa, quibusdam ſputum ſanguinis Nonnulli diarrhoea laborant, alii ſanguinem coagulatum, alii loturae carnis inſtar deiiciunt; quidam colici ſunt, vel lateralis dolor eos vexat. Plurimis ſurditates oboriuntur, parotides frequentes. Vini intemperantes potatores interiere. Papulae, ſiue punctiurae pulicum morſulis ſimiles, quae petechiae vocantur, plerisque quidem accedunt, latiores aliis, minores aliis, vniuerſum corpus quibusdam, maiore tamen ex parte regionem thoracis et dorſum circa ſpinalem medullam, occupantes, quamuis frequentes iuxta ſcapulas et in brachiis apparent, coloris ſaturi plerumque, niſi in morituris quibusdam in liuidum et atrum tendant. Ge. Ungariſche Seuche oder Lagerfieber.

G. *Fièvre peſtilentielle de Hongrie.* A. *Peſtilence of Hungary: Camp-feuer, Camp-diſeaſe.* B. *Hongaryſche Peſt, of peſtagtige Koorts.*

FECVLA, et FAECVLA, Gr. τρὺξ, feculae dicuntur eſſe puluere, in certis vegetabilium expreſſionibus ſubſidentes, vt fecula Bryoniae, Aronis, etc. Species eſt amyli. Hinc cum faecibus nihil commune habent, niſi quod fundum petant, ſed non inutiles ſunt. Ge. Bodenmehl. G. *La Lie.* A. *The Lees.* B. *Neerzakſel.*

FEGOPYRVM, i. q. *Fagopyrum.*

FEL, i. q. *Bilis.*

FEL VITRI, eſt materia ſalina, alcalinae fere indolis, facile in aere liqueſcens, quae pinguedinis inſtar vitro, dum fuſum eſt, innatat, vnde ablata et collecta ad exteros transmittitur, in vſus plerumque operarios adhibenda. Sunt, qui in hydrope et ad puluere dentifricios commendant. Dicitur etiam *Axungia* et *Sal vitri.* Ge. Glasgalle.

FELIS, eſt genus animalis, (Mammal. Fer.) cuius dentes primores ſex aequales: molares terni, lingua retrorſum aculeata, vngues retractiles. Species in Europa frequentiſſima et partim nobis familiaris, eſt *Felis catus* cauda elongata, auribus aequalibus *Linn.* Haec moribus congenerum, tranquilla, ore molat, caudam erigit, excitata agiliſſima, ſcandit, irata fremit, odore ambroſiaco; murum leo; in praedam intenta caudam mouet; oculi noctu lucent; in hiando praedam haurit, clamando, rixandoque miſere amat. Pupilla interdiu perpendiculari-oblonga, noctu tereti-ampliata; vnguibus complicatis incedit; parce bibit; vrina corroſiua; ſtercus ſepelit; carnes edit, vegetabiliaque reſpuit; os inſtante tempeſtate manibus lauat; dorſum in tenebris electriſat; in altum acta decidit in pedes. Delectatur Maro, Nepeta, Valeriana. Vide *L.* In officinis eius pinguedo proſtat, ſub nomine Axungiae cati ſylueſtris, quae ob virtutem emollientem in rheumatiſmo, panaritio et ancylofi commendatur.

FEMEN, vide *Femur.*

FEMVR, FEMEN, Gr. μηρὸς, eſt ſuperior pars extremitatum inferiorum a natibus vſque ad genu. A ferendo dicitur, eo quod animal ferat et ſuſtineat. Vnico oſſe, ſed maximo conſtat et longiſſimo totius corporis, oblongo, non tamen penitus recto, ſed oblique verſus genu deſcendente, muſculis inſignibus et integumentis tecto, cuius pars antica et externa magis gibba, interna et poſtica magis ſima. Caput habet in parte ſuperiori, et in eo foſſam pro ligamento rotundo dicto, quo acetabulo oſſis coxae iungitur; collum porro oblique vergens, et duas apophyſes trochanteres dictas. In parte autem inferiori duo capitula habet cum cauitate intermedia, quae articulationi cum tibia inſeruiunt. *Femen* volunt grammatici interiorem carnoſioremque pulpam eſſe. *Femur* vero anteriorem et aduerſo homini propiorem. Ge. Der Schenkel. G. *Le Femur, la Cuiſſe.* A. *The Thigh.* B. *Het Dye-been.* — *Femen.* Ge. Das Inwendige am Schenkel. G. *Le Dedans de la Cuiſſe.* A. *The inner part of the Thigh.* B. *Het innerlyke Deel der Dye.*

FENESTRA, Gr. θυρὶς, ita in concha auris duo vocantur foramina, ſtatim poſt tympanum occurrentia, vnum dicitur *Ouale*, alterum vero *Rotundum.* Prius ducit ad veſtibulum, eique ſtapes inſiſtit; poſterius ad cochleam, eſtque hoc per membranam clauſum. Vide *Foramen.*

FERINA TVSSIS, eſt tuſſis grauis aegrum maxime moleſtans.

FERMENTATIO, definitur, quod ſit inteſtinus motus ab humiditate et tepore praecipue vegetabilibus corporibus inductus, per quem eorum principia reſoluuntur; ſubſtantiae, in quas haec abierunt, nouas compoſitiones ſubeunt, et ita in corpore, talem motum paſſo, ſurgunt principia, quae antea non habuit, et eius natura in totum mutatur, ſic vt vel deſtillationi ſubiecta primo prodant ſpiritum inflammabilem, tenuem, volatilem, acrem, aquae miſcibilem, quae dicitur *Fermentatio vinoſa*, vel *ſpirituoſa:* vel prodant liquorem minus volatilem, acrem, non inflammabilem, acidum, aquae pariter miſcibilem, acetum dictum: quae eſt *Fermentatio acida*; vel, vt in illis ſurgat ſal volatilis, qui et nares ferit, et deſtillationis ope inde poteſt ſeparari; quae eſt *Fermentatio putredinoſa.* Fit autem vel *per ſe*, quae ſua ſponte concitatur, vt in actionibus ſpontaneis; vel *arte*, quando rebus fermentandis aliquid additur, vt in pane aliisque videre eſt. *Fermentatio* non fit tam ſubito vti efferueſcentiae, ſed lente, quia acidum et alcali ab aliis oleoſis particulis detinetur, ideoque lente ſeparatur. Ge. Die Gährung. G. A. *Fermentation.* B. *Geſting.*

FERMENTVM, eſt ſubſtantia in motu fermentante conſtituta, quae corporibus fermentationi idoneis adiecta, vt haec fermentationem ſubeant, efficit. Tales ſunt faeces vini et cereuiſiae, muſtum, fermentum panis, etc. — Improprie chymici aurum vocant *Fermentum rubrum*, et argentum *Fermentum album.* — Sic quibusdam pharmaceuticis *Fermentum anodynum* dicitur laudanum opiatum cydoniatum, ſeu opium cum ſucco cydoniorum fermentationem paſſum,

et inſpiſſatum, ſpiritu vini ſolutum, rurſusque ad conſiſtentiam extracti redactum. Dicitur quoque *Opium praeparatum Langelotti.*

FERRVM, eſt metallum, omnium minime ductile, igne non fixum, nam fumat, ſcintillas quaſi a combuſtili materie ſpargit, pondere aſſiduo minuitur; diu ante fluxionem ignitum, ſonorum, coloris candidi, ſpecificae grauitatis ad aquam, vt 7852 ad 1000. Soluitur facillime ab omni ſale, rubeſcens cum iisdem, ſales ſoluentes facillime perdit, in ſcorias conſumitur ferruginoſas; facillime deſtruitur inter omnia metalla. Cum carbonibus vegetabilibus, vel animalibus, vaſe clauſo caementatum in chalybem mutatur, chalybs vero in vaſe aperto diu igni expoſitus, rurſus in ferrum abit. Rariſſime natiuum inuenitur, ſed e plurimis variisque mineris ignis ope eliquatur. In acido vitriolico ſolutum accedente ſubſtantia vegetabili auſtera nigreſcit. In quocunque acido ſoluitur, adiecto ſale alcalino cum carbone animali calcinato, obſcurum colorem induit, tandemque ſub forma nitide caerulei pulueris in fundo ſubſidet, qui *Caeruleum Berolinenſe* dicitur. Diſtinguitur ab omnibus metallis mutua cum magnete amicitia et attractione, quae tamen perit calcinatione, aut diſſolutione. Inter omnia metalla maxime corpori noſtro amicum. Medicis *Mars* dicitur, et ob vires eximias roborantes et antacidas frequentiſſimus eius vſus maximeque ſalutaris, vbi nullae adſunt viſcerum laeſiones. Datur in ſubſtantia limatura eius cum ſaccharo et aromate; neque minus ingens praeparatorum ex marte remediorum numerus in officinis proſtat, quae in cachexia, hypochondriaſi, chloroſi, dyſmenorrhoea, ſummae ſunt efficaciae. Ge. Eiſen. G. *Fer.* A. *Iron.* B. *Yzer.*

FERRI OLEVM, vide *Martis oleum.*

FERRVM EQVINVM, *Hippocrepis Linn.* (Diadelph. Decandr.) eſt planta parua, quae habet plures caules exiguos, anguloſos, tenues, repentes. Folia Securidacae, ſed minora, pinnatim digeſta, et per extremam oram lateſcentia, leviterque in circuli formam fiſſa: flores ſunt papilionacei, ſeu leguminoſi, flaui, ex quorum calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam compreſſam, reflexam, articulis diſtinctam lunatis, ferrum equinum perforatum referentibus. In qualibet articuli parte haerent ſemina eiusdem formae incuruae. Radix lignoſa, exigua, alba, fibris circumcincta. Haec planta creſcit in regionibus ſcalidis, praeſertim in locis deſertis. Eſt leguminis minoris ſpecies, ſic dicta, quod creditur, ſi equi eam calcent, vngulas ferreas decidere; ſed hoc experientia teſte, verum non eſt. Rectius alii dictum volunt, quod eius ſiliqua, ſeu legumen, ſoleam equi ferream referat. Ge. Hufeiſen, Peltſchen. G. *Fer à Cheval.* A. *Horſe-shoe Vetch.* B. *Paards-Yzer.*

FERVLA, eſt plantae genus, (Pentandr. Digyn.) cuius caulis ſeptem, vel octo pedes altus, craſſus, fungoſus, medulla repletus, in ſummitate ramoſus, circa autumnum durus et lignoſus euadit: folia Foeniculi; ſed latiora, viridia. Flos eſt roſaceus, vmbellatus, quinque ſcilicet petalis conſtans in orbem poſitis et calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ellipticum, plano-compreſſum, ex duobus ſeminibus compoſitum peramplis, ouatis, vtrinque planis et tenuibus, tribus ſtriis diſtinctis notatis, inuolucrum ſaepe deponentibus. Dici volunt a Promethei furto: quem poetae fingunt, Mineruae auxilio fretum, aſcendiſſe caelum, ibique ferula, ad currum ſolis admota, ignem rurſum in terras detuliſſe; vel quod ignem Ioui furto abſtulerit. Attamen *Ferula* a ferendo commodius dici poteſt, quod ſcapi illius pedamenta fruticibus et ſenibus baculi ac ſcipiones eſſent; vel a feriendo, quia eius ope puerorum in ſcholis manus feriebantur. Hinc *Martialis* hanc vocat ſceptrum paedagogorum, et dicit:

Inuiſae nimium pueris, grataeque Magiſtris,
Clara, Prometheo munere, ligna ſumus.

et alibi:

Ferulaeque triſtes ſceptra paedagogorum ceſſent.

Ga. *Ferule.* — Variae ſpecies huius generis et affinium, in regionibus praecipue calidioribus naſcentes, varias gummireſinas, quae in vſum medicum adhibentur, fundunt, vt *Gummi ammoniacum, galbanum, ſagapenum, opopanax, bdellium, aſam foetidam*, etc. quae ideo *ferulacea* vocantur, ſuis ſub nominibus quaerenda. — Sed *Ferulae* ad artem quoque chirurgicam pertinent, ſuntque aſſulae leues, quae ad locorum ingenium materiam nactae fuerunt diuerſam, et ex arborum nimirum corticibus, vel cortice herbae ferulae, vnde nomen acceperunt, conficiuntur: item ex ligno abietino, capſulis, papyro conglutinata, vel corio; quae oſſibus ſolutis et luxatis, poſtquam reſtituta fuerunt, adaptari ſolent, ne ex ſede ſua excidant. Gr. Νάρθηξ. Ge. Die Schindeln, die man um einen Bruch legt, Schienen. G. *Carton, Attelle, Tablète de bois legere.* A. *Splints.* B. *Spalken.*

FERVLAGO, i. q. *Ferula.*

FESTVCA, Gr. ἀγίλωψ, frumenti ſpecies, an quia feſtinanter proueniat? — *Feſtuca*, hodie botanicis eſt plantae genus ad gramina pertinens, (Triandr. Digyn.) cuius gluma multiflora, biualuis, erecta, floſculos in ſpicam tenuem continens; corolla biualuis, valuula inferiori in ariſtam rectam terminata, per maturitatem non dehiſcens, ſed arctiſſime clauſa adnaſcens ſemini vnico, oblongo, vtrinque acutiſſimo, longitudinaliter ſulco notato. Ge. Schwadengras. G. *Fétu*. A. *Float graſs*.

FIBRA AVRIS, i. q. *Lobus auris*.

FIBRAE, id eſt filamenta, ſiue villi in vegetabilibus. 1. Sunt veluti ſtamina, rebus nonnullis intertexta, v. g. arboribus, foliis, etc. 2. Sunt capillamenta extrinſecus adnaſcentia, ex. gr. radicibus, etc. Hinc *fibroſa* vocatur *radix*, quae in minimas fibrillas, ſeu filamenta capillo tenuiora diviſa, euoluto humano teſticulo non abſimilis eſt. Haec maxime vulgaris et ſimpliciſſima, vndique ſeſe explicat, et nutrimentum haurit, quamquam pori ob fibrarum tenuitatem ſenſus noſtros hactenus fugiant. Ge. Fäſerlein an Wurzeln. G. *Filets, Cheveux, Fibres*. A. *Small ſprouts like Hairs*. B. *Vezelen, Hairtjes, Draadjes*.

FIBRAE VLTIMAE, SIMPLICISSIMAE, FIBRILLAE, dicuntur in corpore animali partes ſolidae, tenuiſſimae, oblongae, non cauae, ſimpliciſſimae, habentes tantum vnam dimenſionem phyſicam in ſua ſpecie, lineae mathematicae inſtar, ex particulis elementaribus fluidorum per vaſa circulantium ſibi mutuo vi vitali appoſitis compoſitae, atque ope glutinis aquoſi et oleoſi interpoſiti cohaerentes; ex quarum applicatu ad inuicem, vel intertextu miro inter ſe, fiunt membranae tenuiſſimae, ſolidae, ſimpliciſſimae, quae conuolutae formant vas minimum ſimpliciſſimum cauum, e quorum plurium coniunctione, mediante celluloſa, reliquae partes corporis componuntur. Gr. Ἰν, *Gen.* ἰνὸς, ἰοβὸς. Ge. Fäſerlein. G. *Fibres, filaments*. B. *Vezelen*.

FIBRAE, ſunt partes corporis ſolidae, oblongae, non cauae, ex pluribus fibrillis coniunctis compoſitae.

FIBVLA, Gr. ἀγκτὶς. Fit et fibularum apud antiquos mentio. Si enim in carne, vt *Celſus* ſcribit, vulnus eſt, hiatque, neque in vnum facile orae attrahuntur, futura quidem aliena eſt, imponendae vero fibulae ſunt, ἀγκτῆρας Graeci nominant, quae oras paulum tantum contrahant, quo minus lata poſtea cicatrix fiat. Et cum notiſſimus fuerit modus vniendi vulneris oras per fibulas, factum, vt fibularum nec materia, nec forma, ſatis ab antiquis deſcripta ſit. *Guido*

factas fuiſſe fibulas ſcribit e ferreis quaſi circulis, aut ſemicirculis, ab vtraque parte recuruis, quorum hami labris vulneris vtrinque infixi ſibi ad amuſſim reſpondebant, verum cum hoc modo infigere et infixos tenere eiusmodi hamos in carne ſentiente et cute nihil aliud fuiſſet, quam tot aculeos pungentes cum intolerabili dolore ibi ſeruare, non eſt credibile, antiquos per fibulas tale inſtrumentum ferreum cuti infixum, ſummos dolores excitans, intelligere. Probabilior eſt *G. Fallopii* opinio, qui docet, eſſe futuram actualem cum acu, quae hodie eſt frequentiſſima, qua ambo labia vulneris acu, filum duplicatum trahente, traiiciuntur, et ſuper vulnus tribus inuolutionibus ambo fili capita colligantur, et in nodum nectuntur. Sequentia ſcribit *Sanctorius*: de fibulis non eſt quod multa dicamus, cum earum vſus ferme extinctus ſit, et licet hae ab antiquis non deſcribantur, non ob id tamen, quomodo his vti poſſimus, tradere non deſiſtunt, vt falſo *Argenterius* arbitratur. Erat enim nota non tantum apud medicos earum forma, ſed et apud quosdam veteres, quandoquidem in vulneribus fibulae ex acia molli non nimis torta, vt ea futurae, conficiebantur, vt *Corn. Celſus* conſcripſit. Siquidem chirurgi illi ab vno latere vulneris ſemicirculum quendam ex *acia*, quem vulgo *Aſola*, hi vero fibulam nuncupabant; deinde vtrumque acia alligabant, tum vt labia illa attracta ob vulneris latitudinem magnitudinemque fortius alligarentur, tum vt ſanies liberius percolari poſſet. Quibusdam *acia, vinculum, ligatura, colligatio, obligatio, ligamentum*, δεσμὸς, etc. vocatur. Qui plura deſiderat, adeat *I. Rhodium*, de acia diſſertantem. Ge. Eine Spange, Haft, Heftlein. G. *Boucle, Agraffe*. A. *A Buckle*. B. *Geſpe*.

FIBVLA, ſiue os tibiae minus, *Celſo Sura: Hippocratis* et *Galeni* temporibus vſque ad *I. Pollucis* aetatem κνήμη nominabatur, a ſimilitudine ferramentorum, quibus trabes in aedificiis combinantur; etiam *Hippocrati* aliquoties brachii radius dicitur. Fibula in modum tibiae muſculos coniungere videtur. Eſt vero os cylindricum, poſterius inter femur et tarſum, tibia tenuius, eique extrinſecus attenſum, vt radius cubito. Parte ſuperiore caput rotundum genu non attingit, ſed infra ſubſiſtit, et tibiae per ſynarthroſin iungitur. At parte inferiore infra tibiam pergit, ideoque aeque longum os eſt, atque tibia: in medio ab inuicem dehiſcunt tibia et fibula, ob muſculos pedis ibi locatos, quo interuallo ligamentum tenue et latum, quod *interoſſeum* dicitur, ſecundum longitudinem haec oſſa iungit. Committitur etiam tibiae ligamento communi ſuperius et inferius. Inferius caput in

acutum tendens, appendicem habet, quae craſſeſcens, gignit proceſſum, dictum *Malleolum externum*, protuberantem illum locum externum, excarnem ad pedem, interno humiliorem. Articulum cruris cum talo, vel aſtragalo, ſicque cum pede firmat, muſculis inſertionem praebet, ſed motum tibiae ſequitur, nullum peculiarem habens. Ge. Die kleine Röhre des mittlern Fußes. G. *Le Peroné.* A. *The leſſer and outer Bone of the Leg.* B. *Het Kuit-been.*

Ficvs, eſt arbor mediocris altitudinis, cuius caulis non rectus: cortex eſt politus, licet aliquantulum aſper, coloris cinerei: lignum fungoſum, intus medulloſum, album. Folia ſunt magna, ampla, craſſa, quinquefida, vitis ſimilia, ſed maiora: floſculi hermaphroditi, monopetali, ſeu potius apetali, longi, tubulorum forma, oriuntur cum ouariis, quae ſunt capſulae teſtaceae natae in vtriculis pulpoſis, poſitis intra tracheas. Fructus, qui non pericarpium eſt, ſed potius receptaculum commune, eſt pyriformis, figurae rotundae ac depreſſae, coloris ex flauo fuſci: intus copioſiſſimis granulis per pulpam ſucculentam infarctus, ſaporis dulcis, odoris debilis, non ingrati. Fructus non maturus dicitur *groſſulus*, vbi craſſior, ſed nondum tamen maturus *groſſus*, ſeu *groſſa*, et *ficus* demum, vbi maturuit: ſiccatus, *carica*, ſeu *ficus paſſa*. Arbores diuerſi ſexus ſunt (Polygam. Trioec. *Linn.*). *Caprifici*, qui tantum in Europa calidiori inueniuntur, ſunt mares, ſcilicet ſolos flores maſculinos in receptaculo communi ferentes, *Ficus ſatiuae*, quae in noſtris hortis coluntur, ſunt foeminae, quae flores foemininos ferunt. Foecundatio, quae caprificatio dicitur, miro et ſapientiſſimo inſtituto, fit, dum Tenthredines, ſeu inſecta quaedam, quae culices ficuum dicuntur, quaeue in fructibus maſculis naſcuntur, eo tempore euoluuntur, alisque inſtruuntur, quo caprificus floreſcit, et farinam edit antherarum; tunc Tenthredines e caprifici cauitatibus, farina molitoris inſtar e mola ſua prodeuntis, obducti, euolant et coniugibus acquiſitis de ouis pariendis ſolliciti ſunt; hinc ad ſingulos groſſos transvolantes, cauitates Ficus foeminae, dolii inſtar clauis, vel ſpiculis, ſeu piſtillis, ab omnibus lateribus intus completas intrando, farinam illam, qua contecti ſunt, excutiunt, floresque foemininos foecundant. Fructus quidem maturare valet Ficus femina, licet ſemina eius non ſint foecundata, quia hic fructus non eſt pericarpium, ſed ſolum receptaculum: at conſtat, fructum Ficus, ſi foecundentur ſemina, cum calycibus, ſeu receptaculis, eo magis vberiusque creſcere. Species huius generis variae, longe plures vero varietates dantur.

Maxime frequens apud nos eſt Ficus communis *Bauh.* *Ficus Carica* foliis palmatis *Linn.* Quaeuis partes arboris ſuccum lacteum continent, ſaponaceum, acrem et ſubcorroſiuum, hinc etiam fructus immaturi valde noxii. Fructuum recentium in regionibus calidis vſus frequentiſſimus cibarius eſt. Nutriunt facileque digeruntur. Vſum immodicum pediculos, ſcabiem, ſudoremque foetidum generare et gingiuis nocere legitur. Caricae, ſeu fructus exſiccati, ex Graecia, Hiſpania et Italia ad nos adferuntur. Hi ob qualitatem dulcem et mucilaginoſam virtute nutriente, impinguante, involuente, lubricante, diuretica et eccoprotica, externe vero adhibiti emolliente gaudent; hinc interne per ſe, vel in decocto, externe in cataplaſmate, gargariſmate, emplaſtro, quotidie fere in tuſſi, dyſuria, colica ſaturnina, obſtipatione, raucedine et inflammatione tonſillarum adhiberi ſolent. *Abſterſorium magnum Meſues* eſt decoctum Caricarum et Hyſſopi, in morbis faucium et pectoris vſitatiſſimum. Gr. Σῦκον, et συκῆ, hinc mutato σῦ in Fi, facile Ficus reſultare videtur. Ge. Feigen, Feigenbaum. G. *Figue, Figuier.* A. *Fig, Fig-Tree.* B. *Vygeboom.*

Fici, etiam a quadam ſimilitudine dicuntur excreſcentiae rotundae, ſubdurae, circa anum, et circa genitalia muliebria naſcentes, proſapiae plerumque impurae et venereae. Dicuntur etiam *Mariſtae, Sycoſes* et *Sycomata*, quae vide ſuis ſub nominibus.

Ficvs infernalis, vide *Ricinus.*

Figentia, ſunt, quae volatilia domant, et acida concentrant. Vide *Fixatio.* Ge. Figirende Dinge. B. *Vaſt-maakende Dingen.*

Filago, eſt planta mollis, lanuginoſa, habens folia parua, oblonga, incana, mollia. Flores ſunt floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis conſtantes, ſtellae quinquefidae ad inſtar diviſis, embryoni inſidentibus; et calyce ſquamoſo, haemiſphaerico, non lucido, neque inſigni quodam colore praedito, comprehenſis. Embryo autem deinde abit in ſemen, pappis inſtructum. Eſt *Gnaphalii* ſpecies, (Syngeneſ. Polygam. Superfl.), ſic dicta forte, quod eius folia filis lanuginoſis ſint obducta. Sunt, qui eius decoctum, ob vires ſubadſtringentes, in dyſenteria laudant. Ge. Ruhrkraut. G. *Herbe à coton.* A. *Cotton-weed.* B. *Roer-kruid.*

Filamentosa tvnica, vide *Tunica Filamentoſa.*

Filamentvm, botanicis ſignificat fibroſam ſubſtantiam, quae radiculis plantarum adhaeret. *Filamenta* etiam dicuntur partes magis vel minus longae ſtaminum, quae antheras

ſuſtinent. Medici materiam quandam concretam, quae capillorum forma in vrinis aliquando apparet, ita vocant.

FILICVLA, eſt Trichomanes, vel Adianthum; huius plantae variae ſunt ſpecies. Dim. a *Filix*. Conf. *Polypodium*.

FILIPENDVLA, Filipendula vulgaris *Bauh. Spiraea Filipendula* foliis pinnatis, foliolis vniformibus ſerratis, caule herbaceo, floribus cymoſis *Linn.* (Icoſandr. Pentagyn.) Eſt planta, quae folia habet Pimpinellae ſaxifragae, ſed anguſtiora, profundius inciſa, plura ad vnam coſtam quaſi per paria coniugata, coloris viridis, obſcuri, ſplendentis. Ex his aſſurgunt plures caules pedem circiter alti, duri, ſtriati, rotundi, rubicundi, verſus ſuperiora in alas diuiſi, in ſummitate habentes flores roſaceos, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtantes, ex quorum calyce monophyllo, ſemiquinquefido, ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, cuius capſulae oblongae, acuminatae, compreſſae in capitulum dolii aemulum colliguntur. Radices glanduloſae ſunt, oliuares, aut longiores, minusque ventricoſae, Aſphodeli more, foris ex rubro nigricantes, intus albentes, acrimoniam quandam cum adſtrictione, dulcedine, et leui amaritudine ſapientes. Decocto radicum eximiae virtutes antinephriticae, abſtergentes et reſoluentes tribuvntur, hinc in diatheſi calculoſa et ſcrophulis ſummopere laudatur. Dicitur a numeroſis et rotundis in radice glandibus, quae velut ex filo quodam pendere videntur. Gr. ὀλάνδη. Ge. Rother Steinbrech, wilde Garbe. G. *Filipendule*. A. *Drop-wort*. B. *Roode Steen-breke, wilde Gerwe*.

FILIVS ANTE PATREM, dicitur de ſpecie quadam Lyſimachiae, cuius vaginulae ſeminales ante flores conſpiciuntur, item de Colchico, Croco, Pulſatilla, Tuſſilagine, caeterisque plantis, quarum flores ante folia prodeunt.

FILIX, eſt planta, cuius variae ſunt ſpecies, inprimis vero maxime vulgares ſunt, quae *mas* et *foemina* vocantur. *Filix mas* habet folia, ex radice erumpentia, magna, ampla, aſpera, dura, friabilia, viridia, odoris fortis, et grati, longa, in alas extenſa, habentia multa alia foliola, vel in margine inciſa; nullos habent flores apparentes, ſed in dorſo gerunt puluiſculum fuſcum, et rubicundum, qui puluiſculus eſt ſemen plantae, iuxta ſententiam *Caeſalpini*, qui obſeruauit, quod, vbi eius folia in terram fuerunt delapſa, poſtea ſimilis planta creuerit. Verum *Tournefortius* de vtriusque Filicis ſemine curioſe annotauit, quod Filicis maris vulgaris fructus foliis innaſcuntur bino plerumque ordine, pinnulis affixi claui ope, altera parte retuſi. Detracta, vel corrugata, membrana quadam conuexa, quae ferri equini formam habet, ſeſe obiicit oculis numeroſa congeries veſicularum ferme ouatarum, annulo elaſtica vi donato munitarum, cuius contractione rumpuntur illae, ſeminaque fundunt minutiſſima. Filicis foeminae vero et aliarum ſpecierum fructus, ſeu veſiculae ouatae, occurrunt in ſinubus quibusdam, namque autumno pinnularum margo plerumque producitur, incuruatur et complicatur. Radix Filicis maris eſt carnoſa, craſſa, fibroſa et nigra. Haec planta nullum caulem habet. Creſcit vbique in ſyluis, et neglectis incultisque locis. — Ill. *Linn.* nomine *Filicis* totum ordinem plantarum ad *Claſſem Cryptogamiam* pertinentem intelligit, qui eas comprehendit, quae dorſiferae, epiphylloſpermae, vel capillares, vocantur, et quarum calyx eſt ſquama e folio enata, altero latere dehiſcens, ſub qua globuli pendiculati; globulus annulo elaſtico cinctus, qui elaſtice rumpitur, effundens puluerem. Genera demum iuxta diuerſum globulorum ſub ſuis opercúlis in foliis ſitum diuiſa ſunt, ſic vt ſub hoc ordine: Equiſetum, Oſmunda, Hemionitis, Aſplenium, Polypodium, Adiantum et alia plura genera comprehendantur. Planta, quae vulgo et in officinis *Filix* vocatur, eſt Filix non ramoſa, dentata, *Bauh. Polypodium Filix mas* frondibus bipinnatis, pinnis obtuſis crenulatis, ſtipite paleaceo. *Linn.* Radix, cuius olim longe frequentior vſus fuit, qualitatis amarulentae eſt, viribusque roborantibus, tonicis, aperientibus, et anthelminthicis pollet, hinc in decocto et puluere contra ſcorbutum, rachitidem, melancholiam, et ſpecifice contra taeniam adhibetur. Nomen creditur a Graeco deriuari, quando πτιλὶς mutatur in Pilix, et ſic in Filix, ſed alii a πτερὶς, ala, conantur originem demonſtrare. Ge. Farnkraut. G. *Fougére*. A. *Ferne*. B. *Varen*.

FILTRATIO, chymica vox eſt. Modus, quo filtratio fit, eſt triplex. Primus eſt per pannum expanſum, vt fit in ſyrupis clarificandis. Alter per *Manicam Hippocratis*, hoc eſt per ſaccum, ſuperius latum, ſed in coni punctum inferius terminatum, pro vinis aromaticis colandis, vt in feſtis nuptialibus, et variis medicationibus pro delicatulis olim vſui venit. Tertius, et chymicis magis familiaris, eſt colatio per chartam emporeticam, hoc eſt, ſi papyrus fuerit quadratae figurae, duplicatur, et illa duplicatura reduplicatur, ad angulos rectos, hoc eſt tota papyrus, ſiue charta, quadruplicatur, poſt haec iterum explicatur, inſtar cuculli monachorum, vel infundibuli, et imponitur infundibulo, ſeu tritorio, deinde liquor clarificandus infunditur, et clarus guttatim decidit,

relictis in filtro faecibus. Ge. Filtrirung, Durchſeigung. G. *Filtration.* A. *Straining, Filtration.* B. *Filtreering, Klenzing.*

FILTRVM, eſt pannus laneus, vel charta bibula, per quam liquores percolantur ad clarificandum, vt fit per *Manicam Hippocratis.* Ge. Ein Filz, Seigetuch. G. *Tamis.* A. *A Strainer, Straining cloth.* B. *Filtreer-tuig, Doorzyg tuig, Klensdoek.*

FIMBRIAE, ſunt veſtium extremitates, a quibus et fimbriata folia dicuntur, quae in ambitu in quasdam fimbrias exeunt.— Sunt et pendulae extremitates tubarum vteri, quae etiam *digitationes*, vel *ornamenta foliacea* vocantur.

FISSVRA, Gr. ῥαγή, eſt oſſis quaedam ſolutio continui, praeſertim ſecundum longitudinem; quamuis et mollibus partibus quoque attribuatur, vt in fiſſuris labiorum, digitorum, manuum, ani, etc. Ge. Ein Spalt. G. *Fente.* A. *A Cleft.* B. *Een Spleet.* — Dicitur etiam de partibus naturaliter conſtitutis, vt Fiſſura ſphenoidalis, Fiſſura cerebri.

FISTACIVM, i. q. *Piſtacium.*

FISTVLA, Gr. σύριγξ, eſt proprie canna oblonga et cauata, ideoque tiphunculi, quo liquor aliquis inteſtinis, auri, vtero, vulneri, etc. immittitur ſic vocari poſſunt.—Item ſinus eſt anguſtus et longus, ſeu vlcus ſinuoſum, cuius orificium anguſtum et calloſum eſt, ſaepe tam profundum, vt ad oſſa ipſa pertingat, et curatu difficillimum, quod plerumque ex abſceſſu ortum habet. Fiſtulae a ſinuoſo vlcere in eo differunt, quod fiſtulae calloſae et durae ſint, non item vlcus. — Aliquando etiam *Fiſtula* pro *Fonticella* ſumitur, de qua ſuo loco. Ge. Fiſtel, Röhrwunden, Röhr- oder Hohlgeſchwüre. G. *Une Fiſtule.* A. *Pipe, Fiſtulous ulcer.* B. *Een Pyp, Fiſtel, Etter-hol.*

FISTVLA ANI, eſt vlcus ſinuoſum, natum circa inteſtinum rectum eiusque ſphincterem, ab abſceſſu, vel haemorrhoidibus exulceratis. Oritur plerumque tumore duro, exiguo, lente increſcente et in ſuppurationem abeunte. Ge. Gefäßfiſtel.

FISTVLA DVCTVS SALIVALIS, oritur, ſi ductus glandulae parotidis laeditur et ſaliua ex ea laeſione perpetuo in genam effluit.

FISTVLA LACRYMALIS, eſt vlcus ſinuoſum et calloſum, circa angulum oculi internum in ſacco lacrymali partibusque vicinis, cum epiphora purulenta; ſi oſſa quoque carioſa ſint, dicitur *complicata.* Oritur plerumque ab *Anchilope*, vel *Aegilope*, a quibus calloſitate ſua differt. Vix ſine operatione chirurgica ſanabilis, in qua eo enitendum, vt lacrymis via in nares aperiatur, caries, ſi quae adeſt, tollatur, ſicque fiſtula ad conſolidationem perducatur. Lacrymalis fiſtula dicitur a loco, vel parte adfecta, per quam lacrymae fluere ſolent, vel quia lacrymae vna cum pure per genas defluunt. Ge. Thränenfiſtel. Ga. *Fiſtule Lacrymale.* A. *Fiſtle of the Eye.* B. *Traan-fiſtel, Oog-fiſtel.*

FISTVLA PERINAEI, eſt fiſtuloſum vlcus in perinaeo ortum, quod vt plurimum in vrethram patet.

FISTVLA VRETHRAE, oritur, ſi, vrethra laeſa, vrina hanc laeſionem, cuius margines calloſi facti ſunt, effluit. Ge. Fiſtel der Harnröhre.

FISTVLA PVLMONIS, i. q. *Aſpera Arteria.*

FISTVLA SACRA, eſt ſpinae dorſi pars forata, quae medullam ſpinalem includit, quam Gr. ἱερὸν σύριγγα vocant.

FISTVLA VRINARIA, i. q. *Vrethra.*

FISTVLARIA, eſt criſtae galli ſpecies, ſic dicta, quia eius caules cani ſunt, et ſucceſſu temporis in fiſtulas, ſeu calamos, mutantur. Vide *Pedicularis.* Graec. Ἀλεκτοροφόνος. Ge. Rodel, Läuskraut. G. *Pedicalaire des Prez.* A. *Pipe Weed, the Cock-comb.* B. *Katelen, Hanekammekens.*

FISTVLOSI, botanicis dicuntur trunci plantarum, vel folia, quae interne tubuloſa ſunt.

FIXA, ſunt, quae vel magna ignis tortura non exaltantur, vel eleuantur, nec ab aëre disiiciuntur, ſicque volatilibus opponuntur, vt *Salia Fixa.* G. Feuerbeſtändig, Fix. Ga. *Fixe.* B. *Vaſte Dingen.*

FIXATIO, eſt operatio chymica, qua corpora, quae alioquin ſua natura, per actionem aeris, caloris, aut ignis, auolant, ita immutantur, vt nunc horum actionem ſuſtineant, neque amplius eleuentur, aut auolent. Gr. Πῆξις, et πηγνύναι. Ge. Figirung, oder Feſtemachen. G. A. *Fixation.* B. *Vaſtmaakinge.*

FLAGELLA, dicuntur cymae arborum et ipſarum ſummae partes, quae ad cuiuscunque venti flatum mouentur: vnde etiam nomen traxerunt ab eo, quod flatibus petantur. *Flagella* etiam ſunt vitium rami oblongiores et productiores, aliis tamen minores, ab ipſis brachiis ſurſum adſcendentes: dicta flabella prius, a venti flatu ſcilicet.

FLAMMA, FLAMMVLA VITALIS, FLAMMVLA CORDIS, iuxta figmenta quorundam erat ignis cordi innatus, quem caloris et motus ſanguinis cauſſam eſſe putabant.

FLAMMVLA, *Flammula Ranunculus Dod.* eſt ſpecies Ranunculi foliis ſimplicibus, ſcilicet Ranunculus longifolius

paluſtris minor *Bauh. Ranunculus Flammula* foliis ouato-lanceolatis, petiolatis, caule declinato *Linn.* Habitat in Europae paſcuis vdis. Vide *Ranunculus.*

FLATVLENTIA, eſt morbus, cuius praecipuum ſymptoma eſt flatuum ex primis viis per ſuperiora, aut inferiora, frequens reiectio, vel eorum accumulatorum impedita explosio cum abdominis intumeſcentia.

FLATVS, ſunt exploſiones materiae aëreae agitatae calore, vel fermentatione, aut efferueſcentia aſſumtorum, quae, [illegible] ex vna parte ventriculi, aut inteſtinorum, in allam pro[illegible]tur, excitat *Bombos* et *Borborygmos.* Ge. **Winde im Leibe, Blähungen.** G. *Des Vents.* A. *Blowing Wind.* B. *Winden.*

FLAVEDO, in formulis medicis vocatur ſubſtantia flaua corticum citri, aurantiorum, etc. nec minus diſcus quorundam florum radiatorum, vt chamomillae, etc.

FLAVVM REGIVM, ita arſenicum citrinum apud pictores audit.

FLÉTVS, eſt inſpiratio interſecta, ſingultuoſa, cita, ſuſpirioſa, cum moeſtitia, gemitu et lacrymis.

FLEXORES, vocantur varii muſculi, ab officio flectendi quasdam partes ita dicti, inprimis carpum, digitos et pollicem, collum, femur, pedem, etc.

FLORALE, botanicis dicitur folium flori proximum. — *Floralis* gemma eſt, quae flores non folia continet.

FLORES CHYMICI, ſubtiliores corporis partes ſunt, per ſublimationem a partibus craſſioribus ſub forma ſicca ſeparatae, vt ſunt Flores antimonii, benzoes, ſalis ammoniaci, ſulphuris, etc. G. **Blumen.** G. *Fleurs.* A. *Chymick Flowers.* B. *Bloem.*

FLOS, botanicis eſt plantae pars coloribus propriis perſaepe inſignis, calyce, corolla, ſtaminibus et piſtillo in plurimis conſtans, fructuique naſcenti plerumque adhaerens, cui primum alimentum ad tenerrimas eius partes explicandas miniſtrat. Flores itaque ſunt verum organum generationis plantae, quorum eſſentia, cum in multis calyx, corolla, ſtyli, filamenta abſint, in ſtigmate et antheris conſtat. Hinc *Floreſcentia*, ſeu illud tempus, quo plantae florent, veras ſiſtit nuptias vegetabilium generantes, dum pollen veſiculare inſperſum rorido ſtigmati, rumpitur ab humidi contactu, efflatque elaterem, abſorbendum ad ſemina, nouam vitam reſuſcitando. Ge. **Die Blüthe, Blume.** G. *La Fleur.* A. *Flower.* B. *Bloem.*

FLOS AMENTACEVS, APETALVS, CAMPANIFORMIS, CARYOPHYLLAEVS, etc. Vide *Amentaceus, Apetalus, Campaniformis, Caryophyllaeus*, etc.

FLOS

FLOS FEBRVARII, eſt *Leucoion album.* Sic vocatur, quod Februarii menſe, vbi coelum clementius fuerit, apparet. In Aprili, vbi appropinquare coeperit Maius, euaneſcit.

FLOSCVLVS, botanicis dicitur petalum fiſtuloſum, tenue, cuius ſuprema pars ampliatur, multifariam, ſaepius tamen ſtellae inſtar, diuiſa. Singuli floſculi tenero plerumque fructui, ſeu embryoni, inſident, e quo ſurgit ſtylus vltra vaginam protenſus, quae naſcitur ex coalitu antherarum (Syngeneſia). *Floſculoſi* ergo dicuntur *Flores* ex plurimis *Floſculis* compoſiti denſe poſitis, eodemque calyce comprehenſis. (Syngeneſia Polygamia). Teneri fructus fundum calycis occupant, qui *Thalamus* vocatur. Ge. **Regulaire einblättrichte Blümlein.** G. *Fleuron, Fleurs à Fleurons.*

FLOS FRVMENTORVM, vide *Cyanus.*

FLVCTVATIO, terminus eſt, in chirurgia familiaris, qui applicatur abſceſſibus, in quibus pus iam formatum eſt. Si enim tunc leniter premantur digitis, puris motus, ſeu *fluctuatio*, manifeſte percipi poteſt. Sic etiam, ſi hydropicorum abdomen concutiatur, *fluctuatio* quaedam percipitur, quae aquam in cauo abdominis contentam, ſicque aſciten indicat. Ge. **Das Schwanken der eingeſchloſſenen Feuchtigkeit, Fluctuation.** G. A. *Fluctuation.*

FLVOR, ita in mineralogia lapides cryſtalliſati vocantur, quae ex terra calcarea et acido vitriolico, aut, vt nonnulli putant, ex proprio acido conſtant, et variis coloribus gaudent; hinc pro colorum varietate *Pſeudoamethyſti, Pſeudoſmaragdi*, etc. dicuntur. Virides phoſphoreſcentem vim poſſident. Nomen habent, quoniam facile in igne fluunt, et hinc etiam mineris in metallorum coctione adduntur. Ge. **Flüße, gefärbte Flüße.**

FLVOR ALBVS, ſiue FLVOR VTERINVS, ſeu LEVCORRHOEA, eſt praeternaturalis humoris pituitoſi et albi, vel varii coloris et odoris, prout temporis decurſu maiorem minoremue acrimoniam acquirit, per muliebria excretio. Dicitur hic fluxus *benignus*, ſi tantum oriatur a nimia vaſorum vterinorum laxitate et debilitate, quae nubiles, maritatas, vetulas, ſteriles, grauidas, vario tempore inuadit. *Malignus* vero *Fluor albus* eſt, qui ab infectione venerea oritur, ſicque cum *Gonorrhoea* virili *venerea* conuenit. Gr. ῥοῦς γυναικεῖος. Ge. **Weiße Fluß, das Weiße.** G. *Fleurs blanches.* A. *The white Fluxe.* B. *Witte Bloemen, witte Vloed.*

FLVOR MVLIEBRIS, vide *Fluor Albus.*

FLVOR VTERINVS, vide *Fluor Albus.*

FLVXIO, idem quod *Catarrhus*. Chemicis notat metallorum, aliorumue corporum, per ignem in corpus fluidum mutatio.

FLVXVS, eſt idem quod *Fluxio*. Denotat vero etiam materias ſalinas, quorum additione corpora difficile ad fuſionem adigenda, inprimis vero minerae, funduntur, v. c. nitrum, borax, etc. — In ſpecie vero nitri et tartari miſtio hoc nomine inſignitur. *Fluxus crudus* eſt miſtura nitri cum tartaro ante detonationem. Si duae partes tartari cum vna parte nitri detonantur, *Fluxus niger* oritur. *Fluxus albus* eſt, ſi anaticae partes nitri et tartari ſine detonatione miſcentur. Si vero detonatur haec miſtio, *fluxus celer* vocatur. Nonnulli tamen etiam tunc *fluxum album* dicunt. G. Fluß. G. *Flux.*

FLVXVS ALVINVS, i. q. *Diarrhoea.*

FLVXVS CHYLOSVS, i. q. *Coeliaca paſſio.*

FLVXVS COLLIQVATIVVS, eſt *Diarrhoeae* ſpecies, plerumque morbis chronicis ſuperueniens, in qua alui excrementa quaſi adipe, vel oleo, perfuſa cernuntur, ſicque pinguedo colliquata, lympha et ipſi ſucci nutritii, ſenſim e corpore exhauſto euacuantur.

FLVXVS HEPATICVS, HEPATIRRHOEA, eſt *Diarrhoeae* ſpecies, cum excreta ſint inſtar loturae carnium tenuia et cruenta; copioſus plerumque eſt et nocturnus, ſed absque dolore, valde tamen vires demoliens, ſaepe poſt dyſenteriam aliosque morbos abdominales contingit: vel oritur a diſſoluta et acri ſanguinis conſtitutione viſcerumque infarctu, vnde vaſa inteſtinorum aperiuntur et eroduntur. Sic vocatur, quia interdum ſanguis coagulatus, ſplendens et niger, ac ſi eſſent hepatis fruſta, adeſt; vel quia ab obſtructione viſcerum abdominis, et praecipue hepatis, oritur; vel quod veteres huius morbi cauſam vnice in hepatis, ſanguinem non debito modo attrahentis, ſed dimittentis, labem coniicerent. Ge. Leberfluß. G. *Flux hepatique.* A. *The Flux of the Liver.* B. *Lever-vloed, Levers-doorloop.*

FOCILE MAIVS, eſt Vlna cubiti, vel Tibia pedis. *Focile minus*, eſt cubiti radius, vel pedis fibula. Ge. Schienbein, Ellenbogenröhre. G. *Le Tibia, l'Oos du Coude.* B. *Groote en kleine Elleboogs- of Scheenbeens-Pyp.*

FOCVS, eſt locus, in quo vis ignis colligitur. *Focus lentis* eſt, in quo radii lucis confluunt. *Focus furni* eſt cauitas, quae carbones et pabulum ignis continet. Ge. Brennpunkt. G. *Foyer.*

FOECVNDATIO, dicitur illa actio in animalibus et vegetabilibus contingens, qua materia ſubtiliſſima e partibus maſculinis expulſa ad partes foemininas tranſit, et rudimenta in his contenta ad vlteriorem euolutionem irritat et excitat.

FOEMINA, modiolus eſt, vide *Modiolus.*

FOENICVLVM, eſt planta officinalis, quae habet caulem quinque, vel ſex, pedes altum, rectum, cannulatum, coloris viridis fuſci, medulla fungoſa repletum, ramoſum, odoris grati; folia in lacinias capillaceas diuiſa, coloris viridis obſcuri, odoris grati, ſaporis dulcis aromatici. Flos eſt roſaceus, vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis integris in orbem poſitis conſtans, et calyci inſidentibus, qui abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, craſſiuſculis, hinc gibbis et ſtriatis, inde vero planis. Datur et altera ſpecies, quae eſt *Foeniculum dulce*, maiore et albo ſemine. Radix oblonga, recta, digitum craſſa, pallida, ſaporis ſubdulcis, et aromatici, quae inter radices quinque aperientes maiores numeratur. Eſt haec ſpecies *Anethum foeniculum* fructibus compreſſis *Linn* (Pentandr Digyn.) Foeniculum vulgare germanicum *Baub.* Ob qualitatem aromaticam et dulceſcentem virtute reſoluente, pellente, carminatiua et lactifera gaudet. Semen, quod oleo aethereo et etiam vnguinoſo, ſcatet, inter ſemina quatuor calida maiora refertur, pluraque remedia compoſita, praecipue vero infuſa theiformia, ingreditur. Gr. Μάραθρον. Sic appellari putant, quod quaſi foenum in hyemem arefactum ac marcidum reponatur. Alii tamen dictum putant, quod ſatum magno cum foenore ſemen reddat. *Marathron* a marceſcendo, quod ad condienda plurima, cum inaruerit, commendatiſſimum ſit, a μαίρω, ſplendeo, quia oculorum ſplendorem et claritatem conſervat, aut a μαραίνειν, marcere, quia facile marcet. Ge. Fenchel. G. *Fenouil doux, Fenouil de Florence.* A. *Fennel.* B. *Venkel.*

FOENICVLVM SINENSE, vide *Aniſum ſtellatum.*

FOENVM, eſt gramen arefactum, ſic dictum a foenore, cum ſine cura foenus praebeat, in pabulum reſectum. Vel a foetu, quod herbae eaedem manentes quotannis nouas pariant. Gr. Χόρτος. Ge. Heu. G. *Foin.* A. *Hay.* B. *Hooi.*

FOENVM CAMELORVM, vide *Schoenanthum.*

FOENVM GRAECVM, ſeu FOENIGRAECVM, FOENVGRAECVM, Foenum graecum ſatiuum *Baub.* *Trigonella Foenum graecum Linn.* (Diadelph. Decandr.) leguminibus

seſſilibus ſtrictis erectiuſculis, ſubfalcatis, acuminatis, caule erecto, eſt planta leguminoſa, quae habet caulem vnicum, dimidium pedem altum, tenuem, excauatum, in ramos diviſum; folia terna in vno pedunculo inſtar trifolii gerentem, parua, aliquando oblonga, interdum magis ampla, quam longa, aut ſemirotunda, dentata. Flores ex foliorum alis erumpunt, leguminoſi, papilionacei, exigui, albi, carina breuiſſima, obtuſa. Flori ſuccedit ſiliqua plana, longa, acuta, corniformis, foeta plerumque ſeminibus rhomboidiformibus, ab angulo vno ad alterum linea caua notatis, flauis, ſaporis mucilaginoſi, odoris et ſaporis ingrati. Radix ſimplex, lignoſa. In officinis praecipue ſemen proſtat, quod virtute emolliente, inuiſcante et lubricante gaudet, hincque ſaepiſſime tum per ſe in cataplaſmatibus, tum in decocto contra diarrhoeam et dyſenteriam adhibetur, pluraque medicamenta compoſita ingreditur. Vnde ita appelletur, non liquet. Forte quod in Graecia inter Foenum plurimum reperiatur. Gr. Τῆλις, κεραίτις, αἰγόκερος, βούκερος, atque ſic dicitur a cornuum figura ſiliquarum. Vocatur *Aegoceros* a caprini cornu ſimilitudine, quemadmodum a bubuli *Buceros*. Nonnullis *Siliqua;* aliis *Silicia;* quibusdam *Silicula* appellatur. Ge. **Bockshorn, Siebenzeit.** G. *Fenugrec.* A. *Fenugreek.* B. *Grieksch-hooi, Fenigriek.*

FOETOR ORIS, eſt exſpiratio aëris ex ore particulis male olentibus impraegnati. Oritur hic foetor vel a corruptione dentium et gingiuarum, vel ex pulmonibus et ſanguine phthiſico, vel ſcorbutico, aliquando ex ſtomacho. Foetor vero in genere prouenit ab humoribus ſtagnantibus, effuſis, corruptis, motuque inteſtino in fermentationem putredinoſam abeuntibus, vel venenatis; vt et ab omni cauſa, quae ſales et olea nimium attenuat, et volatilia reddit, vt eſt inedia, calor, motus nimius, acrimonia nimia aſſumti. Ge. **Stinkender Athem.** G. *Halaine puante, Puanteur.* A. *A ſtinking Breath.* B. *Stinkende Adem.*

FOETVS, Gr. κύημα, eſt conceptus. Quando foemina concepit, ab initio vocatur *embryo*, poſtea cum formam adeptus fuerit, proprie *foetus* dici poteſt; et tunc in vtero materno non tantum fouetur, ſed nutritur etiam, donec illum ſtatum adeptus ſit, vt per partum exire queat. Ge. **Die Frucht.** G. *Le Foetus.* A. *The Young, Embryon.* B. *De Vrugt.*

FOETVS OVARIVS, eſt, ſi ouum impraegnatum in ouario remanet, nec in vteri cauum deuoluitur.

FOETVS TVBARIVS eſt foetus in tuba *Fallopii* conceptus. — Ouum impraegnatum in tuba haeret, nec in vteri cauum deuoluitur.

FOETVS VENTRALIS, eſt ſi ouum impraegnatum ex ouario ſolutum non in tubam et per hanc ad vterum tranſit, ſed in abdominis cauum delabitur, meſenterio, peritonaeo, vel inteſtinis adhaerens, ibidem incrementa capit. Facile patet, foetum ouario, tubae, vel abdominis cauo, inhaerentem partu naturali minime in lucem prodire poſſe.

FOLIA, in plantis ſunt partes vegetationis cauli, vel radici, adpoſitae, conſtant e cuticula, ſuperiorem atque inferiorem partem tegente, et e fibris durioribus a caule et petiolo in rete vaſculoſum continuatis, quae poſt varias vario ordine et nexu factas ſubdiuiſiones tandem in vtriculos varii generis ſuccis plenos et inter ſe communicantes abeunt, quibus copioſae interpoſitae ſunt tracheae, et patent cum vtriculis et vaſis ſuccoſis variis foraminibus in foliorum ſuperficie. Inſeruiunt ergo plantarum neceſſariae perſpirationi, et meliori ſucci nutritii elaborationi. Foliorum diuiſiones ratione figurae, marginis, extenſionis, ſitus, etc. vide ſuo loco. Ge. **Ein Blatt.** G. *Feuille.* A. *Blad.*

FOLIACEVM ORNAMENTVM, eſt ſimbria multifida in extremitate tubae Fallopianae, qua in momento conceptionis turgeſcente et expanſa ouum ex ouario muliebri, quaſi tot digitis excipitur, et per tubam in vterum defertur. Ge. **Das Ende der Muttertrompeten.** G. *La Frange membraneuſe, ou le Pavillon de la Trompe de Fallope.* B. *Het Loof-werk.*

FOLIARIS, FOLIACEVS, botanicis dicitur cirrhus, vel vtriculus, vel ſpina, foliis inſidens, vel inſerta: *Foliaris* vero gemma eſt, quae folia, non flores, continet. *Foliatus* eſt truncus, vel pedunculus, vel racemus foliis inſtructus. *Folioſum* eſt florum capitulum, foliis intermixtis floribus conſtans.

FOLIATA TERRA, aliis *Arcanum Tartari*, vel *Tartarus regeneratus*, eſt ſal medium, ex acido aceti et ſale alcalino fixo ad accuratam ſaturationem vſque compoſitum: ſic dictum, quod ſub foliorum, aut lamellarum, forma appareat. Ge. **Blättriche Weinſteinerde.**

FOLIVM INDICVM, i. q. *Malabatrum.*

FOLIVM ORIENTALE, ALEXANDRINVM, vide *Senna.*

FOLLICVLVS, eſt theca rei cuiuslibet tenuis, quae granum, vel ſemen, continet inuolutum. Anatomicis autem denotat veſiculam glandularum ſimplicium, extremis arteriarum et ductuum excretoriorum in glandulis interiectam, in qua ſecretiones fiunt. Tales in glandulis viſceribusque ſtatuit *Malpighius;* negauit vero *Ruyſchius,* quem omnes fere

recentiores anatomici ſequuntur. — *Folliculus* botanicis eſt per carpium vniualue, altero latere longitudinaliter dehiſcens, nec futurae ſemina adfigens.

FOLLICVLVS FELLIS, eſt veſicula, quae hepatis concavo annectitur, in qua bilis colligitur, quae ſuo tempore per ventriculum diſtentum compreſſa, per ductum choledochum in inteſtinum duodenum exantlatur. Vide *Veſica fellis.* Gr. κύστις χοληδόχος. Ge. Die Gallenblaſe. G. *Veſſie du fiel.* A. *The Gall bladder.* B. *De Gal-blaas.*

FOMENTVM, *Celſo*, *Fomentatio*, *Vlp.* *Fotus*, *Plin.* Eſt medicati externi genus, quod corpori admotum ipſum fouet et calefacit. G. Θέρμασμα; eſtque duplex, et aridum, et humidum; illud πυέλα, πυέλασις, *Dioſc.* et πυέλαμα, hoc κατάντλημα *Dioſc.* et κατάντλησις dicitur, quod effuſo humore adhibetur. Eſtque vapor, liquor, aut decoctum, variis partibus, beneficio lintei, filtri, ſpongiae, vel veſicae, fouendi cauſa applicandum. G. Eine Bähung. G. A. *Fomentation.* B. *Stooving, Verwarming.*

FOMES, proprie eſt ſuſcitabulum ignis: per metaphoram vero ita dicitur cauſa interna, vel antecedens, per quam morbus fouetur et continuatur.

FONTALIS, i. q. *Potamogeton.*

FONTANELLA, ſeu FONTICVLVS, dicitur in foetubus et recens natis, intra frontis os bifidum et duo ſincipitis, apertura fere quadrangularis, ſeu ſpatium, ab oſſibus nondum perfectis relictum, et membrana firma clauſum, quod deinde ab increſcentibus oſſibus in adultis citius, vel tardius, penitus clauditur. Ob pulſum arteriarum, qui hoc in loco ab arteriis durae matris percipitur, dicitur etiam *Fons pulſatilis.* Ge. Das Blättlein. G. *Fontanelle.* B. *De Fontanel des Hoofds.* — *Fontanella poſterior*, eſt ſimilis apertura intra oſſa bregmatis et os occipitis. — *Fontanella* quoque eſt vlcuſculum arte chirurgica, in ſanis corporis partibus excitatum, vt per id humores ſuperflui et corrupti euacuentur, et ad alium locum reuellantur, morbi curentur, vel etiam anticipentur. Fontanellae excitantur cauterio actuali, vel potentiali, lanceola et forcipe, earumque curatio impeditur ope piſi, in cauitate poſiti. In fonticulis excitandis notandum eſt, ſemper locum inter duos muſculos eligendum eſſe. Ge. Fontanell. G. *Une Fiſtule, Cautére.* A. *An Iſſue.* B. *Fontanelle, Etterdragten.*

FONTICVLI, i. q. *Fontanellae.*

FORAMEN IRREGVLARE, vel LACERVM, eſt foramen oblongum, inaequalis latitudinis, in baſi cranii, per quod

vena iugularis, et nerui paris octaui cum neruo acceſſorio transeunt.

FORAMEN OBTVRATORIVM, eſt foramen ouale ſat magnum, in vtroque latere, inter oſſa innominata, vel peluis, membrana clauſum, cui vtrinque muſculi obturatores ſupertenſi ſunt. Vide *Obturatores muſculi.*

FORAMEN OCCIPITALE MAGNVM, eſt inſignis apertura circularis in oſſe occipitis, medullam ſpinalem e cranio in thecam vertebrarum transmittens.

FORAMEN OPTICVM, eſt foramen rotundum vtrinque in oſſe ſphenoidali, neruum opticum in orbitam et bulbum oculi transmittens.

FORAMEN OVALE, dicitur apertura magna, et quaſi hiatus ſemilunaris, media inter cordis ſinum venoſum dextrum ſiniſtrumque, quorum paries intergerinus hoc foramine perforatus eſt. quo fit, vt ſanguis ex ſinu et aure dextra exire hoc foramine poſſit in ſinum ſiniſtrum, eique additam auriculam. E ſiniſtro autem ſinu aureque in dextrum ſinum et aurem facile penetrare nequit, impediente membrana quadam, valuulae officium praebente. Ita vero hoc foramen obductum eſt illa membrana, vt per ſe nunquam valde pateat; ſi vero ſanguis ſinus ſiniſtri vrgeat parietem intergerinum ſinuum, vrgeat etiam membranam, explicet, tendat, obtendatque foramini exquiſite, vt nihil elabi poſſit. Si contra vrgeat ſanguis ſinus dextri, pellat membranam aliquantum in ſinum ſiniſtrum, ac ſic viam ſibi obliquam aperiat inter cornua eius anterioremque foraminis partem; totum enim foramen aperiri nequit, quoniam e maxima parte ambitus eius valuula naſcitur. Valuula tenuis eſt, vt explicari facile poſſet, repellique a ſanguine ſinus dextri: denſa ſimul, et quaſi tendinea, vt ſat haberet roboris. Id foramen cumprimis et fere tantummodo in infante breui poſt partum tempore conſpicuum eſt, cum vſus eius vnice in eo conſiſtat, vt in foetu, in vtero contento, neque reſpirante, maximam ſanguinis quantitatem a ventriculo dextro et arteria pulmonali, nondum ſatis expanſa, auertat, et immediate in auriculam ſiniſtram et ventriculum ſiniſtrum dimittat. Foetu vero iam in lucem edito et reſpirante, liber patet ſanguini in vaſa pulmonalia aditus, hinc ob minorem, vel ſublatam ſanguinis in valuulam hiatui protenſam preſſionem haec ſenſim margini accreſcit, et in adultis non niſi veſtigium, quod *Foſſa ouali* vocatur, relinquitur. Citius hic coalitus, vel tardius, abſoluitur. Poſt tres, quinque, octo, menſes foramen id ſuperfuiſſe vidi. Poſt plures annos adfuiſſe lego. Et in

vrinatoris corde, longum tempus olim ſub aqua commorantis, manifeſte adhuc hanc aperturam video. Ge. Das Eyrunde Loch. G. *Le trou ovalaire.*

FORAMEN *ouale*, quod etiam *feneſtra oualis* vocatur, eſt apertura a figura oualis dicta, in parte poſteriori et ſuperna conchae internae e regione membranae tympani poſita, et verſus veſtibulum directa, habens ſitum ſtapedi parallelum, et configurationem ipſius baſi reſpondentem. Foramen illud ſtapes replet ſua baſi, et membranulae tenuiſſimae tenerrimae illud occludenti accreſcit, ſeruata interim mobilitate requiſita. — *Foramen rotundum*, quod et *feneſtra rotunda* dicitur, eſt altera apertura, quae in tympani ſuperniis partibus reperitur, ſcilicet in tympani cauitatis parte poſteriori, e regione tympani membranae ſita, paulo inferior, quam feneſtra oualis, verſusque occiput, priori minor et decliuior, figuram incertam, nunc oualem, nunc circularem, habens, rotunda tamen vulgo dicta. Patet in ſcalam inferiorem cochleae, clauditur membranula tenui, pellucida, tenera, tenſa, elaſtica. Ge. Das runde und eyrunde Loch im innern Ohr. G. *La Fenêtre Ovale, la Fenêtre Ronde.* B. *Het ronde Gat en het eywyze Gat in der Trommel-holte.*

FORCEPS, eſt inſtrumentum, quo partes demortuae et corruptae, item res, quae corpori ineſſe non debent, v. c. calculi, apprehenduntur, abſcinduntur, vel euelluntur. Forcipes ſunt figura varia, vt longae, curuae, dentatae, roſtratae, ſemilunares, ſpeculum oris, vteri, etc. quae pro diuerſa figura diuerſum vſum obtinent. Pro varia quoque figura et vſu varia nomina ſortiuntur. Inprimis vero *forceps* inſtrumentum ex duobus *brachiis*, ſeu cochlearibus, compoſitum vocatur, quo in partu difficili caput foetus viui, vel mortui, apprehenditur et educitur. Ge. Eine Zange. G. *Tenailles, le Forceps, Pincettes, Pelican, &c.* A. *A Pair of Nippers, Forceps.* B. *Trekzangen, Pellicaanen, Kraanebekken, Ravensbekken, Papegaysbekken, Mond en Moeders ſpiegels, enz.*

FORCEPS DECEPTORIA, eſt inſtrumentum inciſorium, cuius acuta pars dum latet, aegroti, qui inciſionem non admittunt, chirurgica manu decipiuntur. Ge. Verborgenes Meſſer. G. *Biſtouri caché.* B. *Bedriegtang.*

FORFEX, eſt inſtrumentum euellendis dentibus aptum, vocatur item *Odontagra*, ſiue *Dentagra*. Ὀδοντάγρη, ὀδόντ. *Eraſiſt. Dentiducum, Dentarpagaga Varroni.* Ge. Eine Zahnzange, Pelikan. G. *Davier, Pelican.* B. *Een Tandtrekker.* — — Item eſt biualue ſecans chalybeum inſtrumentum. Ge. Eine

Scheere. G. *Des Ciſeaux.* A. *Pair of Sciſſars.* B. *Eene Schaar.*

FORMATIO, eſt illa operatio naturae, qua foetus conceptus ſic nutritur, vt omnes eius partes ſenſim euoluantur, ſicque paulatim manifeſtatae et perfectae, plenam tandem formam, obeundis functionibus accommodam, acquirant. Ge. Die Bildung. G. A. *Formation.*

FORMICA, eſt inſectum hymenopterum, cuius characteres ſunt ſquamula erecta thoraci abdominique interiecta; aculeus foeminis et neutris reconditus; alae maribus et foeminis, ſed neutris nullae. Huius generis plures dantur ſpecies. Illa, quae maxime in vſum medicum adhibetur, eſt Formica media rubra *Raii*, *Formica rufa*, thorace compreſſo toto ferrugineo, capite abdomineque nigris *Linn.* Abunde in Europae aceruis acerosis ſyluaticis habitat. Ineſt his formicis ſal quoddam eſſentiale acidum et volatile, visque excitans, hinc balnea ex iis confecta in paralyſi conducunt. Vires aphrodiſiacae dubiae ſunt. Proſtant in officinis ſal, ſpiritus atque oleum. Ge. Ameiſe. G. *Fourmi.* A. *Ant.* B. *Mier.* — *Formica* etiam dicitur verrucae ſpecies, Gr. Μυρμηκία, id eſt *verruca formicaria*, tumens et calloſa, colore nigricans, baſi lata et cute ſeſſili, in excisione dolores adferens, morſiunculis formicae ſimillimos, vnde et ei nomen. *Wierus* teſtatur, eſſe morbum ab Hiſpanis nobis communicatum, venenatum, malignum et contumacem ſerpiginem; ſumit initium a verendis, progrediturque ab iis per vniuerſum corpus cum doloribus et intolerabili pruritu. Ge. Ein Zittermaal, Flechten. B. *Kruipende Mier.*

FORMICANS PVLSVS, eſt pulſus inaequalis, motui formicarum ſimilis, vel potius vermiculans, imminutus, adeoque minorem vim cordis, et quantitatem ſanguinis indicans. Ge. Ein ſchwacher und ungleicher Puls. B. *Een Mier gelyke Pols.*

FORMICATIO, vide in *Formica.* Vel etiam eſt ſimilis in quadam parte ſenſatio, ac ſi formicae ſuper eam decurrerent.

FORMIX, idem quod *Eſthiomenos Herpes*, vel *Noli me tangere*, aut *Lupus.*

FORMVLA, Gr. γεννμμερτῶν, eſt praeſcriptum, quod a medicis praeſcribitur, quaedam paranda medicamenta indicans pharmacopoeis in aegrorum emolumentum. Vulgo *Receptum.* Ge. Ein Recept. G. *Formule.* A. *A Form, or Receipt.* B. *Een Recept, Doctors Ordinantie, Voorſchrift.*

FORNAX, Graec. καμινος, dicitur et *Furnus.* Vide *Furnus.*

FORNIX, seu *Testudo*, est substantia cerebri albicans, inter duo hemisphaeria cerebri iuxta longitudinem posita, nomen sortita, quod testudinis instar, sinus ventriculorum, ac molem deorsum inclinantis cerebri sustinere videtur. Estque tractus medullaris, ad angulum inclinationis duorum corporum striatorum bifida radice surgens, quae *crura* fornicis *anteriora* vocantur, decurrens sub corpore calloso et septo lucido inter illa corpora, et super rimam, quae tertius ventriculus dicitur, sensim latior euadens, et se inter thalamos neruorum opticorum insinuans, diuiditur in bina quasi brachia, quae *crura* eius *posteriora*, vel *pedes Hippocampi*, vocantur, quorum exterior superficies alba est, interior magis cinerea, vel vtcunque striata. Gr. Καμάριον ψαλλιδοειδὲς *Galeno*. G. Das Hirngewölb. G. *Voute à trois piliers*. A. *The Vault of the Brain*. B. *Het Welfsel des Breins*.

FOSSA MAGNA, est pudendi muliebris interior cauitas, siue *Rima magna*, quae et ob figuram *nauicularis* dici potest. Ge. Oefnung der weiblichen Schaam. G. *Le Sinus*. B. *De Opening der Vrouwelykheid*. — Cauitates amplae in ossibus, plus minusue profundae, vocantur etiam *Foueae*, vel *Fossae*.

FOSSILIA, i. q. *Mineralia*.

FOTVS, i. q. *Fomentum*.

FOVEA, i. q. *Fossa magna*.

FOVEA CORDIS, i. q. *Anticardium*.

FRACTVRA OSSIS, est continui in osse solutio, quae nonnunquam ab interno vitio, veluti scorbuto, carie, et lue venerea inducitur; sed proprie ita dicitur, quum ab externo et duro instrumento, vel allisu, aut lapsu, vi partem frangente, efficitur, cuius differentiae a forma, parte, et accidentibus desumuntur. — *Fractura simplex* est sine vulnere cutis et musculorum, *complicata* vero vocatur, si partes molles etiam laesae sunt. Gr. Κλάσις, κλάσμα, κάταγμα. Ge. Ein Beinbruch. G. *Fracture d'Os*. A. *A Breaking, or fracture of a bone*. B. *Een Been-breuk*.

FRAENVLVM, est ligamentum membranaceum sub linguae anteriori parte aperto ore conspicuum, quod vsque ad dentes maxillae inferioris anteriores exporrigitur; stabilitatem linguae concilians, ne hinc inde nimis facile moueri, vel retrorsum ire posset. Hoc in recens natis quandoque totam linguam inferius occupat, eamque minus mobilem pro peragendis suis officiis reddit, vnde diuelli chirurgi scalpello solet. Ge. Das Zungenband. G. *Le Filet, Nerf sous la langue*. A. *The bridle of the Tongue*. B. *De Span-*

ader, Tong-riem. — Simile Fraenulum etiam est in medio vtriusque labii, quo nectitur gingiuis inter anteriores dentes inciforios, et aliud, quo labia genitalium muliebrium in parte inferiori connectuntur. G. *La Fourchette*.

FRAENVLVM, seu FRAENVM PENIS, est membrana, qua praeputium glandi alligatur. Gr. Κυνίδιον. Alii *Canem* vocant. Ge. Das Riemlein an der Vorhaut. G. *Le Filet, le Nerf, le Frain*. A. *The ligament, or bridle of the foreskin*. B. *De Band*.

FRAGARIA, est planta, quae habet radices fibrosas, oblongas, coloris fusci, aut nigricantis, repentes, ex quibus emergunt flagella per terram repentia, vnde nouae radices et plantae nascuntur, et caules tenues, longi, villosi, habentes folia terna ad centrum coniuncta, rugosa, neruosa, summo pediculo insidentia. Flores sunt rosacei, (Icosandr. Polygyn.) plurimis petalis in orbem positis constantes, ex quorum calyce multifido surgit pistillum, quod deinde abit in fructum fere globosum, vel ouato-acuminatum, cuius placentae modo carnosae, modo siccae, adhaerescunt multa semina. Odoris admodum fragrantis est, et saporis subdulcis, vinosi. Species apud nos notissima est Fragaria vulgaris *Bauh*. *Fragaria vesca* flagellis reptans *Linn*. quae abunde in Europae borealis montibus et syluis vmbrosis prouenit: eiusque varietas, quae est Fragaria fructu parui pruni magnitudine *Bauh*. *Fragaria pratensis Linn*. Haec in hortis colitur, et *satiua* audit; distinguitur bacca a calyce non sponte secedente et eiusdem scrobiculis pro singulis seminibus. Tota planta cum radice viribus diureticis gaudet, et in decocto adhibetur, quod interdum excrementa rubro colore inficit. Fructus ob qualitatem aquosam, acidam atque fragrantem, viribus diluentibus, humectantibus, refrigerantibus et eccoproticis pollent. Conquassati contra pernionem commendantur. Prostant in officinis e fragis syrupus, aqua, spiritus et acetum. Nomen habet a *fragro*, seu odorem gratum emitto, qualem fraga emittunt. Gr. Κράμον, siue fragariae fructus. Ge. Erdbeerkraut. G. *Fraisier*. A. *Strawberry bush*. B. *Aardbezien-kruid*.

FRAGILITAS, est minor potentia cohaerendi in partibus mollibus, elasticis et rigidis, relatiue ad aetatem et sexum, quam vt ferre possint eum impetum, quem corpus sine subsequente solutione ferre debet. Ge. Zerbrechlichkeit. G. *Fragilité*.

FRAMBAESIA, *Yaw* Guineensium, *Epian*, vel *Pian*, Americanorum, est morbus contagiosus apud Guineenses et Ame-

ricanos endemius, aliquando congenitus, cuius praecipuum ſymptoma eſt frequens exortus fungorum rubi, idaei fructus colore, figuraque referentium, vnde nomen Africanum *Yaw*, quod idem ſonat ac Frambaeſia; his ſymptomatis ſe adiungunt vlcera dyſepulotica, exoſtoſes, caries, anchiloſes, macies. Infantibus et adoleſcentibus maxime familiaris hic morbus apud nigritas. Qui ſemel eum experti ſunt, ab eo demum immunes viuunt. Efficaciſſima medela hucusque in mercurialibus remediis quaeſita eſt.

FRANGVLA, Alnus nigra baccifera *Bauh.* *Rhamnus Frangula* inermis, floribus monogynis, hermaphroditis, foliis integerrimis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Eſt arbuſcula, quae plures habet caules nouem, vel decem, pedes altos, pollicem craſſos, rectos, in plures ramos diuiſos. Eius cortex externe niger eſt, interne flauus et croceus: lignum album, et fragile, medullam ruffeſcentem continens. Folia alni, vel ceraſi, ſed rotundiora, et magis nigra. Flos eſt roſaceus, plurimis ſcilicet petalis inter diuiſuras calycis monophylli poſitis conſtans. E calycis autem fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu baccam mollem, duobus plerumque ſeminibus foetam planis et ſubrotundis. Corticis qualitas amaricans et luteo-tinctoria eſt. Pollet vero etiam, aeque ac baccae, vi ſumme draſtica, purgante, hydragoga, hinc vix, niſi forte a plebe, in decocto, contra hydropem, aſthma humidum, etc. adhibetur. Sic appellatur, quod eius ramuli facile frangantur. Dicitur etiam *Arbor foetida*, a foetido tum colore, tum odore, tum ſapore. Ge. Faulbaum. G. *Aulne noire, Bourgene.* A. *Black Aldertree.* B. *Pylhout, Sporkenboom.*

FRAXINELLA, eſt planta, quae habet caules, duos circiter pedes altos, rotundos, villoſos, rubicundos, medulla repletos. Folia Fraxini ſunt, pinnata, ſed minora. Calyx monophyllus, minimus, deciduus; flores polypetali, anomali; (Decandr. Monogyn.) horum petala ita diſponuntur, vt flos quaſi bilabiatus appareat. Poſt florem apparent capſulae quinque, margine introrſum coalitae, compreſſae, acuminatae, biualues, quae cum impetu eiiciunt ſemina plana, magna, nigra, acuta, ſplendentia, et calyptra elaſtica veſtita. Radix longa eſt, alba, digiti minimi craſſitie, odoris penetrantis, ſaporis amari. Haec planta creſcit in regionibus calidis, et apud nos in hortis colitur. Dicitur Fraxinella a ſimilitudine foliorum, quam cum Fraxino arbore habent; ideoque diminutiuum a fraxino eſt. Huius radix in officinis vulgo *Dictamnus albus* vocatur, quia eius odorem, ſaporem, et vires aperientes et cardiacas habet, et albus, quia radices albas habet, ad differentiam cretici. Nihil cum veterum Dictamno commune habet, qui eſt ſpecies *Origani*. Ge. Weißer Diptam, Aſcherwurz. G. *Dictam blanc.* A. *White Dittony.* B. *Effenkruid.*

FRAXINVS ARBOR, Fraxinus excelſior *Bauh.* *Fraxinus excelſior* foliis ſerratis, floribus apetalis *Linn.* (Polygam. Dioec.) eſt arbor magna, craſſa, recta, ramoſa, cortice tecta polito, cinereo, virideſcente. Lignum eſt durum, politum, album. Folia oblonga, bina, pinnatim nata ad communem coſtam, cuius apex definit in folium impar, ſaporis parum amari et acris. Flos mas, apetalus, cuius ſtamina apice gemino plerumque donantur. Ouarium oblongum, ouatum, compreſſum, inſtructum tuba bifida. In foemina per maturitatem fit fructus planus, membranaceus, linguiformis, foetus ſemine medulloſo ſimilis figurae; ſaporis acris et amari. Foliorum ſuccus expreſſus contra morſum ſerpentum commendatur. Cortex, qualitatis amarae, eximiis viribus roborantibus et diaphoreticis gaudet, eiusque decoctum ſaepe cortici Peruuiano et ligno Guaiaco felici ſucceſſu ſubſtitutum fuiſſe lego. Notatu dignum eſt, infuſum huius corticis non ſecus, ac infuſum ligni nephritici, pro diuerſo ſitu, intuenti alium colorem exhibere. Ligno virtus vulneraria tribuitur, vt circa ſolſtitium caeſum ſolo contactu vulnera ſanare, credule nimis dicatur. Semen, quod ob ſimilitudinem *lingua paſſerina* dicitur, ob virtutem aphrodiſiacam, antihydropicam et lithontripticam laudatur, et in obeſitate commendatur. Sapor huius amaricans eſt et ingrate-aromaticus. Sal Fraxini diureticum eſt. Cineres vi cauſtica pollent. Haec arbor creſcit in locis humidis circa flumina et in ſyluis. An a fragore ſiliquarum, quem ventis agitatae edant? Ge. Eſchenbaum. G. *Fréne.* A. *The Ash-tree.* B. *Eſſcheu-boom.*

FREQVENS, dicitur medicis *pulſus*, in quo intra determinatum temporis ſpatium numeroſi ictus contingunt, cui ergo opponitur *Rarus*, in quo pauci ictus intra idem temporis ſpatium fiunt. Germ. Ein oft ſchlagender Puls. G. *Le Pouls frequent.*

FRICATIO, ſeu FRICTIO, Gr. τρῖψις, ἐνδρεψις, *ſicca* eſt, vel *humida*. *Sicca* eſt, quando corpus, vel membrum, ſolis manibus, aut linteis pannisue laneis ſiccis, calidis, et fumo ſuccini ſimiliumue imbutis, fricatur, quae et chirothecis peragi aliquando ſolet, et vaſa in ſuperficie corporis alterne comprimendo et laxando, eorum actionem in humores auget,

hinc idem fere facit, quam motus animalis, eiusque defectum in homine debili supplere, et perspirationem valde adiuuare potest. Hanc ob causam dudum inter sanitatis praesidia numerata, illique magna vis in medendo attributa est. *Humida* fiebat vel aqua, vel oleo, vel ambobus simul admixtis. Varia habentur genera, vt *mollis*, *dura*, *intermedia*, *multa*, *pauca*, etc. *Frictio* etiam dicitur, dum mercurius pinguedine quadam subactus corporis partibus inungendo applicatur, vel ad luis venereae curationem vel ad alios morbos refractarios vniuersales, vel particulares, abigendos. Ge. Das Reiben, Einreiben. G. *Frottement, Friction.* A. *A Rubbing.* B. *Vryving.*

FRIGVS quidem in genere nihil est, nisi absentia, vel imminutio, caloris, qua fit, vt aër frigidus corpus nostrum contingens eo celerius calorem, seu partes igneas, ex eo absorbeat, sicque et fluida condenset, et solida constringat; nostro vero respectu est sensatio, quam ex imminuto corporis nostri calore percipimus. Haec oritur in nobis, simulac causa, calorem in nobis excitans, cessat, vel minuitur: hinc in illis, qui laxitate vasorum, humorumque lentore laborant, aut lipothymia corripiuntur, *frigus* percipitur, quoniam attritus liquorum in se mutuo et in vasa, a quo calor pendet, minuitur. Et in initio paroxysmi febrium intermittentium, in quibus cordis vires adhuc tam paruae sunt, vt sanguinem ad extrema propellere, et per extremitates vasorum transpellere nequeat, quoniam eius contractio tunc velox quidem, sed simul debilis est, *frigus* etiam obseruatur. Ge. Kälte. G. *Froid.* A. *Cold.* B. *Koude.*

FRITILLARIA, seu MELEAGRIS, est planta, quae habet caulem, pedem circiter altum, tenuem, rotundum, interne fungosum, coloris virido-purpurei, vel nigri. Folia mediocriter longa, angusta, excauata. Flos est liliaceus, campaniformis, hexapetalus, pendulus, absque calyce, plerumque tessellatus, sex staminibus foetus, pistillum complectens, cuius stylus simplex est, staminibus longior; stigma triplex, patens, obtusum. Germen denique abit in capsulam oblongam, obtusam, trilobam, trilocularem, trivalvem, continentem semina plurima, plana, extrorsum semiorbiculata, gemino ordine collocata. Character generis Fritillariae praecipue in nectario oblongo, seu fouea in basi singuli petali excauata, consistit. Radici externe adhibitae vires resoluentes tribuuntur. Constat haec duobus tuberibus carnosis, ex quorum medio caulis assurgit. Haec planta crescit in pratis, et colitur in hortis. Dicitur, quod eius flores maculis pingantur in modum fritilli. Ge. Schachtblume. G. *Fritillaire, le Méléagris.* A. *Fritillary.* B. *Kievits-eyeren.*

FRITTA, est mixtura silicis, arenae salis et alcali, ex qua igne liquefacta vitrum paratur. Ge. Fritte. G. *Fritte.*

FRONDIVM, seu FRONDALIS FASCIA, est fasciae species ad frontis, vel nasi, vulnera.

FRONS, Gr. μέτωπον, est superior faciei pars, terminata superciliis, temporibus, et capillis. Quibusdam a ferendo dicitur, quia prae se fert animae signa. Ge. Die Stirne. G. *Le Front.* A. *The Forehead, Front.* B. *Het Voorhoofd.*

FRONS, inter vegetabilia interdum pro ramo ponitur. Proprie tamen dicitur id, quod ipse ramus circumquaque producit, multa interdum folia habens, et nonnihil corticis, ac veluti cauliculi.

FRONTALE, est medicamentum externum, quod frequenter, ad capitis dolorem et feruorem, fronti applicatur. Constat vt plurimum ex herbis, floribus, seminibus, farinis, et aceto rosaceo madefactis. Gr. Προμετωπίδιον. Ge. Stirnumschlag. G. *Frontal.* A. *A Frontlet.* B. *Voorhoofds-Middel.*

FRONTALIS MVSCVLVS, est stratum tenue fibrarum musclarium, quod vtrinque ab apophysibus orbitalibus internis ossis frontis oriens et musculis palpebrarum, superciliorum et nasi intertextum supra os frontis extenditur, et in aponeurosin cum aponeurosi musculi occipitalis vnitam terminantur. Hi musculi actione sua supercilia eleuant, frontemque corrugant. Ge. Die Stirnmuskeln. G. *Les Muscles frontaux.*

FRONTALES SINVS, sunt cauitates oblongae, fere triangulares, in ossis frontalis parte inferiori, vtrinque supra marginem superiorem orbitae transuersim sitae, et membrana pituitaria vestitae, quae mucum colligunt, et in cauum narium effundunt. Ge. Die Stirnhöhlen. G. *Les Sinus frontaux.*

FRONTIS OS, anteriorem caluariae partem occupans; superius, qua syncipiti iungitur, subrotundum apparet; inferius supremam orbitae oculi partem constituit. Duplex in infantibus, sed vt plurimum simplex in adultis, quandoque tamen etiam in his ad radicem vsque bifidum, futura scilicet sagittali hucusque protensa. G. Stirnbein. G. *l'Os Coronal.* A. *The forehead bone.* B. *Voorhoofdsbeen.*

FRVCTVS, sunt grandiores illi ac succulenti, edules, dulces, vel subacidi plantarum foetus, et seminum receptacula,

vt poma, pyra, pruna, etc. qui fructus proprie *Fructus horaei*, vel *horarii*, dicuntur, vel, quod carne et semine compactum est. In genere vero *Fructus* denotat illam partem vegetabilium, quae ex semine et eius inuolucro constat, isque maturus dicitur, seminibus ad eum statum perductis, in quo speciei plantae producendae apta sunt. Species fructus variae sunt, vt: *Capsula, Siliqua, Legumen, Nux, Drupa, Pomum, Bacca, Strobilus*, quae vide suo loco. Ge. Frucht. G. *Fruits.* A. *Fruit.* B. *Vruchten.*

FRVCTIFICATIO, est pars temporaria vegetabilium generationi dicata; illa scilicet mutatio, quae fit in quibusdam plantae partibus ad propagandam speciem, sicque a *Vegetatione* differt, quae solius indiuidui conseruationi inseruit. Ge. Befruchtung, Fruchttheil. G. A. *Fructification.*

FRVGES, in genere dicuntur semina *Plantarum cerealium.*

FRVMENTVM, dicitur a fruendo, quod maximo cum fructu eius vsus est. Estque omne id vegetabile, quod geniculato culmo, et arundinaceis constat foliis, semenque panificio et pultibus aptum, in spicis, aut iubis, producit. Ge. Korn, Getraide. G. *Blé.* A. *Corn.* B. *Koorn.*

FRVMENTVM INDICVM, vide *Mays.*

FRVMENTVM SARACENICVM, vide *Fagopyrum.*

FRVMENTVM TVRCICVM, vide *Mays.*

FRVTEX, est planta inter herbas et arbores media, perennis, et gemmipara, ad arboris magnitudinem non assurgens; ad ligneam tamen indolem proxime accedens; vel quod a radice caudice multiplici, ramosumque sese attollit, vt Rubus. Ge. Eine Staude, Gestrauch, Staudengewächs. G. *Arbrisseau.* A. *Shrub.* B. *Heester.* Vide *Thamnos.*

FVCVS, est plantae genus, ad Cryptogamias algas pertinens, quod crescit in mari. Primo multos caules tenues, angustos et compressos germinat, qui sese postea extendunt in paruos ramos, habentes in specie officinali maxime vulgari folia ampla, oblonga, Quercum referentia, sed minora, substantia sua tenaci, membranosa, flexili, plerumque polita, aliquantulum lanuginosa, caulibus suis adhaerentia. Adsunt tubercula vacua, aut bullulae, aut veficulae cum seminibus, oblongae, vel obrotundae, aliquando maiores, interdum minores. Flores scilicet masculini sunt veficulae glabrae, cauae, pilis intus adspersae; flores foeminei autem veficulae glabrae, gelatina repletae, adspersae punctis perforatis, semine foetis. Est haec species *Fucus veficulosus Linn.* seu *Quercus marina*, plerumque humilis, aliquando tamen ad duorum

duorum pedum altitudinem crescit, recens capta est coloris flaui virideſcentis, sed siccata fit coloris nigri; nunquam flores habet; ab illis veficulis supra dictis supra aquam sustinetur. Pluribus in regionibus colligitur atque comburitur, indeque *Sodae* species vilior, seu sal alcalinum, praeparatur. Conf. *Aethiops vegetabilis.* — Plures tamen aliae huius generis species dantur, ex quibus nonnullae, vt *Saccharinus*, cibi loco adhibentur. Gr. Φῦκος, quod est herba marina. An a φύω, crescо, vt quidam volunt? Est quaedam species in Candiae maritimis locis, quo lintea, lana, etc. purpureo colore inficiuntur: atque ea etiam foeminae sibi fucum, seu cosmeticum, parant. Haec est: Fucus verrucosus tinctorius, *Roccella Bauh Lichen fuciformis* foliaceus, rectiusculus, laeuis, subtomentosus, ramosus; laciniis lanceolatis *Linn.* etiam ad Cryptogam. Alg. pertinens. Vide *Alga.* G. Meereiche, Tang. G. *Varec, Chêne de Mer.* A. *Common Sea-Wrack.* B. *Zee-Eike, Zee-Gras.*

FVGA DAEMONVM, vide *Hypericum.*

FVLCRA, botanicis dicuntur omnes partes plantarum, quae commodiori earum sustentationi inseruiunt. Tales sunt: *Petiolus, Stipula, Cirrus, Pubes, Arma, Bractea, Pedunculus*, etc. Vide suo loco. Ge. Die Stützen der Pflanzen. G. *Les Supports.*

FVLIGO, *Fuligo splendens*, est productum combustibilium, nigerrimum, vernicis specie caminis inhaerens, saporis et odoris ingrati, empyreumatici. Praeter aquam et acidum spiritum oleum empyreumaticum quoque et sal ammoniacale continet. Raro per se adhibetur, licet egregiam vim penetrantem et resoluentem ostendat. Essentia tamen, tinctura et spiritus in vsu sunt, in variis morbis cachecticis et neruinis. Ge. Ruß, Spiegelruß. G. *Suie.* A. *Soot.* B. *Roet.*

FVLMEN, FVLGVR, est subitanea materiae electricae in atmosphaera contentae commotio atque actio, torrentem huius materiae sequens, corporibusque animalium admota, omnem neruorum functionem, omnesque actiones repente supprimens, vitamque tollens; hinc fulmine tactis eadem, quae submersis, aut suffocatis, medela admouenda est, qua scilicet, inflando, irritando atque excitando, actiones vitales, pulsus nempe et respiratio, reuocantur et restituuntur.

FVLMINANS AVRVM, vide *Aurum Fulminans.*

FVLMINARIS LAPIS, i. q. *Belemnites.*

FVLMINATIO, i. q. *Detonatio.*

FVMARIA, est planta, quae habet plures caules ad altitudinem pedis, vel sesquipedis, crescentes, quadratos, exca-

vatos, coloris partim purpurei, partim albescentis. Folia minutim incisa, caulibus longis et angulosis adhaerentia, lobata vmbelliferarum instar. Calyx est diphyllus, foliolis oppositis deciduis. Flores sunt spicati, polypetali, anomali, papilionaceis aemuli, ex duobus tantum petalis constantes, quasi bilabiati, labio superiori in caudam, seu nectarium pene prominens, abeunte cum inferiori ad pediculum coniuncto. Haec inter labia, velut in palato, cuius os a ligula occupatur, pistillum positum est vagina obuolutum, quod deinde abit in siliculam subrotundam, deciduam, membranaceam, foetam semine paruo, rotundo, ex nigro virideſcente, saporis amari et ingrati. Radix mediocriter crassa, fibrosa, alba. Species officinalis est Fumaria officinarum et Dioscoridis *Bauh. Fumaria officinalis* pericarpiis monospermis racemosis, caule diffuso *Linn.* (Diadelph. Hexandr.). Tota planta habet saporem amarum ingratum. Succus herbae expressus chartam caeruleam rubro colore inficit. Gaudet vi balsamica, tonica, antacida, et viscerali, hinc frequens eius in scorbuto frigido, cachexia, arthritide, scabie, vsus est. Prostat in officinis eius conserua, syrupus, essentia, extractum et aqua stillatitia. Abunde in agris et cultis Europae prouenit. Dicitur etiam Fumus terrae, Gr. καπνὸς et κάπνιος, sic dicta, quod eius succus oculis inditus, veluti fumus, lachrymas moueat, oculosque mordicet, vel quia, cum primo se super terram diffundit, quasi fumus apparet. Ge. **Taubenkropf, Taubenkörbel, Erdrauch, Katzenkörbel.** G. *Fumeterre, Pied de gelinc.* A. *Fumitory.* B. *Duive-kervel, Aard-rook, Gryse-com.*

FVMARIA BVLBOSA, vide *Aristolochia.*

FVMIGATIO CHYMICA, est corrosio metalli per fumum, vel vaporem acrem. Ge. **Räucherung.** G. A. *Fumigation.* B. *Rooking.*

FVMVS TERRAE, i. q. *Fumaria.*

FVNCTIO, i. q. *Actio.*

FVNDA GALENI, seu MAXILLARIS, est fascia, in quatuor partes diuisa, in affectionibus maxillae inferioris, aliisque capitis noxis, in luxationibus, fracturis, et ad medicamenta et splenia illis adplicata continenda vtilis. Ge. **Eine vierköpfigte Binde.** G. *Fronde, Bandelète à quatre Chefs.* A. *A Swathe consisting of four parts.* B. *Slinger-band, een vierhoofdige Windsel, Slinger-zwagtel.* — *Funda*, quoque fasciae species vocatur, qua in partu difficili vel caput relictum, vel, quod magis in vsu est, in versione pes foetus apprehenditur.

FVNDVS, vocatur pars amplior et rotunda receptaculorum, quae in ceruicem oblongam et angustiorem desinunt. Talisque reperitur in vesica fellea et vrinaria, et vtero. Ge. **Der Grund.**

FVNGVS, est plantae genus, nullos flores, folia, nec semina apparentia habens, vtriculis et aëreis fasciculis pedunculus constat, qui breuis est, crassus, fungosus, instructus capitulo carnoso, crasso, spongioso, obrotundo, aut compresso, aut acuto, foliaceo. Saepe plurimas fistulas inferius habet in formam organi pneumatici dispositas. Falso creduntur nullum habere semen: nam inter lamellas habent vteros, qui infinita semina continent. *Fungorum* sub nomine hodie botanicis totus vegetabilium ordo denotatur ad classem cryptogamiae pertinens, eas comprehendens plantas fugaces, quae absque vllis manifestis partibus vegetationis, aut fructificationis, sunt. Huius ordinis plura sunt genera, pluresque species, plantis et arboribus adhaerentes, vel e terra prodeuntes, edules aliae, aliae pernicioſae, aliae dubiae, ad lycoperda tubera, agaricos, phallos, boletos pertinentes, quarum pleraeque grate sapidae, nonnullae lactifluae, omnes vero parum nutrientes sunt. Quidam dici volunt a funere, quoniam suo veneno vescentes ad funus ducat. Ge. **Ein Schwamm, Erdschwamm, Pilz, Pfifferling, &c.** G. *Champignon, Potiron, Mouceron, &c.* A. *Mushrom.* B. *Paddestoelen, Duivels-brood, Kampernoeljen, Padde-brood.*

FVNGVS ARBOREVS, IGNIARIVS, LARICIS. Vide *Agaricus.*

FVNGVS CERVINVS, est *Boletus ceruinus.*

FVNGVS CHIRVRGORVM, ORBICVLATVS, ROTVNDVS, vide *Lycoperdon* et *Bouista.*

FVNGVS CYNOSBATI, vide *Cynosbatos.*

FVNGVS DIGITATVS, est *Clauaria Hypoxylon Linn.*

FVNGVS LARICIS, est *Agaricus albus* purgans. Ge. **Lerchenschwamm.**

FVNGVS MELITENSIS, *Pharm.* Fungus Mauritanicus verrucosus ruber *Per.* Fungus typhoides coccineus Melitensis *Bocc. Cynomorium coccincum Linn.* (Monoec. Monandr.) est planta flore amentaceo, apetalo, semine vnico, subrotundo. Planta est parasitica, intra Nouembrem et Martium adnascens radicibus Lentisci, Myrti, Halimi, in Sicilia, Melita, Mauritania, et Iamaica. Qualitatis est stypticae et adstringentis, hinc ad scrupulum vnum datus in diarrhoea chronica et haemorrhagiis commendatur. Rarius in officinis nostris prostat.

FVNGVS PETRAEVS, eſt idem quod *Lac lunae*, ſeu *Agaricus mineralis*.

FVNGVS SAMBVCI, vide *Auricula Iudae*.

FVNGVS, chirurgis eſt caro mollis et ſpongioſa, quae vulneribus, vel vlceribus, ſuperincreſcit, a nimio humorum affluxu et telae celluloſae expanſione, vel quandoque chirurgi imperitia, ortum habens. Obſeruatur etiam in vulneribus capitis, in quibus dura mater perforata eſt. Vide *Encephalocele*. Ge. Schwammgewächs. G. *Excreſcence ſpongieuſe, chair baveuſe*. A. *A Spungy Tumour*. B. *Baſterd of weelig Vleeſch*.

FVNGVS ARTICVLORVM, chirurgis dicitur talis in membrorum articulis tumor, qui absque omni ferme calore ac dolore pallet, digitisque prementibus facile quidem propter mollitiem cedit, ſed, remoto digito, confeſtim ſe rurſus expandit, nec foueas impreſſas retinet. Dicitur etiam *Hydrops Articulorum*. Ge. Gliedſchwamm.

FVNICVLVS SPERMATICVS, vide *Vaſa Spermatica*.

FVNICVLVS VMBILICALIS, ſiue INTESTINVLVM, it. *Laqueus* vel *Ductus vmbilicalis*, eſt pars, funiculi modo contorta, oblonga, inuolucro firmiſſimo, elaſtico, ſubcartilagineo, nec a peritonaeo, nec a cute abdominis oriente inuoluta, farta ſubſtantia celluloſa ex peritonaei exteriori celluloſo inuolucro nata, homini, quam vlli beſtiae, longior, duarum, vel trium ſpithamarum, pollicis fere craſſitie, in foetibus ab vmbilico ad placentam vterinam tendens, ſicque foetum cum placenta et matre connectens, mutuoque humorum circulo inſeruiens. Continet arterias duas, quae *Vmbilicales* dicuntur, et venam vnam; in brutis praeterea vrachum, qui vsque in Alantoideam extenditur. Nerui in funiculo vix demonſtrari poſſunt. Arteriae vmbilicales vtrinque ex hypogaſtricis foetus ortae ſanguinem in ramos, quibus in placentam diſtribuuntur, ferunt; radices venae e placenta orientes in truncum confluunt, qui per canalem venoſum ſanguinem venae cauae foetus infundunt. Ge. Die Nabelſchnur. G. *Le Cordon umbilical, ou du Nombril*. A. *The Navel-ſtring*. B. *De Navel ſtreng*.

FVNICVLI VMBILICALIS DELIGATIO, eſt operatio, qua poſt partum funiculus vmbilicalis ad paucorum digitorum ab vmbilico diſtantiam tenui vinculo conſtrictus reſecatur, ſicque infans recens natus, ſibi iam viuens, a placenta et matre ſeparatur. De huius operationis, quae in brutis non fit, in hominibus neceſſitate multum diſputatum, at ſimul euictum eſt, infelici et periculoſo tentamine deligationem intermitti, vt plurimum lethali ſanguinis effuſione ſequente.

FVNIS ARBORVM, eſt *Smilax* leuis, quia ſeſe circum arbores voluat.

FVRCALE OS, i. q. *Furcula*.

FVRCELLA, i. q. *Furcula*.

FVRCVLA SVPERIOR, dicitur *Os ſterni* ſuperius, alii etiam *iugulum* vocant; ita etiam *clauiculae* os appellatur.

FVRFVRACEA VRINA, eſt vrina, in qua ſubſidentia laeuis furfuribus ſimilis deprehenditur. Ge. Kleyenartiger Bodenſatz im Urin.

FVRFVRATIO, Gr. Πιτυριασις, Latinis etiam *Porrigo*; affectus eſt, cum ſcalpentibus furfuribus ſimilia ex capitis cute decidunt, et quidem plerumque cute ea, quae ſub capillis eſt, item etiam e barba et ſupercilliis. Ge. Die Kleyen, die Schwinden. G. *Teigne*. A. *Scurf*. B. *Zemelagtigheid, Schilfer op het Hoofd*.

FVRNVS, eſt locus, in quo ignis ad materiam chymice tractandam, dextre et conuenienter accommodatur: eſtque apertus, vel tectus, rotundus, quadratus, anemius, fuſorius, reuerberius, etc. De quibus conſule auctores chemicos. Ge. Ein Ofen, Brennofen. G. *Fourneau*. A. *A Furnace*. B. *Een Oven*.

FVRNVS ANEMIVS, vide *Anemius*.

FVROR, i. q. *Mania*.

FVROR VTERINVS, HYSTEROMANIA, ANDROMANIA, NYMPHOMANIA, MELANCHOLIA VTERINA, eſt in foeminis, imo et in virginibus, ſalacitas et ſatyriaſis quaedam, ratione audaciae et impudentiae maioris ab *Erotomania*, ſeu *Melancholia* amatoria, differens, quippe coniuncta vt plurimum cum delirio, ita vt non modo venerem et viros appetant, ſed et ſeſe ſermone obſcoeno etc. proſtituant, eoque delectentur. *Cauſa* videtur conſiſtere in ſucco ſeminali, qui ad ſummum maturitatis gradum euectus virgines in furorem agit; exemplum illud in brutis animalibus quotannis occurrit, vt in felibus, damis et ceruis, vel etiam conſiſtere poteſt in materia herpetica acri partes genitales irritante. — Eſt quidem et alius affectus huic cognatus, quem *Vteri*, vel *Matricis*, *Feruorem* antiqui appellarunt, quando nimirum vniuerſa ſubſtantia, et totum eius corpus incaleſcit, cum dolore et lumborum grauitate, horripilatione, faſtidio et vrinae ac excrementorum alui ſuppreſſione; et foemina coitum vehementer appetit, ſed ob dolorem venere vti pertimeſcit. Gr. Τυρομανια. Ge. Mannstollheit. G. *Fureur de la Matrice, Rage d'Amour, Nymphomanie*. A. *Fury of the Womb, or Womb-fury*. B. *Razende Moer, Ritſigheid, Manziekte*.

FVRVNCVLVS, siue DOTHION, est tumor cutaneus prominens atro-ruber, ad tactum duriusculus, saepe oui columbini magnitudine cum inflammatione, et dolore; maximeque, vbi iam in pus vergit. Qui vbi apertus est, et exiit pus, subter apparet fibrosa pars in pus non versa, corrupta, subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi (Ge. Eiterstock) nominant. In eo nullum periculum est, etiamsi nulla curatio adhibeatur: matureſcit enim per se, atque rumpitur, sed molestus est, quoniam, vno sanato, saepe alius nouus succreſcit. G. Blutgeſchwür, Blutſchwär. G. *Furoncle, Froncle, ou Clou.* A. *A Boil.* B. *Bloed-zweer, Bloed-vine.*

FVSIFORMIS, botanicis dicitur radix simpliciuscula, attenuata. Ge. Spindelförmige Wurzel.

FVSIO, est liquatio cuiuscunque materiae fusilis per calorem ignis saepe vehementissimi, vt fit in liquandis metallis et mineralibus; huic operi non raro follis adhibetur. Ge. Das Schmelzen. G. *Fuſion.* A. *A Melting.* B. *Smelting.*

FVSTERNA, est superior pars abietis; dicitur, quia nodosi solent esse fustes et baculi crebris nodis vt plurimum asperi: inferior pars vocatur e contra *Sapinca.*

G.

G Graecum Γ, medicis vncia est.

GABIANVM OLEVM, vide *Petroleum.*

GAGATES, est Asphaltum, seu bitumen, eousque vi naturae perfectum, vt euadat nigrum, durum, terrenum, sciſsile, politum, graueolens, resplendens, inflammabile, aquae supernatans, electrica vi praeditum: propter duritiem vocatur *Lapis Gagates*, vel *Thracius Nicandri.* Dicitur etiam *Succinum nigrum*; *Lapis Obsidianus, Gagas, Gangites.* Ge. Bergwachs, Gagat. G. *Jayet, Jais.* A. *Jet.*

GALA, i. q. *Lac.*

GALACTOPHORA, medicamenta sunt, quae lactis copiam vberrimam faciunt, et ad mammarias glandulas determinant. Gr. Γαλακτοποιητικὰ. A γάλα et ποιέω. Ge. Milchmachende Arzeneyen. B. *Melkmaakende Middelen.*

GALACTOPHORI DVCTVS, proprie sunt *Vaſa Lactea*, siue quae chylum versus cor ex intestinis per mesenterium et ductum thoracicum ducunt.— Item dicuntur tubuli, ex glandulis mammariis, sinubus atque folliculis lacteis lac in papillas ducentes, qui proprie sunt vasa mammarum excretoria, duodecim circiter, vel quindecim, in papillam terminata,

insignis longitudinis, satis ampla, sed prope papillam angustata, ne lac continuo exiret, sed seruaretur, donec ab infante suctionis ope proliciatur. Ex γάλα, lac, et φέρω, porto, duco. Ge. Milchgänge. G. *Les Conduits Laiteux.* A. *The Milk-veſſels.* B. *Melk-buizen.*

GALACTOPOIETICA FACVLTAS, Gr. δύναμις γαλακτοποιητική, nihil aliud est, quam aptitudo ad praeparandum lac. De lactis secretione vide *Lac.*

GALACTORRHOEA; est vitiose abundans lactis saepe qualitate peccantis e mammis effluxus. A γάλα, lac, et ῥέω, fluo. Ge. Auslaufen der Milch. G. *Ecoulement de lait.*

GALANGA, radix est aromatica, tuberosa, pollicis crassitie, nodosa, geniculata quasi, fusca, intus rufescens, saporis acris, amaricantis. Planta, ad quam pertinet, est *Maranta Galanga* culmo simplici *Linn.* (Monandr. Monogyn.) Barehabe *Boerhaau.* Duae prostant species, scilicet *Galanga maior* et *minor*, quarum haec longe praestantior est. Adfertur ad nos ex India Orientali. Apud nos in hortis culta vix ad floreſcentiam perducitur. Haec radix ob acrimoniam fixam piperi similem, et qualitatem amaricantem, aromaticam, viribus calefacientibus, stimulantibus, stomachicis et specifice emmenagogis pollet, eius tamen ob saporem nauseosum minus hodie frequens vsus est. Ita vocatur a voce Arabica *Galingia.* Ge. Galgant. G. *Galanga.* A. *Galangal.* B. *Galiga.*

GALBANETVM, est compositio, seu vnguentum, Galbanum recipiens.

GALBANVM, est gummi, succus, aut lachryma ferulae Syriacae, quam *Metopium* vocant, (quo nomine aliis gummi idem venit) intense flauum, vel albidum, cerae instar molle et ductile, inflammabile, totum tamen non deflagrans; saporem habens instar Gummi ammoniaci, sed acriorem magisque penetrantem; odore graui Opopanacem referens, colore Tacamahacam. Planta, quae tota hoc succo turget, est planta vmbellifera: Oreoselinum Africanum galbaniferum, floribus luteis, seminibus planis, orbicularibus *Tournef.* Anisum Africanum fruteſcens, folio Anisi, galbaniferum, *Pluk. Bubon Galbanum* foliolis rhombeis dentatis, glabris, vmbellis paucis *Linn.* Optimum censetur flauum, sincerum, pingue, non lignosum, quod in se retineat nonnihil ex suis seminibus et ipsis ferulae sarmentis, grauis et ingrati odoris, nec nimis humidum, nec nimis aridum, cum accenditur, flammam nutriens. Inter selectiora antihysterica et emmenagoga recenseturr. Plurima quoque emplastra ingreditur.

Notabilem olei eſſentialis quantitatem continet, et deſtillatione largitur, in quo maxime a Gummi Ammoniaco differt. In aqua feruida coctum et per linteum transpreſſum *depuratum* in officinis vocatur. Dicitur et *Chalbanum*.

GALEA, eſt dolor capitis, ſic a loci ſimilitudine dictus, quod totum caput in modum galeae comprehendat.

GALEA, pertinet quoque ad vaſa chymica: eſt enim vas, cui retorta imponitur, ex terra, aut alia materia, confectum, ne retorta, niſi mediate, ab igne tangatur. Ge. **Eine Kapelle**. G. *Soucoupe*. A. *Cap*. B. *Een Klapmuts*.

GALEA, *Galea tendinea Santorini*, dicitur aponeuroſis coniuncta muſculi frontalis et occipitalis, ſuper caluariam extenſa. Vide *Temporalis muſculus*. G. *La Calotte*.

GALEA, etiam dicitur, quando caput foetus in lucem prodeuntis cum parte membranae amnios circumueſtitur, cum Galea dicitur prodiiſſe. Sed ſi infans ex ſexu foemineo fuerit, *Vitta* vocatur, de quibus obſtetrices plurimas fabulas nugantur. Partus quidem felicis et expediti ſignum. Ge. B. *Helm*. G. *Né coiffé*.

GALEA, botanicis dicitur in floribus ringentibus, ſeu bilabiatis, labium ſuperius.

GALEGA, eſt plantae genus, quod plures habet caules tres pedes altos, ſtriatos, excauatos, ramoſos. Folia pinnata, bina coniugata, affixa coſtae, in impar folium terminata, ſaporis leguminoſi. Calyx eſt monophyllus, tubulatus, ſemiquinquefidus. Flores ſunt in ſpicam congeſti, papilionacei, coloris albi, aut violacei albeſcentis. Flori ſuccedit ſiliqua teres et quaſi cylindracea, foeta ſeminibus oblongis, et veluti reniformibus. Radix exigua, alba, perennis. Species officinalis eſt Galega vulgaris *Bauh. Galega officinalis*, leguminibus ſtrictis erectis, foliolis lanceolatis, ſtriatis, nudis *Linn.* (Diadelph. Decandr.) Ob qualitatem ſubaromaticam ei virtus diaphoretica et alexipharmaca tribuitur, hinc in febribus exanthematicis commendatur. Proſtat in officinis aqua, ſyrupus et conſerua. Creſcit in locis humidis circa flumina. Dicitur etiam *Ruta capraria, Caprago*. Ge. **Gemskraut, Geißkraut, Geißraute**. G. *Rue de Chevre*. A. *Goatsrue*. B. *Geitenkruid*.

GALENA, *Plumbago metallica*, eſt Plumbum ſulphure et argento mineraliſatum, minera teſſulis maioribus, vel minoribus, vel granulis micante. Ge. **Bleyglanz, Würfelerz**. G. *Mine de Plomb en cubes*.

GALENA MINERALISATA, eſt Plumbi minera galenica, lapide inſenſibiliter immixta, vario colore. Ge. **Glanz-**

erz, Waſſererz. G. *Galène de plomb mineraliſée*. — — Si Biſmuthum, Stibium, Ferrum tali modo mineraliſatum ſit, dicitur Galena Biſmuthi, Stibii, Ferri, etc.

GALENICA MEDICAMENTA, vocantur 1. cuncta ſimplicia cuiuscunque regni, et 2. omnia compoſita, quae ſimpliciori tantum praeparatione, v. g. coctione, infuſione, indigent. Operoſiora vero praeparata *Spagyrica*, vel *Chemica* medicamenta dicuntur.

GALENICA MEDICINA, eſt, quae nititur fundamentis *Galeni*, ideoque *Galenici* ſunt, qui artis ſuae fundamenta e *Galeno* et philoſophis petita, ratione probata, et experientia confirmata amplectuntur, et hoc duplici κριτηρίῳ verum a falſo diſtinguunt. Nituntur praecipue quatuor elementis peripateticis, hinc illorum temperamenta, humores, etc. Ge. **Galeniſche Arzeney**. G. *Medicine Galenique*. A. *The Phyſick of Galen*. B. *Galeniſche Medicyne*.

GALENION, eſt nomen emplaſtri anodyni a *Galeno* praeſcripti.

GALEOPSIS, vel GALLOPSIS, eſt ſpecies Vrticae mortuae, vel *Lamii*, quae habet multos caules quadratos. Folia eius Marrubium referunt. Flos eſt ringens, bilabiatus, barba quadripartita, qua a Lamiis differt, (Didynam. gymnoſperm.) coloris flaui, et multis punctis coloris croci notatus. Flori ſuccedunt ſemina oblonga quatuor, in capſula, quae flori tanquam calyx inſeruiuit, contenta. Haec capſula in quinque partes diuiſa, infundibulum refert. Eſt *Lamium album*, foliis cordatis, acuminatis, ſerratis, petiolatis, verticillis vigintifloris *Linn.* Lamium album non foetens, folio oblongo *Bauh.* Abunde prouenit in Europae ruderatis cultis. Herbae atque floribus, licet qualitatis ſubſatuae, vires antiepilepticae, et antidyſentericae, praecipue vero inſignes et ſpecificae contra leucorrhoeam tribuuntur. A γαλέας ὄψις, facie et rictu muſtelae; vel eſt nomen ex Graeco et Latino compoſitum, quod eius flores prorſus galeae aſpectum referant. Ge. **Todte Neſſel, taube Neſſel**. G. *Ortie morte*, A. *Dead Nettle, Hedgenettle*. B. *Doove Netelen*.

GALIANCONES, ſunt, qui ob capitis humeri in alam prolapſum brachium iuſto breuius et gracilius habent, partes vero circa cubitum tumentiores, muſtelaeque cubito praediti ſunt, ideoque *Muſtelanei* vocantur. A γαλέη, muſtela, et ἀγκών, cubitus. Ge. **Kurz von Armen**. G. *Qui ont les bras courts*. A. *Shortneſs of the Arm*. B. *Kortarmig*.

GALLAE, in genere dicuntur excreſcentiae duriuſculae lignoſae, ſubrotundae, auellanae maioris magnitudine, in variis partibus plurium arborum reperiundae, ortae a laeſione vel punctione inſecti hymenopteri, quod eſt *Cynips*, cuius os maxillis absque proboſcide, aculeus ſpiralis, ſaepe reconditus eſt; quodue huc ouula vlterius euoluenda deponit, e quibus nati vermes tandemque muſcae Gallam perforant et auolant. Maxime frequentes ſunt Gallae in foliis Quercus natae a punctione inſecti, quod eſt *Cynips nigra*, thorace lineato, pedibus griſeis, femoribus ſubtus nigris *Linn.* Hae ſub nomine *Gallarum Turcicarum* proſtant. Vſus eſt maxime tinctorius et atramentarius. Infuſum Gallarum aquas martiales colore nigro inficit. Qualitate ſunt ſtiptica et auſtera, a nonnullis in diarrhoea et haemorrhagiis commendantur. Gallae quoque epithemata contra gangraenam ingrediuntur. Gr. Κηκὶς dicta. Forte a κῆκα, id eſt, fuligine, quod Gallarum, pannis nigro colore tingendis, magnus vſus ſit. Ge. **Gallâpfel**. G. *Nois de Galle*. A. *Oak-apples, Gall's*. B. *Galnoten*.

GALLICVS MORBVS, vide *Lues venerea*.

GALLINAGINIS CAPVT, vide *Caput Gallinaginis*.

GALLINAE VENTRICVLI TVNICAE INTERIORES, ex Gallinis et Gallis olim colligebantur, et exſiccatae vt ſtomachicum et lithontripticum medicamentum adhibebantur. Vide *Gallus*.

GALLIVM, ſeu GALIVM, eſt plantae genus, (Tetrandr. Monogyn.) cuius perianthium minimum, quadridentatum, germini inſidens; corolla monopetala quadripartita plana, tubo nullo; baccae duae ſiccae, globoſae coalitae; ſemina ſolitaria, reniformia; folia quina, vel plura, verticillatim ad caulium nodos poſita. Species frequentiſſima et officinalis eſt Gallium luteum *Bauh. Galium verum*, foliis octonis linearibus, ramis floriferis, breuibus *Linn.* Creſcit abunde in pratis Europae. Qualitatis eſt fragrantis, ſubtileque acidum continet, hinc ſuccus lac coagulat, chartamque caeruleam rubro colore tingit. In hyſteria, epilepſia, et haematuria commendatur. Pullorum hac radice ſaginatorum oſſa rubeſcere lego. Dicitur διὰ γάλα πηγνύειν ἀντὶ πιτύας αὐτὸ, quod coaguli vice lac coagulet ac cogat. Ge. **Wegerkraut, Waldſtroh, Unſer Frauen Bettſtroh, Wegſtroh, Labkraut**. G. *Petit Muguet, ou Caillelait*. A. *Ladies Bedſtraw, Cheeſe-Kening*. B. *Wal-ſtroo*.

GALREDA, ſeu GELATINA, ſuccus eſt inſpiſſatus, viſcoſus, inſtar mucilaginis, quae ex vegetabilibus paratur, in aqua ſolubilis, lucidus, ſitque plerumque ex coctis partibus animalium cartilaginoſis, v. g. ex pedibus vituli, ebore, cornu cerui, etc. Exhauſtis optimo cum ſucceſſu exhibetur. Ge. **Sulz, Gallert**. G. *Gelée*. A. *Jelly*. B. *Gelei, Lil*.

GALLVS, GALLINA, Gallus Gallinaceus et Gallina domeſtica *Will. Phaſianus Gallus*, caruncula compreſſa verticis, geminaque gulae, auribus nudis, cauda compreſſa adſcendente *Linn.* (Aues Gallin.) Animal domeſticum ſat omnibus cognitum. Praeter vſum cibarium carnis atque ouorum, proſtant in officinis teſtae ouorum praeparatae et calcinatae, qualitatis calcariae et abſorbentis, et oleum e vitellis expreſſum, quod inſigni vi emolliente et demulcente pollet. Ge. **Ein Hahn, die Henne**. G. *Coq, Poule*. A. *Cock, Poult*. B. *Haan en Henne*.

GANGLION, eſt tumor in partibus tendinoſis, ſphaericus, firmus, indolens, albus, lateraliter parum mobilis, in manibus et pedibus vulgo obuius, a caſu, ictu, vel alias excitatus, oriundus ab extrauaſata lympha ex vaſculis ruptis, intra vaginam tendinis haerente. Ge. **Ueberbein**. G. *Suros*. A. *Tendinous Knor, Ganglion*. — — Vocatur ita etiam corpuſculum rotundum, oblongum, olivare, durum, capſula veluti tectum, carnei vtcunque coloris, ſubſtantia neruoſa nodi inſtar, multis in locis trunci corporis, excepto cerebro et medulla ſpinali, quibusdam neruis veluti circumnatum, vbi multi neruoſi furculi coeunt. Formatur ex concurſu duorum, vel plurium neruorum cum ſuis membranis. Videntur autem funiculi neruei in ganglio laxius diſponi, et a ſe inuicem recedere, ſpatiaque eo modo inter eos funiculos nata a dura, rubra, celluloſa tela repleri, ex qua iterum latitudine paulatim conice diminuta in neruorum exitum Ganglion contrahitur. Certum enim eſt, Ganglia conſtanter maiora eſſe, et nonnunquam inſigniſſime maiora, quam neruus eſt, ex quo quodque oritur. Certum eſt etiam, neruos ex Gangliis ferè ſemper numeroſiores prodire, quam ſubierunt. *Hall.* Inſignis eſt Gangliorum variae magnitudinis in corpore numerus: denominantur vel a figura, vt Ganglion ſemilunare, vel a loco, vt ceruicale, thoracicum, ophthalmicum, etc. Vſum quidem et functionem Gangliorum indicare haud adeo facile. Cum tamen praecipue vnionem funiculorum nerueorum efficiant, maxime ad conſenſum variarum partium facere videntur, eoque magis, cum pro numero gangliorum neruos vnientium maior ſit

inter partes conſenſus. Ge. Ein Nervenknote. G. *Ganglion, ou noeud de Nerf.* A. *Ganglion of the Nerves.*

GANGRAENA, GANGRAENA HVMIDA, eſt inflammatio, ſeu ſuppuratio ſuffocata, mortua, in parte molli corporis, ſerpens in tunica celluloſa, vbi cutis tumida liuens, molliuſcula, putris, foetida, nigricans frigida, cum puſtulis ſub epidermide, celeriter ſerpente vitio, margine ſubinflammato, ſubardente, cum immobilitate partis affectae, oriens a ſublato naturali ſanguinis per vaſa ſua motu progreſſiuo, hinc inflammationem, contuſionem, conſtrictionem, congelationem et eroſionem per cauſtica ſequens, tandem in *ſphacelum* abiens, qui quibusdam vltimus gangraenae gradus dicitur. Ge. Der heiße Brand. G. *La Gangréne humide.* A. *The humid Gangrene, or Mortification.*

GANGRAENA SICCA, eſt morbus chronicus, in quo artus, vt pedes manusue poſt ſtuporem, et dolorem, vt plurimum ſine tumore areſcunt, exſiccantur, et ſenſu motuque amiſſis tandem ſaepe ſponte a corpore ſecedunt. Sunt, qui cauſſam mali in eſu ſecalis cornuti, ſeu vſtilaginis, et inde nata picea ſanguinis tenacitate quaeſiuere. Ge. Der trockne Brand. G. *La Gangréne ſeche, l'Ergot, le Mal des ardents.* A. *The arid Gangrene, or Mortification.*

GARGARION, vide *Cion.* A γαργαρίζω, os colluo.

GARGARISMA, eſt medicamentum liquidum, fauces et adiacentes partes, gargarizando, ſine deglutitione colluens. Eſtque vel decoctum, in quo ſyrupi conuenientes ſoluuntur; vel aquae deſtillatae, quibus ſyrupi admixti, quandoque et ſpiritus minerales adduntur. Dicitur et *Gargariſmus, Colluſio oris,* Διάκλυσμα. A γαργαρίζω, os colluo. Ge. Gurgelwaſſer. G. A. *Gargarisme.* B. *Een Gorgel-Drank, Gorgelwater, Keel-ſpoeling.*

GARVM, dicitur liquamen ex piſcibus et ouis piſcium ſale conditis, aut maceratis, paratum, ita vocatum a Garo piſce.

GARYOPHYLLATA, vide *Caryophyllata.*

GARYOPHYLLI, i. q. *Caryophylli.*

GAS, *Helmontii* loquendi terminus eſt, et denotat ſpiritum aethereum, volatilem, non coagulabilem: vel ſpiritus eſt vitae noſtrae lumen et balſamus praeſeruans a corruptione. *Gas pingue ſulphureum,* quod enecat homines, praeſertim in cryptis ſubterraneis: *Gas ſylueſtre, Gas ventoſum,* quod aër. *Gas ſiccum,* eſt ſublimatum. *Gas vini,* vel *cereviſiae,* eſt exhalans ſpiritus e doliis, vel lacubus, quando fermentatur. *Gas ſalium* eſt aqua, item vuae. *Gas* idem forte

eſt, quod nonnullis hodie *Aer fixus* dicitur. Deriuatur forte a Belgico idiomate. Ge. Flüchtiger Geiſt. B. *Giſt,* vel *Geſt,* aut *Geeſt.*

GASTER, Gr. Γαστὴρ, *Venter.* Interdum totum abdomen denotat; non raro pro ventriculo tantum ſumitur. Nonnunquam etiam pro vtero habetur.

GASTRICVS SVCCVS, eſt pellucidus, tenuis, ſpumoſus, leniter ſalſus ſuccus, qui continuo ex acinis ventriculi glandulosis, vel potius ex extremitatibus arteriolarum, quae ad omne punctum ſuperficiei ventriculi internae deſinunt, in eius cauitatem, pro cibo ſoluendo, miſcendo, et diluendo, ſtillat. Ge. Magenſaft. G. *Suc de l'Eſtomac.* A. *The Juice of the Stomach.* B. *Maag-Sap, Maag-Geeſt.*

GASTRITIS, eſt inflammatio ventriculi cum febre acuta, continua, anxietate, dolore, ardore, tenſione, vomiturition, et poſt quaeuis aſſumta exacerbatione. Cauſſa eſt, vel quae in genere inflammationem producit; vel in ſpecie ad ventriculum delata eſt, vt materia exanthematica, vel venenata, ad ventriculum delata. Ge. Entzündung des Magens. G. *Inflammation de l'eſtomac.*

GASTROCELE ſeu *Hernia ventriculi,* eſt ventriculi trans laxatos, diductos, regionis epigaſtricae parietes, immo et per vmbilici annulum elapſi ectopia hernioſa, quae cognoſcitur protuberantia elaſtica, glabra, aequali, poſt paſtum aucta, ieiuno ventriculo imminuta, ſub vario ſitu varia, dolore, vomitu, bradypepſia. Oriri poteſt a vomitu valido, forti nixu, aut violenta ſcapularum retractione. Ge. Magenbruch. G. *Hernie de l'eſtomac.*

GASTROCNEMIVM, eſt *Sura,* ſiue pars tibiae poſterior, vnde eius muſculi a tumore ventricoſo *Gaſtrocnemii* dicti ſunt. Sic tibia dicitur *Anticnemium.* A γαστὴρ, venter, et κνήμη, tibia. Ge. Die Waden. G. *Le Gras de la jambe, Mollet.* A. *The Calf of the leg.* B. *De Kuit.*

GASTROCNEMII MVSCVLI, ſic vocantur duo, orti vtrinque ſupra condylos poſteriores oſſis femoris duobus principiis, quae deinde aliquo interuallo coniuncta, ſimul ventrem carnoſum magnum conſtituunt, abeuntque circa mediam cruris partem in fortem et ſatis latum tendinem, quem confundunt cum aliis, qui *Achillis* dicitur, et inſeritur tuberoſitati oſſis calcanei. Ge. Die Wadenmuskeln. G. *Muſcles Gaſtrocnemiens, ou les grands Jumeaux.* A. *The muſcles of the Calf.* B. *Kuitſpieren.*

GASTRODYNIA, eſt dolor notabilis et conſtans in regione ſtomachi, qui continua animi defectione non ſtipatur, vt

cardialgia, oriturque vel a saburra, flatibus, bile, veneno in ventriculo contentis, vel ab vlcere ventriculi, aut peregrinis deglutitis, vel etiam a cartilagine xyphoidea introrsum luxata, vel depressa etc. Aegri *stomachici* dicuntur. Germ. Magenschmerz. G. *Colique d'estomac.*

GASTROEPIPLOICA *Vasa*, sunt venae et arteriae, et quidem venae splenicae et mesentericae, et arteriae splenicae et hepaticae rami, seu propagines, quae ad ventriculum et omentum porriguntur. Ex γαστὴρ, venter, et ἐπίπλοον, omentum. Ge. Die Netz- und Magengefäße. G. *Vaisseaux Gastro-Epiploiques.* A. *The vessels of the cawl and the stomach.* B. *Net en Maag-vaten.*

GASTRORHAPHIA, est connexio, siue sutura, in vulneribus abdominis et intestinorum adhibenda. Ex γαστὴρ, venter, et ῥαφὴ, sutura. Ge. Die Bauchnath. G. *Gastroraphie, ou suture des playes du ventre.* A. *Suture of the belly.* B. *Buiks hegting.*

GASTROTOMIA, est sectio abdominis et vteri, vti in caesarea sectione; rectius hodie *hysterotomia* dicitur. Ex γαστὴρ, venter, et τέμνω, seco. Ge. Bauchöffnung. G. *Gastrotomie, ou section du ventre.* A. *Cutting of the belly.* B. *Buik-snyding.*

GATAGAMBE, Conf. *Catagambe.*

GATTARIA, i. q. *Cattaria.*

GAVDIVM, est laetitia ex iudicio boni acquisiti, vel acquirendi; vel oblectatio orta a quadam perceptione grata. Gaudium omnes motus vitales incitat, perspirationem auget, inque morbis conualescentiam adiuuat, nouis quasi viribus cordi additis, vitamque longam potissimum sustinet. At et subita vehementissimaque gaudia mortis subitae causam fuisse, exempla prostant. Gr. Χαρὰ, εὐφροσύνη. Ge. Freude. G. et A. *Joye.* B. *Blydschap.*

GELASINI, idem quod *Dentes Incisores.* Ita dicti a γελάω, rideo, quoniam in *risu* conspiciuntur.

GELATINA, i. q. *Galreda.*

GEMMA, in planta idem est, quod *oculus*, quia veluti ocellus quidam conspicuus, aut gemma quaedam excellens conspici potest, cum primum e planta prodit. Haec ineunte vere sese ostendit, et ab ea primum flos, et folia, deinde fructus prodeunt. Est hybernaculum plantae ex rudimentis foliorum futurorum, iisdem, quibus rami componuntur, integratur partibus; originem suam debet nodo, qui tractu temporis in gemmam transit. G. Ein Knospenauge. G. *Un Bourgeon, Bouton.* A. *A Young Bud.* B. *Een Botte.*

GEMMAE, dicuntur lapides pretiosi et colorati, plerumque pellucidi; harum indoles vitro proxima omni fere dote; sed illud exsuperant duritie, soliditate, simplicitate, difficillima fusilitate ad ignem. Olim in officinis adhibebantur, sed nunc eorum vsus exoleuit. G. Edelgesteine. G. *Pierres pretieuse.* A. *A Gemm, Precious Stone.* B. *Edelgesteente.*

GEMMAE SAL, salis communis species est, Muria fossilis pura *Wall. Muria montana* nuda fossilis *Linn.* in fodinis lapidum frangitur, specieque crystallorum splendens eruitur, vnde *Gemmeum*, a gemmis ob colorem nuncupatur. Dicitur alias *Sal Fossile* et huius purior pars *Sal gemmae.* In Polonia et Hungaria effoditur. Vsus oeconomicus est. Additur clysteribus, stimuli loco. Ge. Steinsalz. G. *Sel Gemme.* A. *Sal Gem.* B. *Steen-zout.*

GEMVRSA, est morbi species inter pedis digitos, quae ita olim antiquis dicebatur.

GENA, MALA, Gr. Μῆλον, φαρειὰ, κύκλοι *Hippocrati.* Est faciei pars lateralis a naso ad aures. Item, mentum et maxilla, quae est superior, vel inferior. Ge. Die Wange. G. *La Joue.* A. *The Cheek.* B. *Wange, Koon, Appel van de Wange.*

GENERATIO, in genere est actio naturalis, qua animalia propagantur, dum scilicet rudimenta ad vlteriorem euolutionem irritantur per materiam quandam huic soli fini dicatam.

GENERATIO, et quidem *humana*, est actio corporea, qua vir iunctus mulieri, illi communicat aliquid corporei, ex quo postea nascitur, et prodit corpus humanum. Illud autem, quod vir communicat, est semen foecundum. Si a foemina prolifera acceptum, eius ope aptum est transire in corpus humanum. Illud igitur semen a viro eiectum in vterum muliebrem, ingressum tubas Fallopianas, ouulo ex materno sensim ouario abrumpendo communicatum, causa est, cur excitetur, euoluatur et nascatur postea foetus. Prior actio, quae viro soli competit, aliquando stricto sensu *Generatio* dicitur, vt distinguatur a *Conceptione*, quae mulieri propria est. In animalibus diuersissimi sunt generationis modi. Sunt animalia androgyna. Animalia frigidi sanguinis sola seminis adspersione generari dicuntur. Nonnulli tamen suis obseruationibus probari credunt, a deuorato semine oua piscium foecundari. Ge. Die Zeugung. G. et A. *Generation.* B. *Voort-teeling.*

GENICVLATA, dicitur pars plantae geniculis intercepta.

GENICVLI, siue GENICVLA, sunt internodia, quae in herbis, aut leguminibus, aut etiam suffruticibus, apparent. Sic *geniculatae radices* nominantur, quae nodis quibusdam

interſtinctae protuberant, rotundae et leuiter capitulatae. Gr. Γόνυον. Ge. Ein Knötchen. G. *Noeuds, qui ſe trouvent aux tiges ou aux racines des herbes, & aux tuyaux de bled.* A. *The Knot.* B. *Knoop.*

GENIOGLOSSVM, ſiue MESOGLOSSVM, eſt par muſculorum quod ab interna parte menti carnoſo principio ortum, dilatatum progrediens radici linguae inſeritur, atque etiam vltra excurrit fere per totam eius longitudinem et linguam verſus anteriora trahit. A γένυς, mentum, et γλῶσσα, lingua. Ge. Die Kinnzungenmuskeln. G. A. *Genio-gloſſe.* B. *Der Kinne Tong ſpieren.*

GENIOHYOIDES, ſunt muſculi, qui a menti interna et humiliore ſede ſub Genioglosſis orti, ad baſin oſſis hyoidis extenſi terminantur, et os hyoides vna cum lingua ſurſum et antrorſum trahunt. Ex γένειον, mentum, et ὑψηλόν, os hyoides, et εἶδος, forma. Ge. Die Kinn- und Zungenbeinmuskeln. G. *Les Genio-Hyodiens.* A. *Geniohyoide.* B. *Der Kinne Tongbeens-ſpieren.*

GENIPI, hoc ſub nomine quibusdam in pharmacopoeis proſtat planta flore compoſito, (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) quae eſt Achillea foliis pinnatis, lanugine obductis, floribus albis vmbellatis *Hall.* Abſinthium, vel Millefolium alpinum incanum, flore ſpecioſo *Bauh.* Tanacetum, vel Millefolium alpinum tomentoſum, odoratum, nanum *Bocc.* *Achillea nana* foliis pinnatis, dentatis, hirſutiſſimis, floribus glomerato vmbellatis *L.* et *A. atrata L.* Planta puſilla habitat in Alpibus. Ob inſignes vires ſtomachicas, antihyſtericas et anthelminthicas celebratur. *Artemiſia* tamen *rupeſtris L.* et *Artemiſia glacialis Eiusd. Genipi nigrum* et *album* in Heluetia etiam vocantur.

GENISTA, GENESTA, vel GENESTRA, eſt frutex, vel plantae genus, quod creſcit ad altitudinem ſex, vel ſeptem pedum, cuius rami Iuncum referunt, rotundi, virides. Folia ſunt oblonga, acuta, alterno, aut verticillato ordine diſpoſita. Flores papilionacei, leguminoſi, (Diadelph. Decandr.) flaui, viſui grati, ſaporis dulcis. Calyx monophyllus, parvus, ſub-bilabiatus; ſiliquae planae in duas partes dehiſcentes, foetae ſeminibus reniformibus, compreſſis, rubicundis, ſplendentibus, ſaporis ex dulci amaricantis nauſeoſi, et ingrati, dum annoſa ſunt farinacei. Creſcit in Germania, Anglia, Gallia, et Hiſpania. Variae dantur Geniſtae ſpecies. Maxime frequentes et officinales ſunt Geniſta viminea iuncea, et Geniſta tinctoria germanica *Bauh.* ſ. *Geniſta tinctoria* foliis lanceolatis glabris, ramis ſtriatis, teretibus, erectis *Linn.* Qualitatis eſt luteo-tinctoriae, hinc et vſus eius oeco-

oeconomicus. Pollent vero etiam caules, folia et flores inſigni virtute aperitiua, diuretica et laxante, hinc decoctum ſummopere in omni hydrope, praecipue vero in hydrope pectoris, commendatur. Cineres Geniſtae vino infuſi, vt et ſal geniſtae, eodem fine laudantur. Subſtituitur interdum huic Geniſtae *Spartium ſcoparium Linn.* foliis ternatis, ſolitariisque, ramis inermibus angulatis. Geniſtam dici putant, quod genu modo flexilis ad nexus ſit: vel, vt aliis placet, quia genubus medetur dolentibus. Dicitur etiam *Spartium*, Graece σπαρτὸν, a σπείρω, ſemino, quia ſponte ſeminatur. Ge. Geuſt, Ginſter, Pfingſtkraut. G. *Genêt.* A. *Broom.* B. *Brem.*

GENISTELLA, eſt quaſi minor Geniſta, ideoque eius diminutiuum. Eſt ſpecies Geniſtae, quae ſpinis lateralibus et foliis quadam velut articulatione ſibi inuicem innaſcentibus diſtinguitur. Ge. Kleiner Ginſter. G. *Spargelle.*

GENITVRA, i. q. *Semen virile.*

GENSING, GINSENG, eſt herbae Sinicae *Ginſing* dictae radix digitum longa, tenuior minimo digito, forma Rapae ſiccatae, bifida, in extremitatibus filamentoſa, flaueſcens, ſaporis ſubaromatici, ſubdulcis ex amaro, denſa, quaſi pellucida, quod inde fieri dicitur, quia recens effoſſa illico decocto Oryzae immergitur. Planta eſt *Panax quinquefolium* foliis ternis quinatis *Linn.* (Polygam. Dioec.) Aureliana Canadenſis, Sinenſibus Ginſeng, Iroquaeis Carentogen, quod idem ac Femur hominis. Creſcit in Tartaria, China et Canada, inter gradum 39. et 47. Ob qualitatem ſuauem et aromaticam inſignes huic radici virtutes cordiales, analepticae et aphrodiſiacae tribuuntur; hinc et apud Sinenſes pretioſiſſima eſt, et pro panacea habetur. Adhibetur vel in infuſo, vel in ſubſtantia ad ſcrupulum vnum. — Minus recte a quibusdam haec radix *Ginſeng* pro eadem habetur, ac radix *Ninſi*, quippe quae, aliquantum licet ſimilis, tamen alius plantae radix eſt. Eſt ea Siſarum montanum Coraeenſe, radice non tuberoſa: *Kaempf.* *Sium Ninſi* foliis ſerratis, pinnatis, rameis ternatis *Linn.* (Pentandr. Digyn.) et praeterea differt, quod ſit craſſior, mollior, intus caua, Iaponiae indigena, viribusque longe radice Ginſeng inferior.

GENTIANA, eſt plantae genus, (Pentandr. Digyn.) cuius ſpecies officinalis eſt *Gentiana* maior lutea *Bauh.* *Gentiana lutea* corollis ſubquinquefidis rotatis verticillatis, calycibus ſpathaceis *Linn* Huius radix in officinis ſub nomine *Gentianae rubrae* proſtat, eaque abunde in Alpibus Heluetiae, Norwegiae et Auſtriae prouenit. Habet haec plures

caules rectos, firmos, duos vel tres pedes altos. Folia ſunt Hellebori albi, vel Plantaginis, neruoſa, polita, coloris ex viridi palleſcentis, quaedam immediate ex radice erumpunt, alia ex nodis caulium, bina coniugata. Flos eſt monopetalus, campaniformis, vel patens, vel tubulatus, et multifidus; piſtillum ſit fructus membranaceus ouato-acuminatus, biualvis, vnicapſularis, cui inſunt ſemina marginata et rotunda, coloris rubicundi. Radix eſt craſſa, longa, foris fuſca, intus ex flauo rufeſcens, ſaporis intenſe amari, odoris nullius, laxioris ſubſtantiae, et ex ſuſceptis humoribus facile intumeſcens, hinc fiſtulis, ad dilatanda eorum orificia, turundae ſpecie, aliquando a chirurgis intruditur. Ob qualitatem amariſſimam quoque, vimque balſamicam, tonicam, ſtomachicam et anthelminthicam frequentiſſime in infuſo aquoſo et vinoſo, eſſentia, extracto et ſubſtantia, in cachexia, ictero, febribusque intermittentibus adhibetur. Primum inuenta dicitur a Gentio, Illyriorum, ſeu Slauoniae, Rege, a quo etiam cognomentum habuit. — *Gentiana alba* officinarum eſt radix plantae, quae eſt Libanotis latifolia altera, ſ. vulgatior, *Bauh.* *Laſerpitium latifolium* foliolis cordatis inciſo-ſerratis *Linn.* (Pentandr Digyn.) Ob vim pariter acrem et aromaticam calidam, reſoluentem, ſtomachicam et emmenagogam in febribus intermittentibus et dyſmenorrhoea commendatur. — *Gentiana nigra* a quibusdam radix *Ceruariae, Athamantae ceruariae Linn.* vocatur. — Adlata quoque haud ita pridem ad nos a Luſitanis radix plantae nondum ſatis determinatae, ſub nomine *Gentianae Americanae*, vel *Indicae*, tuberibus annulisque notata, nec Ipecacuanhae diſſimilis, omnia officinalia vt amaritie, ſic etiam viribus, ſuperare credita. Ge. Gentian, Enzian, Kreuzwurz. Bitterwurz. G. *Gentiana.* A. *Gentian.* B. *Maldergeer, Gentiaan.*

GENTIANELLA, eſt minor quaſi Gentiana, ideoque eius diminutiuum. Eſt proprie Gentiana pratenſis flore lanuginoſo *Bauh.* *Gentiana amarella*, corollis quinquefidis, hypocrateriformibus, fauce barbatis *Linn.* eiusdem cum reliquis Gentianis qualitatis amarae, virtutisque tonicae, balſamicae et ſtomachicae.

GENV, eſt articulatio femoris cum oſſe tibiae; ſuperius tegitur oſſe *Patella*, vel *Mola*, aut *Rotula* dicto. Gr. Γόνυ. Ge. Das Knie. G. *Le Genou.* A. *The Knee.* B. *De Knie.*

GENVS, in ſyſtemate naturae eſt collectio plurium ſpecierum, quae in communi quodam charactere conueniunt, qui illas ab omnibus aliis ſpeciebus diſtinguit. Ge. Ein Geſchlecht. G. *Genre.*

GERANIVM, eſt plantae genus flore roſaceo, (Monadelph. Decandr.) quod plerumque habet plures caules, pedem, vel ſeſquipedem, altos, nodoſos, villoſos, rubicundos ramoſos. Folia quaedam ex radice erumpunt, alia ex ramorum et caulium nodis, pediculis longis et rubicundis adhaerentia, villoſa, diuiſa, vel inſtar Matricariae laciniata, ſaporis adſtringentis. Calyx eſt pentaphyllus. Flores roſacei, purpurei, pentapetali, quorum petala in orbem diſponuntur. Ex huius calyce villoſo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum roſtratum quinque ſtriis per longitudinem inciſum, quibus totidem adhaereſcunt capſulae, in longam caudam deſinentes, per maturitatem a baſi ad apicem extrorſum ſe reſoluentes, et ſemine foetae vt plurimum oblongo. Radix exigua, coloris ſubflaui. Huius generis quam plurimae ſpecies dantur, quarum aliae indigenae ſunt, et apud nos ſponte proueniunt, aliae exoticae, et apud nos in hortis coluntur. Plerisque vires ſubadſtringentes et traumaticae tribuuntur. Species, quae interdum in vſum medicum adhibentur, duae ſunt, ſcilicet Geranium cicutae folio moſchatum *Bauh.* *Geranium moſchatum* pedunculis multifloris, floribus pentandris, foliis pinnatis inciſis, cotyledonibus pinnatifidis *Linn.* in Europa auſtraliori naſcens, et ob qualitatem ambroſiacam, viribus anodynis et exanthematicis celebre; et Geranium Robertianum *Bauh.* *Geranium Robertianum* pedunculis bifloris, calycibus piloſis decemangulatis *Linn.* in Europae rupibus proueniens, quod ob vim adſtringentem, lactifugam et vulnerariam in variis morbis prodeſſe poteſt. Latinis Roſtrum Gruinum a ſimilitudine ſeminis roſtriformis. Γέρανος enim grus eſt. In eius quippe piſtillo faſtigia conſurgunt, capitulis gruum cum roſtellis ſimilia, in quibus ſemen concluditur. Ge. Storchſchnabel, Gottes Gnade. G. *Bec de Grue, Bec de Cicogne, Herbe Robert, Herbe de la Squinancie.* A. *Cransbill, Herb Robert.* B. *Oievaars bek, Robbregts-kruid.*

GERARDI HERBA, eſt Podagraria *Riu.* *Aegopodium Linn.* (Pentandr. Digyn.) Viribus gaudet carminatiuis et diureticis. Ge. Gierſch, Geisfluß.

GERMEN, proprie tribuitur ſeminibus plantarum. Eſt etiam vegetationis principium, et minimum alterius plantae eiusdem ſpeciei rudimentum, plerumque inferiorem partem piſtilli in flore conſtituens. Dicitur tamen etiam de parte

feminis animalis prolifica, ex qua totum deinde animal excitatur. Ge. Der Keim. G. *Le Germe.*

GEROCOMIA, eſt pars Hygieinae, quae ſenum viuendi rationem praeſcribit. Ex γέρων, ſenex, et κομέω, curam gero.

GERONTOXON, *Leucoma Gerontoxon Sauv.* eſt macula arcuata, vel circularis, albeſcens vt plurimum, atque in circumferentia corneae ſaepius obuia, viſuique ideo minime nocens, in cuius centro eſt circellus pellucidus. Originem debet puſtulae inter intimas corneae laminas poſitae, introrſum ruptae, cuius peripheria eſt opacata. Dicitur etiam *Arcus ſenilis*, et pro inſanabili habetur.

GERSA, fere idem ac faecula; denotat alicuius radicis, vt Serpentariae, Ari, etc. pollen.

GESTATIO, dicitur illud tempus, quo foetus in vtero materno moratur. Ge. Die Tracht, Schwangerſchaft. G. *Groſſeſſe.* A. *Bearing.* B. *De Dragt.*

GIBBVS, lato ſenſu eſt conuexus, extuberans, et opponitur ſimo, ſeu cauo; ſtricte autem dicitur de praeternaturali et conſpicua oſſium, quae truncum corporis conſtituunt, conformatione et connexione; eſtque vel ſpinalis, ſeu vertebralis, vel ſternalis, vel coſtalis, vel ſcapularis, etc. Gr. Κυφός. Ge. Ein Buckel. G. *Boſſu, ou qui porte une Boſſe.* A. *A Bunch of the Back.* B. *Gebogeld.*

GILLA, GILLA THEOPHRASTI, eſt ſal vitrioli emeticum, ex capite mortuo, vel colcothare, vitrioli aqua calida affuſa elutum et inſpiſſatum. Quidam ſumunt pro vitriolo, ſponte ſua in liquorem ſoluto, alii pro ſale ammoniaco liquato, alii pro vitriolo albo. — — *Gilla* eſt vox Arabica, ſignificans *Sal.*

GINGIBRACHIVM, eſt ſcorbutus, non tantum gingiuas inuadens, ſed et brachia. Comp. ex gingiua et brachium.

GINGIDIVM, eſt ſpecies *Dauci*, plantae vmbelliferae, (Pentandr. Digyn.) et quidem Daucus montanus lucidus *Tourneſ. Daucus Gingidium* radiis inuolucri planis, laciniis recuruis *Linn.* Dicitur etiam Foeniculum Aethiopicum. Ge. Spaniſcher Körbel.

GINGIPEDIVM, eſt ſcorbuti ſymptoma, gingiuas non tantum depaſcentis, verum et ipſos pedes. Deriuatur a gingiua et pes.

GINGIVA, Gr. Οὖλον, et Ἔνυλον, eſt ſubſtantia denſa, tenui cuticula tecta, variis lamellis ſibi impoſitis conflata, quae omnes ſunt mera vaſculorum ſanguineorum reticula, quibus nonnullae glandulae interiacent; dentes inſtar valli cingens, et eos firmans. — Iis plurima vaſa communicat, et in edentulis nonnihil etiam ad ciborum contritionem facit, eaque vel exeſa, relaxata, vel nimis exſiccata, dentes vacillant, vel excidunt. Ge. Das Zahnfleiſch. G. *La Gengive.* A. *The Gums.* B. *Het Tand-vleeſch.* — In edentulis, vti infantibus et ſenibus, dicuntur Belgis *Gagels* et *Kevels.*

GINGLYMVS, ſeu CARDINOFORMIS, eſt ſpecies diarthroſeos; ſeu coniunctio oſſium cum motu manifeſto, qua vnius oſſis caput in ſinum alterius reconditur, viciſſimque huius caput in illius cauitatem excipitur. Talis e. g. eſt articulatio vlnae cum oſſe humeri, et tibiae cum femore. A γιγγλυμῶμαι, per ginglymum iungo. G. Vergliederung, Charnier. G. *Ginglyme, ou articulation en forme de Charnier.* A. *A Joining together.* B. *Zamen Invoeging.*

GITTAGAMBYR, vide *Catagamber.*

GLABELLA, vocatur ſpatium inter ſupercilia intermedium, ita dictum, quoniam plerumque *glabrum*, id eſt pilis deſtitutum, eſt.

GLACIALIS HVMOR, vide *Humor Oculi.*

GLACIES MARIAE, LAPIS SPECVLARIS, APHROSELINVM, male VITRVM MOSCOVITICVM, eſt lapis albus, fere pellucidus, lamelloſus, in lamellas rhomboidales diſſiliens, facile ſciſſilis et fiſſilis, cum ſpiritu nitri et acidis omnibus non efferueſcens, nec cum ſpiritu ſalis ammoniaci odorem vrinoſum ſpirans, ad aquam grauitatis ſpecificae vt 2322. 1000. Eſt Gypſum lamellis rhomboidalibus pellucidum *Wall. Natrum glaciale* lapidoſum, gypſeo ſpatoſum, fuſiforme pellucidum *Linn.* Effoditur in Gallia et Germania. Huius lapidis calcinati vſus mechanicus eſt et veterinarius. Sunt, qui abſorbendi ſcopo interne, vix tamen ſatis tuto, exhibent. Conſtat e terra calcarea et acido vitriolico, et ad Gypſum pertinet. G. Frauencis, Frauenglas. G. *Sélénite.*

GLADIOLVS, eſt plantae genus, (Triandr. Monogyn.) Iridi bulboſae ſatis ſimile; habetque folia longa, anguſta, acuta, dura, fortia, ſtriata, gladium figura referentia, caulem vndique ambientia, et quaſi in vagina includentia. Caulis duos, vel tres pedes altus eſt, rotundus, aliquantulum nodoſus, coloris ad purpureum accedentis. Calyx bifolius, binis foliolis vaginalibus ouarium et ei compoſitum tubum floris ſuſtinet. Flos monopetalus, liliaceus, in exortu infundibuliformis, ſupra vero ampliatus, et in ſex magna ſegmenta fiſſus, quorum tria ſuperiora, maiora, latiora, plus erecta, tria inferiora, longiora, anguſtiora, deorſum quaſi pendula, ita vt flos quaſi bilabiatus appareat, habens tria

ſtamina enata ex pariete interno tubi floris, et inſidens apici ouarii. Ouarium fit fructus oblongus, ventricoſus, rude trigonus, trilocularis, foetus feminibus rubicundis, ſubrotundis, calyptra inuolutis, habetque tubam ortam ex centro apicis ouarii, et inſtructam tribus cimbis cauis pro apiculis ſuis. Radix carnoſa, tuberoſa, gemina, altera, alteri incumbens. Huius generis plures dantur ſpecies, partim ſponte naſcentes, partim in hortis cultae. Radicibus vires aperitiuae et digeſtiuae ineſſe creduntur. *Gladioli foetidi*, (qui Xyris *Matth.* eſt, et ad Irides pertinet). radices, aqua decoctas, efficaciſſimum ſuppeditare balneum lego, membris aridura correptis adhibendum. Gr. Ξιφιον, a ξιφος, gladius. Eſt planta, cuius folia gladium minorem referunt. Germ. Schwertel. G. *Glais, Glayeul.* A. *Swordgraſs, Cornflag.* B. *Zwaardenkruid.*

GLANDVLA, eſt corpuſculum paruum, ad ſenſum laxum, vtcunque fungoſum, diuerſae figurae, ad globoſam tamen vt plurimum accedentis. Conſtat membranulis, tela cellulo-ſa, infinitis arteriis, venis, neruis, et lymphaticis vaſis, ſingulari modo ramificatis et implexis. Hae membranae vel formant intus aliquod cauum, in quo terminantur quam plurima vaſcula, et ſuum ſuccum effundunt, et miſcent, vel vaſa arterioſa immediate cum ductu excretorio communicant. Hoc emiſſarium, quod in nonnullis vnicus ductus eſt, in aliis plures exigui tubuli, in commune cauum ſuccum ſecretum deponit. Diuiduntur omnes glandulae in *Simplices*, *Conglobatas* et *Conglomeratas*, quas vide ſuo loco. — Eſt etiam morbi ſpecies, quae *Glandula* dicitur, vt ſunt ſtrumae, ſcrophulae, bronchocele, etc. Deriuatur a *Glande*, quae vox frugem quercinam denotat, quoniam Glandis figuram referre videntur. Gr. Ἀδήν. Ge. Drüſe. G. *Glande.* A. *Glandule.* B. *Klier.*

GLANDVLA, etiam botanicis dicitur papilla quaedam in plantis humorem excernens.

GLANDVLAE AXILLARES, BRONCHIALES, INGVINALES, LYMPHATICAE, THYMVS, THYROIDEA, etc. quaere ſuis ſub nominibus.

GLANDVLA GVIDONIS, eſt tumor glandi ſimilis, mollis, ſolus, mobilis, ſine radicibus, et a circumiectis partibus ſeparatus: maxime in emunctoriis et iuncturis proueniens. *Auicennae Glandula* videtur eſſe *Ganglion.*

GLANDVLA PAROTIS, vide *Parotis.*

GLANDVLA PINEALIS, vide *Conarium.*

GLANDVLA PITVITARIA, eſt corpuſculum non acinoſum, nec vllius alterius glandulae ſimile, in ſella equina oſſis ſphenoidis conſitum, reti mirabili vaſorum inueſtitum, et ita ſub dura matre reconditum, vt ab incumbente cerebri mole comprimi nequeat, ſed libera ſibi relinquatur. Superius ab infundibulo et forte ex reti mirabili humorem ſeroſum ſuſcipere, quem in venas iugulares, vel vaſa lymphatica, amandet, olim creditum, indeque ei nomen impoſitum eſt. At cum plures rationes huic ſententiae obſtent, veram huius glandulae vtilitatem determinare, haud adeo facile eſt, niſi forte pro appendice cerebri habeatur, cum in omnibus quadrupedibus, auibus et piſcibus adſit: in ruminantibus tamen maxima. Ge. Schleimdrüſe. G. *Glande Pituitaire.* B. *Slym-klier.*

GLANDVLAE SEBACEAE, ſunt parui folliculi ſubcutanei, oleoſum humorem pro inungenda cute continentes. Ge. Talgdrüſen.

GLANDVLOSVM CORPVS, i. q. *Proſtata.*

GLANS, vide *Quercus.*

GLANS, idem quod *Balanus* et *Suppoſitorium*, vel etiam denotat extremam penis virilis et clitoridis partem, vel etiam fructum quarundam arborum amentiferarum. G. Eichel.

GLANS VNGVENTARIA, vide *Balanus Myrepſica.*

GLASTEA BILIS, vide *Bilis.*

GLASTVM, ISATIS, Gr. Ἰσάτις, eſt nomen incertae originis, quamuis nonnulli a gelu deducere conentur: quia forte exinde vitrum fit, quod ignis ope in glaciem quaſi congelaſcit. Forte a noſtro idiomate *Glas*, vel Anglorum *Glaſſe*, denominari videtur. *Glaſtum* in veteri Gallorum lingua olim dicebatur, nunc *Guadum.* Eſt planta flore tetrapetalo cruciformi, (Tetradynam. Siliquos.) calyce tetraphyllo, ſilicula oblonga, lanceolato-obtuſa, compreſſa, vniloculari, biualui. Dicitur etiam Iſatis. Abunde in Gallia auſtrali et paſſim in Germania colitur. Vſus praecipue caeruleo-tinctorius eſt. Radix tamen etiam in ictero et diarrhoea prodeſſe dicitur. Ge. Wayd, Paſtel. G. *Gueſde, Paſtel.* A. *Woad.* B. *Weede, Wouwe, Paſtel.*

GLAVCEDO, i. q. *Glaucoma.*

GLAVCIVM, eſt planae genus, quod habet folia, ex radice erumpentia, longa, ampla, carnoſa, craſſa, villoſa, Verbaſci ſimilia, profunde inciſa, dentata, et quaſi criſpata, repentia, vel pinnatifida, vel linearia, hyeme ſemper viridia, caulibus craſſis adhaerentia. Caulis ſecundo tantum anno erumpit, fortis, durus, nodoſus, non villoſus, in multos ramos diuiſus, ex nodis ſuis folia minora et minus inciſa,

quam inferius, germinans. Calyx bifolius et caducus. Flores rosacei, tetrapetali, coloris lutei. Floris pistillum abit in siliquam oblongam, exiguam et asperam, bicapsularem, quae habet valuas, septo medio adhaerescentes, foetaque est seminibus vt plurimum subrotundis, et nigris. Radix longa, digitum crassa, nigricans, antinephritica creditur. Tota planta habet succum luteum, odoris ingrati, saporis amari, eique virtutes vulnerariae tribuuntur. Crescit in locis maritimis. Occurrunt et huius speciesfructu vnicapsulari quidem, sed quadrifariam dehiscente, hinc rectius ad Argemonis genus transferendae. A quibusdam Botanicis Glaucium pro specie Chelidonii habetur, diciturque Chelidonium pedunculis vnifloris. (Polyandr. Monogyn.) Nomen deriuant a γλαυκὸς, caesius, vel glaucus; illud nomen variis imponitur plantis, an non forte, quia folia huius plantae colorem viridem marinum habent. Vocatur etiam *Papauer corniculatum*, quia Papaueri simile siliquas habet instar cornu. Ge. **Gehörnter Mohn.** G. *Pavot cornu.* A. *Yellow Horned-Poppy.*

GLAVCOMA, est oculi vitium, siue transmutatio crystallini humoris in glaucum, qui tamen color progressu temporis obscurior fieri obseruatur. Iuxta alios dicitur cataracta exsiccata, quae amaurosi, vel gutta serena, stipata est. Alii *Glaucoma* vocant mutationem corporis vitrei in colorem viridem. Malum pro insanabili habetur. A γλαυκὸς, caesius. Ge. **Der grüne Staar.** G. *Glaucome.* A. *Glaucoma.* B. *Graauw-oogig, Glauſoma.*

GLAVCOSIS, i. q. *Glaucoma.*

GLAVX MARITIMA, est parua planta, quae habet caules tenues, humiles, repentes. Folia sunt Herniariae aemula, et oppositа, minuta, et succulenta: calyx nullus. Flos exiguus, monopetalus, quinquepartitus, campaniformis, costae adnascens ad formam alae (Pentandr. Monogyn.). Huic deinde succedit fructus, seu capsula membranosa, vt plurimum globosa, apice dehiscens, ac seminibus foeta exiguis rubicundis, placentae affixis. Radix fibrosa est. Haec planta crescit circa loca maritima. Lac augere creditur. Deriuari videtur a γάλα, lac, hinc et γλὰξ, et γάλαξ, et contrahendo γλαῦξ. Ge. **Milchkraut.** G. *Herbe au lait.* A. *Sea-Chickweed, Milkwort, Black-Saltwort.* B. *Witte Klaver.*

GLENE, idem quod *Pupilla.* Item cauitas ossis, minus profunda, quae aliud os in sinum suum recipit. Articulatio sic formata dicitur *Arthrodia.*

GLENOIDES, sunt duae cauitates, in inferiore parte vertebrae primae colli. Ex γλήνη, pupilla, et εἶδος, forma. *Glenoideae* etiam dicuntur omnes cauitates minus profundae in ossibus, articulationi seruientes. Ge. **Eine flache Pfanne.** G. *Cavité glenoïde.*

GLISCHROS, GLISCHRON, dicitur pars viscida et gelatina sanguinis et humorum nostrorum, naturalem eorum consistentiam efficiens.

GLOBOSA, dicitur botanicis *radix* subrotunda, radiculis lateralibus. *Capitulum globosum* ab omni parte rotundatum. *Corolla globosa*, quae globum refert.

GLOBVLARIA, est plantae genus, (Tetrandr. Monogyn.) quod habet caulem pedem circiter altum, rotundum, striatum, rubicundum, folia ad Bellidis formam satis proximum accedunt, sed sunt magis dura, neruosa, saporis amari. Flores aggregati, flosculosi, plurimis scilicet flosculis constantes vnilabiatis, multisciſſis, et calyce proprio comprehensis. Ex eorum fundo surgit pistillum, flosculi parti inferiori ad instar claui infixum, quod deinde abit in semen, in capsula, quae flosculi calyx fuit, reconditum. Capsulae autem illae insident placentae, quae meditullium occupat calycis communis. Radix est lignosa, dura, foris rubra, intus alba, fibrosa. Toti plantae vires vulnerariae et discutientes tribuuntur.— Species huius plantae est *Globularia*, officinis proprie sic dicta, quae est Turpethum album, seu Alypum, vel Frutex terribilis *Bauh.* in Gallia australi nascens, flore caeruleo; qualitatis amarae, nauseosae et drasticae. Olim decoctum in morbis venereis adhibebatur. Sic vocata a florum glomerulis globisue. Ge. **Blaue Maßlieben.** G. *Globulaire, Boulette.* A. *Blue Daisy.*

GLOBVLI MARTIALES, sunt globuli ex cremoris tartari partibus duabus et limaturae martis parte vna parati. Cum hac ratione ferrum in aqua solubile reddatur, globuli ipsi ad balnea adhibentur, nec non etiam infusum eorum interne exhiberi potest. Ge. **Stahlkugeln.** G. *Boule de Mars.*

GLOBVLI MERCVRIALES, ex mercurio et stanno amalgamatione vnitis constant. Putant, aquam, in qua hi globuli coquantur, hac coctione noxiam suam vim amittere. Ge. **Queckſilberkugeln.** G. *Boules de Mercure.*

GLOBVLVS NASI, est nasi inferior pars cartilaginea et mobilis. Ge. **Die Spitze der Naſe.** G. *Le bout du Nez.* B. *Het Spits der Neus.*

GLOBVLVS, seu NODVS, etiam significat tumorem rotundum et mobilem, et parum dolentem, in labiorum parte glanduloſa. B. *Een Steen-knoop.*

GLOCHIDES, dicuntur in plantis mucrones apice retrorſum multidentati.

GLOMERATA, botanicis dicitur *ſpica* ſpicillis varie congeſta.

GLOSSAGRA, eſt dolor acutiſſimus linguae ex translatione materiae arthriticae, vel rheumaticae, vel venereae, ad linguam.

GLOSSANTHRAX, PESTIS GLOSSANTHRAX, eſt lues boues, equos, mulos, nec non homines inuadens, quae ad linguae radicem anthracem profert, quo tota ſenſim lingua intra paucos dies exeditur, qua eroſa penitus, illico mors ſequitur. Pro cura raditur anthrax ad ſanguinis effuſionem nummo argenteo, vel alio inſtrumento, et vulneri applicatur decoctum ex allio, ſale, pipere, et aſſa foetida in aceto. Ge. Der Zungenbrand.

GLOSSOCELE, GLOSSOMEGISTVS, vide *Paragloſſe.*

GLOSSOCATOCHE, eſt inſtrumentum chirurgicum obſoletum, quo lingua deprimebatur. Hinc ſpecies eſt *ſpeculi oris.*

GLOSSOCOMIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, fractis et luxatis membris accommodatum, a figura arculae mercatorum dictum, quae olim a tergo gerebatur. Ex γλῶσσα, vinculi genus, et κομίζω, curam gero, porto. Ge. Ein Gloſſocom, Beinlade. G. A. *Gloſſocome.* B. *Bus, Ledeſchroef, Bank van Hippocrates.*

GLOSSOLYSIS, eſt paralyſis linguae, ſaepiſſime apoplexiam ſequens et hemiplegiam plenariam comitans, in qua aegri nec linguam mouere, nec exercere, et licet mentis compotes, nec deglutire, nec commode loqui poſſunt. G. Lähmung der Zunge. G. *Paralyſie de la langue.*

GLOSSOPETRA, eſt lapis vt plurimum triangularis, e baſi craſſiore et ſcabra in conum acutum et planum deſinens, reliquo toto corpore laeuis, et quaſi corneus, ſaepe minutis quibusdam dentibus ad latera crenatus, coloris caeſii, albi, lutei, roſei, caerulei, in variis Europae locis, inprimis in Melita, reperiundus, diuerſae magnitudinis. — *Gloſſopetrae* proprie ad Odontopetras pertinent, et ſunt dentes in terram ſubmerſi, calcinatione, vel petrificatione, plus vel minus immutati, variorum animalium, et in ſpecie Carchariae piſcis. Ge. Natterzunge, Schlangenzunge. G. *Langue de Serpent, Gloſſopetre.* B. *Serpents-tongen.*

GLOTTIS, eſt laryngis rimula, praecipue inter ligamenta cartilaginum arytaenoidearum, quae ab epiglottide tegitur, per quam aër tranſit in aſperam arteriam. Illa per muſculos arytaenoideos conſtricta, vel dilatata, praecipuum vocis modulandae inſtrumentum eſt. A γλῶσσα, lingua. Ge. Die Stimmritze.

GLVMA, eſt folliculus grani, quod in ſpica continetur, ſeu potius calyx valuis amplexantibus in graminibus et plantis cerealibus.

GLVTAEI, ſunt muſculi ſex, quibus nates mouentur, femora extenduntur, abducuntur, ſummoque cum robore firmantur. In vtroque latere tres reperiuntur, locati in cavitate et ſuperficie exteriore oſſis ilium, quorum maximus exterius ſitus eſt, minimus inferior eſt. Maximus tendine valido oſſi femoris inſeritur ad quatuor a trochantere minori digitorum transuerſorum diſtantiam, ſicque femur extendit. Medius et minimus, ſuperiori, exteriori et anteriori parti trochanteris maioris inſeruntur, ſicque femur abducunt. Homini inter omnia animalia, pro ratione, muſculi Glutaei ſunt maximi. A γλουτὸς, nates. Ge. Die Geſäßmuskeln. G. *Muſcles de la Feſſe, ou Feſſiers.* A. *The Buttocks Muſcles.* B. *De Bill ſpieren.*

GLVTEN, Gr. Κόλλα, eſt humor *Auicennae* ſecundarius dictus, cum roridus ille humor partibus vnitur et agglutinatur. Quatuor vero eiusmodi humores a veteribus conſtituebantur ſcilicet: *humor innominatus, ros, gluten,* et *cambium.* Verum illa nomina hoc ſenſu vix hodie vſu veniunt.— *Gluten* hodie dicitur materia illa inter fluidam et ſolidam media, conſtans ex terra in aqua ſoluta, admixto ſale et oleo, qua praeſente et interueniente particulae terreae vniuntur atque cohaerent, ſicque fibras et membranas conſtituunt, qua vero expulſa, vel deſtructa, cohaeſio ceſſat, corpusque in puluerem fatiſcit. — *Gluten* etiam vocatur humor tenax, concretus, vitali motu non ſolubilis, parti alicui firmae adhaerens, poſt corporis ardorem et nimium motum vitalem natus. Germ. Leim. G. *Colle, Glu.* A. *Glue, Paſte, Lime.* B. *Lym ſap.*

GLVTIA, ſunt prominentiae duae cerebri, *nates* dictae, quae inter *eminentias* ſic dictas *quadrigeminas* ſuperiorem locum occupant. A γλουτὸς, nates.

GLVTINOSVM SPONTANEVM, eſt pituita, quae in primis et ſecundis viis ex alimentis viſcidis et ſanguinis cacochymia ob viſcerum debilitatem generatur, et plurium morborum chronicorum cauſſa exiſtit.

GLVTOS, eſt *natis, clunis.* — Item Trochanter, ſiue rotator oſſis femoris maior, forte quia natium muſculi ei inſeruntur. Ge. Das Geſäß. G. *Les Feſſes.* A. *Buttock.* B. *De Bill.*

GLYCYPICRVM, i. q. DVLCAMARA. Ex γλυκὺ, dulce, et πικρὸν, amarum.

GLYCYRRHIZA, eſt planta, quae plures caules dimittit, tres vel quatuor pedes altos. Folia ſunt oblonga, viſcoſa, viridia, ſplendentia, in alas diſpoſita inſtar Fraxini, vel Acaciae, bina coniugata ad coſtam in folium impar definentem, ſaporis acerbi, ſubacidi. Calyx monophyllus, bilabiatus. Flores ſunt leguminoſi, ſeu papilionacei, (Diadelph. Decandr.) purpurei. Iis ſuccedit ſiliqua vnicapſularis, breuis, compreſſa, foeta ſeminibus reniformibus. Radix oblonga eſt, ſarmentoſa. In multos ramos repentes diuſa, digiti craſſitie, externe coloris griſei, aut rubicundi, interne flaui, ſaporis ſubacris mellei dulciſſimi, ſi vero diu maſticetur, vtcunque amaricantis, tenuis odoris mellei. Species officinalis eſt Glycyrrhiza ſiliquoſa, vel germanica *Bauh. Glycyrrhiza glabra,* leguminibus glabris, ſtipulis nullis, foliolo impari petiolato *Linn.* Abunde in Europa auſtrali, Anglia et Franconia colitur. Radix ſola in vſu eſt. Qualitas eius eſt mucilaginoſa, et exſiccatae magis, quam recentis, dulciſſima. Inſigni pollet virtute edulcorante, incraſſante, expectorante, et, vt dicitur, anthelminthica: hinc frequentiſſime in aſthmate, nephritide, ſtranguria, tuſſi, plurimisque morbis ab acrimonia oriundis, ſub forma decocti, extracti, ſyrupi, baculorum et trochiſcorum adhibetur, plurimaque remedia compoſita ingreditur. Puluis radicis eryſipelati applicatus ſummopere prodeſt. Dicitur quaſi dulcis radix, ex γλυκὺ, dulce, et ῥίζα, radix. Nomen tum apud Graecos, tum etiam Latinos, a dulcedine, qua radix eius praedita eſt, deſumtum eſt. *Scythica* etiam nominatur *radix*, quod in Scythia circa Maeotim paludem plurimum proueniat. Sunt etiam, qui ἄδιψον vocitant, quod ſitim retenta in ore arceat. Officinis *Liquiritia* dicitur, forte quia ſaliuam liquidam ſeruat, vel voce *Glycyrrhiza* corrupta. Ge. Süßholz. G. *Regliſſe.* A. *Liquorice.* B. *Zoet-hout, Kaliſſi-hout,* quia Caleto huc adfertur.

GNAPHALIVM, eſt plantae genus flore compoſito, floſculoſo, (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) quod habet plures caules ad altitudinem circiter pedis, ſatis craſſos, lanugine alba obductos, habentes folia multa, oblonga, verſus extrema obrotunda, diuulſa apparent flocculi lanuginoſi. Flores in

ſummitate caulium naſcuntur, ſuperius ſtellae ad inſtar diviſi, calyce ſquamoſo et villoſo comprehenduntur, et embryonibus inſident, qui dein fiunt parui fructus albi, ſemen recuruum continentes, et pappo capillari, vel plumoſo, coronati. Radix lignoſa, oblonga, craſſa, nigra, aliquantulum fibroſa, odoris aromatici, Stoechadis aemula, et ſaporis ſubſalſi. Species officinalis eſt Gnaphalium montanum *Bauh. Gnaphalium dioicum* ſarmentis procumbentibus, caule ſimpliciſſimo, corymbo ſimplici, floribus dioicis. Qualitatis eſt exſiccantis, adſtringentis et roborantis, hinc in arthritide et diarrhoea, et a quibusdam in tuſſi conuulſiua, commendatur. Differt ab Elichryſo calyce non reſplendente. Dicitur et νναφάλιον, a ννάπτω, ſeu γνάπτω, carmino. Vocatur etiam *Centunculus,* quod centonibus cum tomento maxima ſit cognatio Hinc *Centuncularis herba* et *Cotonaria* a colore et mollitie. Vide *Stoechas* et *Elichryſum.* Ge. Ruhrkraut, Wieſenwollen, Steinblumen. G. *Pied de Chat, Herbe blanché.* A. *Goldylocks, Eternal Flower.* B. *Rood melizoen kruid.*

GNIDIA GRANA, quae etiam *Semina coccogniidii* dicuntur, ſunt Thymelaeae, vel Laureolae baccae rotundae, piſi magnitudine, rubrae, ſub tenui pellicula includentes nucleum Cannabis ſemini ſimilem, medulla candida plenum, ſaporis acerrimi et vrentiſſimi. Planta, in quibus proueniunt, eſt Laureola folio deciduo, flore purpureo *Bauh. Daphne Mezereum,* floribus ſeſſilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis *Linn.* (Octandr. Monogyn.) Qualitatis id ſemen eſt acris, draſticae, ſepticae et fere venenatae, hinc vi corrodente, rubefaciente, excoriante ac ſtimulante pollet; hydropicis interdum grana tria integra ab empiricis dantur; religioſi medici rectius ab vſu eius abſtinent. Creſcit in ſyluis vmbroſis Europae, floret menſe Martio, et ſemina in autumno profert. Ge. Kellerhals, Seidenbaſt. G. *Semence de Lauréole, Garouſſe.*

GOMPHIASIS, vel potius *Agomphiaſis,* eſt morbus dentium, praeſertim molarium, quando nempe vacillant. Gomphoſi enim loculis, ſeu alueolis, oſſium vtriusque maxillae inſeruntur. A γομφόω, clauum impingo. Ge. Das Wackeln der Zähne. G. *Relachement de dents.* A. *Looſeneſs of the teeth.* B. *Loſſigheid der Tanden.*

GOMPHOMA, i. q. *Gomphoſis.*

GOMPHOS, eſt, quando oculi pupilla, pelliculas vueae excedens, clauum refert. Vel etiam clauus manuum, aut pedum. Item oſſium coniunctio clauorum inſtar. A γομφόω, clauum impingo.

GOMPHOSIS, siue *inclauatio*, est species synarthroseos sine motu, quando os ossi infigitur instar clau, vti dentes maxillae. A γομφόω, clauum impingo. Ge. Einkeilung. G. *Gomphoſe, articulation immobile, qui ſe fait en maniere de Clou, ou de Cheville.* A. *A Joining one into another.* B. *Invoeging, Inſchieting.*

GONAGRA, est arthritis genua occupans. Ex γόνυ, genu, et ἄγρεύω, venor. Ge. Das Zipperlein oder Gicht in denen Knieen. B. *Goute au genou.* A. *The Gout in the Knee.* B. *Knie-jicht of euvel.*

GONGRONA, Gr. Γογγρώνη, est omnis tumor neruosis partibus adueniens, cum duritie et rotunditate. Sic et in specie *Bronchocele* nominatur.

GONGYLE, seu STRONGYLE, dicitur rapae radix, ob formam rotundam. Στρογγύλος enim, seu γογγύλος, est rotundus. Est proprie Brassica gongylodes *I. Bauh.* Brassica caulorapa *C. Bauh. Braſſica Rapa gongylodes*, radice caulescente orbiculari, depressa, carnosa *Linn.* (Tetradyn. Siliquos.) Vsus culinaris frequentissimus est. Ge. Kohlrüben über der Erde. G. *Chourave.* A. *Turnep Cabbage.* B. *Raapkool.*

GONORRHOEA, in genere est inuoluntarius liquoris seminalis, inprimis somni tempore, absque voluptate effluxus. Ge. Nächtliche Befleckung, oder Ergießung des Saamens. G. *Pollution nocturne.* — In specie autem sic dicitur morbus, cuius praecipuum symptoma est fluidi puriformis, aut seminiformis, effluxus stillatitius ex vrethra in vtroque sexu, vel ex vagina in foeminis. Differt a *Pyuria*, quod etiam, cum nulla fit mictio, in gonorrhoea effluat materia, quod non accidit in pyuria; vnde liquet, sedem huius humoris esse citra vesicae sphincterem in Gonorrhoea, vltra vero in Pyuria; in vtero vero dum est Leucorrhoea. Pauca est, et stillatim elabens in Gonorrhoea, vbertim vero mingunt in Diabete Anglico *Sauv.* Materia effluens non est verum pus, nisi altior sensim facta sit erosio, nec liquor seminalis, nisi ipsae etiam vesiculae seminales affectae sint, sed est mucus naturalis vrethrae nunc maiori copia affluens. Si id ex sola laxitate vasorum contingat, *Gonorrhoea benigna*, Ge. Nachtripper. A. *Gleet.* — dicitur; *maligna* vero, vel *Venerea*, si virus venereum vrethrae impactum eam irriter, maioremque copiam muci alliciens, eius magis vel minus corrupti effluxum producat, quae plerumque dysuria, ardore vrinae, dolore, tentigine aliisque symptomatibus stipatur. Est haec vel *primitiua*, illico coitum impurum sequens, vel *conſecutiua*, totius massae humorum infectioni superueniens.

Si manente affluxu humoris effluxus suppressus sit, *Gonorrhoea ſicca*, siue phlogosis accedat, *inflammatoria* dicitur. *Gonorrhoea ſpuria* est excretio muci plerumque flauescentis ex corona glandis, aut superficie interna praeputii. Ex γονή, genitura, et ῥέω, fluo. Ge. Saamenfluß, Tripper. G. *Chaudepiſſe, Gonorrhée.* A. *A Clap.* B. *Zaad-loop, Druipert.*

GONORRHOEA CHORDATA, est, quando vna cum gonorrhoea, vrethra arcus instar tenditur, et ad inferiora cum dolore flectitur. Ge. Tripper mit einer schmerzhaften Spannung des männlichen Gliedes. G. *Chaudepiſſe cordée.* B. *Spanning in de Schagt.*

GORDIVS, vide *Dracunculus.*

GOSSIPIVM, seu GOSSYPIVM, vel BOMBAX, Graec. Βόμβυξ, et Γόσσυπιον. Aegyptii vocant *Gotne Mſegiar*, an ab Aegypto *Gotne, Gotſipium*, et deinde *Goſſipium*, dicta haec planta sit? Vide *Xylon.* Ge. Baumwolle, Bomesin. G. *Cotton.* A. *Cotton-tree, Bombace.* B. *Boomwol, Kattoen.*

GOTIVM, est species Bronchoceles, seu tumor steatomatosus, vel scirrhosus, glandulae Thyroideae, quibusdam in prouinciis adeo familiaris. Ge. Ein Kropf. G. *Goitre, Gouetre.*

GRACILIS MVSCVLVS, seu *Rectus internus*, est Tibiae musculus. Oritur ex commissura ossis pubis, atque iuxta femoris partem internam decurrens, in tibiae partem internam tendinosus inseritur, circa epiphysin superiorem. Est flexor tibiae. Ge. Der schlanke gerade Muskel des Schienbeins. G. *Muſcle grêle.* A. *The ſmall Muſcle of the shin.* B. *De ſmalle Scheen-ſpier.*

GRADVS, in genere est quantitas qualitatis; olim dicebatur de calore, frigore, siccitate et humiditate medicamentorum. Constituebant enim quatuor gradus, pro numero elementorum peripateticorum; illi gradus adhuc sua extrema habebant, vt v. c. medicamentum in initio, vel fine, tertii aut quarti gradus esset. Chymici alios constituunt gradus, circa calorem et regimen ignis, inter destillandum, digerendum, etc. Gr. Τάξις. Ge. Ein Grad. G. *Degré.* A. *Degree.* B. *Een Graad.*

GRAMEN, dicitur a gradiendo, quod geniculatis internodiis mirifice serpat, vel a gignendi foecunditate, quod crebro ab iis nouas spargat radices. Proprie *Gramen* denotat integram familiam plantarum culmiferarum flore apetalo, (plerumque Triandr. Digyn.) quarum plura genera et species cultura in plantas cereales excreuerunt, reliquorum

herba, animalia, semina, volucres alunt. Gr. Πόα et ἄγρωστις, quia in ἀγρῷ nascitur. Ge. Gras. G. *Herbe.* A. *Grass.* B. *Gras.*

GRAMEN CANINVM, *Gramen caninum repens vulgarius Moris. Triticum repens*, radice repente, foliis viridibus *Linn.* (Triandr. Digyn.) pertinet ad plantas flore apetalo, cuius pistillum abit in semen subrotundum, vel oblongum parum, admodum farinaceum, calyce obvolutum. Radix tenuis admodum, longa, geniculata, alba, saporis subdulcis cum aliquali in recessu acrimonia, odoris nullius. Abunde provenit in agris, pratis et ruderatis Europae. Radix praecipue recens, eximiis viribus aperientibus et diureticis pollet, et inter radices aperientes minores numeratur. Vsus eius in decocto frequentissimus. At et succus expressus e radice et foliis summopere in obstructione viscerum prodest. Prostat in officinis etiam aqua graminis. *Caninum* vocatur, quod a canibus quaesitum sedulo, vbi aegrotant, inde vomant et curentur. Ge. Hundgras, Quecken. G. *Chiendent.* A. *Quick-grass.* B. *Hond-gras.*

GRAMEN MANNAE, vide *Manna.*

GRAMEN PARNASSI, vide *Parnassia.*

GRAMMA, i. q. *Scrupulus.*

GRANA CHERMES, vide *Kermes.*

GRANA PARADISI, vide *Cardamomum.*

GRANA TIGLII, vide *Ricinus.*

GRANATVM, est fructus arboris, quae dicitur Punica flore pleno maiore *Tournef.* Malus punica sativa *Bauh. Punica Granatum* foliis lanceolatis, caule arboris *Linn.* Fert haec florem polypetalum rosaceum (Icosandr. Monogyn.) postque hunc, pomum subglobosum, magnum, coronatum calyce, novem loculis instructum, semina plurima subrotunda, succulenta continentibus, cum receptaculo membranaceo singulum loculamentum pericarpii bifariam dividente. Crescit in Africa, Hispania et Italia. Fructus qualitate grata, acidula, analeptica et refrigerante gaudet. Flores, qui *Balaustiorum* et cortex fructus, qui *Malicorii* sub nomine in officinis prostant, viribus roborantibus et adstringentibus pollent, hinc frequentissime decoctis et gargarismatibus subadstringentibus adduntur. Dicitur forte ab Hispaniae regione Granata, quod in ea copiose proveniat, vel ex eo, quia plurima intus grana contineat, ergo a Granis ei nomen impositum. Ge. Granatapfel. G. *Grenade.* A. *Pome Granate.* B. *Granaat-appel.*

GRANA-

GRANATVS, est gemma pellucida, ex flauedine rubens, ignis instar, miniique natiui, vel factitii, colorem fere referens. *Granatus* proprie est gemma plus minus pellucida, duritie octava, colore obscure rubro, in igne permanente, lapide liquescente *Waller.* Garamanticus et Carchedonius *Plin. Borax Granatus* tessellatus, solidus, politus, scintillans *Linn.* (Miner. Sal.) Licet vis eius et vsus dubius sit et infidus, tamen virtutes cardiacae et roborantes olim ei tributae sunt, et adhuc inter fragmenta *quinque lapidum pretiosorum* in officinis prostat. Sunt Granati alii (vel aliae) orientales, alii occidentales. Hi sunt tum Hispanici, tum Bohemici, tum Silesiaci, e quibus Bohemici reliquos antecellunt. Ge. Granat. G. *Grenat.* A. *Garnet.* B. *Granaat.*

GRANDINOSVM OS, i. q. *Cuboides.*

GRANDO, vide *Chalaza.*

GRANVLATIO, est metalli alicuius fusi in grana reductio, quae fit, si metallum ad ignem fusum, seu liquatum, in frigidam per scopas, vel aliud vas perforatum, pedetentim effunditur, aut pyxidi creta intus illinitae immittitur, et in ea vehementer agitatur. Institvitur autem haec operatio vt plurimum eum in finem, vt ad soluendum sit aptius. Ge. Das Körnen. G. A. *Granulation.*

GRANVLATA, Botanicis dicitur radix particulis carnosis adspersa.

GRANVM, Gr. Σιτάριον, minimum pondus est, quo in officinis vtimur. Eius loco sumuntur aliquando grana piperis albi. Viginti scrupulum constituunt. *Grana* vocantur proprie semina minutiora, siue rotunda ea sint, siue alius alicuius figurae, vti hordei, tritici, piperis, etc. Ge. Ein Korn, ein Gran im Gewicht. G. *Un grain, graine.* A. *A Grain.* B. *Een Grein.*

GRAPHOIDES, est processus styliformis, circa cranii basin exterius e portione petrosa ossis temporum emergens, antrorsum tendens, et musculis quibusdam linguae et pharyngis insertionem praebens. Ex γραφὶς, stylus, et εἶδος, forma. *Graphoides* etiam vocatur musculus *Digastricus* dictus. Vide suo loco. Ge. Der Griffelförmige Fortsatz. G. *L'Apophyse stiloide.*

GRATIA DEI, emplastri quaedam species est, ex cera, resina, seuo, terebinthina, mastiche, olibano, et aliquando aerugine. Sic forte nominatur ob praestantissimas vires. Ge. Grünwachs. Ga. *Le Beaume verd.* A. *Green Wax.* B. *Gods Gunst, Groenwassch.*

GRATIOLA, et GRATIA DEI, eſt plantae genus, (Diandr. Monogyn.) tribus ſtaminibus ſterilibus, quod habet plures caules vnum circiter pedem altos. Folia ſunt oblonga, anguſta, inſtar fere Hyſſopi, in margine ſtriata, ſibi inuicem oppoſita iuxta caulium longitudinem. Calyx eſt quinquepartitus. Flos eſt monopetalus, ringens, anomalus, tubulatus, vtrinque patens, et quaſi bilabiatus, ex cuius calyce ſurgit piſtillum, poſticae floris parti ad inſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum, ſeu teſtam e rotundo acuminatam, biualuem, bifariam dehiſcentem, in duo loculamenta diuiſam, et ſeminibus foetam vt plurimum exiguis. Species officinalis eſt Gratiola centauroides *Bauh.* *Gratiola officinalis* floribus pedunculatis, foliis lanceolatis ſerratis *Linn.* Creſcit in Europa auſtraliori. Qualitatis eſt nauſeoſae, amarae, vique draſtica purgante, vomitoria, emmenagoga et anthelminthica pollet. Infuſum foliorum in hydrope a quibusdam adhibetur. Sunt, qui radicem in dyſenteria loco Ipecacuanhae adhibendam ſuadent. Forte ſic vocatur, quod, qui eius plantae ſuccum ſumunt, (vomitum enim concitat) ſeſe quaſi morti exponant. Ge. Wild Aurin, Erdgalle, Gottesgnade. G. *Gratiole, Herbe à pauvre homme.* A. *Hedge Hyſſop.* B. *Gods-genade.*

GRAVATIVVS DOLOR, eſt, qui oritur a cauſa, pondere, vel mole moleſta, qualis ab ingentibus tumoribus, aut viſcerum infarctu, ſentiri ſolet, vbi plurium partium vicinarum cohaeſio ad primum tantum minoris cohaeſionis gradum imminuitur.

GRAVEDO, i. q. *Coryza.*

GRAVIDITAS, eſt is ſtatus animalium foemellarum, in quo, conceptione facta, foetum in vtero alendum et vlterius euolvendum continent. Terminus grauiditatis in variis animalibus varius eſt, nec exacte hucusque, qua ratione ſe ad incrementum et longaeuitatem animalis habeat, determinare licuit. Ge. Schwangerſchaft, Tracht. G. *Groſſeſſe.*

GRILLVS, vide *Gilla.*

GROSSI, appellantur *Ficus*, quae non matureſcunt; privatim tamen in bifera fico eas intelligunt, quae per meſſes maturantur. Hos groſſulos Graeci vocant ὀλύνθους. Vide *Ficus.*

GROSSVLARIA, *Ribes Groſſularia* ramis aculeatis, petiolorum ciliis piloſis, baccis hirſutis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) eſt frutex, quinque, vel ſex pedes altus, valde ramoſus, vndique ſpinas fortes et acutas habens. Cortex eſt purpureus. Lignum eſt pallidum. Folia parua, obrotunda, aliquantum inciſa, viridia, villoſa, ſaporis acidiuſculi. Flores roſacei, pulchri, parui, quinque petalis in orbem poſitis conſtantes, in inciſuris calycis monophylli et peluiformis naſcentibus. Huius poſterior pars abit deinde in baccam, vel fructum rotundum, carnoſum, vnilocularem, hirſutum, ſtriatum, ante maturitatem viridem, ſuccum acidum et auſterum continentem, poſt maturitatem ſubflauum, vel rubicundum, ſaporis dulcis et vinoſi, ſeminibus foetum exiguis. Fructus qualitate grata, analeptica et refrigerante gaudet, et praecipue a febricitantibus et a puellis pica laborantibus expetitur. Dicitur et *Vua criſpa*, *Vua ſpina:* nomen hoc habet ab intortis et veluti criſpis foliis, et acinis, ſiue baccis, quas producit, et videtur diminutiuum a Groſſus, ficus immatura, quia inter ſeſe ſimilitudinem quandam habent. Ge. Stachelbeeren. G. *Groſelier, ou Groſeilles.* A. *Goos berries.* B. *Steekelbezien, Kruis-doorns of Kruisbezien.*

GROSSVLARIA RVBRA *non ſpinoſa*, vide *Ribes.*

GRVMVS, eſt rei liquidae in vnam maſſam concretae, et coagulatae fruſtum. Vulgo dicitur de ſanguine, in quadam cauitate, vel vaſe concreto, vt praebeat molem mollem, tenacem, vi vitae non ſeparabilem, et tunc *Thrombus* quoque vocatur. — *Grumoſa* dicitur *radix*, quae multis conſtat tuberculis, vel nodis, ſibi inuicem adhaereſcentibus, quae varias ſortiuntur formas et magnitudines, vt in Chelidonio minori, Ranunculo hortenſi, aliisque plantis obſeruatur.

GRVS, inſtrumentum chirurgicum eſt, ſiue forceps, a figura roſtri gruis ſic dicta. Ge. Ein Kranichsſchnabel. G. *Bec de grue.* A. *A Cranes bill.* B. *Een Kraane bek.*

GRYPHVS, ſpecies eſt forcipis apud chirurgos. Ge. Ein Greifſchnabel. G. *Bec de griffon.* A. *A Griffinbill.* B. *Een Gierenbek.*

GVAIACVM, ſiue *Lignum Sanctum*, arbor eſt exotica, in America creſcens, procera fere inſtar Iuglandis, et ſatis ramoſa, quae ex Hiſpaniola et Iamaica ad nos tranſportatur. Haec arbor eſt Pruno, vel Euonymo, affinis arbor *Sloan. Guaiacum* foliolis biiugis obtuſis *Linn.* (Decandr. Monog.) Guaiacum Americanum primum, fructu Aceris, ſiue legitimum. Folia habet ſubrotunda, pinnata, pari numero, ſicut Lentiſcus, laete virentia. Flos eſt roſaceus, pentapetalus, colore albus; piſtillum ſtiliforme, rectum, longum. Drupa, ſeu fructus parum compreſſus, cordiformis, bilocularis, loculo vno plerumque vacuo, in altero continet ſemen, quod eſt nux ouata, duriſſima. Lignum et cortex, nec non gummi, in officinis proſtant. Lignum eſt ponderoſum, in aqua ſub-

fidens, ſolidum, admodum reſinoſum, nigricans, variegatum venulis; acris ſaporis. Cortex eſt extus cinereus, intus pallidus, ſubrubeſcens, quaſi lamelloſus, non admodum denſus, ſed ſatis ponderoſus. Lignum, cortex, reſina et gummi in vſu ſunt, qualitatis calidae et ſiccae, et vario modo praeparata laudantur ad iuuandam arthritidem, et in vlceribus mali moris, ſed praeſertim in lue venerea: ſudorem enim prolicit. — *Guaiaci ſancti Linn.* lignum magis album eſt. Ge. Franzoſenholz, Heiligholz, Pockenholz. G. *Guajac, Bois ſaint.* A. *Holly-wood, Pock-wood, Guaiacum.* B. *Pokhout.*

GVLA, i. q. *Pharynx.*

GVMMA GALLICVM, GVMMI, GVMMOSITAS, eſt tumor durus plerumque indolens in variis partibus corporis, praecipue in cranio natus, ſub quo latet oſſis quaedam exeſio, ſeu eroſio, gummi conſiſtentiam habens, in lue venerea aliisque morbis.

GVMMI, liquor eſt concretus, ex arboribus, aut herbis, deſtillans, in aqua ſolubilis, non inflammabilis, in quo differt a *reſina.* Ge. Gummi. G. *Gomme.* A. *Gum.* B. *Gom.*

GVMMI, *Ammoniacum, Anime, Arabicum, Bdellium,* etc. quae in officinis proſtant, vide ſub nominibus ſuis.

GVMMI RESINA, eſt reſina, quae plures etiam gummoſas partes continet, et hinc vel tota, vel ex maxima parte, in aqua et ſpiritu vini ſolubilis eſt. Ge. Gummiharz. G. *Gummi-reſine.*

GVRGVLIO, i. q. *Gion, ſ. Vuula.*

GVSTVS, eſt ſenſus, quo ex actione nerui guſtatorii vtrinque linguae et palato inſerti, anima ſapores percipit et diſtinguit non tantum ſapidum ab inſipido, ſed etiam varias ſaporis ideas in nobis excitat, quae diuerſis, nominibus a nobis ſignificantur. Ge. Der Geſchmack. G. *Le Gout.* A. *The Senſe of taſting.* B. *De Smaak.*

GVTTA GAMBA, gummi eſt, quod ex China, Siamo, Malabaria et Zeylona venit. Eſt ſuccus concretus, ſiue gummi arboris excelſae, quae dicitur Coddam-pulli *Rheed. Cambogia Gutta Linn.* (Polyandr. Monogyn.) et fert in calyce tetraphyllo florem tetrapetalum, tandemque pomum ſubrotundum, octangulare, recondens ſemina ſolitaria, reniformia, oblonga, compreſſiuſcula. Id Gummi Graecis et Arabibus incognitum fuit. Color eſt inſtar mali fere auriaci, ex rubro flaueſcens, ſed ſi lingua madida contrectetur, flaueſcit. Saepe in cannis ad nos vehitur. Sapor fere inſipidus, qui poſtea acrimoniam relinquit. Viribus gaudet admodum draſticis et hydragogis; hinc interdum in cachexia, hydrope et ictero ad pauca grana adhibetur. Mercurio dulci iunctum efficaciſſimum fit quibusdam in morbis remedium, commendatur etiam contra taeniam. Vocatur et *Gambogia, Cambogia, Gutta Gamandra, Gummi Gotta, Gutta Gemau, Gutta gauma,* vel *Gemu, Gummi Peruuianum,* ſiue *de Peru, de Iemu, de Gamandra;* aliis *Succus Cambici,* vel *Cambrici.* Ge. Gummi Guttä. G. *Gomme gutte, ou Gutte gomme.* A. *Gamboge.*

GVTTALIS CARTILAGO, i. q. *Arytaenoides.*

GVTTA OPACA, vide *Cataracta.*

GVTTA ROSACEA, eſt rubedo maculoſa, ſeu potius rubor cum tuberculis, quibus malae, naſus et facies defoedantur, ac ſi guttis roſeis conſperſa eſſent. Sumunt iſta tubercula interdum incrementum, vnde facies inaequalis et horrida euadit, et naſus valde augetur. Malum contumaciſſimum eſt, vixque ſi inueteratum ſit, remediis cedens. Ge. Kupfer im Geſicht. G. *Couperoſe, Rougeurs.* A. *A Redneſs of the Face with Pimples.* B. *Rooze-drup, Wynpuiſten.*

GVTTA SERENA, i. q. *Amaurosis.*

GVTTVR, i. q. *Larynx.*

GVTTVRALIS HERNIA, i. q. *Bronchocele.*

GVTTVRIS OS, i. q. *Hyoides Os.*

GVTTVRNIFORMIS CARTILAGO, idem quod *Arytaenoides.*

GYMNASTICA, ſeu EVECTICA MEDICINA, eſt pars medicinae, quae agit de conſeruanda ſanitate, ſiue ὑγιεινῆς, vbi agitur de exercitiis modicis, eorumque inſtituendorum modo. A γυμνάζω, exerceo.

GYMNOSPERMAE, dicuntur plantae, quae ſemen nudum, ſcilicet praeter proprium corticem, nulla alia capſula, vel fructu, incluſa ferunt, et pro ſeminum numero *Gymnomonoſpermae, Gymnodi-tri-tetraſpermae* vocantur.

GYNAECIA, Gr. Γυναικεῖα, in genere affectus mulierum denotat. Sed ſtrictius apud *Hippocratem* ſumitur pro mulierum menſtruis. Item pro lochiis habentur puerperii tempore. Dicuntur et ἐμμήνια et καταμήνια, ſiue *menſtrua.* A γυναικίζω, foeminam ago. Vide *Menſtrua.*

GYNAECOMASTVM, eſt mammarum, vel proprie pinguedinis, quae iis ſubiicitur, nimium incrementum, in vtroque ſexu obuium. Ex γυνὴ, mulier, et μαστὸς, mamma, quod a μαστάω, quaero, quia infantes lactis gratia mammas quaerunt.

GYNAECOMYSTAX, eſt barbula piloſa in ſuperiore pudendi muliebris parte. Ex γύνη, foemina, et μύταξ, barba. Ge. Haare an der weiblichen Schaam.

GYNANDRIA, denotat claſſem plantarum eas comprehendentem, quae a reliquis dignoſcuntur ſitu ſtaminum in ipſo ſtylo, vel receptaculo elongato in formam ſtyli, piſtillum cum ſtaminibus ferente. Ordines huius claſſis pro diuerſo ſtaminum numero ſubdiuiduntur.

GYPSVM, eſt lapis albi coloris, qui tritus, et vſtus, cum aqua miſtus ſtatim concreſcit in albam lapideam ſubſtantiam. Eſt marmor fixum, vel *Gypſum vſuale* particulis arenaceis micantibus *Linn.* Gypſum particulis parallelepipedis et globoſis concretum *Wall.* vel *Gypſum Alabaſtrum*, particulis impalpabilibus, diaphanum *Linn* vel Gypſum particulis minimis punctis nitens, polituram admittens *Wall.* Lapis eſt calcarius, acido vitriolico ſaturatus, parum denſus, cum acidis vix efferueſcens, parumque odoris vrinoſi ſub calcinatione ſpargens. Vſus maxime operarius eſt. Proſtat in officinis *Vnguentum Alabaſtrinum.* Ob vim abſorbentem in haemorrhagiis, ſudoribus et diarrhoea prodeſſe poſſe nonnullis viſum eſt, ſed ob vim ſtipticam ſuſpectus et fere venenatus eius internus vſus videtur. Maximam exercitus partem, admixto fraudulenter Gypſo farinae, e qua panis coctus eſt, miſere interiiſſe, proditum eſt. Effoditur in magna copia in Gallia, Polonia et Liuonia. Paratur tamen etiam Gypſum ex aliis lapidibus gypſeis, vti ex *Alabaſtro, Glacie mariae*, etc. Ge. Gyps. G. *Gypſe, Plâtre.* A. *Plaiſter of Paris* B. *Pleiſter, Gips.*

GYRATIO, eſt ſpecies, vel ſymptoma vertiginis, dum aegris omnia obiecta externa rapide in circulum moueri videntur.

H.

HABENA, Gr. Τελαμών, eſt vinculi chirurgici ſpecies, quo vulnerum labia contrahuntur, vel partes prolapſae retinentur, et futurae vices ſuſtinet. Ge. Zaumbinde. Ga. *Bride.* A. *A Bridle.* B. *Een Bind tuig, Teugel-tuig.*

HABITVS, i. q. *Hexis.*

HAEMALOPS, eſt echymoma palpebrarum, vel bulbi oculi, ſeu oculus cruentus, ex caſu, aut alia cauſa externa excitatus. Ex αἷμα, ſanguis, et ὤψ, oculus. Ge. Ein blutig Auge. G. *l'Oeil ſanguinolent.* A. *Bloody Eye.* B. *Een bloedig Oog.*

HAEMASTATICA, eſt ſcientia legum, iuxta quas ſanguis in vaſis animalis viui mouetur.

HAEMATEMESIS, *Vomitus cruentus*, eſt materiae cruentae, vel ſanguinis plerumque grumoſi, per vomitum eiectio, oriens a ſanguinis per varias cauſſas in ventriculum effuſione et collectione. Ge. Blutbrechen. G. *Vomiſſement de ſang.* A. *Vomiting of Blood.*

HAEMATITES, eſt lapidis quaedam ſpecies, vel minera ferri radiata, vel cryſtallina obſcure rubeſcens, ſcilicet Ferrum mineraliſatum, minera figurata rubra, ſeu tritura rubente *Wall. Ferrum Haematites* intractabile, rubricans, glanduloſum, fragmentis concentratis *Linn.* (Miner. Metall.) Magneti reſiſtit, niſi antea igni expoſitus fuerit. Fractus, inſtar ligni petrefacti fibras oblongas habet, et in modum acuum acutas. Reperitur inter ferri fodinas, rubricamque aemulatur. Effoditur in Anglia et Germania. Durus eſt et aequalis, absque ſordibus, aut venis intermediis, habetque cinnabari ſimilem colorem, ſed ſaturatiorem, ſi optimus fuerit. Pro ſanguine ſiſtendo, intus aſſumtus, nec non in emplaſtris, medicis in vſu eſt. Cum tamen vnice a ferro, quod continet, vires dependeant, ob incerta admixta heterogenea, minus tutus, quam ſolius ferri, vſus eius videtur. Cum ſale ammoniaco ſublimatus *Aroph Paracelſi*, vel *Aroma Philoſophorum*, conſtituit. Ge. Der Blutſtein. G. *Pierre ſanguine, Pierre Hématite, Feret d'Eſpagne.* A. *Blood ſtone.* B. *Bloed-ſteen.* Arab. *Scedenigi.*

HAEMATOCELE, *Oſcheocele cruenta, Hernia ſanguinea*, eſt collectio ſanguinis extrauaſati in ſcroto circa teſticulos, a contuſis et dilaceratis, plerumque a cauſſa externa violenta, vaſis oriens. Ge. Ein Blutbruch. G. *Hématocéle.*

HAEMATODES, eſt *Geranii* ſpecies, cuius radices rubicundi ſunt coloris, ſcilicet Geranium VII. haematodes *Cluſ.* Geranium ſanguineum flore maximo *B. Geranium haematodes* pedunculis vnifloris, foliis quinque partitis trifidis, orbiculatis *Linn.* Ex αἷμα, ſanguis, et εἶδος, forma. Ge. Blutwurz. B. *Bloed-wortel, Berg-qyevaar, Bloed-kruid.*

HAEMATOLOGIA, eſt doctrina de ſanguine.

HAEMATOMPHALVS, EXOMPHALVS CRVENTVS, eſt tumor vmbilici, in neonatis interdum oriens a ſanguine collecto ex vaſis vmbilicalibus nondum prorſus conſolidatis, funiculo iuſto citius auulſo. G. Blutnabelbruch. G. *Hematomphale.*

HAEMATOSIS, ſiue SANGVIFICATIO, eſt aſſumtorum maſticatorum, in ventriculo digeſtorum, et in inteſtinis concoctorum, per lactea et ductum thoracicum vaſis ſanguineis

infuſorum, in colorem rubrum ſanguineamque naturam mutatio: quae fit motu ſanguinis circulantis, et contractione ac compreſſione vaſorum, quae maxima in corde et pulmone, vnde chyli partes in ſe inuicem compreſſae, condenſatae et reliquo ſanguini admixtae, colorem rubrum induunt. Ab αἱματόω, ſanguifico. Ge. Erzeugung des Bluts. G. *Sanguification.* A. *Bloodmaking, Sanguification.* B. *Bloedmaaking.*

HAEMATVRIA, *Mictus ſanguineus*, vel *cruentus*, eſt excretio ſanguinis ſinceri, vel vrinae ſanguinolentae, per mictionem, cuius cauſſa vel in veſica, vel in renibus, eſſe poteſt, effuſo ſcilicet praeternaturaliter ſanguine in has partes. Ge. Blutharnen. G. *Piſſement de ſang.* A. *Piſſing of Blood.*

HAEMODERVM, eſt *Geniſta tinctoria*, a cute nempe tanquam cruore infecta. Ex αἷμα, ſanguis, et δέρας, pellis.

HAEMODIA, vulgo *dentium* dolorificus *torpor*, ſeu *ſtupor*. Ea eſt in dentibus, aut potius membranis, dentes inueſtientibus, imo multis modis in cauernulis dentium interius inter ſe implexis, ſeu neruorum per ſubſtantiam dentium diſperſorum ramulis, qui vellicantur, corrugantur et dolore afficiuntur. Stupor iſte ſaepe euenit, poſt dulcia, vel acida, ingeſta, aut vomitu eiecta. Ab αἱμωδιάω, obſtupeſco. Ex αἷμα, ſanguis, et ὀδούς, dens. Antiqui forte ſanguinem eſſe in cauſa affirmarunt. Quidam per *Haemodiam* omnem dentium dolorem intelligunt. Ge. Aufſtehen, Stumpfwerden der Zähne, G. *Agacement de dents.* B. *Boomigheid, Eggerigheid der Tanden.*

HAEMOPHOBVS, eſt aeger, qui ſanguinis miſſionem timet; vel medicus, qui eam vix praeſcribere audet, vel etiam is, qui ex ſenſibilitate connata ſanguinem effluentem videre non poteſt, quin lipothymia corripiatur. Ex αἷμα, ſanguis, et φοβέομαι, timeo. Ge. Blutſcheu G. *Hémophobe.*

HAEMOPTOICA, ſunt, quae ſanguinis ſpuitioni medentur. Ab αἷμα, ſanguis, et πτύω, ſpuo.

HAEMOPTOICVS vero eſt, qui haemoptyſi laborat.

HAEMOPTYSIS, in genere quidem eſt ſanguinis per os, proprie tamen ſpumoſi et floridi per ſputa e pulmonibus reiectio, ſine febre inflammatoria, (ſi eam exceperis, quae ob pulmonis laeſionem oriri poteſt) cum tuſſi frequenti, dolore pectoris vt plurimum grauatiuo, et reſpiratione difficili. Fit haec ruptura, eroſione, vel anaſtomoſi, vaſorum ſanguineorum pulmonalium, vel bronchialis arteriae, vel quod glandulae tracheae per dilatata emiſſaria loco liquidi tenuioris ſanguinem transmittant. Ex αἷμα, ſanguis, et πτύω, ſpuo.

Ge. Das Blutſpeyen. G. *Crachement de ſang.* A. *Spitting of Blood.* B. *Bloed-ſpuwen.*

HAEMORRHAGIA, in genere ſignificat omnem ſanguinis effluxum, ſiue extra corpus, ſiue in quandam eius cauitatem, vti ex pudendo muliebri, dentibus, vulneribus, oculis, etc. et pro cauſſa agnoſcit praeternaturalem vaſorum ſanguiferorum apertionem, eroſionem, rupturam, aut fiſſuram Iuxta *Hippocratem* vero in ſpecie de narium ſtillicidio ſanguineo dicitur, quod iterum diſtinguitur in *ſpontaneum, ſympromaticum, criticum,* et *paſſiuum,* ſcilicet a cauſſa externa violenta excitatum, et vel guttis paucis, vel riuuli inſtar prodit. Ex αἷμα, ſanguis, et ῥήγνυμι, rumpo. Ge. Das Bluten, Blutfluß, Blutſturz. G. *Hemorrhagie, Perte de ſang, Flux de ſang.* A. *A Flux of Blood, Flooding,* quod in ſpecie de haemorrhagia vteri vſurpatur. B. *Bloeding, Neusbloeding.*

HAEMORRHOIDALIA VASA, vide *Haemorrhois.*

HAEMORRHOIS, dicitur ſanguinis profluuium, ante, vel poſt excretionem foecum ex venis, quae ſunt in ano. Non raro tamen denotantur hoc vocabulo *Haemorrhoides coecae,* ſiue tumores, aut varices, in ano absque ſanguinis effluxu, quae quoniam prae tumore inſigniter dolent, *furentes* appellantur; nam ſi effundatur ſanguis, *Haemorrhoides apertae,* ſeu *fluentes,* dicuntur. *Internae,* ſi in ano lateant, appellantur, et *externae,* ſi exterius conſpiciantur. Saepe non ſanguinem, ſed et pus effundunt; interdum, non ſine dolore, aut moleſtia, materia tantum mucoſa excernitur, et tunc, licet incongrue, dicuntur *Haemorrhoides albae,* vel *mucoſae.* Nonnunquam ſunt *periodicae,* eandemque rationem habent, quam menſes; vel morbis inflammatoriis ſuperueniunt, eosque iudicant, et tunc vocantur *criticae.* Ex αἷμα, ſanguis, et ῥέω, fluo. Illud malum Ge. vocatur Goldne Ader. G. *Hemorrhoides.* A. *Piles, or Hemorrhoides in the Fundament.* B. *Speenen, Ambeyen, Daamen.* — — *Haemorrhoidalia vaſa* ſunt vel *interna,* vel *externa.* Arteria haemorrhoidalis *interna* eſt ramus arteriae meſentericae inferioris, *externae* ſunt ramuli arteriae pudendae ex hypogaſtrica oriundae. Vena haemorrhoidalis *interna* eſt ramus venae ſplenicae, ſanguinem in venam portae et hepar vehentis; *externa* oritur ex vena hypogaſtrica, vel iliaca interna.

HAEMORRHOIDES ORIS, dicuntur excretio ſanguinis ſinceri e venis turgidis veli palatini, vuulae et faucium, interdum in viris contingens, quibus fluxus haemorrhoidum antea ſolemnis, nunc ſuppreſſus eſt.

HAEMORRHOIDES VESICAE, dicuntur ſtillicidium ſanguinis, dyſuria, vel moleſtiae variae in excernenda vrina, ortae ab apertione, aut infarctu, vaſorum ſanguiferorum collum veſicae cingentium, et cum vaſis inteſtini recti, vel haemorrhoidalibus communicantium.

HAEMORRHOIDES VTERI, vocantur tubercula varicoſa, ſaepe cruenta et dolentia, in et circa partes genitales muliebres nata.

HAEMORRHOSCOPIA, eſt inſpectio et diiudicatio ſanguinis emiſſi.

HAEMORRHOVS, eſt venenatiſſimus Africae ſerpens, pedem circiter longus, et valde gracilis, poſt cuius morſum animal omnem ſanguinem e corpore toto exſudat et effundit.

HAEMOSTATICVM, eſt illud, quod ſanguinem ſiſtit. Ex αἷμα, ſanguis, et ἵστημι, ſiſto. Ge. Blutſtillende Arzeney. G. *Remede qui étanche le Sang.* A. *A Bloodſtopping Remedy.* B. *Bloedſtelpen.*

HAGIOSPERMVM, dicitur ſemen *Santonici*, idque ob vires eximias. Ex ἅγιον, ſanctum, et σπέρμα, ſemen.

HALATION, veteribus erat remedium purgans plurimum ſalis continens.

HALEC, ita veteres ſedimentum gari, ſeu muriae, vocabant. — Nobis Halec piſcis eſt *Clupea Harengus Linn.* qui maxima in copia in Oceano ſeptentrionali et mari Germanico capitur, et ſale conditus frequenter in cibum adhibetur. Ge. Hering. G. *Hareng.* A. *Herring.* B. *Haring.*

HALELAEON, eſt mixtura ſalis cum oleo, quae a veteribus inprimis ad articulos roborandos adhibebatur.

HALIĆA, i. q. *Alica.*

HALICACABVM, ſunt fructus *Alkekengi.* Gr. ἁλικάκαβον, quia veſica qua nucleum amplectitur, ollam aliquatenus repraeſentat.

HALIMVS, i. q. *Halymus.*

HALMYCIS, eſt *Braſſicae marinae ſylueſtris* ſpecies. Sic a ſalſo ſapore vocatur. Deriuatur ab ἅλς, ſal, mare, vnde ἁλμυρὸς, ſalſus.

HALO, ſ. HALOS, eſt area rubra vtrique papillae in mammis circumfuſa. Gr. Ἅλων. Ge. Der Ring um das Bruſtwärzlein. G. *l'Areole.* B. *Kring om den Tepel.*

HALONITRVM, i. q. *Natrum.*

HALOTECHNIA, eſt chymiae pars, quae de ſalium, inprimis de ſalis culinaris praeparatione agit.

HALTERES, ſunt in inſectis dipteris tenues bacilli,

vtrinque pone ſingulam alam ſub ſquamula propria latentes, quarum extremitate pro voluntate animalculi turgente, corpus ſub volatu in aequilibrio ſeruatur, et alliſu ad ſquamulam ſuſurrus excitatur. Ge. Gewichtſtänglein. Ga. *Báguettes.*

HALYMVS, potius ſcribendum *Halimus*, eſt *Portulaca marina*, ſic dicta, quod in aeſtuariis iuxta maritima loca creſcat; ideoque etiam ſalſi eſt ſaporis, et nomen ſortitur. Ab ἅλς, ſal. Eſt et alia eiusdem nominis planta ſitim et famem extinguens, et tunc deriuatur ab α priv. et λιμὸς fames. Hodie plerumque tres diuerſae plantarum ſpecies ſub nomine *Halimi* denotantur, ſcilicet: *Halimus latifolius* fruticoſus *Bauh.* qui eſt *Atriplex Halimus* caule fruticoſo, foliis deltoidibus integris *Linn.* (Polygam. Monoec.) G. Meerportulacc. A. *Sea Purslane.* — *Halimus minimus*, foliis oblongis ſucculentis, tumentibus, *Brown.* qui eſt *Portulaca Halimoides* foliis oblongis carnoſis, caule corymboſo, floribus ſeſſilibus. *Linn.* (Dodecandr. Monogyn.) et *Halimus Indicus Rumph.* qui eſt *Seſuuium portulacaſtrum Linn.* (Icoſandr. Trigyn.)

HALYPHAEOS, eſt arbor glandifera, ſic ob corticem craſſum vocatur. Ex ἅλης, vel ἅλλης, craſſus, denſus, et φλοιὸς, cortex. Alii arborem illam quaſi ſalſicorticem vocarunt, ſumendo pro ἁλὴς illud ἅλς, mare, ſal, ſed minus recte.

HAMA, cum medicamenti doſis vnica vice propinatur.

HAMMA, i. q. *Amma.*

HAMVS, et HAMVLVS, Gr. ἄγκιστρον, eſt inſtrumentum chirurgicum, pro foetu demortuo, aut mola extrahenda accommodatum. Aut etiam inſtrumentum tenue vncinatum, in laboribus anatomicis, praecipue neruorum euolutionibus, adhibendum. — Interdum et faſciae nomen eſt. — Non nunquam etiam partium, quae ſimilem figuram habent, vt in proceſſu pterygoideo oſſis ſphenoidis. Ge. Ein Angel, Haken. G. *Crochet, Hameçon, Croc.* A. *An Hook, a Crook.* B. *Een Haak.*

HAMVS, vide *Cuſpis.* Ge. Angelband. B. *Angel-band.*

HANDAL, HANDEL, vide *Alhandal* et *Colocynthis.*

HARMALA, PEGANVM, eſt planta, quae plures habet caules pedem altos, virides, nigricantes, ramoſos, arbuſculam referentes. Folia alterna, oblonga, inciſa, craſſa, carnoſa, viridia, ſaporis viſcoſi et amari. Calyx eſt pentaphyllus. Flores in ſummitate ramorum creſcentes, roſacei, pentapetali, (Dodecandr. Monogyn.) Poſt florem ſequitur fructus ſubrotundus, trivalvis, tricapſularis, ſemina inaequa-

lia, angulosa, coloris obscuri. Radix longa, digiti minimi crassitie, coloris subflaui pallidi. Tota planta habet odorem penetrantem et ingratum. Nomen venit ab Arabica voce *Harmel*: sed vulgo appellatur *Ruta syluestris*. Ge. Hermelrauten, wilde Raute. G. *Rue sauvage*. A. *Wild Rue*. B. *Wilde Wynruit*.

HARMONIA, est in genere conuenientia siue membrorum, siue qualitatum, siue alicuius medicaminis mixturae. Sed in specie ita vocatur ossium per simplicem lineam coniunctio, vt in ossibus nasi et palati conspicere licet, vbi exterius modo linea apparet, quamuis in ipsa coniunctione multae sint inaequalitates, vel in genere ea ossium coniunctio, qua eundem motum exerunt, vt tibia cum fibula. Ab ἁρω, congruo, adapto. Ge. Uebereinstimmung, Harmonie. G. *Harmonie*. A. *Harmony*. B. *Overeenkomst*.

HARVNDO, i. q. *Arundo*.

HAVSTVS, siue POTIO, est liquida medicamenti interni forma, in vnicam dosin, quae non debet maior esse, quam duae, vel ad summum tres vnciae, ex variis ingredientibus eum idoneo liquore, decoctione, infusione, aut dissolutione, ad purgandum, alterandum, vel sudandum, etc. composita. Ge. Ein Trank, Tränklein. G. *Breuvage, Potion*. A. *Potion*. B. *Een Drankjen, Dronk*.

HEBE, denotat regionem pubis, aut primos pilos in pube apparentes, vel etiam aetatem, qua primi pili comparent.

HEBENVM, i. q. *Ebenum*.

HEBISCVS, i. q. *Hibiscus*.

HECATONTAPHYLLVM, sic vocatur *Rosa* foliis plenissima, quasi diceres *Centumfolia*. Ex ἑκατὸν, centum, et φύλλον, folium. Ge. Centifolienrose.

HECTICA, est febris continua, chronica et lenta, vt vix obseruetur ab aegris, nisi quod calor paulo maior, sed mordax et siccus, adlit; quaeque singulis diebus parum admodum exacerbatur, sed non nisi aliquot a pastu horis, cibo-que concocto, iterum remittere videtur, ex ipso corporis, vt dicitur, habitu orta, et longo tempore introducta, quae adeo radices egit, vt vel aegerrime expelli possit. Plerumque adest pulsus paruus, debilis, et frequens, eamque sequitur corporis extenuatio. Ab ἕξις habitus, quia in habitu corporis adeo fixa est, vt omnes partes tententur et emacientur, vel quod quasi in habitum abiuerit. Ge. Ein schleichendes oder hektisches Fieber. G. *Fièvre ethique*. A. *An Hectic, or Consumption*. B. *Uitteerende en uitdroogende Koorts*.

HEDERA, Hedera arborea *Bauh. Hedera Helix*, foliis ouatis lobatisque *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) est arbuscula, quae habet cirrhos parasiticos radicantes in quodcunque sustentaculum. Cortex eius est rugosus, cinereus. Lignum durum, album. Folia magna, ampla, angulosa, dura, rigida, polita, semper virentia, splendentia, saporis adstringentis et acris. Flos rosaceus, plerumque pentapetalus. Ouarium in fundo floris fit bacca globosa, vtriloculari, foeta seminibus quinque ab vna parte gibbis, ab altera planis. Foliis virtutes vulnerariae tribuuntur, praecipue in vlceribus inueteratis. Baccae vt remedium specificum in gonorrhoea inueterata laudantur. — Resina, quae sub nomine *Gummi Hederae* prostat, ex hac arbore exstillans, friabilis est, coloris obscuri, qualitatis fragrantis: adfertur ex India et Gallia australi: viribus eximiis balsamicis, vulnerariis et abstergentibus gaudet. Gr. κισσὸς et ἕλιξ, sic dicta, quod vetustis parietibus adhaereat, vel potius, quia edita petat, et alte diuagetur: vel quia id, cui adhaeserit, edat atque corrumpat. Athenienses Bacchum appellarunt *Cissum*, quo nomine rigens hedera, quae sine adminiculo stat, sola omnium generum ob id vocata est *Cissos*: e diuerso nunquam nisi repens humi *Chamaecissus*. Vocatur etiam *Dionysia*, hoc est, *Bacchica*, nominata a Baccho, qui primus ex Indis in Graeciam Hederam asportauit: vel quod in tutela eius fuerit: nam vt ille iuuenis semper, ita haec viret. Κισσὸς, forte a κίω, scindo, quia alias arbores *scindit* et perdit. Ge. Epheu, Eppich. G. *Lierre*. A. *Ivy*. B. *Klimop, Veil*.

HEDERA TERRESTRIS, est species Calaminthae, et quidem Calamintha humilior, folio rotundiore, flore purpureo, *Tourn.* Hedera terrestris vulgaris *Bauh. Glecoma hederacea* foliis reniformibus crenatis *Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) Habet caules paruos, semipedem circiter altos, humiles, repentes, tenues, quadratos, nodosos, interdum rubicundos. Folia sunt rotunda, dentata in margine, villosa, parum aspera, pedunculis longis adhaerentia, per interualla sibi inuicem opposita. Flores ex foliorum alis nascuntur, superius labiati, labio superiori bifido, inferiori tripartito, coloris caerulei. Iis succedunt quatuor semina oblonga sibi inuicem coniuncta, et in capsula, quae flori tanquam calyx inseruiit, ineluſa. Radix tenuis, alba. Tota planta habet odorem satis penetrantem, et saporem amarum. Crescit in locis vmbrosis. Inter vulneraria primarium locum obtinet, et nonnullis *Panacea pectoris* audit. In officinis prostat herba, conserua, syrupus et aqua. Dicitur etiam

Corona Terrae, Gr. *Chamaeciſſus* et γῆς στέφανος, ſic dicta, quod nunquam non repat humi, foliis Hederae ſimilibus. *Corona terrae*, quod ramulos ſuos per terram ſpargens, folioſo veluti ſerto eandem coronare videatur. Ge. Gundermann, Erdepheu, Erdenkränzlein, Gundelreben. G. *Lierre-terreſtre, Lierre Trainant.* A. *Ground-Ivy.* B. *Onderhave, Aardveil, Honds-draf.*

HEDERAE GVMMI, vide *Hedera.*

HEDRA, ab ἕδρα, ſedes, vide *Eccope.*

HEDYCHROVM, eſt medicamentum iucundi coloris. Ab ἡδύ, iucundum, et χρόα, color. — Datur etiam hoc nomen trochiſcis quibuſdam, qui ex multis aromatis conſtant, quos *Andromachus* inueniſſe dicitur, et qui theriacam, eius nomine celebratam, ingrediuntur.

HEDYOSMOS, vide *Mentha.* Ex ἡδύ, ſuaue, et ὀσμή, odor.

HEDYPNOIS, eſt planta flore ſemifloſculoſo, ab aliis ad Lapſanas, ab aliis ad Hieracia relata. Eſt Hyoſeris caule folioſo, ſcilicet *Hyoſeris Hedypnois* fructibus ouatis glabris, caule ramoſo *Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) Fert fructum meloniformem, qui diſſilit in duas ſeminum ſpecies, quae ſibi inuicem ſunt coniunctae, ſemina exteriora plus ſunt expanſa, quam interiora. Nomen habet, vel quod in cibo ſumtum ſuauiorem et iucundiorem faciat animam, id eſt, ſuauem anhelitum praeſtet, vel, vt alii malunt, quod iucundum conciliet ſomnum. Ex. ἡδύς, ſuauis, et πνέω, ſpiro, vnde πνοή, ſpiritus.

HEDYSARVM, eſt plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) quod habet caules, tres circiter pedes altos, ſaris craſſos, repentes. Folia ſatis referunt Glycyrrhizae folia, ſed breuiora, magis ampla, ſine lanugine, niſi in margine, coniugata, in extremum impar deſinentia, terna, vel plura; calyx eſt monophyllus, ſemiquinquefidus. Flores in ſpicam, vel capitulum, congeſti, ex alis foliorum erumpentes, leguminoſi, coloris rubicundi. Iis ſuccedit ſiliqua aſpera, vndulata, compoſita ex multis quaſi ſiliculis ſibi mutuo vt plurimum adnatis, continens ſemina in ſingulis articulis, vt plurimum reniformia. Haec planta, cuius etiam variae ſpecies in hortis coluntur, creſcit in montibus, habetque odorem ſatis gratum; ob ſuaueolentiam ita dicta: odorem enim emittit Foenugraeco, Lupino, ac Meliloto non diſſimilem. Ex ἡδύ, ſuaue, et ἀείρω, haurio. Sed alii ab *Aron* deducunt. Ge. Veilkraut, Schildklee. A. *Honeyſuckles.* B. *Bylzjeskruid.*

HEDYSMA, in genere eſt condimentum quodcunque, ſed ſtrictiori ſignificatione eſt illud, quod ſuauem gratumque medicamentis odorem conciliat. Ab ἡδύς, ſuauis, iucundus. Ge. Ein lieblicher Geruch. G. *Odeur agreable.* A. *Pleaſing Scent.* B. *Een lieflyke Reuk.*

HEGEMONICAE, ſunt actiones principales in corpore humano, vt ſunt actiones animales et vitales. Ab ἡγέομαι, imperium habeo.

HELCOMA, idem quod *Exulceratio.* Dicitur et *Helcyſma* et *Helcoſis.*

HELCOS, i. q. *Vlcus.*

HELCOSIS, vide *Helcoma.*

HELCTICA, eadem ſunt quam, *Epiſpaſtica.* Ab ἕλκω, traho. Vide *Attrahentia.*

HELCYDRIA, ſunt vlcuſcula quaedam parua, denſa et rubra, plerumque in capitis cute apparentia, papillis mamillarum ſimilia, a quibus ichor defluit. Ab ἕλκος, vlcero.

HELCYSMA, vide *Helcoma.*

HELCYSTER, eſt vncus ferreus, qui inſeruit educendo foetui mortuo ex vtero.

HELEAGNVS, eſt *Myrtus Brabantica, Gagel* dicta; arbor flores maſculinos et foemininos ſeparatos ferens. (Monoec. Tetrandr.) Flos mas eſt amentaceus: foemininus abit in baccam vnilocularem, monoſpermam. Rhus myrtifolia Belgica *Bauh.* Chamaeleagnus *Dod.* *Myrica Gale* foliis lanceolatis, ſubſerratis, caule ſuffruticoſo *Linn.* Creſcit in locis vliginoſis Europae et Americae ſeptentrionalis. Viribus gaudet anthelminthicis. G. Niederländiſcher Myrthenſtrauch. G. *Myrthe bâtard.* A. *Sweet-Willow, Sweet-Gale.* Conf. *Eleagnus.*

HELENIVM, Helenium vulgare *Bauh.* Aſter omnium maximus Helenium dictus *Tourn.* *Inula Helenium* foliis amplexicaulibus ouatis rugoſis, ſubtus tomentoſis, calycum ſquamis ouatis *Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) Eſt planta, qua habet folia, ex radice erumpentia, magna, longiora et ampliora Verbaſci, repentia, acuta, mollia, ſtriata in margine, ſuperius coloris viridis palleſcentis, inferius albeſcentia, pedunculis breuibus adhaerentia. Ex his producuntur vnus, vel plures caules, quatuor, vel quinque pedes alti, recti, rubicundi, lanuginoſi, intus caui, ramos quosdam dimittentes folia ſine pedunculis habentes. Flores in ſummitate caulium et ramorum naſcuntur, compoſiti, ampli, orbiculares, radiati, flaui, parum odoriferi, antheris inferne in ſetas decem deſinentibus, embryonibus in ſemina

pappoſa abeuntibus et thalamo affixis inſidentes, et calyce ſquamoſo comprehenſi. Radix oblonga, craſſa, foris fuſca, intus pallida, pinguis, ſaporis acris amaricantis; odoris fragrantis, quae ob qualitatem aromaticam ſtomachum calefacit, eiuſque cóctionem iuuat, hinc morbos ex debili ventriculo ortos optime curat. Laudatur quoque ob virtutem alexipharmacam et expectorantem. Decoctum radicis ſpecifice mercurium iuſto maiori quantitate aſſumtum et in corpore latitantem expellere dicitur. Praeſtantius eſt infuſum vinoſum. In officinis proſtat e radice conſerua, conditura, eſſentia, extractum et aqua ſtillatitia. Creſcit in Europa auſtrali. Vulgo *Elenium, Enula Campana* et *Inula*. Ex lacrymis Helenae natum ſcribunt; hinc, quae in Rhodo naſcitur, ab Helena nomen hoc ſumſit: nam ad eandem naſcitur quercum, ex qua ſe Helena ſtrangulauit. Alii ab *Helena inſula*, vbi longe optimum luxuriat. Hinc quoque deſcendit nomen *Enula* et *Inula*, additur vulgo *Campana*, an ex Campania huc allata ſit, credendum forte. Ge. Alantwurzel. G. *Aunee, Enule Campane, Herbe d'Elaune.* A. *Elecampain.* B. *Alant wortel, Galant wortel.*

HELIANTHE, et HELIANTHEMVM, vel HELIANTHON, HELIANTHOS. Illud nomen imponitur diuerſis floribus ſolis curſum adſpicientibus. Ex ἥλιος, ſol, et ἄνθος, flos. *Helianthemum Tourn.* et aliorum eſt *Ciſtus helianthemum L.* (Polyandr. Monogyn.) ſcilicet planta, quae habet caules exiguos, tenues, rotundos, villoſos, repentes. Folia oblonga, anguſta, pedunculis breuibus adhaerentia; iuxta caules ſibi inuicem oppoſita, villoſa, parum latiora Hyſſopi, in fine obtuſa, inferius viridia, ſaporis glutinoſi. Flos roſaceus, pentapetalus, ex cuius calyce triphyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſatis magnum, fere rotundum, vnilocularem, qui per maturitatem in tres partes dehiſcit, funditque ſemina ſubrotunda, tenuia, capillamentis, ſeu placentae, affixa. Radix lignoſa, alba. Haec planta creſcit in ſiluis et montibus. Vocatur etiam *Chamaeciſtus*. G. Heidenisop, Kirschisop. G. *Helianthème, Herbe d'Or, Hyſſope des Payens.* A. *Dwarf Sun-flower.* B. *Heyden Yſſoop.* — — *Helianthus* vero *Linn. All.* (Syngeneſ. Polygam. Fruſtran.) eſt Corona ſolis *Tourneſ.* flore radiato, (Ge. Sonnenblume). Huius generis ſpecies ex Braſilia ad nos adlata nunc maxime frequens eſt, *Helianthus tuberoſus* foliis ouato-cordatis triplineruiis *Linn.* Helenium Indicum tuberoſum *Bauh.* Corona ſolis paruo flore, radice tuberoſa *Tourneſ.* quoniam hae radices vario modo coctae paſſim ſat frequenter a vulgo eſitantur.

eſitantur. G. Erdbirnen, Grundbirnen. G. *Taupinambours, Poires de terre.* — *Helianthus* vero *multiflorus*, ſeu *Corona ſolis perennis*, et *vulgaris*, aliaeque ſpecies, tantum in hortis ob florum venuſtatem coluntur. Oleum ſeminum tamen ad oeconomicos vſus adhibetur.

HELICE, eſt *Salicis* ſpecies, et quidem Salix humilior, foliis anguſtis ſubcaeruleis ex aduerſo binis *Rai. Salix Helix* foliis ſerratis glabris, lanceolato linearibus, ſuperioribus oppoſitis obliquis *Linn.* (Dioec. Diandr.) Salix Helice Theophraſti *Dalech.* Ab vrbe ἑλίκη nomen forte habuit, Ge. Braune Weide, Roſenweide.

HELIOCHRYSVM, eſt nomen, quo varii flores lutei vocantur. Ex ἥλιος, ſol, et χρυσὸς, aurum, quia flores non tantum aurei, ſed et ſplendentes, eſſe debent. Vide *Elaeochryſon.*

HELIODORI FASCIA, eſt faſcia, vel apparatus chirurgicus, qui mammis laeſis, praecipue ad eas ſuſtinendas, applicatur, eſtque vel *ſimplex* vel *duplex*.

HELIOSCOPIVS TITHYMALVS, eſt *Tithymalus ſolſequius*, ſic dictus, quod eius corona ſemper ſolem adſpiciat. Eſt Tithymalus helioſcopius *Bauh. Euphorbia helioſcopia* vmbella quinquefida, trifida, dichotoma, inuolucellis obouatis, foliis cuneiformibus ſerratis *Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) Creſcit in cultis Europae. Ex ἥλιος, ſol, et σκέπτομαι, adſpicio. Ge. Sonnenwirbel, Wolfsmilch, Milchkraut. G. *Reveille matin, ſuivant le ſoleil.* A. *Wartwort, Spurge.* B. *Zonne-wende, Kroontjes-kruid, Zonne-volgende, Wolfs-melk.*

HELIOSIS, eſt inſolatio, ſiue apricatio. Ab ἥλιος, ſol.

HELIOTROPIVM, eſt plantae genus e claſſe Gymnotetraſpermarum aſperifoliarum, (Pentandr. Monogyn.) cuius ſpecies maxime vulgaris habet caulem pedem circiter altum, lanuginoſum, albeſcentem, medulloſum, ramoſum. Folia Ocimi, oblonga, ſubrotunda, neruoſa, albeſcentia, villoſa. Flos eſt monopetalus, infundibuliformis, ſtellae in modum corrugatus, et in decem partes alternatim inaequales ad oram inciſus. Ex calyce ſurgit piſtillum, infimae floris parti adinſtar claui infixum, et quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina, hinc angulata, inde gibba, quae coloris cinericei ſunt. Radix lignoſa, fibroſa. Virtute gaudet ſubadſtringente et vulneraria. — Sed et alia planta *Heliotropium* dicitur, quae eſt Ricinoides, ex qua paratur *Tourneſol* Gallorum, *Act. Pariſ.* *Croton tinctorium* foliis rhombeis repandis, capſulis pendulis, caule herbaceo *Linn.* (Monoec. Monadelph.) cuius vſus caeruleo-

tinctorius est ad extrahendum succum, qui *Lacmus* officinis dicitur, et qui praeter vsum oeconomicum detegendo acido inseruit, quippe a quo eius infusum rubescit. A quibusdam plures hoc nomine appellantur plantae, sese soli obuertentes. Ab ἥλιος, sol, et τρέπω, verto. Ge. Sonnenwendewirbel, oder Blume, Krebsblume. G. *Heliotrope, Herbe aux verrues, Tournesol.* A. *Turnsole.* B. *Zonnewende, Zonnebloem.*

HELIOTROPIVS LAPIS, est lapis e viridi caerulescens ad petrosilices iaspideos *Wall.* pertinens, a credulis, vt amuletum contra renum calculum, epilepsiam et haemorrhagias commendatus. Ge. *Jaspe heliotrope.*

HELIX, est *Hedera*, et quidem Hedera arborea *Bauh. Hedera Helix* foliis ouatis lobatisque *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) vel Conuoluulus, sic dicitur, quia arboribus etc. circumuoluitur. Ab εἱλέω, circumuoluo.

HELIX, seu CAPREOLVS, est exterior auris crepido, seu eminentiarum extima, quae limbus est spiralis, a concha exsurgens, intortus, sensim magis complanatus, angustatus, minus intortus, auriculae ambitum, aliquando tantum eius partem, praecipue versus superiorem sedem, contorti aggeris in modum circumambiens. Sic ob tortuosum flexum nuncupata, anthelici oppositа, interior *Scapha* dicitur, ἕλιξ *Rufo*, κοχλία *Poll.* at *Scapha*, seu ἀνθέλιξ *Rufo.* σκάφος *Polluci.* Ab εἱλέω, inuoluo. Ge. Der äußere Ohrkreiß. G. *Le bord de l'Oreille.* A. *The ring, or brim of the Ear.* B. *De Oor-rand.*

HELLEBORINE, *Serapias Helleborine*, bulbis fibrosis, floribus erectis bracteа breuioribus *Linn.* (Gynandr. Diandr.) est planta, quae habet vnum, vel plures caules, sesquipedem altos, rotundos, sine ramis, puluisculum farinaceum habentes. Folia Veratri albi affinia, sed minora, sine caulibus, neruosa, saporis amari. Flos est polypetalus, anomalus, sex petalis dissimilibus constans, quorum quinque in orbem posita sunt, inferius vero imbricatum. Nectarium, minus, quam in Orchidibus, prominens: germen autem deinde abit in fructum, seu vtriculum vnilocularem, triualuem, sub carinis dehiscentem, tribus fenestris peruium, quibus adhaerescunt valuae seminibus foetae minutissimis, ad instar scobis. radix fibrosa. Haec planta crescit in montibus. Vide *Elleborine.* Ge. Wilde Nießwurz, Cymbelblume. G. *Elleborine.* B. *Wild Nieskruid.*

HELLEBORVS, vide *Elleborus.*

HELLEBORISMVS, vide *Elleborismus.*

HELLECEBRA, vide *Illecebra.*

HELMINTHAGOGA, sunt medicamenta vermes intestinales occidentia et expellentia. Ab ἕλμινς, vermis, et ἄγω, duco. Idem quod *Helminthica.* Ge. Wurmtödtende Arzeney, Wurmmittel. G. *Mort aux Vers.* A. *Vermifuges Medicines againſt the Worms.* B. *Worm-Middelen.*

HELMINTHES, vide *Elminthes.*

HELMINTHIASIS, est morbus oriens a quocunque genere vermium in intestinis hospitante.

HELMINTHICA, sunt medicamenta vermes necantia. Vide *Lumbrici.* Ge. Wurmtreibende Mittel, Wurmmittel. G. *Mort aux Vers.* A. *A Vermifuge.* B. *Worm-Middelen.*

HELODES, vide *Elodes.*

HELOS, siue CLAVVS, CONDYLOMA CLAVVS, est excrescentia subrotunda, alba, dura, callosa, tendinibus, aut periosteo, pedum manuumue adhaerens, a pressione dolens, illis praecipue familiaris, qui arctioribus calceis vtuntur. Differt a verrucis porrisque, quod in centro suo gerat callum durissimum, quo eradicato, non dolet pars, vsque quo nouus nucleus efformatus fuerit. Ab ἥλος, clauum figo. Gr. Ἧλος. Ge. Hühnerauge. G. *Un cor, ou cal au pied.* A. *A Corn.* B. *Lyk-doorn, Exteroog.*

HELOSIS, est inuersio palpebrae reflexa, et in vtroque oculi musculo conuulsio. Ab εἱλόω. voluo, verto. Ge. Das Umkehren der Augenlieder. G. *Renverſement des Paupieres.* A. *Turning contrary wiſe of the Eyelids.* B. *Omkrulling der Oog-ſcheelen.*

HELXINE, est herba sic dicta, quod praetereuntium vestes attrahat. Sic dicitur veteribus *Parietaria*, a semine aspero. Ab ἕλκω, traho. Vocatur quoque *Vrceolus, Muralium* et *Muralis*, quia muris et parietibus accrescit. *Perdicium* vero, quod ea perdices praecipue vescantur. Vide *Parietaria.*

HELXINE, etiam hodie denotat genus secundarium plantarum ad Polygona pertinens, foliis subcordatis, (Octandr. Trig.) cuius species olim ex Asia ad nos translata nunc abunde apud nos culta frequentissima est: Helxine caule erectiusculo inermi, foliis cordato-sagittatis, seminum angulis aequalibus, *Polygonum Fagopyrum Linn.* Vide *Fagopyrum.*

HELXINE CISSAMPELOS, siue CONVOLVVLVS, VOLVBILIS, et VITEALIS, dicitur *Cissampelos*, quod in vineis potissimum nascatur, et folio hederaceo sit, *Conuoluulus* vero, quod crebra reuolutione vicinos frutices et herbas implicet. Ex κισσὸς, Hedera, et ἄμπελος, Vitis minor. Est planta, quae habet folia multo minora, quam Conuoluuli maioris, minus

pinnata, magis tamen rugoſa, cum floribus monopetalis campaniformibus, (Pentandr. Monogyn.) ex albo purpuraſcentibus, aut etiam albis, turgentia lacte. Ge. Schwarzwinde. G. *Liſeron.* B. *Zwarte Winde.*

HEMERALOPS, et HEMERALOPIA, eſt viſus imbecillitas, in qua hic de die et in plena luce ſatis quidem acutus, ad crepuſcularem vero lucem, vel matutinam, vel veſpertinam, hebes et confuſus eſt. Dicitur etiam viſus diurnus, vel amblyopia crepuſcularis. Oritur aut a retina, vel etiam a nerno optico minus ſentiente, vel quando fibrae orbiculares tunicae vueae ita ſunt conſtrictae, vt pupilla nimis arcta ſit; hinc paucos tantum radios tranſmittat, qui ergo, niſi a validiſſima luce profecti ſint, retinam non ſatis adficiunt, vel etiam a cataracta minori, quae ad margines tenuior, in medio ſpiſſior eſt. Ex ἡμέρα, dies, et ὤψ, oculus. Sunt, qui hunc adfectum contraria ſignificatione *Nyctalopiam* dicunt. Ge. Bey Tag ſehend. G. *Aveuglement de jour.* B. *By dagziende.*

HEMEROCALLIS, eſt plantae genus flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) habens calycem nullum, corollam hexapetalam, vel monopetalam ſexpartitam, cuius germen abit in capſulam ouato-trilobam, trigonam, trilocularem, trivalvem, polyſpermam. Sic dicitur, quod die ſereno bonum adſpectum praebeat; noctu vero in ſeſe quaſi collabitur contrahiturque. Eſt Lilio-Aſphodelus et Liliaſtrum *Tourneſ.* Ex ἡμέρα, dies, et καλὴ, pulchra, vel κάλλος, pulchritudo. Ge. Affodillilien. G. *Lis de St. Bruno.* A. *Lily Aſphodel, Day Lily.*

HEMICERAVNIVS, Gr. ἡμικεραύνιος, faſciae nomen olim fuit, dorſi et pectoris deligationi inſeruiens. Ex ἡμι, ſemi, et κεραυνὸς, fulmen, forte quia faſcia fuit ſciſſa, vti et fulmen ſe ſcindit.

HEMICRANIA, eſt dolor plerumque tenſiuus et lancinans, alterutram capitis partem obſidens, ita vt ſecundum futurarum longitudinem extendatur, et plerumque per interualla repetens. In eo a cephalaea differre dicitur, quod eius ſedes non ſit in encephalo, nec in caluariae parte, quae immediate cerebrum tegit, ſed in ſinubus frontalibus, orbita oculorum, ita vt vel oculi globus vehementer afficiatur tractione, lacryſnatione, vel aeger naris obſtructione, coryza, ſimiliue ſinuum frontalium laeſione, laboret vt plurimum: aut quod in loco, quem pollex, aut clauus, tegeret, terminetur affectus, quod in cephalaea non accidit. *Sauv.* Ex ἡμι, ſemis, et κρανίον, caluaria. Ge. Kopfweh auf einer Seite. G. *Migraine.* A. *The Megrim.* B. *Scheele hoofd-pyn.*

HEMIDRACHMON, ſiue SEMIDRACHMA, eſt pondus dimidiae drachmae. Ge. Ein halb Quentlein. G. *Demi drachme.* A. *Halfe a dram.* B. *Een half vierendeels-loot.*

HEMIECTON, quaſi ſemiſextam menſuram ſignificat dimidiati ſextarii quatuor choenices capientem, eſtque pars duodecima medimni Attici. — Videtur quoque ſellam ſignificare pro ſuffitu immittendo mulieri. — Imo et ollam ſignificare poteſt, quatuor choenices capientem, cui velut ſellae inſidere debet mulier ad capiendum ſuffitum diductis cruribus.

HEMINA, Romana vox, ex Graeco quidem ἡμίεον, quod dimidia ſextarii pars ſit, deriuata, Gr. χοτύλη nominatur. Eſt menſura, quae capit vncias decem menſurales.

HEMIOBOLION, eſt duodecima pars drachmae; drachma enim continet ſex obolos.

HEMIOLIVM, ſeu *Seſquiuncia*, *Seſcuncia*, drachmarum duodecim pondus eſt.

HEMIONITIS, eſt planta ad dorſiferas, vel epiphylloſpermas, pertinens, (Crypt. Filic.) quae apud *Tourn.* a reliquis ſui ordinis, et praecipue ab Aſpleniis, diſtinguitur foliis ſagittatis, vel ad baſin late auritis. *L.* ſingulare genus eſt. Gaudet planta viribus pectoralibus et vulnerariis. Dicta videtur, non quod hanc muli vorent, nec quod ſteriles reddat comedentes, ſed quod ipſa ſterilis inſtar muli credita ſit. Ex ἡμι, ſemi, et ὄνος, aſinus. Ge. Halbmondkraut. G. *Hémionite.* A. *Moonfern.*

HEMIONIVM, nomen Teucrio aut aliis plantis impoſitum non a figura, nec a poteſtate, ſimiliue affectu, quam cum Hemionitide habet, ſed quod exhibitum cum muli liene, vngula ac pelle, ſteriles reddere dicatur mulieres, vti ſunt muli, mulaeque: vel nomen illud accepit, quod muli hac herba delectentur. Ex ἡμι, ſemis, et ὄνος, aſinus, quia ſemi aſini fiunt.

HEMIPAGIA, ex ἡμι, ſemi, et πάγος, concretus, fixus, quia dolor eſt fixus. Idem quod *Hemicrania.*

HEMIPLEGIA, eſt paralyſis vnius lateris infra caput, citra dolorem, vel ſoporem, quae vel praegreſſum inſultum apoplecticum ſequitur, vel abſque eo incipit cum refrigeratione lateris paſſuri, proueniens ab obſtructione, ſeu compreſſione, in alterutra medullae oblongatae et ſpinalis parte, vel a plaga exterius immiſſa; vnde nullus ſpirituum animalium fluxioni in neruos aditus patet. Diſtinguitur ab apoplexia aliisque morbis ſoporoſis per integritatem mentis, aut ſaltem aliqualem libertatem functionum animae; a pa-

raplegia, quod alterutrum tantum latus ſenſu tactus motuque libero careat; a paralyſi per extenſionem; in *Hemiplegia* ſcilicet ſaepius a capite ad calcem dimidia pars corporis motu ſenſuque priuatur, adeoque etiam viſu et auditu: immo adeſt diaſtrophe, ſeu oris in partem ſanam diſtorſio, loquela impedita, linguae diſtorſio ad latus ſanum, etc. Ex ἡμι, ſemi, et πλήσσω, percutio. Ge. Der halbe Schlag. G. *Hémiplegie.* A. *A Palſy of one Side.* B. *Lammigheid aan eene Zyde, halve beroertheid.*

HEMIPLEXIA, ex ἡμι, ſemi, et πλήσσω, percutio, i. q. *Hemiplegia.*

HEMIPTERA, conſtituunt familiam inſectorum, roſtrum inflexum ſub pectore gerentium; quibus alae ſunt vel ſemicoleopterae, alis ſuperioribus dimidiato cartilagineis, vel alteri ſexui tantum; quo ergo pertinent cicadae, notonectae, nepae, cimices, chermes, cocci, etc. Ge. Inſekten mit halben Flügeldecken.

HEMITRITAEVS, ſiue FEBRIS SEMITERTIANA, eſt febris continua, in qua ſingulis diebus eſt paroxyſmus, aſt alternis diebus paroxyſmus a ſummo frigore incipit, qua de cauſſa creditur febris compoſita ex quotidiana et tertiana, altera intermittente, altera continua. Hanc ex tertiana producta oriri, licet et per ſe ſaepe inuadat, notat *Foreſtus*, qui eam quoque in maiorem, mediam, et minorem diuiſit. Periculum a maiori, vel minori malignitate et ſymptomatum vehementia determinatur. Differt ab hac febre *Hemitritaevs vothus Galeni*, longitudine maiori, adeoque intenſitate minori. Ex ἡμι, ſemi, et τριταῖος, tertius. Ge. Ein hitziges Tertianfieber. G. *Hémitritée.* B. *Halve anderendaagſe Koorts.*

HEMIVNCION, denotat dimidiam vnciae partem.

HEMYXESTON, i. q. *Hemina.*

HENOPHYLLVM, eſt Vnifolium. Ex ἕν, vnum, et φύλλον, folium. Gr. Μονόφυλλον. Ge. Ein Blatt. A. *One blade.* Vide *Lilium conuallium.*

HEPAR, IECVR, Ἧπαρ, *Nicand.* eſt organum, ſiue viſcus in imo ventre, et quidem in hypochondrio dextro, ſub diaphragmate ſitum. Eius craſſities et magnitudo in homine inſignis eſt, vt ad vmbilicum vſque interdum extendatur; membrana cingitur tenui, a peritonaeo orta. Connectitur circumiacentibus partibus per tria Ligamenta valida. 1. Abdomini per venam vmbilicalem, in adultis exſiccatam, et in ligamentum mutatam, quod *rotundum*, ſ. *teres*, vocatur. 2. Superius diaphragmati, per ligamentum latum membranoſum et tenue, quod *ſuſpenſorium* dicitur. 3. In vtroque etiam margine diaphragmati per ligamentum teres et validiſſimum, quod etiam per totum marginem obtuſum poſteriorem continuatur, et *coronarium* audit. Hac ratione hepar ita firmatur, vt multa tamen ſuperſit mobilitas, et a ſepto tranſuerſo varie agitari et deprimi poſſit. Diuiditur in partem, ſeu ſuperficiem *conuexam*, vel *ſuperiorem* et *inferiorem*, ſeu *concauam*, cui veſicula fellis, et ductus hepaticus adhaereſcit, et in quam vaſa et nerui ſeſe inſinuant. Color eius obſcure rubicundus eſt. Hepatis ſubſtantia ex plurimis membranis et acinis, ſiue conuolutionibus vaſorum, conſtat. In hoc viſcus ſanguis ex cunctis viſceribus abdominalibus per radices et truncum venae portae affertur, qui in ſinu magno, antequam vena portarum fuit quinquefariam diuiſa, miſcetur, colligiturque, ex quo per totum hepar translato partes bilioſae minimis vaſculis ſecretoriis ſegregantur, et per ductum hepaticum, et veſiculam felleam, eiuſque ductum cyſticum, tandemque choledochum, ad inteſtinum duodenum amandantur. In homine lobi non adeo profunde inciſi duo cum tertio exiguo adſunt; aſt in brutis plures in partes diuiditur, quos lobos, pinnas, iecinoris fibras et ἔριθας vocant. Ab ἵστω, operor: credebant enim antiqui, in eo ſanguinem elaborari et confici, cum tamen functio eius vnice ſit ſecretio bilis, duodeno infundendae, ad concoctionem alimentorum adeo neceſſariae. Ge. Die Leber. G. *Le Foye.* A. *The Liver.* B. *Lever.*

HEPAR ANTIMONII, SVLPHVRIS, v. *Antimonium, Sulphur.*

HEPAR VTERINVM, i. q. *Placenta vteri.*

HEPATALGIA, eſt morbus, cuius praecipuum ſymptoma eſt moleſta ſenſatio, grauatiua, tenſiua, aut alia quaeuis, in regione hepatis, quae differt ab hepatitide defectu pyrexiae acutae. Talis a calculis, vel infarctu, aut ſcirrho, aut apoſtemate hepatis, oriri poteſt.

HEPATICA, medicamenta ſunt, quae olim ſpecifice contra hepatis morbos applicabantur, niſi quis hoc nomen remediis amaricantibus aperitiuis tribuere velit, quippe quae viſceri omnium maxime obſtructionibus obnoxio ſubueniunt. Ge. Mittel, die vor die Krankheiten der Leber dienen. G. *Remedes Hepatiques.* A. *A Remedy againſt the diſeaſes of the Liver.* B. *Middelen tegen de Lever-ziekten.*

HEPATICA, eo nomine inſigniuntur variae plantae, quibus medici hepatis malis medentur. Et quidem vel *Hepatica nobilis*, quae eſt Trifolium hepaticum, flore ſimplici caeruleo *Bauh.* *Anemone hepatica* foliis trilobis integerrimis

Linn. (Polyandr. Polygyn.) Ge. Edel- Leberkraut. Ga. *Hepatique des Fleuriſtes.* — quae ob vires ſubadſtringentes et tonicas variis in morbis a debilitate ſolidorum et inertia fluidorum oriundis commendatur. — Vel *Hepatica alba*, quae eſt Gramen Parnaſſi albo ſimplici flore *Bauh. Parnaſſia paluſtris Linn.* (Pentandr. Tetragyn.) Ge. Studentenröſlein. G. *Fleur du Parnaſſe.* cuius praeterea ſuccus expreſſus haemorrhagias ſiſtit. — Vel *Hepatica fontana*, quae eſt Lichen petraeus latifolius *Bauh.* Hepatica paluſtris dichotoma, ſegmentis anguſtioribus *Vail.* Riccia fluitans frondibus dichotomis lineari - filiformibus *Linn.* vel *Marchantia Polymorpha Linn.* (Cryptogam. Alg.) Ge. Brunnen- oder Steinleberkraut. G. *Hépatique de fontaine*, cuius quidem virtutes nondum ſatis exploratae ſunt, quas tamen blanda amarities cum acrimonia iuncta indicat. — Vel *Hepatica ſtellata*, quae iuxta plures eadem eſt cum *Fontana*, iuxta alios eſt *Matriſylua*, vel *Aſperula odorata Linn.* Ge. Waldmeiſter. G. *Hépatique de bois.* A. *Woodroof.* — Ge. Leberkraut. G. *Hepatique.* A. *Liver-wort.* B. *Lever-kruid.*

HEPATICA ARTERIA, ex arteriae coeliacae ramo dextro oritur, ſeu potius eſt alter ramus arteriae coeliacae, qui ſparſis ad ventriculum, omentum et cyſtidem felleam ramulis, eodem, quo vena portarum, loco, hepar intrat, et per totum eius corpus ramos diſpergit, qui tunicas vaſorum perreptant. Ge. Leberpulsader. G. *L'Artére hépatique.* A. *Hepatic Artery.* B. *Leverslagader.*

HEPATICA VENA, i. q. *Baſilica.*

HEPATICI, vocantur, qui morbo hepatis quocunque chronico laborant, ſcilicet ſi nulla adſit inflammatio, veluti in obſtructione cum vel ſine duritie, in qua hepar ſecretionis officio rite fungi non poteſt.

HEPATICVS DVCTVS, eſt canalis natus ex vnione ductuum excretoriorum hepatis, qui cum ductu cyſtico ad angulum acutum iunctus ductum choledochum conſtituit, bilem vtramque in duodenum effundentem. Ge. Der Lebergallengang. G. *Le Conduit ou le Canal hépatique.*

HEPATICVS FLVXVS, HEPATIRRHOEA, eſt indolens ſanguinis vt plurimum diluti et loturae carnium ſimilis per alvum deiectio, vndecunque materiae fluxus procedat, oriens ab infarctu viſcerum abdominalium, vel nimina apertione, aut eroſione, vaſorum inteſtinalium. Veteribus ſic dictus morbus, quod hepar infirmum ſanguinem attrahere et retinere non poſſe, putabant. Vide *Fluxus Hepaticus.* Ge. Leberfluß. G. *Flux Hépatique.* A. *The Fluxe of the Liver.* B. *Lever-Vloed.*

HEPATITIS, eſt inflammatio in hepate, ſedem ſuam habens vel in finibus venae portarum, vel arteriae hepaticae; plerumque icterum ſecum comitem habens, vt et dolorem, qui digito comprimente intenditur, cum ſenſu ardoris, gravitatis, dyſpnoea, tuſſi ſicca, anorexia, ſingultu et vomitu, et tumorem in hypochondrio dextro, cum febre continua, etc. Ge. Entzündung der Leber. G. *Inflammation du Foye.* A. *Inflammation of the Liver.* B. *Een Ontſteeking in de Lever.*

HEPATORIVM, i. q. *Eupatorium.*

HEPIALA, i. q. *Epiala.*

HEPTANDRIA, denotat claſſem plantarum, in quibus ſtamina ſeptem in eodem flore cum piſtillo ſunt.

HEPTAPHYLLVM, ſeu *Septifolium*, idem quod *Tormentilla.* Sic vocatur, quod fere ſemper ſeptem folia vbique caulem ambiunt. Ab ἑπτὰ, ſeptem, et φύλλον, folium. Ge. Birk- oder Tormentill-Wurzel. G. *Tormentille.* A. *Tormentil.* B. *Zevenblad.*

HEPTAPLEVRON, eſt *Plantago maior*, ſeptenis coſtis gaudens. Ex ἑπτὰ, ſeptem, et πλευρὸν, coſta. Vide *Plantago.*

HERACLEOTICVM, i. q. *Origanum*, dictum ab Heracleaponti.

HERACLEVS MORBVS, i. q. *Epilepſia.*

HERACLEA, illud nomen diuerſis inditur herbis, proprie vero *Heracleum Linn.* eſt Sphondylium *Bauh.* et *Tournef.* ſcilicet plantae genus, (Pentandr. Digyn.) gymnodiſpermum, flore roſaceo vmbellato, ſeminibus ouatis, compreſſo foliaceis, cuius variae ſpecies tum in nemoribus, tum in Alpibus, proueniunt. Vide *Opopanax.* Ge. Bärenklau. G. *Berce.* A. *Cow Parſnep.*

HERBA, eſt planta frutice minor, cuius caulis ſingulis annis perit, nouo deinde renaſcente, vel a radice ſolato, vel nudo, floribus et ſemine donato. Sic *herba annua* dicitur, quae eodem anno nata, flore fructuque perfectis tota interit, vt frumenta: *perennis* vero, cuius caules quotannis nati intereunt, remanente radicis foecunditate per plures annos regerminante. In formulis medicis nomen *Herbae* pro foliis ſolis vt plurimum vſurpatur. Gr. Βοτάνη et Πόα. Ge. Ein Kraut. G. *Herbe.* A. *Herb.* B. *Kruid.*

HERBA BENEDICTA, vide *Caryophyllata.*

HERBA BRITANNICA, vide *Britannica.*

HERBA COSTAE, eſt Hieracium Alpinum foliis dentatis, flore magno *Bauh. Hypochaeris maculata*, caule ſubnudo, ramo ſolitario, foliis ouato-oblongis, integris, dentatis *Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) Ob vires vulnerarias, et praecipue pectorales, laudatur.

HERBARIVM VIVVM, eſt liber, vel faſciculus foliorum chartae, in quo plantae naturales collectae extenſae et exſiccatae aſſeruantur. Ge. Ein lebendiges Kräuterbuch. *G. Herbier.*

HERBARIVS, eſt, vel qui plantas in vſum medicum colligit et vendit, vel qui rei herbariae peritus eſt, ſeu botanicus.

HERBA PARIS, vide *Paris.*

HERBA SACRA, vide *Periſtenon.*

HERBA STELLAE, vide *Coronopus.*

HERCVLEVS MORBVS, i. q. *Epilepſia.*

HEREDITARII MORBI, dicuntur, quos et parentes habuerunt, et cum genitura iam filios inualerunt, vt ſunt *Podagra, Phthiſis, Nephritis,* etc. quorum cauſa inprimis in vitioſa partium ſolidarum diſpoſitione latere putatur. Ge. Erbkrankheit, angeborne Gebrechlichkeit. G. *Maladie Hereditaire.* A. *An Hereditary Sickneſs.* B. *Erf-ziekten.*

HERMAPHRODITVS: hoc nomine ſignificatur animal, quod ſimul veris vtriuſque ſexus partibus inſtructum eſt, ſic vt et foecundari ab aliis, et alia foecundare poſſit. Si ex ſe ipſo generare poſſit, potius *Androgynus* dicitur. Talia, ſi pauca de teſtaceorum et polypodum claſſe excipiantur, vix inter animalia caetera reperiuntur. In hominibus eouſque naturam a legibus ſuis diſceſſiſſe, vix vnquam ſatis certis conſtitit hucuſque documentis. Qui *Hermaphroditi* vulgo dicuntur, vnius tantum ſexus ſunt, ſed genitalibus deformatis, ſic vt quandam etiam alterius ſexus ſpeciem plus vel minus mentiantur; talis eſt vrethra virilis fiſſa, aut clitoris muliebris monſtroſae magnitudinis. Ex Ἑρμῆς, *Mercurius*, ſic dictus ab interpretando, et Ἀφροδίτη *Venus.* Ge. Zwitter. G. A. *Hermaphrodite.* B. *Een Man-Vrouw.*

HERMAPHRODITVS, botanicis dicitur flos, qui ſimul partes maſculinas et foemininas, ſcilicet ſtamina et piſtilla, in eodem perianthio gerit.

HERMETICA MEDICINA, quam *Aegyptii* falſo a *Mercurio* deducunt. Haec morborum cauſas ad ſal, ſulphur et mercurium refert, et generoſiſſima remedia, non modo ex vegetabilibus et animalibus, verum etiam ex mineralibus, praeparat. Ge. Hermetiſche Medicin. G. *Medicine Hermetique,* A. *Medicine of Hermes.* B. *Hermetiſche Medicyn.*

HERMETICE SIGILLARE, ſcribitur ſaepe duabus literis H. et S. Eſt, quando vitra ita fuſione ferruminantur, vt nihil prorſus poſſit exhalare, et fit ſiue vitri ipſius colliquatione, ſiue alterius indolis luto.

HERMODACTYLVS, eſt radix bulboſa, vel tuberoſa, ex appoſitis tuberculis compoſita, ſubrotunda, auellanae magnitudine, compreſſa, cordis figuram referens, externe coloris albidi, interne valde albi, ſubſtantia leuis, fungoſa, non fibroſa, valde fragilis; hinc facile in pulueren farinaceum reducitur. Dum recens eſt, ſaporis acerrimi, dum annoſa, ſubdulcis farinacei, paululum viſcoſi, vel lenti, odoris nullius. Planta huius radicis adhuc dubia eſt. Dicitur quibuſdam Colchicum variegatum, vel radice ſiccata alba, *Baub.* Aliis *Iris tuberoſa* corollis imberbibus, foliis tetragonis *Linn.* (Triandr. Monogyn.) Adferuntur ad nos ſolae radices ex Oriente, Syria et Arabia. Veteribus ignotae ab Arabibus primum in vſum medicum adhibitae. Vires iis leniter purgantes et antarthriticae ineſſe credebantur, vt miſma articulorum dicerentur. In collyriis ad guttam ſerenam ſpecifice laudabantur. Eſu harum radicum exſiccatarum foeminae Aegyptiae pingueſcere dicuntur. Hodie tamen ob vires dubias parcus earum in medicina vſus eſt, et in quibuſdam pharmacopoeis prorſus exoleuit. Nonnullis etiam radix Erythronii, vel Cyclaminis, *Hermodactylus* dicitur. Nomen habet ab Ἑρμῆς, mercurius, et δάκτυλος, dactylus, palmae fructus vel potius Mercurii digitus, quia radix phalanges digitorum quodammodo refert. G. *Hermodacte.* A. *The Hermodactyl, Snake's head Iris.* B. *Hermodactyls.*

HERMODACTYLVS SPVRIVS, eſt *Colchicum*, it. *Cyclamen.*

HERNIA, RAMEX, Gr. Κήλη, in genere eſt partis mollis ex naturali ſede extra ſolitos limites receſſus, vt pars illa tamen ſolitis integumentis maneat obuelata. Vulgo autem ita dicitur inteſtinorum, omenti, etc. in inguina et ſcrotum prolapſus; ob peritonaei lamellam interiorem relaxatam, vtpote quae ad proceſſus vaginalis ortum in abdomine ſimplex, qualis annulum pro vaſorum ſpermaticorum exitu tegit, facilius vi prementi cedit, vnde hanc lamellam inteſtina vi illata impellunt per annulum in tunicam vaginalem, ſicque ea haerent in proprio ſacculo, et tumorem, vbicunque haeſerint, excitant. Item ad vmbilicum fit. *Incarcerata* dicitur, quando prolapſae partes, vel ob inflammationem, vel annuli anguſtiam, in cauitatem abdominis reduci nequeunt. Improprie dicitur hernia *vteri prolapſus, bronchocele, varices vaſorum ſpermaticorum*, item diſtenſiones a flatibus, humoribus aquoſis, vel tumoribus, etc. Herniae varias ſpecies et nomina iis, vel a loco, vel a materia contenta, aut parte prolapſa, impoſita, vide ſuo loco. Ge. Ein Bruch.

G. *Hernie, Deſcente, Rupture, Rompure.* A. *A Rupture.* B. *Een Breuk, Geſcheurtheid.*

HERNIA CARNOSA, i. q. *Sarcocele.*

HERNIA CONGENITA, eſt ſpecies oſcheoceles, vel herniae ſcrotalis, in tenellis interdum otiens, in qua inteſtini portio per annulum peritonaeique ductum, per abdominis annulum in imum vſque ſcroti ducentem, et in foetu adhuc patulum, in adyltis vero ſenſim concreſcentem, prolabitur, ſicque non peculiari ſacco, ſed canali peritonaei adhuc patulo incluſa, et cum ipſo teſticulo in contactu eſt. Dignoſcitur praecipue ab aliis ſpeciebus tum ratione originis a prima aetate, tum quod tumor hernioſus ab annulo incipiens et ſeſe extendens in imum ſcroti, ſimul ſine rotundo deſinat, nec vllum teſticuli veſtigium inter explorantis digitos occurrat.

HERNIA GVTTALIS, i. q. *Bronchocele.*

HERNIA HVMORALIS, eſt Teſticulus venereus. Vide *Hernia veneris.*

HERNIARIA, eſt planta exigua, humilis, quae habet plures caules, vel ramos nodoſos, qui repunt et circulariter ſe vbique extendunt per terram, ſibi mutuo adhaerentes et intermiſcentes. Folia ſunt exigua, Serpillum referentia, coloris viridis ſubflaueſcentis, ſaporis acris. Flos apetalus, (Pentandr. Digyn.) quinque ſtaminibus inſtructus, ex calyce multifido, quadrifido plerumque, vel quinquefido, ſtellatim expanſo, ſurgentibus. Fructus in fundo calycis ortus fit capſula rotunda, membranacea, ſtriata, vix dehiſcens, continens ſemen vnum paruum, acuminatum, ouatum. Radix fibroſa, parua. Haec planta creſcit in locis arenoſis. Species officinalis eſt Polygonum minus, ſ. Millegrana *Bauh. Herniaria glabra Linn.* Ob vires ſubadſtringentes et diureticas in hernia, hydrope et calculo laudatur. Specificum eſt in variis oculorum adfectibus remedium puluis huius herbae cum ſaccharo ſumtus. Commendatur quoque accenſae herbae fumus tubulo ſuctus. Nomen obtinuit, quod dicitur herniis mederi. Ge. Harnkraut, Bruchkraut, Tauſendkörner. G. *Turquette, Herniole, Renovée, Cornigiole.* A. *Rupture wort, Burſt wort, Knotgraſs.* B. *Duizend-koorn, Duizend-grein.*

HERNIA SCROTALIS, eſt, quando vſque in ſcrotum inteſtina deciderunt. Vide *Entero-Oſcheocele.*

HERNIA VENERIS, idem quod *Teſticuli Venerei*, eſt, quando teſtes plerumque inflammatorio tumore poſt ſuppreſſam gonorrhoeam, admodum dolent, et tument a materia intus contenta, nec effluere potente. Ge. Veneriſche Geſchwulſt der Hoden, Sandhoden. G. *Chaudepiſſe tombée aux bouſes.* B. *Venus-kloot, Zand-kloot.* Vide *Teſticulus.*

HERNIA VESICAE, vide *Cyſtocele.*

HERNIA VTERI, proprie idem eſt, quam *Hyſterocele*, ſcilicet vteri trans annulos inguinales, aut laxatos diductos infernae abdominis medietatis parietes elapſi ectopia hernioſa, quae ex protuberantiae loco, et exploratione colli vteri cognoſcitur. Interdum ſumitur, minus tamen recte, pro *Hyſteroptoſi*, quae eſt vteri, vel vaginae, procidentia cognoſcenda per protuberantiam in vagina obſeruandam, aut extra ipſam propendentem ab vtero prolapſo, inuerſo, vel a vagina inuerſa prolapſa efformatam, reductibilem ſaltem initio, ſtipatam doloribus ad renes, et inguina, pondere hypogaſtrii, inceſſu difficili, teneſmo, vrinae frequentia, aut difficultate. Vide in *Procidentia Vteri.* Ge. Mutterbruch. G. *Hernie de la matrice.* A. *A Falling down of the Womb.* B. *Lyfmoeders-breuk.*

HERPES, ſine *Inflammatio ſerpiginoſa*, eſt papularum congeries, ſeu efflorescentia ex tumoribus exiguis rubris aggregatis, pruriginoſis, in ſquamas furfuraceas, raro cruſtaceas, abeuntibus. *Zona Scribonio, Serpens Lucretio, ἕρπης Dioſcoridi, ἑρπηδὼν Nicandro, ζωστὴρ Plinio, ἑρπετικὸν ἕλκος Polluci.* Duplex eſt ſcil. *Miliaris*, ſeu *Puſtularis* Gr. Κεγχρίας. *Celſo Ignis Sacer, Auicennae Formica Corroſiua*, quae cum prurigine, cutim ſolummodo occupat. Ge. Flechten, Schwinden. G. *Galle, Gratelle, Feu volage, les Dartes.* A. *A Ringworm, a Hairworm.* B. *Hair-worm.* — Altera eſt, *Exedens*, ſiue ἕρπης ἐσθιόμενος, quae cutim profundius exulcerat. Vtrique proprium eſt amplius progredi, et in circulum quaſi ſerpendo latius occupare ſpatium. Cauſa eſt, quando glandulae cutaneae nimis vbertim particulis ſalſis ſuffunduntur, quae ab aliis viſcidis continentur, ne effluant, pruritum et vlcuſcula miliaria producunt, quae aliquando, ſi materia peccans abundauerit, cruſtam excitant et ſubiectas partes exedunt. Ab ἕρπω, ſerpo, quia continuo ſerpit. Ge. Die freſſenden Flechten, Salzfluß. G. *Gratelles rongeantes.* A. *Dew worm.* B. *Dauworm, de Wolf.*

HESPERIS, eſt plantae genus, quod habet caules, duos circiter pedes altos, rotundos, villoſos, medulla repletos. Folia alternatim iuxta caules diſpoſita, Erucam referentia, ſed minus inciſa, in margine dentata, acuta, villoſa, coloris viridis nigricantis, ſaporis aliquantulum acris. Calyx eſt tetraphyllus, deciduus; flores (Tetradynam. ſiliquoſ.) tetrapetali, cruciformes, coloris aliquando albi, aliquando purpurei,

vel varii, odoris ſuauis et grati, in quibuſdam ſpeciebus ad Allium accedentis, quae *Alliariae* dicuntur: poſt floxem ſequitur ſiliqua oblonga, tenuis, cylindrica, anguloſa, teres, biualuis, bilocularis, valuis longitudine diſſepimenti, cui plures inhaerent foueolae, in quibus reconduntur vtrimque ſemina plerumque rotunda, vel cylindrica, vel ouata, compreſſa, rubicunda, acria. Radix parua, alba, lignoſa eſt. Haec planta creſcit in hortis. In decoctis et cataplaſmatibus ſpecies allium redolens ſaepe cum fructu contra gangraenam adhibetur. Vide *Alliaria*, quam Ill. *Linnaeus Eryſimum Alliaria* foliis cordatis vocat. — *Heſperis* dicitur, quod veſpertino tempore et noctu melius oleat, quam interdiu. Ab ἑσπερος, veſper. Ge. Nachtviole. G. *Juliane, ou Juliene, Violettes des Dames.* A. *Dame-Violets.* B. *Bloem van Damaſt.*

HETEROCRANIA, eſt dolor alterutram capitis partem obſidens. Ab ἕτερον, alterum, et κρανίον, calua. Vide *Hemicrania.* Ge. Kopfwehe an einer Seite des Haupts. G. *Migraine.* A. *The Megrim.* B. *Hoofdpyn, die een van beide Zyden des Hoofds bezet.*

HETEROGENEVM, ſeu ANOMOEOMERES, in genere dicitur, quando particulae natura ſua, indole et viribus differunt, vel quando huiusmodi particulae diuerſi generis, ſpeciei, indolis et nominis, non proprie ad mixtionem pertinentes, fluidis, vel ſolidis, corporibus immiſcentur. Sic aer plurimas particulas heterogeneas ex aliis corporibus exhalantes continet. Sic cryſtalli et vitra variis particulis heterogeneis metallicis, vario colore inficiuntur. Sic miaſmata ad ſanguinem delata vario modo eius mixtionem deſtruunt. Ex ἕτερον, alterum, et γένος, ſexus, genus. Ge. Fremde Theile. G. A. *Hétérogéne.* B. *Meerdaantig, veeldaantig.*

HETERORHYTHMVS, eſt aetas alia, quam anni ferunt. V. c. ſi iuuenis ſenilem, et ſenex iuuenilem aetatem degere videantur. Illa differentia etiam de pulſibus dicitur, cum in morbis diuerſus modulus pulſandi tenetur. Ab ἕτερος, alter, et ῥυθμός, modulus.

HEXAGIVM, pendet quatuor ſcrupulos. Latinis *Sextula* eſt. Alii drachmam vnam cum dimidia eſſe dicunt.

HEXIS, eſt habitus, ſeu habitudo corporis ratione fluidorum et ſolidorum. Ab ἔχω, habeo. Ge. Die Geſtalt des Leibes. G. *Diſpoſition du Corps.* A. *The Habit of the body.* B. *Geſteldheis des Lighaams.*

HIBERNICVS LAPIS, *Tegula*, vel *Ardeſia Hibernica Pharm.* eſt ſubſtantia bolaris, vel argillacea, cum ſulphure et ferro mixta, ſeu potius aluminis minera, in Hibernia paſſim reperiunda, e caeruleo nigreſcens, inquinans, in igne vaporem ſulphureum eructans, in aere humido in ſubſtantiam vitriolicam abiens. Solet vulgus, minus tamen ſecure, eius puluerem in laeſionibus internis ſumere.

HIBISCVS, vide *Ibiſcus.*

HIDROA, SVDAMINA, PAPVLAE SVDORALES et SVDOSAE, ſunt quaedam tubercula lata et humida, prurigino ſa, non cohaerentia, granis milii ſimilia, interdum ſine pruritu, quae cutim ἐλκώδως exaſperant. Fiunt haec, plerumque ſubito, quando ſudor ob cutis denſitatem erumpere impeditur, adeo vt materia, ibi retenta, et tenuiori parte puris per vaſa lymphatica reuecta, vel euaporata, cutis in tumorem eleuetur. Affectus hic familiaris eſt pueris et iuuenibus, praeſertim temperamento calidioribus, qui aeſtatis tempore nimis mouentur et exercentur, in collo, ſcapulis, pectore, brachiis et femoribus, frequentius tamen circa pudenda et anum accidens. Arab. *Aſef* et *Albaſef.* Graec. Ἐξζέματα. Ab ἱδρόω, ſudo. Lat. *Sudamina.* Ge. Schweißblätterlein, Hitzblätterlein. G. *Echauboulure.* A. *Pimples.* B. *Sweet-puisjes.*

HIDROCRITICA, ſunt iudicia, quae a ſudore deſumuntur. Ab ἱδρώς, ſudor, et κρίνω, iudico. Ge. Zeichen, die aus dem Schweiß genommen werden. G. *Jugement qu'on forme de la maladie en conſequence de la ſueur.* A. *Signs taken from ſweating.* B. *Oordeel uit het ſweeten.*

HIDRONOSVS, eſt febris ephemera maligna, in qua adeſt ſumma virium proſtratio, animi deliquia, anxietas, cardialgia, capitis dolor, pulſus inaequalis, palpitatio cordis, aliquot quandoque annos a febre ſuperſtes, et praecipue ſudor perpetuus, copioſus, vtilis, cum morbo terminandus. Haec febris primum coepit in Anglia ſaeculo decimo quinto, indeque maximam partem Europae peragrauit, in principio vix centeſimus euaſit; verum adhibitis cardiacis et ſudoribus prolicitis morbi ſaeuities deferbuit. Vulgo *Sudor Anglicus* nominatur. Ex ἱδρώς, ſudor, et νόσος, morbus. Idem quod *Hydropyretos.* G. Schweißfieber. G. *La Suette.* A. *The Sweating Fever.* B. *Sweetkoorts.*

HIDROPYRETOS, i. q. *Sudor Anglicus*, ſ. *Hidronoſus.* Ex ἱδρώς, ſudor, et πυρετός, febris.

HIDROS, i. q. *Sudor.* Ab ὑδρόω, ſudo.

HIDROTICA, ſeu SVDORIFERA, ſunt medicamenta eiusdem ferè naturae, quam diaphoretica, niſi quod fortiora ſunt. Sanguinem humoreſque omnes validius per totum corpus mouent, eos incidunt, et attenuant; ſimulque imminuunt reſiſtentiam in vaſis exhalantibus circa cutim, atque ita ipſa partim in ſudorem erumpunt, et partim in halitum conuertunt liquida circulantia, et quaecunque obuia ſunt, ſecum deferunt, et in ambitum corporis propellunt, vbi illa in ſenſibilem ſudoris liquorem collecta erumpunt. Ab ἱδρώς, ſudor. Ge. Schweißtreibende Arzeneyen. G. *Remedes ſudorifiques, ou diaphoretiques.* A. *Remedies producing Sweat.* B. *Zweet-middelen.*

HIERABOTANE, vide *Periſteron.*

HIERACIVM, eſt plantae genus flore compoſito ſemifloſculoſo, (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) quod habet caules, ſeſquipedem, vel duos pedes altos, fortes, anguloſos, coloris viridis fuſci, cauos, in plures ramos diuiſos, et foliolis quibuſdam inſtructos. Folia inprimis ex radice erumpunt, repentia, longa inſtar Taraxaci, in fine obtuſa, inciſa, viridia, ſuperne tenera, villoſa, inferne denſiore lanugine caneſcentia, maculis pulchris interdum notata, ſapore amaro et nitroſo. Flores ſunt ſemifloſculoſi, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtantes, embryoni inſidentibus, et calyce maiore, ampliore, et ſquamoſiore, quam in Lactuca comprehenſis. Calyx per maturitatem non in conum, vt in ſoncho, creſcit, ſed explicatur. Embryo autem abit deinde in ſemen teneriuſculum, non fuſcum, pappis ſimplicibus inſtructum, in capitulum collectum. Radix longa, craſſa, carnoſa, ſimplex, alba, ſuccum lacteum amarum gerens. Duae praecipue ſpecies in vſum medicum adhibentur, ſcilicet Hieracium folio maculato, vel *Hieracium minus,* quod etiam *Pulmonaria Gallorum* dicitur, et praeſtantiſſimis viribus vulnerariis et roborantibus, praecipue in morbis pulmonum, pollet, et *Hieracium piloſella* foliis integerrimis quatis ſubtus tomentoſis, ſtolonibus repentibus, ſcapo vniflоro *Linn.* Piloſella maior repens hirſuta *Bauh. Auricula muris Pharm.* Ob virtutem ſubadſtringentem et vulnerariam ſuccus eius lacteſcens in hernia, diarrhoea, ſcabie et herpete commendatur. Nomen accepit ab accipitre. Gr. Ἱέραξ, quia creditur, accipitres huius ſucco oculos reſtituere; ſcalpendo enim illud, ſuccoque oculos tingendo, obſcuritatem cum ſenſere, diſcutiunt. *Sonchites* etiam appellatur, quod Soncho non admodum diſſimilis ſit, maxime quod ad eius circumferentiam et extremam partem, in qua caules et flores ſunt, attinet. Propter lacteum ſuccum *Lactuca ſyluatica* vocatur: appellatur etiam a quibuſdam *Accipitrina.* G. Habichtkraut. G. *Cichorée jaune, Herbe de l'Epervier.* A. *Hawk-weed.* B. *Haviks-kruid.*

HIERA PICRA, eſt electuarium ex aloë, ligno aloës, cinamomo, radicibus aſari, ſpica indica, croco, maſtiche et melle paratum. Viribus quidem leniter purgantibus gaudet, eius tamen vix hodie alius vſus eſt, quam in clyſteribus. Ex ἱερὰ, ſancta, propter vires laudabiles, et πικρὰ, amara.

HIEROGLYPHICAE NOTAE, ſunt plicae rugaeque in manibus, ex quibus vana curioſitas multum praedicere conatur. Ex ἱερὸν, ſanctum, et γλύφω, ſculpo. Ge. Wahrſagen aus den Händen. G. *Chiromantie.* A. *Chiromancy.* B. *Hand-kyk-konſt.*

HIPPOCAMPVS, eſt piſciculus in portubus maris mediterranei abunde reperiundus, ſex circiter digitos longus et digitum craſſus, ex ordine Branchioſtegorum, ad genus *Syngnathi* pertinens, cuius caput aliquantum capiti equino ſimile eſt, roſtrum ſubcylindricum, ore operculato maxilla inferiore; apertura branchiarum operculis clauſis; nucha foramine ſpirans; corpus articulatum, pinnae ventrales nullae. Species huius, ſcilicet *Hippocampus*, habet pinnas caudae nullas, corpus ſeptemangulatum, tuberculatum, caudam quadrangulatam. Piſciculi, dum viuit, caput et collum filamentis, velut tentaculis, obſitum eſt. E ventre ſuccum venenatum fundere, ipſe tamen in morſu canis rabidi prodeſſe dicitur. Exſiccatus, inque formam ſigmoideam inflexus, frequenter a curioſis aſſeruatur. Ge. Seepferdchen. Ga. *Hippocampe, Cheval Marin.* Ex ἵππος, equus, et κάμπτω, inflecto, quia illud animalculum inflexum eſt.

HIPPOCAMPI PEDES, vocantur productiones ſubſtantiae medullaris cerebri, ſubiecta ſubſtantia cineritia, quae vtrinque in ventriculis lateralibus cerebri, cum proxima cruribus fornicis interiecta cerebri medulla vnitae, arcus inſtar deorſum antrorſumque inflexae, ad finem exteriorem cuiuſque ventriculi lateralis deſcendunt, ibique tribus, quatuor, aut quinque partibus obtuſis, aliqua cum ſimilitudine pedis animalis ſiſſipedis, ſed vnguibus deſtituti, finiuntur. *Hall.*

HIPPOCRATICA FACIES, vide *Facies Hippocratica.*

HIPPOCRATICVM VINVM, ſeu *Vinum ſaccatum*, Graec. σακκία, eſt vinum aromatum variorum ſapore imbutum, dum

per saccum his refertum percolatur, addito deinde sacchato. Ge. Hippokras. G. *Hippocras.*

HIPPOCRATIS MANICA, vide *Manica Hippocratis.*

HIPPOGLOSSVM, vide *Hypoglossum.*

HIPPOLAPATHVM, est *Rhabarbarum Monachorum*, seu *Lapathum magnum*, ita ob magnitudinem appellatum videtur. Lapathum aquaticum folio cubitali *Baub.* Lapathum palustre *Tabern. Rumex aquaticus Linn.* (Hexandr. Trig.) floribus hermaphroditis, valuulis integerrimis, nudis, foliis cordatis acutis. Habitat ad ripas fluuiorum et paludum Europae. Iisdem, quam rhabarbarum, sed debilioribus viribus pollet. Ex ἵππος, equus, et lapathum. Ge. Mönchsrhabarber. G. *Rhubarbe des moines, Rhapontic des moutagnes, Patience des Jardins.* A. *Patience, vel Monks-Rhubarb.* B. *Groote-of-Waterpatig.*

HIPPOLITHVS, *Bezoar equinum*, est calculus in equorum cystide fellea, intestinis, vel etiam aliis partibus corporis, genitus, cui pariter bezoardicae virtutes tribuuntur. Ge. Pferdstein. G. *Hippolithe.*

HIPPOMANES, hoc nomine vel denotatur liquor e genitalibus equae oestro venereo percitae exstillans, vel frequentius concrementum quoddam informe e membranulis et gelatina inspissata formatum, et, dum hinnulus nascitur, inter amnion et tunicam alantoideam reconditum. Ab equa illico deuoratur; quod ni fiat, illa hinnulum deserere dicitur. Hinc ad praeparanda philtra summae esse efficaciae, fabulose olim creditum est. Eius deuorationi furores *Caligulae* tribuit *Iuuenalis.*

HIPPOPHAES, siue *Rhamnus Catharticus*, oleae folio; VOX ἀπὸ τοῦ ἵππου, quod vis eius purgatrix tam valida credatur, vt ipsis equis aluum subducat. Est Rhamnoides *Tourn. Hippophae Linn.* (Dioec. Tetrandr.) calyce monophyllo, flore apetalo, bacca globosa, vniloculari, monosperma. Colitur passim in hortis inter sepes. Baccarum vsus viridi- et luteo-tinctorius est. Syrupus ex iis praeparatus aquas commode euacuat, hinc in hydrope commendatur. Baccas Finnis in cibum cedere lego. Sunt, qui *Hippophaen Dioscoridis* speciem Tithymali esse putant. Ge. Weiden-Meer-Kreuzbeere, Finnische Beere. G. *Nerprum, ou Bourg-Epine.* A. *Sea Buckthorn, Sallow-Thorn.* B. *Purgeer-doorn.*

HIPPOPOTAMVS *amphibius*, pedibus quadrilobis, est animal mammale, cuius dentes primores superiores sex per paria remoti; inferiores quatuor prominentes, intermediis recta protensis; laniarii solitarii oblique truncati; pedes

margine vnguiculati. Habitat in et circa Nilum, et alios Africae fluuios maiores. Corpus Suis, nudum praeter vibrissas, magnitudine Vri, pedibus breuibus, mandibula superiori mobili, dentibus scintillans; mammae duae inguinales; incedit, nec natat; humiles aggeres vix adscendit; pabulatur in fundo et ficco; carnes, pisces et plantas deuorat. *Linn.* Putatur *Behemoth Iobi* esse. Dentes laniarii ad nos adferuntur. Sunt hi duos pedes longi, dimidiumque crassi, summae duritiei, vt chalybe percussi scintillas excitent. Insignes his virtutes antiepilepticae et antispasmodicae olim tributae sunt. Verum ob qualitatem insipidam, inodoram, terreo-gelatinosam, vix alius hodie eorum, quam absorbens, subadstringens, et ob summam duritiem mechanicus vsus praecipue ad dentes artificiales est. Ge. Flußpferd. G. et A. *Hippopotame.*

HIPPOSELINVM, *Olus atrum* vocatur. Sic a magnitudine dictum. Ab ἵππος, equus, et *Selinum.* Siquidem Graeci magnis et amplis rebus *Hippo* praeponere solent, adeo vt *Hipposelinum* Latinis nihil, nisi *Grande apium*, sit. *Olus* autem *Atrum*, vel *Pullum*, a foliis, vel seminibus, quae atro colore nitent, appellatum esse videtur. Est planta biennis flore rosaceo vmbellato, (Pentandr. Digyn.) Smirnivm Dioscoridis *Baub. Smirnium Olusatrum* foliis caulinis ternatis, petiolatis, serratis *Linn.* Prouenit in locis paludosis, sed et in hortis colitur. Radix ob vires diureticas et resoluentes decoctis sanguinem purificantibus additur. Semen, ob oleum essentiale, quod continet, virtute stomachica et carminatiua gaudet. Ge. Alexandrische Peterssilien. G. *Maceron.* A. *The Herb Alexanders.* B. *Groote Eppe, Peterseli van Alexandrien.*

HIPPVRIS, Lat. *Equisetum*, seu *Cauda equina*, eamque referens. Equisetum palustre *Baub. Hippuris vulgaris Linn.* (Monandr. Monogyn.) est planta absque calyce et corolla, filamento vnico receptaculo floris insidente, anthera semibifida, semine vnico subrotundo, nudo. Conf. *Equisetum.* Ex ἵππος, equus, et οὐρά, cauda. Dicitur etiam *Salix*, seu *Herba equinalis*, vt et *Asprella.* Ge. Schafftheu, Roßschwanz, Katzenwedel. G. *Queue de Cheval, Queue de Chat, Aprelle.* A. *Horsetail.* B. *Paardestaart.*

HIPPVS, *Nystagmus bulbi*, est oculorum affectus, in quo oculi tremuli continuo agitantur et subinde nictitant, vt in equitatione fit. Datur etiam *Hippus pupillae*, qui est alterna et continuo repetita pupillae dilatatio et constrictio. Vterque affectus aegre medelam admittit. Ab ἵππος, equus. Germ.

Bebende Augen. G. *Souris des yeux, Maladie des yeux, par laquelle ils ſe meuvent continuellement de coté & d'autre, & ne peuvent demeurer dans une même ſituation, Inſtabilité des yeux.* A. *Trembling of the Eyes.* B. *Bevende Oogen.*

HIRCI BARBA, Gr. τραγοπώγων, planta nomen ſibi adſcivit, quod e calycis ſummo, floribus euaneſcentibus, pappoſa prodeat caeſaries, ſeu comoſa lanugo, cui cum hirci barba nonnulla ſimilitudo. Vide *Tragopogon.* Ge. Bocksbart. G. *Barbe de Bouc.* A. *Goats-Beard.* B. *Boks-baard, Joſephs-bloemen, Morgenſtar.*

HIRCVLVS, eſt Nardi ſpecies, ſicque dicitur, quod Hircum redoleat.

HIRCVS, eſt animal quadrupes ad Mammalia pecora pertinens, cuius cornua concaua, ſurſum verſa, erecta, ſcabra; dentes primores inferiores octo, laniarii nulli. *Capra Hircus* cornibus carinatis, arcuatis, gula barbata *Linn.* Pecus infidum, ſaliens, ſalax, graueolens, corio tenaci indutum, lana caprina tectum. Habitat in montoſis, victitans ex ramulis variis frondibuſque arborum, lichenibus; edit etiam cicutam. Sanguini, praecipue pone aures emiſſo, ſingularis virtus ſanguinem reſoluendi attribuitur, hinc a vulgo paſſim adhuc in pleuritide et contuſionibus, maxime internis, commendatur. Seuo vis emollients eſt. Ge. Bock. G. *Bouc.* A. *Goat.* B. *Geitebok.*

HIRCVS, HIRCI, vel HIRQVI, oculorum anguli, κανθοί, eorum, qui ad naſum ſunt, ῥαντῆρες et ῥίγαι dicuntur, quod inde lachrymae manant. At qui ad tempora, παρωπίδες, *Poll. Nicandr.* Vide *Canthus.* Ge. Die Augenwinkel. G. *Les Angles de l'Oeil.* A. *The Corner of the Eye.* B. *Oog winkels, Oog-hoekjes.* — Pili etiam ſub axillis *Hirci* appellantur. Et ſudor ſubalaris, hirci inſtar foetens, *Hirciſmus* dicitur. Ge. Das Achſelhaar. G. *Le poil deſſous l'aiſſelle.* A. *The Wing Hairs.* B. *Het Oxel-hair.* — Item Auris eminentia. Vide *Tragus.*

HIRQVVS, i. q. *Canthus.*

HIRVDO, ſiue SANGVISVGA, *Hirudo medicinalis Linn.* depreſſa, nigricans, ſupra lineis flauis ſex, intermediis nigro-arcuatis, ſubtus cinerea, nigro-maculata, eſt vermis aquas ſtagnantes incolens, frequentis admodum in medicina vſus. Cutem enim, cui applicatur, mordendo perrumpit, ſanguinemque exſugit; hinc variis corporis locis, ad efficiendam reuulſionem, admouetur. Praecipue vero ad reſtituendum haemorrhoidum fluxum ſuppreſſum ano applicatur, et omnibus morbis, quos haemorrhoidum fluxus ſoluit, prae aliis

ſanguinem mittendi methodis prodeſt. Gr. Βδέλλα. Ge. Ein Igel, Blutigel. G. *Une Sangſue.* A. *A Blood-Sucker, Leech.* B. *Bloed-zuiger.*

HIRVNDINARIA, eſt *Aſclepias*, ſeu *Vincetoxicum.* Sic vocant a fructu, ſeu potius a ſiliquis, quas producit, quae dehiſcentes plumoſum oſtendunt ſemen, atque hirundinis figuram referunt. Ge. Schwalbenwurzel. G. *Domte-venin.* A. *Swallow-wort.* B. *Zwaluwe-wortel.*

HIRVNDINARIA, vide *Centum morbia.*

HIRVNDINVM NIDI EDVLES, gelatinoſi ſunt e molluſcis facti. A ſpecie *Hirundinis* parantur, quae *Linnaeo eſculenta* rectricibus omnibus macula alba notatis dicitur. Habitant eae in China ad ripas. Nidi hemiſphaericae figurae, oui anſerini magnitudine, pellucidi, ſubſtantia ichthyocollam referente, iuſculis incoquuntur, iiſque vis vehementer nutriens et aphrodiſiaca tribuitur. Ge. Indianiſche Schwalbennеſter.

HIRVNDO, eſt auis e paſſerum ordine, roſtro ſcilicet conico, acuminato, naribus ouatis, patulis, nudis, et quidem roſtro minimo, incuruo, ſubulato, baſi depreſſo, rictu capite ampliore. Inter plures ſpecies apud nos maxime frequens eſt *Hirundo ruſtica*, vel *domeſtica*, rectricibus, exceptis duabus intermediis, macula alba notatis, et *Hirundo urbica*, rectricibus immaculatis, dorſo nigro-caeruleſcente. In aere inſecta captant. Nidificant ſub tectis et ad parietes in Europaeis regionibus. Adueniente frigore, partim in calidiores regiones migrant, partim ſommo ſopitae demerguntur. In officinis aqua Hirundinum deſtillata e pullis proſtat; antiſpaſmodica. Nidus lacte coctus in angina ſuppuratoria adhibetur. Stercus ſepticum eſt. Ge. Schwalbe. G. *Hirondelle.* A. *Swallow.* B. *Zwalluw.*

HISPANICVM OLVS, eſt *Spinachia*, fortaſſe quod ex Hiſpania primum duxerit originem, et deinde ad caeteras tandem nationes translata ſit. Ge. Spinat. G. *Eſpinars.* A. *Spinache.* B. *Spinagie.*

HISPIDVLA, eſt planta officinalis, *Piloſellae* ſpecies, ſeu potius *Gnaphalium Dioicum*, ſarmentis procumbentibus, caule ſimpliciſſimo, corymbo ſimplici terminali, floribus dioicis *Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) Ge. Katzenfuß, G. *Pied de chat.* A. *Cats-foot.* B. *Katte-Voet.*

HISTORIA NATVRALIS, eſt ſcientia, quae verſatur circa cognitionem corporum naturalium eorumque qualitatem. Ge. Die natürliche Geſchichte. G. *L'Hiſtoire naturelle.* A. *The Natural Hiſtory.*

HISTOS, Gr. ἱστός, est instrumentum chirurgicum ligneum, in cuius summo aliud lignum transuersum imponitur, ex quo trochlea dependet, ad scalae demissionem.

HOLCE, Gr. ὁλκή, i. q. *Drachma.*

HOLIPPAE, sunt placentulae ex infusione medicamentali farinaque triticea, addito insuper saccharo, subactae.

HOLOSTEVM, seu HOLOSTIVM, est herba sic per antiphrasin dicta, quasi minime ossea, sed potius tenera et mollis, ac omni prorsus duritie carens. Forte Caryophyllus aruensis *Bauh.* Lychnis graminea hirsuta vmbellifera *Morif. Holosteum Linn.* (Triandr. Trigyn.) quod est planta calyce pentaphyllo, corolla pentapetala, capsula ouata, vniloculari, apice triualui, polysperma. Ex ὅλον, totum, et ὀστέον, os. Ge. Spanische Wegerich. A. *Spanish Plantain.* B. *Spaansche Weegbree.*

HOMO, HOMO DIVRNVS, sapiens, Nosce te ipsum, etc. *Linn.* (Mammal. Primal.) Prostat in officinis ex eo *Mumia Aegyptiaca,* portiones scilicet cadauerum, in Aegypto, ope variorum balsamorum, conditorum, quarum tamen virtus maxime a balsamis additis pendet. Cranium, sanguis, axungia, vrina, passim adhuc in vsum medicum adhiberi solita, vix qualitate et virtute ab iisdem partibus caeterorum quadrupedum differunt, nisi forte, vt in *Vsnea* praecipue fieri solet, superstitio his peculiarem tribuere virtutem velit. Doctrinam de medicamentis ex corpore humano desumtis Cl. *Dale Anthropologiam* vocat. Ge. Der Mensch. G. *l'Homme.* A. *Man.*

HOMOEOMERES, vide *Similares Partes.* Ex ὅμοιον, simile, et μέρος, pars.

HOMOGENEAE PARTICVLAE, sunt, quae purae, integrae et immixtae, sibique per omnia similes sunt. Ex ὁμὸν, simile, et γένος, genus. G. Gleiche, gleichartige Theile. G. A. *Homogéne.* B. *Eenaartige Deeltjes.*

HOMOPLATA, *Scapula, Spatula, Scoptula aperta Celso.* Gr. Πλάται, Ὠμοπλάται, Ἐπινώτιοι, siue os, quod dorsi latitudinem constituat, triangulare, latum, et tenue, praesertim in medio, sed in processibus crassum, vtrimque vnum, incumbens superioribus costis parte postica instar scuti. Processus sunt tres, *Acromium,* siue mucro, extremitas scilicet recurua, compressa, spinae, seu eminentiae, transuersim in superficie externa decurrentis; *Coracoides,* siue *Ancoralis,* ἀγκύλη, et *Ceruix,* quae cauitatem glenoideam habet, in qua caput ossis humeri excipitur. Vsus ad humeri et clauicularum articulationem, et ad musculorum implantationem.

Ab ὦμος, humerus, et πλατὺς, latus. Ge. Das Schulterblatt. G. *l'Os de l'Epaule, Omoplate.* A. *The Shoulderblade.* B. *Het Schouderblat.*

HOMOTONOS, est morbus eundem ordinem seruans, vel est febris continua, aequali vehementia decurrens. Ex ὁμὸν, aequale, et τείνω, teneo.

HOPLOCHRISMA, est armorum, vt gladii, cultri, pugionis, etc. deligatio, qua creditur vulnera consolidari, quod tamen ridiculum. Ex ὅπλα, arma, et χρίω, vngo. Germ. Waffenverbindung. B. *Wapen-Verbinding.*

HOPLOMOCHLION, est nomen instrumenti chirurgici vniuersalis, toti corpori humano adaptandi et applicandi.

HORA, est *Hippocrati* determinatum anni tempus, quod liquet ex Aph. 1. Sect. 3. *Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν.* Id est: mutationes temporum pariunt morbos ipsis anni temporibus etc. vnde ὥρος, annus, et ὡραῖος, tempestiuus. Vulgari tamen significatione denotat vigesimam quartam partem nychthemeri. Ge. Eine Stunde. G. *Une Heure.* A. *Hour.*

HORAEA, et ὥπωρα, sunt fructus tempestiui, seu aestiui, vt *Fraga, Cerasa, Ribesia, Mora, Poma, Pyra, Pruna,* etc. qui ob succum acidulum et refrigerantem in febribus plerisque acutis, aestuque sanguinis, praecipue subiectis siccis et biliosis prosunt, minus vero corporibus laxis conueniunt, hisque flatus et tormina excitant. Vsus plerorumque non tantum cibarius est et culinaris, verum etiam in officinis succi expressi et syrupi prostant. Ab ὥρα, tempus. Ge. Obst. G. *Fruits d'Eté.* A. *Summer fruits.* B. *Vrugten, Ooft.*

HORARII FRVCTVS, i. q. *Horaea.*

HORDEATVM, est medicamentum liquidum internum, ex hordeo ad crepaturam cocto et tuso, liquoribus conuenientibus affusis et colatis, praeparatum, quibus amygdalae, sem. papaueris albi, sem. quatuor. frig. mai. etc. non raro accedunt. Vide *Emulsio.* Ge. Gerstenmilch, Gerstenwasser. G. *Orgeade, Lait d'Orge.* A. *Barley Milk, Barley-Water.* B. *Een Gerften melk.*

HORDEOLVM, seu CRITHE, vel HORDEVM, est tuberculum in limbo palpebrarum, magnitudine hordei enascens, cuius altera species *grando,* tuberculum durum, indolens, mobile, pellucidum et rotundum; quae vero tubercula maiora hic eueniunt, ad nodos, melicerides, steatomata et cancros referuntur. Omnia id habent, quod pondere suo, aliisque modis, motui palpebrarum remoram iniiciunt. Gr. Κριθὴ, et κοκκία. Germ. Gerstenkorn. Ga. *l'Orgeolet,*

ou Orgueil. A. *A Swelling in the Eyebrows like a Barley corn.* B. *Een Stronije, Scheetje op het Oog, een Szyge.*

HORDEVM, ſeu ORDEVM, eſt planta cerealis, quae habet culmum ſecali minorem. Folia latiora, ſpica craſſior. Calyx triflorus, hexaphyllus, gluma nulla, corolla biualuis; valuula inferiori in ariſtam longam, aſperam definente; (Triandr. Digyn.) Semen tumidius vtriuſque apice acutiore, et ſulco longitudinali notatum, glumae tam arcte adhaerenti vnitum, vt non niſi triturando ſeparetur. Species maxime obueniens eſt Hordeum diſtichum *Bauh. Hordeum diſtichum*, floſculis lateralibus maſculis muticis, angularibus imbricatis *Linn.* Ob qualitatem farinaceam, nutrientem et refrigerantem vſus eius medicus et cereuiſiarius quotidianus eſt. *Hordeum perlatum* in cibum adhibetur. Veteribus vſitatiſſimum erat ad parandam ptiſanam, cuius vſus in febribus, omnibuſque morbis acutis, valde celebratur. Gr. κριθή. Dicitur ab horrore, quod eius ariſta mordacior ſit, quam tritici, vel ab oriendi celeritate, quod ante caetera frumenta pullulet, vel ab antiquo adiectiuo, *Hordus*, quod ſignificabat *Grauidum.* Vide *Crithe.* Ge. Gerſte. G. *Orge.* A. *Barley.* B. *Gerſt.*

HORMINVM, ſeu ORMINVM, eſt plantae genus Saluiam referens. Caules pedem circiter alti, rubicundi, quadrati, lanuginoſi, ramoſi. Folia Saluiae, ſed minus ſicca, nitidiora, valde lanuginoſa, ſibi inuicem oppoſita, non valde odora, ſaporis amari. In ſummitate ramorum ſunt multa folia coniuncta coloris Violae. Flos monopetalus labiatus, ſeu ringens, cuius labium ſuperius paruum et galeatum falcatum eſt, inferius vero in tres partes diuiſum, media cochlearis inſtar excauata. (Didynam. Gymnoſperm.) Ex calyce ſurgit piſtillum, floris parti poſteriori inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, obtuſe triquetra, in capſula, quae floris calyx fuit, recondita. Radix fibroſa, lignoſa. Eſt *Sclareae* ſpecies, et omnes huius ſpecies *Horminum* vocauerunt, verum quibus galea falcata eſt, hae *Sclareae* dicuntur, *Horminum* vero habet galeam breuiorem, et magis apertam. Qualitas et vſus ſuſpectus eſt. Dicitur ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν, quod impetu coeco agat, et cieat in venerem. Vide *Sclarea.* Ge. Schar-lachkraut. G. *Orvale.* A. *Clary.* B. *Schatley.*

HORRIFICA FEBRIS, vide *Phricodes.*

HORROR, HORRIPILATIO, Gr. Φρίκη, et Φρίκιον, a φρίττω, eſt leuis conuulſionis ſpecies, in exterioribus corporis partibus, ſcilicet integumentis, cum ſenſu frigoris contingens,

minor, quam *Tremor*, dum quaſi corpus frigore inuadit, et ſubinde tantum obſeruatur, ſed Tremor aliquo ſucceſſiuo tempore adeſt, et artus ſuccutit. Symptoma hoc in febrium initio plerumque adeſt. Item cum aere frigido afficimur, vel res horrendae enarrantur. Ge. Zittern, oder Schaudern. G. *Friſſon.* A. *Shiuering, Shuddering, Trembling.* B. *Een Koude Yzing.*

HVMECTANTIA, ſunt medicamina, quae particulas ſuas humidas corporis noſtri poris poſſunt inſinuare. — Item ſunt omnia fluida, quae ſolida emolliunt, et fluida ſpiſſa diluunt. Gr. Τγραίνοντα, vel Τγραντικά. Ge. Anfeuchtende Arzeneyen. G. *Remedes humectans.* B. *Bevogtigende Middelen.*

HVMERVS, illa pars corporis eſt, quae apparet in ea articulatione, qua ſuperior humeri pars, quae *Epomis* et *Superhumeralis* dicitur, ad collum vergit, et a poſteriori parte oſſi ſcapulae adhaeret, ab inferiori autem ei parti, quae, dum totum brachium attollitur, manifeſta fit, et *Ala* nuncupatur. Alias *Humerus* quoque dicitur de parte prima brachii, quae vnico oſſe cylindrico conſtat, quae aliis *Brachium* per excellentiam appellatur; illius os appellatur *Os humeri, Os brachii*, et *Os adiutorium*, et ſuperiori capite iunctum eſt cauitati glenoideae ſcapulae, in parte vero inferiori cubito, radio ſcilicet et vlnae. Gr. ὦμος. Ge. Oberarm, das Armbein. G. *l'Epaule, l'Humerus.* A. *Shoulder.* B. *Schouder.*

HVMIDITAS, morboſa eſt, ſi tanta humidi copia partibus ſolidis ſit intermiſta, vt earum actio eneruetur.

HVMIDVM PRIMOGENIVM, is forte dici poſſet liquor, qui in tunicis ouuli rudimenta cuiuscunque animalis ambit, nutrit, ſicque eorum euolutionem promouet. Sic etiam *Humidum radicale* is humor vocatur, qui acceſſu ſuo fibris corporis animalis et debitam cohaeſionem et iuſtam flexilitatem conciliat. Ge. Die Grundfeuchtigkeit. G. *l'Humide, ou l'humeur radicale.* B. *Het eerſte vogt.*

HVMILIS MVSCVLVS, vel *Rectus inferior*, eſt is, qui oculum deprimit. Sic dictus, quia oculum deorſum verſus malas trahit. Ge. Der hinunterziehende Augenmuskel. G. *Le Muſcle humble, Abaiſſeur.* A. *The depreſſing Muſcle of the Eye.* B. *De nederige Spier.*

HVMILVS, i. q. *Lupulus.*

HVMORES, noſtri corporis in genere quidem inter ſe et cum omnibus aliis conueniunt, ſed proprias quaſdam dotes habent, vnde multiplex eorum differentia: ſuntque vel crudi ex ingeſtis cibis potubuſque, vel naturales, ſiue inquilini.

HVMORES SANGVINEI, a veteribus in *Sanguine* constituuntur quatuor, nempe *Biliosus*, *Pituitosus*, *Melancholicus*, et *Sanguineus*, proprie dictus, idque secundum quatuor elementa Peripatetica, et secundum horum humorum abundantiam *Temperamenta* determinabantur. Rectius tamen sub humorum nomine omnis massa fluidorum comprehenditur, quae in corpore animali per vasa mouetur, et a qua varii alii humores secernuntur, partim excernendi, partim aliis visibus destinati. Omnes hi humores, quorum debita quantitas et mixtio sanitatem, laesa proportio, aut mixtio, morbos efficit, sunt vel aquosi, vel mucosi, vel gelatinosi, vel oleosi. Vide *Sanguis*. Ge. Die Feuchtigkeiten, Säfte. G. *Humeurs*. A. *The Humours*. B. *Humeuren, Vogten*.

HVMORES OCVLARES, vulgo dicuntur tres. 1. *Aqueus*, qui reliquis tenuior, aquae instar limpidus, anterius intra corneam et vueam tunicam, et inter hanc et lentem crystallinam continetur, sicque cameram anteriorem et posteriorem replet, et procul dubio a minutissimis arteriolis perpetuo emittitur, iterumque a venulis resorbetur, quoniam laeso oculo effluens sensim recolligitur. Ge. Die wäßerige Feuchtigkeit der Augen. G. *l'Humeur aqueuse*. A. *The Watery humour*. B. *Waterig oog-vogt*. — 2. *Crystallinus*, siue *Glacialis* humor, qui tamen rectius *Corpus Crystallinum*, vel *Lens Crystallina*, dicitur, cum figuram lentis exhibens, e tenuissimis lamellis et humore pellucidissimo compositus longe reliquos humores densitate superet; ope propriae capsulae in fouea humori vitreo insculpta continetur. Ge. Die krystallene Feuchtigkeit. G. *Humeur cristalline, ou le Crystallin*. A. *Crystalline, or Icy Humour*. B. *Krystalline Vogt*. — 3. *Vitreus*, reliquis duobus longe copiosior, posteriorem oculi cauitatem occupat: proprie *Corpus Vitreum* dicitur; magis enim, quam humor aqueus, minus, quam lens crystallina, densum, e cellulis et membranulis tenuissimis constat, humorem tenuissimum, purissimum, et pellucidissimum, non ab igne coagulabilem, sed totum calore auolantem, continet. Ge. Die gläserne Feuchtigkeit. G. *l'Humeur vitrée*. A. *Glassy Humour of the Eye*. B. *Glasagtig vogt der Oogen*.

HVMOR IN SECVNDINIS, HVMOR AMNII, est liquor gelatinosus ad ignem coagulabilis, foetui animali in vtero circumfusus, et chorio et amnio contentus, cuius quidem veros fontes indicare hucusque difficillimum fuit. Pro ratione, qua foetus origine propior est, etiam hic humor vberior adest, et quantitate crescit, sed in minori ratione, quam foetus.

Praeter nutritionem, quam foetui, vltimis fine dubio mensibus per os deglutitus praestat, ouum etiam distentum tenet, vt foetus in eo humore mobilis, a compressione tamen externa tutus, ouumque vicissim in calcitrationibus foetus minori periculo sit obnoxium, tandemque etiam exitum foetus faciliorem reddit. *Hall*. Verum etiam reperitur in brutis tertia membrana *Alantois* dicta, quae per vrachum foetus peruium vrinam in suo cauo recipit, a sola vesica foetus non capiendam. Ge. Das Wasser in der Nachgeburt. G. *l'Eau, ou l'Humeur sereuse, qu'on trouve dans l'Arriere-faix*. A. *Water in the Secundines*. B. *Het Water in de Nageboorte*.

HVMVS, est terra nigra, vel brunea, superficiem globi nostri tegens, quae in igne comburitur, relicta terra elementari, in aqua intumescit, et, si pura sit, cum acidis non effervescit. Oritur ex vegetabilibus et animalibus putredine destructis, atque in ea vegetabilia optime crescunt. Ge. Garten- Acker- oder Stauberde. G. *Terre végétale*.

HVNGARICA FEBRIS, Typhus castrensis *Boerhaau*. est febris continua maligna, plerumque petechialis, summe periculosa, vires illico prosternens absque apparentibus malis signis; calor mitis, saepe vix percipiendus, cum frigore extremorum, respiratione impedita, angusta, anxia; pulsus celerrimus, debilis, vix obseruandus, tenuis, maxime inaequalis, saepe quasi euanescens; vrina non rubra, sed plerumque lactea, turbida, absque sedimento, aut varia penitus; sitis pauca, siccitas oris, linguae, faucium, inquietudo, deliria, anxietates. *Sauv. Hungarica* dicitur, quia plerumque inter milites in Hungaria castra sequentes grassatur, pluresque e medio tollit. Ge. Das Ungarische Fieber. G. *Fièvre maligne des Armées*.

HVNGARICVS BALSAMVS, ex Pinu sylueſtri Mugo *Baub*. quae varietas *Pinus sylueſtris Linn*. est, et quae in montibus Carpathicis crescit, obtinetur, dum vel balsamum sponte ex apicibus ramorum exstillans colligitur, vel oleum destillatum pro balsamo venditur. Hungaris instar panaceae in omnibus fere morbis in vsu est. Conuenit cum balsamo Carpathico, qui ex *Pinu cembra Linn*. est.

HVPO OLEVM, est oleum expressum Americanum, cui si exterius abdomini illinitur, anthelminthica vis tribuitur.

HYACINTHVS, est plantae genus flore liliaceo (Hexandr. Monogyn.) plures species comprehendens. Habet plerumque caulem, semipedem circiter altum, rotundum, politum, erectum, nudum, in spica florigerum, Caryophylli aromatici figura, folia longa, angusta, viridia, splendentia,

Porri minora: calyx nullus. Flos est liliaceus, monopetalus, nudus, tubulatus, in sex segmenta, extrorsum flexa, diuisus, caryophylli aromatici figura, arcte complectens ouarium, coloris plerumque caerulei, aliquando albi, aliquando purpurei, vel carnosi, odoris grati. Flori succedit fructus subrotundus, fere trigonus, diuisus in tria loculamenta, semina subrotunda, vel plana et nigra, continentia. Radix bulbosa, alba. Tota planta habet succum viscosum. Crescit in pratis iuxta vias, pluresque species in hortis coluntur. Fabulae dicunt, nomen a puero Hyacintho accepisse. Porro narrant, ex sanguine Aiacis prouenisse, qui ad Troiam occisus est. Forte nomen habet, quia μετὰ τὸ ὑεῖν κινεῖ ἄνθος, florem emittit, vbi terra vernis imbribus permaduit. Germ. *Hyacinth.* G. *Jacinte.* A. *Hare bells, Ladies flower.* B. *Hyacinth, Nagelbloem.*

HYACINTHVS, est Gemma pellucida, ex flauedine rubens, ignisque flammas imitans. Gemma plus minus pellucida, duritie nona, colore ex flauo rubescente, igne liquescens *Wall. Nitrum Fluor* lapidosum quartzosum octodecaëdrum coloratum *Linn.* Sunt alii (vel aliae) Orientales, alii Europaei. Hi inueniuntur in confinibus Silesiae et Bohemiae, suntque Orientalibus ignobiliores. Quoad colorem, referunt alii colorem minii natiui, alii sanguinis admodum bilioſi, et hi sunt praestantissimi: alii rubedine croci admodum flauescunt; alii exacte ostendunt succini colorem, et hi viliores. Huic lapidi eximias inesse vires cardiacas olim creditum est, hinc inter fragmenta quinque lapidum pretiosorum adhucdum refertur, inque officinis confectio, species de Hyacintho, aliaque composita quaedam remedia prostant, quae hic lapis ingreditur. Ge. **Ein Hyacinth.** G. *Hyacinthe.* A. *Jacinct, Hyacinth.* B. *Hyacinth.*

HYALOIDES, est humor oculi vitreus intra tunicam retinam et crystallinum contentus, vndique tenuissima et pellucidissima membrana tectus, quae propterea etiam *Hyaloides* dicitur. Ex ὕαλος, vitrum, et εἶδος, forma. Ge. **Die gläserne Feuchtigkeit der Augen.** G. *L'Humeur vitrée.* A. *Vitrous humour of the Eye.* B. *Glasachtige Vogt.*

HYBONA, est omnium vertebrarum incuruatio. Ab ὑβάζω, incuruo. Idem quod *Cyphosis.*

HYDARTHROS, est ichoris species, qui fluit ex articulorum vulneribus, vel vlceribus. — *Hydarthrus* etiam proprie denotat hydropem articulorum, seu tumorem mollem, indolentem, cuti concolorem, circa articulos cum contractura musculorum flexorum, immobilitate et rigiditate partis con-

iunctum, natum a synouia in capsula articulari, vel cellulis vicinis, accumulata. Ge. **Glieder-Wassersucht.** G. *Tumeur blanche.* A. *White tumor,* seu *white swelling.*

HYDATIDES, et HYDROAE, siue AQVVLAE, sunt vesiculae aquosae in hepate, liene, aut quodam alio viscere, duplici vt plurimum tunica praeditae, variae magnitudinis, figurae orbicularis, hydropicis familiares, natae a stasi et accumulatione lymphae spissae in vasis lymphaticis inter duas horum valuulas, vel, vt recentioribus magis arridet, ex congestione lymphae in telam cellulosam. Sunt vel plures constantes ex nodis, seu globulis lymphaticis, seriatim corollae instar dispositis et margaritas referentibus, vel sunt solitariae subsphaericae, ad insignem magnitudinem accedentes, et hae proprie *Hygromata* dicuntur. *Hydatis* etiam dicitur tuberculum steatomatosum, circa palpebram plerumque superiorem natum. Ab ὕδωρ, aqua. Ge. **Wasserblätterlein, Wasserblase.** G. *Hydatides, Vessies aqueuses.* A. *Watery bladders, Hydatides.* B. *Waterblaasjes, Waterpuisten.*

HYDATIGENA TAENIA, seu HYDRA HYDATVLA *L.* tentaculis quaternis obsoletis, corpore vesicario, est animal zoophytum singularis formae et naturae, quod in abdomine ouium, suum, etc. inter intestina et peritonaeum habitat, et vesicam lymphaticam, pellucidam, magnitudine pruni refert, petiolatam corpore cylindrico, in cuius apice os est, quod, corpore compresso, mouet tentacula vix manifesta. Aquae feruenti immissum aliquid visceribus simile detegitur. Saepe pro hydatide hoc animal habitum fuit. Alii oua, alii lumbricum hydropicum, esse autumarunt.

HYDATODES VINVM, est vinum aqua dilutum. Ex ὕδωρ, aqua, et εἶδος, forma. Ge. **Mit Wasser vermischter Wein.** B. *Gewaterde Wyn.*

HYDATOIDES, est *Humor oculi aqueus,* qui intra tunicam corneam et vueam comprehenditur, et vtramque oculi cameram replet. Ab ὕδωρ, aqua, et εἶδος, forma. Ge. **Die wäßerige Feuchtigkeit der Augen.** G. *l'Humeur aqueuse.* A. *The watery Humour of the Eye.* B. *Waterige Vogt der Oogen.*

HYDERODES AFFECTVS, i. q. *Hydrops.*

HYDEROS, idem quod *Hydrops.* In specie vero pro *Leucophlegmatia* sumitur.

HYDRACHNIS, VARIOLA LYMPHATICA, est species variolarum, quae sine notabili febre, sine aegritudine, infantes bimos trimosue aggreditur, exseritque in facie potissimum pustulas exiguas, statim rubras, lympha pellucida, aut subalbida, plenas, lentis magnitudine, quarum aliae intra

biduum exſiccantur, dum aliae ſoboleſcunt, et omnes intra quatuor dies circiter exſiccatae delabuntur, vt plurimum nullis relictis in cute foueolis, vt nullum fere incommodum afferant. Huius varietas eſt, quae recens natos altera fere ab ortu hebdomade afficit, et ſimiles aquoſas puſtulas circa vmbilicum, axillas, digitos emittit, quae intra tres, vel quatuor dies exſiccatae et in cruſtam mutatae decidunt. Ge. Waſſerpocken. G. *Petite vérole volante.* A. *Water- or Chicken-pox.*

HYDRAGOGA, ſunt medicamenta, quae attenuando fluida, et valide inteſtina atque ventriculum ſtimulando, aquoſos humores expurgant. Ex ὕδωρ, aqua, et ἄγω, duco. Ge. Waſſertreibende Arzeneyen. G. A. *Hydragoge.* B. *Watet afdryvende Dingen.*

HYDRAGOGIA, vide *Venae lymphaticae.* Ex ὕδωρ, aqua, et ἀγωγή, ductus.

HYDRARGYROS, eſt *Argentum viuum*, ſiue *Mercurius.* Ex ὕδωρ, aqua, et ἄργυρος, argentum. Ge. Queckſilber. G. *Vif argent, ou Mercure.* A. *Quickſilver, Mercury.* B. *Quikzilver.*

HYDRARGYROSIS, eſt inunctio mercurialis, vel in genere applicatio externa mercurii, in lue venerea, aut aliis morbis. Pertinet huc vel ſuffitus, licet minus tutus, ex cinnabari, vel cingulum mercuriale, vel frictio cum ipſo mercurio pinguedine ſubacto. Nec ſaliuationem ſemper ſequi oportet, quae, ſi minus neceſſaria iudicetur, et per laxantia impediatur, *Hydrargyroſis per exſtinctionem* dicitur. Vide *Frictio.* Ex ὑδράργυρος, mercurius.

HYDRELAEVM, eſt mixtura ex aqua et oleo. Ex ὕδωρ, aqua, et ἔλαιον, oleum. Ge. Vermiſchung von Oel mit Waſſer. B. *Een Mengſel van Oli en Water.*

HYDRENTEROCELE, eſt inteſtinorum vna cum aqua in ſcrotum prolapſus. Ex ὕδωρ, aqua, ἔντερον, inteſtinum, et κήλη, tumor. Vide *Hydrocele* et *Enterocele.*

HYDROA, vide *Hidroa.*

HYDROCARDIA, eſt liquor gelatinoſus in pericardio, ex vaſculis perpetuo exhalans, et continuo abſorptus a vaſculis abſorbentibus, adeo vt cor perpetuo madeat, eiusque motus, imminuto attritu, facilior ſit. *Hydrocardia* etiam ſignificat nimiam huius humoris collectionem, ſcilicet *Hydropem Pericardii.* Ex ὕδωρ, aqua, et καρδία, cor. Vide *Aqua Pericardii.*

HYDROCELE, eſt ſcroti tumor aliquando in alterutro latere, ſaepe vero in vtroque, quo ad pugni, vel longe maiorem, amplitudinem increſcit. Ab humore aquoſo excitatus,

collecto, vel in tunica teſtium vaginali; vel, ſi in aſcitico ſimul fuerit enterocele, in ſacculo peritonaei relaxato ab aqua ſimul ingreſſa cum inteſtino, fiet hydrocele, vel eſt ſpecies anaſarcae, in qua ſeroſa colluuies, vt vbique, ſic etiam in hoc loco, obtinet. Idem eſt, quam *Oſcheocele aquoſa*, et cognoſcitur protuberantia ſcroti molli, fluctuante, niſi humore nimio diſtendatur, ſubdiaphana, niſi ſero foeta ſit turbido, graui, figuram pro vario corporis ſitu mutante, aequali, glabra, indolente, niſi complicetur, preſſioni facilis difficiliusue cedente, per eam tamen nec minuenda, nec in ventrem refundenda, poſt preſſionem ſublatam illico reſiliente, niſi cutem ſcroti ſimul oedema teneat; vrinis a longo tempore ſeruatis non creſcente, nec iis immiſſis decreſcente, tandem venis varicoſis ſtipata. Cum ſarcocele combinatur aliquando, et tunc *Hydroſarcocele* dicitur. Ab ὕδωρ, aqua, et κήλη, tumor. Ge. Waſſerbruch. G. *Hernie aqueuſe, Hydrocele.* A. *Watery rupture.* B. *Water-klivt, Water-breuk.*

HYDROCEPHALVS, eſt capitis ex humore aquoſo intumeſcentia, facie ſaepius excepta, in infantibus tantum obſeruabilis, oriunda a colluuie inter integumenta externa haerente; vel inter integumenta et cranium; et hic vocatur *externus.* *Internus* vero haeret inter cranium et cerebri membranas, inter membranas ipſas, earumque duplicaturas, tum in ventriculis cerebri, ab impedito humorum per venas reditu ortum habens. Haec vltima ſpecies in aetate prouectis ſaepe obuenit, varioſque affectus vertiginoſos et ſoporoſos, tandemque apoplexiam ſeroſam cauſatur. Ab ὕδωρ, aqua, et κεφαλή, caput. Ge. Die Waſſerſucht des Haupts, Waſſerkopf. G. *Hydrocephale.* A. *Watery tumor of the Head.* B. *Een Water-hoofd.*

HYDROCRITHE, eſt aqua hordei. Ex ὕδωρ, aqua, et κρίθη, hordeum. A κρίνω, ſecerno, quod eius grana a ſe invicem diſtent et ſecernantur. Ge. Gerſtenwaſſer. G. *l'Eau d'Orge.* A. *Barley Water.* B. *Gerſten-water.*

HYDRODES FEBRIS, i. q. *Typhodes* vel *Elodes.*

HYDROLAEVM, i. q. *Hydrelaeum.*

HYDROLAPATHVM, idem quod *Hippolapathum.* Eſt *Rumex aquaticus Linn.* Ex ὕδωρ, aqua, et lapathum.

HYDROMEL, eſt *Mulſum*, ſiue potus ex aqua et melle, additis aromatibus fermentando paratus, ſaporis vinoſi, viribusque commouentibus, calefacientibus et inebriantibus pollens. Ab ὕδωρ, aqua, et μέλι, mel. Ge. Meth. G. *Hydromel, Eau miélée.* A. *Mead.* B. *Meede, Honing-water.*

HYDROMETRA, HYDROPS VTERI, eſt hypogaſtrii in mulieribus ſucceſſiue creſcens tumor, vteri figuram referens, preſſioni cedens, fluctuansue, ab iſchuria et grauiditate diuerſus, cum borborygmis, in ambulando grauitate, ſpirandi difficultate, catameniorum turba, aut ſuppreſſione, dolore abdominis, lumborum, inguinum: obſeruatur vel cum, vel ſine grauiditate; et humor aquoſus collectus eſt vel in vteri cauo apud vacuas, vel inter vteri cauum et membranas foetum inuoluentes, vel inter ambas foetum inuoluentes membranas, ſeu chorium et amnium vel in ipſo cauo, in quo foetus innatat, vel in veſiculis vteri hydatidoſis. *Sauv.* G. Die Mutterwaſſerſucht. G. *Hydropiſie de matrice.*

HYDROMPHALVM, ſiue HERNIA AQVOSA, *Exomphalus aqueus*, eſt protuberantia vmbilici mollis, fluctuans, regredi neſcia, ſaepius ad candelam pellucida, ex humorum aquoſorum collectione nata, in grauidis diſtotice enixis, et infantibus aſciticis, vel etiam in iis, qui omphalocele laborant, eueniens. Ab ὕδωρ, aqua, et ὀμφαλος, vmbilicus. Ge. Waſſer-Nabelbruch. G. *Hydromphale.* A. *Watery rupture of the Navel.* B. *Een Waternavel.*

HYDRONOSOS, i. q. *Sudor Anglicus.*

HYDROPEGE, eſt aqua fontana. Ex ὕδωρ, aqua, et πηγή, fons, quia πηδᾷ ἐκ γῆς, aqua e terra ſalit.

HYDROPHOBIA, ſiue AQVAE METVS, eſt affectus, incipiens cum vagis per corpus totum doloribus, inſolita laſſitudine, anxietate, triſtitia et moroſitate, ſubſultibus tendinum, aeſtu interno; ſubſequente dein ſomno inquieto et interrupto, vel vigiliis continuis, furore, potulentorum omnium et ſplendidorum fuga, dum tamen ſatis facile bolum ſiccum deglutire poſſunt, aliquando delirio, febri, aliisque ſymptomatibus, ſummo cum vitae diſcrimine inuadens, ortus et propagatus ex morſu et ſaliua canis rabidi, eique analogo contagio. Sed etiam ſponte in corpore absque vllo contagio, et a fructuum fagi eſu, hunc adfectum ortum eſſe, exempla proſtant. Ex ὕδωρ, aqua, et φοβέομαι, timeo. Vocatur etiam *Rabies canina*, vel *Cynolyſſa*. A κύων, canis, et λύσσα, rabies. Ge. Waſſerſcheu. G. *Hydrophobie.* A. *Hydrophoby.* B. *Water-vrees*, *Dolheid.*

HYDROPHTHALMIA, HYDROPS OCVLI, eſt aucta magnitudo bulbi oculi eousque, vt vix a palpebris, quae ſanum de caetero oculum clauderent, tegi poſſit, et ex orbita promineat. Oritur vel a colluuie ſeroſa inter tunicam coniunctiuam et albugineam collecta, vel a praeternaturali humoris aquei augmento. Dicitur etiam *Buphthalmia*, *Elephantiaſis oculi*, vel *Oculus elephantinus.* Differt ab aliis morbis, in quibus

quibus bulbus non vitiatus ab aliis corporibus extra orbitam propellitur. Vide *Exophthalmia.* Ex ὕδωρ, aqua, et ὀφθαλμός, oculus. Ge. Die Waſſerſucht im Auge. G. A. *Hydrophthalmie.* B. *Water oog.*

HYDROHPTHALMION, eſt illa pars oculis ſubiacens, quae in cachecticis et hydropicis intumeſcere et in puellis chloroticis decolorari ſolet. Ge. Der Kreis unter den Augen. G. *Enflure ſous les Yeux.* A. *Swelling under the Eyes.* B. *Bolligheid onder de Oogen.*

HYDROPICA, ſunt medicamenta hydropicis humores aquoſos educentia: idem quod *Hydragoga.* Ge. Waſſertreibende Arzeneyen. G. *Remedes, qui pouſſent ou chaſſent les Eaux.* A. *Water-educing Medicines.* B. *Water afdryvende Dingen.*

HYDROPIPER, eſt herba aquatica, vel paluſtris, et quidem ſpecies Perſicariae, Perſicaria vrens, vel Hydropiper *Bauh.* *Polygonum Hydropiper* floribus hexandris, ſemidigynis, foliis lanceolatis, ſtipulis ſubmuticis *Linn.* (Octandr. Trigyn.) Qualitatis eſt acris, vrentis, ſepticae. Vix in vſum medicum, niſi a veterinariis, adhiberur. Ex ὕδωρ, aqua, et piper, quaſi *Piper aquatile*, Gr. Ὑδροπίπερι, a loco et ſapore nomen habet. Ge. Waſſerpfeffer, Münchskraut. G. *Perſicaire.* A. *Water-pepper.* B. *Water-peper.*

HYDROPS, eſt aquoſi humoris in panniculo adipoſo, ſiue membrana celluloſa corporis, vel in quadam cauitate alia, collectio atque ſtagnatio, faciens tumorem pallidum, aut pellucidum, frigidum, non dolentem, grauem. Eſtque vel *vniuerſalis*, vt anaſarca, leucophlegmatia, et aſcites, quibus male adiungunt tympanitem; vel *Particularis*, vt hydrocephalus, hydrops pectoris, peritonei, teſtium, vteri, ouarii, manus, pedis, etc. de quibus ſpecialiter ſuo loco. Ex ὕδωρ, aqua, et ὕπτομαι, video. Ge. Die Waſſerſucht. G. *Hydropiſie.* A. *Dropſy.* B. *Water-zucht, het Water.*

HYDROPS ad MATVLAM, i. q. *Diabetes.*

HYDROPS CYSTICVS, SACCATVS, eſt, ſi aqua hydropica in peculiari ſacco includitur, v. c. in ouario. Ge. Sackwaſſergeſchwulſt. G. *Hydropiſie enkyſtée.* A. *Incyſted Dropſy.*

HYDROPS SICCVS, i. q. *Tympanites.*

HYDROPYRETOS, i. q. *Sudor Anglicus.*

HYDROROSATVM, eſt infuſum aquoſum petalorum roſarum, veteribus vſitatum.

HYDROSACCHARVM, eſt ſyrupus ex aqua et ſaccharo coctus. Ex ὕδωρ, aqua, et σάκχαρ, ſaccharum, vel aqua ſac-

charata. Ge. Waſſerſyrup. G. *Sirop fait avec de l'eau.* A. *A Syrup made of Water and Sugar.* B. *Syroop van Water.*

HYDROSELINVM, eſt Apium, ſeu *Selinum paluſtre*, ſublacteſcens, radice vnica *Linn.* (Pentandr. Digyn.) flore roſaceo vmbellato, ſapore acri, viribusque, vt dicitur, antiſcorbuticis et aperitiuis pollens. Ex ὕδωρ, aqua, et Selinum. Ge. Waſſereppich, Froſcheppich, Waſſermerk. G. *Berle, Ache d'eau.* A. *Water-parsnep.* B. *Water-eppe.*

HYDROTHORAX, HYDROPS THORACIS, eſt difficultas reſpirandi, quae creſcit pro gradu inclinationis trunci, cum faciei pallore, manuum et pedum oedemate, imminente in ſomno ſuffocatione et neceſſitate liberi aeris per apertam feneſtram capiendi, alterutrius brachii ſtupore, et aegritudine chronica non intermittente, orta a ſero vitioſe collecto in alterutro latere thoracis, inter pleuram et pulmonem. Ge. Bruſtwaſſerſucht. G. *Hydropiſie de poitrine.* A. *Dropſy of the Cheſt.*

HYGIEA, *Sanitas*, eſt diſpoſitio partium humani corporis, actionibus recte perficiendis apta, ſiue eſt ea conditio corporis, qua homo actiones omnes homini proprias exercere valet commode, iucunde, et cum aliqua conſtantia per aliquod tempus, a naturali robore partium ſolidarum et a libero, facili, et aequabili humorum circuitu pendens. Ab ὑγιαίνω, bene valeo. — *Hygiea* quoque, ſeu Sanitas, Deae loco a veteribus colebatur. Ge. Die Geſundheit. G. *Santé.* A. *Health, Sanity.* B. *Gezondheid.*

HYGIEINA, eſt pars medicinae, quae ſanitatem conſervandi modum per quaedam remedia, eorumque vſum, tradit, et rerum non naturalium efficaciam in corpus humanum docet. Eſtque *Diaeretica*, vel *Prophylactica*. Ab aliis in tres partes diuiſa fuit; in προφυλακτικήν, morbos futuros et imminentes auertentem; συντηρητικήν, quae praeſentem ſanitatem tuetur, et ἀνακλητικήν, a qua valetudinarii reficiuntur. Ab ὑγιαίνω, bene valeo. Ge. Erhaltung der Geſundheit. B. *Bewaaring der Gezondheid.*

HYGROCIRSOCELE, eſt ramex varicoſus, quem aliae humiditates comitantur, quando circa venas teſtium oriuntur varices, et ſimul humor aquoſus copioſus in ſcroto colligitur. Ex ὑγρὸς, humidus, κιρσὸς, varix, et κήλη, tumor. Ge. Ein Waſſeraderbruch. G. *Hernie humorale.* A. *Kind of Hydrocele.* B. *Aderbreuk met Water.*

HYGROCOLLYRIVM, eſt medicamentum liquidum, oculis ſanandis deſtinatum. Ex ὑγρὸν, humidum, et κολλύριον medicamentum oculare. Ge. Augenwaſſer. G. *Collyre liquide.* A. *An Eye water, or Medicine for the Eyes.* B. *Oog-water.*

HYGROPHOBIA, i. q. *Hydrophobia.*

HYLE, vel *Sylua*, proprie ſignificat materiam, et comprehendit ea omnia, quibus medicamenti, vel etiam alimenti, titulo, in aegris ſanisue vtimur. Hinc quod Graecis eſt Hyle Ἰατρικὴ, Lat. *Materia Medica* dicitur.

HYMEN, eſt pars, qua omnia caetera animalia deſtituuntur, quaeue in ſolo homine reperitur, inque foetu et virgine perfecta ſemper adeſt: ſcilicet membrana orificio vaginae protenſa, conſtans ex continuata vaginae natura, cute ſcilicet carnoſa, rubra, vaſculoſa, pulpoſa, et cutem obducente epidermide; figurae circularis, aut ſemilunaris, quando vagina diducta eſt, compreſſis autem labiis complicata et recta; ſic antrorſum tumens, et oſtium vaginae claudens, vt hoc tantum conniveat, neque menſium effluxus inter vrethram et arcum ſuperiorem partis poſterioris hymenis in virgine impediatur. Poteſt vtique vaginam tueri, ne in foetu aqua amnii, nec in tenera puella aer vaginam ſubeat, vix tamen dubites, cum Hymen in ſolo homine ſit repertus, etiam ad morales fines ei eſſe conceſſum pudicitiae ſignum, quo et vitium illatum cognoſcatur, et pura virgo decus ſuum poſſit tueri, cum in vniuerſum prima venus debeat eſſe plus, vel minus, cruenta, vixque poſſit plena venus obtineri, quin ſuperior margo partis maioris Hymenis laceretur, exque vaſculis ruptis ſanguinem fundat. *Hall.* Ge. Jungfernhäutlein, oder Jungfernzeichen. G. *l'Hymen, ou le Cercle membraneux, qu'on prétend marquer la Virginité, ou le Pucelage.* A. *Virginity, Maidenhead, properly a certain membrane which denotes it.* B. *Maagdenvlies.*

HYMENEA, eſt Ill. *Linnaeo* plantae genus, (Decandr. Mon.) petalis quinque ſubaequalibus, ſtylo intorto, legumine repleto pulpa farinacea, ex cuius ſpecie vna arborea, quae *Courbaril* vocatur, tum *Gummi anime*, tum etiam ſecundum nonnullos *Gummi copal*, quod ab Anime Gummi ſolo tantum et aetate differt, obtinetur.

HYOIDES, ſiue LAMBDOIDES, eſt os, ad baſin linguae conſiſtens, et linguam fulciens, cum cartilagine thyroidea per ligamenta connexum, conſtans ex baſi et duobus cornibus, muſculos linguae recipiens, et propriis muſculis elevantibus et deprimentibus inſtructum, ſic vt lingua huius oſſis motum et in loquela, et praecipue in deglutitione, ſequatur. A figura Υ vel Λ appellatum, et εἶδος, forma. Ge.

Das Zungenbein. G. ΥΟς *Hyoides.* A. *The bone at the root of the Tongue.* B. *Tong-been.*

HYOSCYAMVS, eſt plantae genus, (Pentandr. Monog.) quod plures habet caules ſeſquipedem altos, craſſos, ramoſos, valde lanuginoſos. Folia ſunt magna, ampla, inciſa, mollia, lanuginoſa, albeſcentia, alternatim et ſine ordine caulibus adhaerentia. Calyx monophyllus, cylindraceus, inferne ventricoſus. Flores monopetali, infundibuliformes, expanſi, et multifidi. Vaſculum ſeminale conſtat teſta rotunda, cui natura operculum impoſuit, quod per maturitatem diſſilit, et cum teſta in duas cellulas eſt diuiſa. Hae continent ſemina plurima, parua, rotunda, et nigra. Radix eſt aſpera, longa, craſſa, interne coloris albi, externe fuſci. Species praecipue duae apud nos proſtant, ſcilicet Hyoſcyamus vulgaris niger *Bauh.* Altercum Arabum *Lob.* *Hyoſciamus niger* foliis amplexicaulibus ſinuatis, floribus ſeſſilibus *Linn.* in Europae pinguibus ruderatis ſat frequenter proueniens, et Hyoſcyamus albus *Bauh.* Hyoſcyamus tertius Dioſcoridis et quartus Plinii. *Hyoſcyamus albus,* foliis petiolatis, ſinuatis, obtuſis, floribus ſubſeſſilibus *Linn.* in Europa auſtraliori habitans. Naturae vtraque ſpecies fere eiusdem eſt. Albus tamen lenior eſſe dicitur. Toti ſcilicet plantae qualitas viroſa, narcotica, phantaſtica, dementans et anodyna, vel ſtupefaciens, ineſt, odor viroſus; et fumum plantae accenſae, incaute dentibus dolentibus admiſſum, ſtuporem aliaque praua ſymptomata induxiſſe, conſtat. Externus foliorum in cataplaſmatibus, et olei e ſeminibus expreſſi in vnguentis vſus anodynus eſt et reſoluens. Semen vetuſtiores quasdam compoſitiones pro vſu interno ingreditur. Et noſtris temporibus ab eximiis viris, quid vſus internus extracti Hyoſcyami, pauca doſi, omni circumſpectione propinati, in morbis ſonticis, praecipue ſenſorii communis perturbationibus, poſſet, tentatum eſt. Radici maximas ſemini minimas ineſſe vires, et Hyoſcyamum album longe a nigro ſuperari dicitur. Vocatur etiam corrupte *Iusquiamus.* Latine ſonat, quaſi *faba ſuilla, aprinae,* quod, vt in hiſtoria *Aelianus* tradit, paſtu huius herbae conuellantur ſues apriue, praeſenti mortis periculo, niſi copioſa aqua ſtatim ſe foris et intus proluerint, adeantque aquas, non vt proluant ſe tantum, verum etiam vt cancros venentur. Eos enim nacti protinus ſanitati reſtituuntur, vt veteres narrant. Ex ὗς, porcus, et κύαμος, faba. *Apollinarem* vero Latini, ab *Apolline,* medicinae inuentore, dixerunt. Potius a Graeco ὑοβάλλομαι, perdo. G. Bilſenkraut, Bilſamen, Bilſen, Tollkraut, Schlafkraut, Saubohnen. G. *Juſquiame,*

Hanuebanne, de l'Endormi, la Mort aux poules. A. *Henbane, Henebane.* B. *Bilſen-kruid.*

HYOTHYROIDES, ſunt muſculi duo laryngis, ab oſſe hyoidis in cartilaginem ſcutiformem deducti, hasque duas partes inuicem adducentes. Ex litera Υ, ὑειδὲς, ſcutum, et εἶδος, forma. Ge. Die Zungenbeinmuskeln der Luftröhre. G. *Les Muſcles Thyro-Hyoidiens, ou Hyo-Thyroidiens.* A. *The ſhieldlike Muſcles.* B. *De ſchildachtige kraakbeens ſpieren.*

HYPALEIPTRON, eſt inſtrumentum illitorium, ſiue ſpecillum illinitioni inſeruiens, vulgo *Spatha,* et *Specillum,* ſeu *Illinitorium.* Ab ὑπαλείφω, ſublino, inde ὑπάλειμμα, ſublinitio, inunctio. Ge. Spatel. G. *Spatule, Eſpatule.*

HYPECACVANHA, vide *Ipecacuanha.*

HYPECOON, eſt plantae genus, (Tetrandr. Digyn.) quod plures habet caules pedem altos, in ſummitate in multos ramos diuiſos. Folia tenera Fumariae inſtar diuiſa. Calyx eſt diphyllus. Flos eſt exiguus, cruciformis, quatuor ſcilicet petalis conſtans, plerumque trifidis, alternis, aequalibus, ſubito euaneſcens, coloris lutei, pedunculo adhaerens. Piſtillum abit in longum cornu articulatum, quod conſtat duabus valuulis per maturitatem dehiſcentibus, quae ſemina fundunt reniformia, et nigricantia, ſolitaria in ſingulo articulo pericarpii: ſiliqua perfecte refert arietum cornu. Radix longa, aliquando ſimplex, aliquando diuiſa, fibroſa, et rubicunda. Haec planta creſcit in regionibus calidis Europae. — — — Alii *Alceam veſicariam* vocant, quidam *Cuminum ſylueſtre corniculatum*; nonnulli ſpeciem *Papaueris corniculati.* An ab ὑπακούω, obedio, quod inter frumenta creſcat, iisque obediat. Ge. Horn. G. *Cumin cornu.* A. *Corned Cumin.*

HYPERAVXESIS, eſt morbus iridis, et quidem obturatio pupillae a fungoſis appendicibus ad oras eius enatis. Hoc vitium equis familiare, illisque amblyopiam meridianam cauſatur, forte et cataractam membranoſam quandoque inducit. Curatur appendicum exciſione ope acus intra corneam adactae. *Sauv.*

HYPERCATHARSIS, eſt *Superpurgatio,* ſiue purgatio per aluum poſt datum medicamentum maior, quam quae requirebatur, quae fit, quando fibrae primarum viarum nimis irritatae, in motus non facile ſedandos adiguntur. Ab ὑπὲρ, ſupra modum, et καθαίρω, purgo. Ge. Eine allzu ſtarke Abführung. G. A. *Superpurgation.* B. *Overmaatige Buikzuivering.*

HYPERCRISIS, eſt excretio critica ſupra modum facta. Ex ὑπὲρ, ſuper, et κρίνω, ſecerno.

HYPEREMESIS, eſt euacuatio iuſto copioſior et iuſto vehementior per vomitum, facta per remedia emetica, vel vomitoria, iuſto validiora propinata.

HYPEREPHIDROSIS, eſt nimia ſudatio. Ex ὑπὲρ, ſuper, et ἐφιδρόω, inſudo.

HYPERICVM, eſt plantae genus flore polypetalo roſaceo, (Polyadelph. Polyandr.) cuius ſpecies officinalis eſt: Hypericum vulgare *Bauh. Hypericum perforatum* floribus trigynis, caule ancipiti, foliis obtuſis pellucido-punctatis *Linn.* Habet haec caules ſeſquipedem altos, rotundos, firmos, duros, lignoſos, non flexiles, rubicundos, ramoſos. Folia ſunt oblonga, neruoſa, Centaurium minus referentia, gemina ex gemmulis caulium ſemper naſcentia, obuerſa ſoli innumeris fere poris acu quaſi traiectis aciem tum noſtram, tum ſolis radios, transmittunt, qui microſcopio examinati apparent eſſe veſiculae lentis forma, pellucidae, et liquore limpido, parum oleoſo, plenae: folia ſunt ſaporis inſipidi. Calyx eſt quinquepartitus. Flores roſacei, pentapetali, in ſummitate caulium creſcentes, coloris flaui. Poſt florem ſequitur capſula, in tres conos aſſurgens, inſtar grani hordei craſſa, oblonga, ſuccum rubicundum continens, in tria loculamenta diuiſa, foeta ſeminibus exiguis, oblongis, ex fuſco nigricantibus, ſaporis ſubamari, et reſinoſi, odoris picei. Radix dura, lignoſa, in multos ramos diuiſa, coloris ſubflaui. Haec planta creſcit in ſyluis et locis incultis. Qualitatis eſt balſamicae et graueolentis, multumque ob virtutem vulnerariam, reſoluentem et anthelminthicam celebrata; hinc herba, flores et ſemina in haemoptyſi, haematuria, hypochondriaſi, etc. varia ſub forma commendantur. Olei florum infuſi vſus externus vulnerarius eſt. Ob vim, quam ei ſuperſtitio contra faſcinum tribuit, dicta eſt *Fuga daemonum*. *Hypericum* dici creditur, quod tota planta ſit pulchra et perquam hilaris facie, et venuſta, fortaſſe ex ὑπὲρ, ſupra, et εἰκών, imago, forma. Vocatur *Perforata*, vide ſuo loco. Ge. Sanct Johanniskraut. G. *Mille-pertuis*. A. *S. Johns-wort*. B. *Sint Jans-kruid*.

HYPEROON, HYPEROA, ſunt duo foramina, poſteriori parte narium pone velum palatinum in fauces patentia, per quae aer per naſum inſpiratus in laryngem tranſit, exque eo efflatur, et pars muci in naribus ſecreti in fauces deplut, et vel deglutitur, vel exſcreatione per os reiicitur. Ex ὑπὲρ, ſuper, et ᾠόν, pars ſuperior. Idem quod *Choanae*.

HYPEROSTOSIS, nonnullis dicitur augmentum praeternaturale voluminis totius oſſis, cum *Exoſtoſis* tantum ſit tumor oſſis in parte quadam; rectius tamen *Hyperoſtoſis* ſumitur pro incremento praeternaturali oſſis, nato ex abundantia ſucci nutritii affluentis, absque corruptione ſubſtantiae, cum in *Exoſtoſi* ipſa ſubſtantia oſſis vitiata ſit, et plerumque caries lateat.

HYPERSARCOSIS, ſeu ECSARCOMA, eſt excreſcentia carnoſa in quauis corporis parte. Ex ὑπὲρ, ſuper, et σὰρξ, caro. Ge. Schwammicht Fleiſch. G. *Excroiſſance*. A. *Spongy-Flesh*. B. *Spongieus Vlees, dat uitwaſt*. — *Barbette* hac voce vtitur ad denotandam oſſis corruptionem, cum humiditate coniunctam, quam Belgis appellari dicit *Beenzuiger*.

HYPNOTICA, ſunt medicamenta, quae motum fluidi neruei ſupprimendo, ſoporem inducunt, vel potius, quae ſenſibilitatem et irritabilitatem obtundendo, dolorem tollunt, et ſomnum conciliant. Quomodo id praeſtent, nondum liquido patet. Ab ὕπνος, ſomnus. Ge. Schlafmachende Arzeneyen. G. *Hipnotique*. A. *A Medicine causing sleep*. B. *Slaap-middelen*.

HYPOACANNA, vide *Ipecacuanha*.

HYPOCATHARSIS, eſt leuis quaedam purgatio, cui opponitur *Hypercatharſis*. Ge. Eine gelinde Abführung. Ga. et A. *Hypocatharſe*. B. *Eene zachte Purgatie*.

HYPOCAVSTVM, eſt locus ſudori prouocando appropriatus, ope ignis ſub pauimento poſiti; vel in quo medicamenta liquidiuſcula ſiccantur, vt tabellae, conditurae, etc. vel quae facile liqueſcunt, ſicca conſeruantur. Ex ὑπὸ, ſub, et καίω, vro. Ge. Eine Stube. G. *Une Estuve*. A. *Stove*. B. *Stoof*.

HYPOCHAERIS, eſt plantae genus flore compoſito ſemifloſculoſo, (Syngenes. Polygam. Aequal.) cuius calyx ſubrotundus, totus imbricatus, continet ſemifloſculos, quorum germen abit in ſemina ſolitaria, oblonga, deſinentia in ſtipitem ſubulatum ferentem pappum plumoſum, quibus interpoſitae ſunt paleae lanceolato-lineares ſeminum longitudine. Dicunt nonnulli *Sonchum* laeuem. Nomen habet fortaſſe, quod minus aſpera, quam reliqua ſunt cichoracea: χοῖρος enim aſperum, ſpinoſum, dici botanicis videtur. Ex ὑπὲρ, ſuper, et χοῖρος, porcus, et aſper, quia porci ſetis aſperis obducti ſunt.

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO, vide *Hypochondriacus Affectus*.

HYPOCHONDRIACA MEDICAMENTA, ſunt, quae in morbis hypochondriacis vſurpantur.

HYPOCHONDRIACVS AFFECTVS, ſeu AFFECTIO HYPOCHONDRIACA, HYPOCHONDRIASIS, HYPOCHONDRIACISMVS, eſt morbus, qui familiaris eſt illis, qui valde ſenſili et facile mobili ſyſtemate nerueo gaudent. Eſt autem melancholia aliquousque progreſſa, cum viſcerum abdominalium mox aucta, mox imminuta irritabilitate, hinc eorum omnium plus, vel minus, turbata functione, cuius demum effectus in reliquum ſyſtema vaſorum, et per conſenſum in omnes corporis neruos propagantur; vnde flatus, ructus, borborygmi, nauſeae, vel appetitus inconſtans, vomitiones acidae, acres, biliosae, atrabilariae, ſomni turbulenti, vrinae copioſae pallidae, aquoſae, dolor, tenſio hypochondriorum, triſtitia, ſolitudinis amor, anxietas, frequens ſputatio, aluus dura, et interdum conuulſiones in variis corporis partibus etc. Ex ὑπὸ, ſub, et χόνδρος, cartilago. Ge. **Milzwehe. Milzſucht, Hypochondrie.** G. *Maladie hypochondriaque, Mal de rate, Hypochondrie.* A. *Diſeaſe of the Milt, Hypochondriak diſeaſe.* B. *Miltzucht, Buiks zyde-pyn.*

HYPOCHONDRIVM, ſiue SVBCARTILAGINEVM, eſt vtrimque ſuperior lateralis pars abdominis, ſub cartilaginibus coſtarum; latius vero ſumta voce, interiores etiam partes, veluti hepar, ventriculus, lien, etc. in hac regione ſitae comprehenduntur. Ex ὑπὸ, ſub, et χόνδρος, cartilago. Ge. **Die Weichen, Gegend unter den kurzen Ribben.** G. *Les Hypochondres.* A. *The lateral parts of the abdomen.* B. *Boven-buik, het Week aan de zyden des Buiks.*

HYPOCHYMA, idem quod *Cataracta*. Ab ὑποχέω, ſuffundo.

HYPOCHYSIS, i, q. *Hypochyma*.

HYPOCISTIS, eſt planta paraſitica, Orobanchi non adeo diſſimilis, Hypociſtis ſub ciſto *Bauh. Cytinus Hypociſtis Linn.* (Gynandr. Hexandr.) ad trium, vel quatuor pollicum altitudinem e radicibus Ciſti fruticoſi pullulans, in Mauritania, Luſitania, Hiſpania, et Gallia auſtrali naſcentis. Ex hac itaque plantula, cum floribus ſuculenta ſit, exprimitur ſuccus, qui in ſole exſiccatus Glycyrrhizae ſucco non abſimilis euadit, ſed ſaporis acidi et auſteri eſt, atque ad nos, ſed raro, aſportatur. Dicitur *Succus Hypociſtidis*, viribusque valde adſtringentibus pollet. Antiquiora quaedam compoſita ingreditur. Minus commode Acaciae Aegyptiacae ſubſtituitur, cum totus fere in ſpiritu vini ſoluatur, ſecus ac ſuccus Acaciae Aegyptiacae, hincque indolem longe magis reſinoſam exhibeat. Rarus eius hodie in medicina vſus eſt. Ex ὑπὸ, ſub, et ciſtus. G. *Hypociſte.*

HYPOCLEPTICVM VITRVM, eſt infundibulum vitreum turbinata figura, ſeu tritorium, ſeparandis oleis ab aquis deſtinatum. Ex ὑπὸ, ſub, et κλέπτω, furor. Nam aqua furtim quaſi ſe ſeparat ab oleo. Ge. **Ein Scheidetrichter.** G. *Entonnoir de verre.* A. *A Glaſs funnel.* B. *Schei-tregter.*

HYPOCOPHOSIS, idem quod *Dyſecoia*, auditus difficultas.

HYPOCRATERIFORMIS, botanicis dicitur florum corolla monopetala, plana, regularis, tubo impoſita.

HYPODERIS, et HYPODERMIS, eſt cuticula, quae obtegit clitoridem inſtar praeputii.

HYPODESIS, ſiue SVBLIGATIO, eſt faſcia, quae ante iniectas plagulas applicatur. Ge. **Unterband.** G. *Soubande.* A. *Underſwarbe.* B. *Onder-band, Onder-zwagtel.*

HYPODESMVS, i. q. *Hypodeſis*.

HYPOGASTRICA REGIO, vide *Hypogaſtrium*.

HYPOGASTRICA SECTIO, nomen eſt apparatus alti, ad extrahendam veſicae calculum a quibusdam laudati, in qua inciſio veſicae ſupra pubem in regione hypogaſtrica inſtituitur.

HYPOGASTRICA VASA, vel *Iliaca interna*, ſunt arteriae et venae, quae ex iliacis oriundae ramos per inteſtinum rectum partesque vicinas ſpargunt, quae, dum ſanguine turgent et prominent, *Haemorrhoides externae* dicuntur.

HYPOGASTRIVM, eſt exterior abdominis pars inter Hypochondria et vmbilici regionem. Ex ὑπὸ, ſub, et γαστὴρ, venter, ventriculus. Ge. **Der Unterbauch.** G. *La Region Hypogaſtrique.* A. *The Under-part of the belly.* B. *Onder-Buik.*

HYPOGASTROCELE, eſt hernia ventralis inteſtinorum, vel omenti.

HYPOGASTRORIXIS, eſt hernia ventralis, cum ruptura peritonaei coniuncta.

HYPOGLOSSIS, ſiue RANVLA, et BATRACHION, eſt tumor, ſeu inflammatio, vel abſceſſus, ſub lingua. Ex ὑπὸ, ſub, et γλῶσσα, lingua. Ge. **Ein Geſchwür unter der Zunge.** G. *Le Batracos, ou Ranuncule, ou Grenouillette.* A. *Ranula.* B. *Een Kikvorſch Gezwel.* — Item medicamentum laryngis aſperitatem demens. Vide *Batrachus*.

HYPOGLOSSVM, dicitur *Laurus Alexandrina*, ſeu *Bis lingua*, aliis *Hippogloſſum*, eſt *Ruſcus Hypophyllum*, foliis ſubtus floriferis nudis *Linn.* (Dioec. Syngenel.) Ruſcus lati-

folius, fructu ex medio foliorum extra pendente *Dill.* Sic vocatur, quod ſub folio aliud maius, linguae figuram exprimens, habeat. Ex ὑπὸ, ſub, et γλῶσσα, lingua. Ge. Zapfs leinkraut, Zungenblatt. G. *Laurier Alexandrin.* A. *Horſe tongue, Double tongue.* B. *Tongen-blad.*

HYPOGLOTTIDES PILVLAE, ſunt, quae ſub lingua, ad tuſſim demulcendam, detinentur. Ex ὑπὸ, ſub, et γλῶσσα, lingua.

HYPONYCHON, ECHYMOMA HYPONYCHON, eſt macula atro-rubens ſub vngue apparens, ab ictu, vel contuſione, oriens a cruore in textum cellulosum effuſo, cuius color trans vnguem pellucet.

HYPOPEDIVM, i. q. *Supplantale.*

HYPOPHAVLVM, eſt diaeta vulgaris inter exquiſitam et ſimplicem media. Ex ὑπὸ, ſub, et φαῦλον, vile, humile. Ge. Eine gemeine Ordnung im Eſſen und Trinken. B. *Een gemeene Levens-regel.*

HYPOPHEON, eſt *Hypecoon.* An ab ὑποφαίνω, ſubluceo, ſuboſtendo, quod ob humilitatem inter ſegetes ſeſe vix oſtendat.

HYPOPHORAE, et Σύριγγες, ſunt profunda et fiſtuloſa vlcera in vlceribus, aut ſinubus, dehiſcentia. Ab ὑποφέρομαι, laboro, decido. Ge. Hole Geſchwüre, Fiſteln, Röhrwunden. G. *Ulcéres profonds, ou fiſtuleux.* A. *Fiſtulous ulcers.* B. *Fiſtuleuſe ulceratien, Pyp gezwel.*

HYPOPHYSIS, i. q. *Cataracta.*

HYPOPHTHALMIA, eſt dolor oculi ſub tunica cornea. Saepe idem denotat, quam Hypochyſis haematodes, vel Caligo hypohaema, ſcilicet obſcurationem viſus, quae pendet a cruore effuſo intra cameras oculi. Ex ὑπὸ, ſub, et ὀφθαλμὸς, oculus.

HYPOPION, *Galeno* dicitur ſugillatio, ſiue ſanguinis effuſio ſub palpebris et adnato oculi, aut ſub palpebra inferiore, qui affectus non confundi debet cum *Hypopyo*, de quo ſtatim. Sic quoque regio ſub palpebra inferiore vocatur.

HYPOPYON, eſt puris ſub tunica cornea in cameris oculi collectio, ſaepe tam parua, ac ſi tantum macula eſſet. Aliquando tamen tam copioſa, vt oculus inde plus minusue protuberet. Easdem cauſas habet, quam oculi phlegmone, quam etiam ſaepe ſequitur, et frequenter etiam oritur ex laceratione tunicae choroideae in operatione cataractae. Τροφθαλμία *Rufo.* Ex ὑπὸ, ſub, et πύον, pus. Ge. Ein Eyterauge. G. *l'Oeil purulent.* A. *Collection of Matter under the Cornea.* B. *Een Etter-oog.*

HYPOSARCA, i. q. *Anaſarca.*

HYPOSARCIDIVM, i. q. *Anaſarca.*

HYPOSPADIAE, ſunt, qui glande aut prorſus imperforata, aut non niſi in inferiori parte perforata, naſcuntur, et ideo tandem impotentes manent. Ab ὑποσπάω, ſubtraho.

HYPOSPHAGMA, eſt ſanguinis ſuffuſio ab ictu in oculum. Ex ὑπὸ, ſub, et σφάζω, ſanguinem effundo. Ge. Ein blaues Auge, blutige Striemen an denen Augen vom Schlagen. G. *Oeil meurtri.* A. *Blue Eye.* B. *Blauuw-oog.*

HYPOSPATHISMVS, eſt inciſio, veteribus inprimis in lippitudine vſitata, tribus diuiſionibus facta, ſupra frontem ad pericranium vsque. Nec tamen tribus illis lineis, vel ſectionibus, frontem inciſiſſe ſatis erat, ſed ſubiicienda etiam erat ſpatha, vnde et ſectioni huic inditum nomen fuit, quae per ſubditas partes transmittebatur, totumque id ſpatium vsque ad pericranium excoriabatur. Ex ὑπὸ, ſub, et ſpatha.

HYPOSTAPHYLE, eſt gurgulionis, ſeu vuulae laxatae, inflammatae, vlceratae, incraſſatae, attenuatae, procidentia cum moleſtia ac difficultate deglutiendi, tuſſi, nauſea, exſputitione fere continua, et quandoque dyſpnoea, nec non pſellismo. Ge. Schießen des Zäpfleins. G. *Chûte de la luette.*

HYPOSTASIS VRINAE, eſt illud craſſum generale contentum, quod in vrina refrigerata verſus fundum deſcendit, in eaque ſubſidet, et ideo quoque *Sedimentum* dicitur. Ab ὑφίστημι, ſubſideo. Ge. Der Bodenſatz im Urin. G. A. *Hypoſtaſe.* B. *Groudſap, Zetſel.*

HYPOTHENAR, eſt ſpatium a digito, qui dicitur index, vsque ad digitum minimum. Item *Hypothenar*, vel *Meſothenar*, vocatur vnus ex muſculis pollicis, is ſcilicet, qui oriens ab oſſe multangulari maiori et a ligamento carpi interno, thenari aliquantum ſubiacens ſuperficiei externae capituli primae phalangae pollicis inſeritur, ſuaque actione pollicem ad volam adducit. Ex ὑπὸ, ſub, et θέναρ, vola. Ge. Der Mittelklopfer. B. *Onderpalm, Onderpalm-ſpier.*

HYPOTHESIS, eſt rei ſuppoſitio. Ab ὑποτίθημι, ſupponо. Ge. Ein angenommener Satz. G. *Suppoſition, Hypotheſe.* A. *Suppoſition.* B. *Onderſtelling, eene Voor-vaſt-ſtelling.*

HYPOZOMA, eſt membrana interſepiens, vt mediaſtinum in thorace. Ab ὑποζώννυμι, ſuccingo.

HYPSILOIDES, i. q. *Hyoides.*

HYSSOPVS, eſt plantae genus flore monopetalo labiato, (Didynam. Gymnoſperm.) cuius ſpecies officinalis eſt Hyſſopus officinarum caerulea, ſ. ſpicata *Bauh. Hyſſopus officinalis* ſpicis ſecundis, foliis lanceolatis *Linn.* Haber haec

caules, pedem vnum, vel ſeſquipedem, altos, duros, nodoſos, ramoſos, a parte ſuperiore vsque ad inferiorem folia anguſta et oblonga ferentes. Satureiae parum latiora. Flos monopetalus, labiatus, cuius labium ſuperius ſurrectum eſt, ſubrotundum, bifidum; inferius vero in tres partes diuiſum, media cochlearis inſtar excauata, bicuſpide, et quodammodo alata. Ex calyce monophyllo, cylindraceo, quinquedentato, ſurgit piſtillum poſticae floris parti ad inſtar claui infixum, ac quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula, quae floris calyx fuit, recondita. Radix digitum craſſa, dura, lignoſa. Tota planta habet odorem penetrantem, gratum, et aromaticum, vti et ſaporem paulo acrem. Viribus gaudet balſamicis, tonicis, expectorantibus, emmenagogis et ſtomachicis, et in tuſſi, aſthmate humorali, podagra, ophthalmia et ſugillatione magno cum fructu adhibetur. Datur ſub forma infuſi, conſeruae, ſyrupi, eſſentiae et aquae deſtillatae. Dicitur quaſi ὑέωνον, ἢ ἐπὶ χεόμενον ἐπὶ τὸν ὄπα, quod ſuper oculos effundatur, ἀπὸ τῦ ὑω. ὕσω, quod ſignificat perfundo, et ὤψ, facies, adſpectus, vultus. Hanc nominis ſi ſequamur deriuationem, Hyſopos ſcribemus per ſimplex S. Malunt alii Hyſſopum dictam, quaſi ὑέκενον ἐπὶ τὸν ὄπα, quod vocem raucam pulmonesque vnice iuuet; alii deducunt a voce Hebraica *Ezob*, quae ſignificat plantam boni odoris, vel ſacram, vel deſtinatam ad repurganda loca ſacra, vt in pſalmis dicitur: *repurga me Hyſſopo*. Sed quaenam planta Hyſſopus veterum, et num non forte potius e claſſe muſcorum fuerit, ignoratur. Id certum videtur, quod planta valde humilis eſſe debuit, cum dicitur, quod *Salomon* a Cedro ad Hyſſopum plantas deſcripſerit. Quidquid ſit, haec vox iam huic herbae tribuitur. Ge. Yſop. G. *Hyſſope*. A. *Hyſſop*. B. *Hyſop, Yſop*.

HYSTERA, i. q. *Vterus*.

HYSTERALGIA, eſt vteri dolor, ab inflammatione, ſcirrho, cancro, vel aliunde, excitatus. Ab ὑςέρα, vterus, et ἄλγέω, doleo. Ge. Mutterſchmerz. G. *Douleur de la Matrice*. A. *Pain of the Womb*. B. *Moeder-pyn*.

HYSTERICA PASSIO, HYSTERIA, dicitur et *Suffocatio hypochondriaca, vterina, vteri adſcenſus*, etc. Eſt morbus muliebris, et quidem ſyndrome ſymptomatum conuulſiuorum fugacium ſine cauſa euidente, et ſubito mutabilium, cum ſumma animi ſenſibilitate, puſillanimitate, a pathematibus et cauſis debilitantibus ingraueſcens, ſcilicet motus conuulſivus, qui in ventre incipiens, ſenſim ſurſum repit, in quo reſpiratio valde laeſa et imminuta eſt, cum ſenſu, ac ſi fauces nodo ſtringerentur, vel bolus ab inferioribus in eas inſurgeret: hiſce accedit anxietas, et quaſi animi deliquium, retractio vmbilici, ſaepe cum lapſu corporis in terram, absque tamen conuulſiuis motibus artuum, niſi epilepſia quoque adfuerit. Ad haec de murmure ventris, de globo adſcendente et in latere ſubſiſtente, aut in fauces euolante, conqueruntur. Porro paroxyſmus grauior eſt, vel leuior, nonnunquam habet periodos ſuas. Cum ſoluitur paroxyſmus, laſſitudo, pallor, aut aeſtus, in facie cum rubore genarum, capitis, artuumque dolor, languor virium, cordis palpitatio, pigritia, ructus, ſuſpiria, anhelatio, ciborum faſtidium, nauſea, etc. accidere ſolent. In paroxyſmo ſaepe vociferantur, aut ranarum inſtar coaxant, vel rident, vel lachrymantur. Denique paroxyſmum antecedunt oſcitatio, pandiculatio, imbecillitas, vrina copioſa, pallida et aquoſa, triſtitia, terror, ira, amor, odor rerum ſuauium, a quibus momento citius ſaepe excitatur hoc malum, vti a foetidis lenitur. Dulcia etiam ore recepta mouent hanc paſſionem in iis, quae obnoxiae ſunt ei. At in paroxyſmo etiam exteriora pallent, et frigent, rubentibus genis, ita, vt fuerint, quae per dies aliquot, quaſi mortuae, non habentes pulſum, non reſpirantes, non loquentes, non ſentientes, iacuerint. Aliae fuerunt ſepultae, et in ſepulchris excitatae tandem in latus, vel aliam partem, verſas fuiſſe compertum eſt. Verum quae ſic mortuae videntur, genas tamen rubentes habere ſolent: ſed, vt diximus, rubor inprimis conſpicuus eſt, cum paroxyſmus finiri incipit, et ſuſpiria et borborygmi audiri, quibus plerumque terminatur. Tum vero per aliquot dies ſaepe remanet ſenſus ille conſtrictionis in faucibus, quae aliquando difficilem deglutitionem vna inducit, quae autem per interualla et frequenter laborant, genas tumidas, rubras liuidasque cum varicibus habent. Gr. Υςερικὴ νόσος. Ge. Aufſteigen der Mutter, Mutterbeſchwerden, Mutterkrankheit. G. *Vapeurs, Mal de mere, Suffocation de la Matrice, Affection hyſterique*. A. *The Suffocation, vel the Riſing of the Mother, Hyſteric paſſion*. B. *Opſtyging van de Moeder, Moederziekte, Slikking der Lyf-moeder*.

HYSTERICA, ſunt medicamenta, vteri morbis aduerſa.—*Hyſtericae* etiam dicuntur foeminae paſſionibus hyſtericis obnoxiae. Ab ὑςέρα, vterus. Ge. Mutterkräuter, Arzeney wider die Mutterkrankheit. G. *Remede contre les Vapeurs*. A. *Medicines againſt the diſeaſes of the womb, or the hyſteric paſſion*. B. *Kruiden tegen de Moederziekte*.

HYSTERITIS, METRITIS, inflammatio vteri, eſt phlegmaſia, cuius praecipuum ſymptoma eſt tumor regionis vteri, cum ardore, dolore, grauitate et pyrexia acuta. Ge. Entzündung der Mutter. G. *Inflammation de la Matrice.* A. *Inflammation of the Womb.*

HYSTEROCELE, HYSTEROPTOSIS, vide *Hernia Vteri.* Ex ὑστέρα, vterus, et κήλη, tumor. Ge. Der Vorfall der Mutter. G. *Deſcente de la Matrice.* B. *Baarmoeders Uitzinking.*

HYSTEROLOXIA, *Obliquitas vteri*, eſt vteri ſaepius gravidi, et contra quam in Hyſterocele fit, abdominis clauſtris contenti, ſitus in obliquum aberrans, qui cognoſcitur, axi peluis legitime conſtituto, ex mutata orificii vteri directione, quod exploratum nunc anteriora, nunc poſteriora, nunc latus alterutrum, reſpicere deprehenditur. G. Schiefe Lage der Mutter. G. *Obliquité de la Matrice.*

HYSTEROMANIA, eſt nimia veneris in foeminis appetentia, quae plerumque ab acri humore, ad has partes confluente, excitatur. Vide *Furor Vterinus.*

HYSTEROTOMIA, vocatur tum ſectio vteri anatomica. Ex ὑστέρα, vterus, et τέμνω, ſeco. Ge. Zerlegung, oder Zerſchneidung der Mutter. B. *Een konſtige Ontleding van de Moeder.* — Tum eſt idem quod *Hyſterotomotocia*, ſiue *Sectio Caeſarea*, aut *Partus Caeſareus*, ſcilicet operatio chirurgica, qua foetus, qui per naturalem viam ex vtero materno exire, nec vlla arte educi poteſt, viuus, vel mortuus, e ventre matris viuae, vel mortuae, ad vtrumque, vel alterutrum ſeruandum, et ab imminenti mortis periculo liberandum, prudenter eximitur, quae hoc modo peragitur. Sub vmbilico ad latera lineae albae ſectio ſemilunaris inſtituitur, cavitate ſua lineam albam reſpiciens, et in cauum abdominis penetrans, quae, quantum opus eſt, dilatanda, tumque ipſe vterus prouide inciditur, foetusque eximitur; poſt ſectionem, extracto foetu, vterus ſponte contrahitur, nec vlla futura laceſſendus eſt. Plura exempla huius operationis in ſe quidem periculoſiſſimae, tamen in ſummae neceſſitatis caſu, debita circumſpectione inſtitutae, felicem ſucceſſum probant. Si de certa morte matris conſtet, minori in eligendo ſectionis loco circumſpectione opus eſt. Ab ὑστέρα, vterus, τέμνω, ſeco, et τόκος, pario. Ge. Kaiſerſchnitt, Mutterſchnitt. G. *Section, ou Operation Céſarienne, ou de la Matrice.* A. *The imperial cutting, or Ceſarian Operation.* B. *Keizerlyke ſnee, Moeder ſnee.*

HYSTRIX, eſt mammalium genus ad Glires ab Ill. *Linnaeo* relatum. Eius corpus ſpinis tegitur. Ge. Stachelſchwein. G. *Porc epic.* A. *Porcupine.* B. *Stekel Verken.* — *Lapis bezoardicus hyſtricis*, qui vulgo *Pedra del porco* dicitur, in cyſtide fellea reperiri dicitur. Olim magni aeſtimabatur, nunc vero vſus eius euanuit.

I.

IACEA, eſt plantae genus flore compoſito floſculoſo, *Centaurea Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Fruſtran.) Habet caulem ſtriatum, fractu difficilem, lanuginoſum. Prima, quae prodeunt folia, ſunt laciniata, prae virore nigricantia, lanugine cana reſperſa, ſed quae caulibus adhaerent, ſunt anguſta, firma, aliquantum dura, ſaporis non omnino ingrati, ſubdulcis cum adſtrictione. Flores floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis conſtantes, difformibus, quinquefidis, embryoni inſidentibus, et calyce ſquamoſo ciliato, non aculeato, comprehenſis. Embryo autem abit dein in ſemen fuſcum pappis inſtructum. Radix ſatis craſſa, lignoſa, ſaporis adſtringentis et inſipidi. Iuxta ſepimenta agrotum, locis herboſis, negligentius cultis, reperitur. Eſt nomen diuerſis plantis impoſitum: forte vox erit Italica, qui *Iaceam* et *Iaceam* appellant: minus conſonum videtur oriri ab ἰάομαι, medeor. Alii a iacendo deriuant, quod multae Iaceae ſpecies ſupinae ſint, et humi iaceant. Vires eius ſubadſtringentes ſunt et vulnerariae, parum tamen in medicina adhibetur. — *Iacea tricolor*, vide *Viola.* Ge. Flockenblume. G. *Jacée.* A. *Knapweed.*

IACOBAEA, ſeu *Herba S. Iacobi*, ſic vocatur, quod ſit *D. Iacobo* dicata. Eſt plantae genus flore compoſito radiato, (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) iuxta Ill. *Linn.* tum ad Solidagines, tum ad Seneciones relatum, quod habet vnum pluresue caules, tres, vel quatuor pedes altos, rotundos, rectos, ductos, ſtriatos, interdum in quibusdam ſpeciebus ſine lanugine, aliquando parum lanuginoſos, interdum rubros, vel coloris purpuraſcentis, ramoſos, multa folia habentes ſine ordine, vel alternatim diſpoſita, oblonga, profunde incisa, coloris viridis obſcuri, ſaporis aliquantulum adſtringentis. Flos radiatus eſt, cuius diſcus ex plurimis ſcilicet floſculis quinquefidis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryoni inſidentibus, et calyce tubiformi ac multiformi comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina pap-

pis longis, pilosis instructa, thalamoque infixa. Radix fibrosa, alba, terrae valde infixa et adhaerens. Vires quidem vulnerariae eius a quibusdam multum depraedicantur, vix tamen vllus eius in medicina vsus est. Ge. **St. Jakobsblume, St. Jakobskraut.** G. *Jacobée, Herbe ou Fleur de S. Jaques.* A. *Ragwort, Seggrum.* B. *S. Jacobs-kruid.*

IALAPPA, radix est crassa, oblonga, rotunda, resinosa, pinguis et carnea, sapore acuto, incidente, nauseoso, odore nullo, quae scissa in taleolos ad nos ex Indiis Occidentalibus adfertur, exterius subnigricans, interius ruffescens, cum circulis, si bona sit, nigris, seu resinosis. Radix integra longa est, et ab infima parte obtusa. Planta est Conuoluulus americanus Ialapium dictus *Rai. Conuoluulus Ialapa* foliis diformibus, cordatis, angulatis, oblongis lanceolatisque, caule volubili, pedunculis vnifloris *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Habet caulem, quatuor, vel quinque pedes altum. Folia Hederae satis similia, sed minus crassa. Flos monopetalus, infundibuliformis, plerumque leuiter incisus, qui gemino calyce donatur, altero, a quo inuolui, altero vero, cui insidere solet: is autem deinde abit in fructum subrotundum semine foetum eiusdem formae. Est *Conuoluulus Mexicanus*, vel *Mirabilis Peruuiana* dicitur. Maioribus fuit incognita. Vocatur etiam *Gialappa, Chelopa, Celopa, Ielapium, Ialepium*, vel *Gelapo.* Item *Mechoacanna nigra.* Dicitur *Mirabilis Peruuiana* propter admirabilem florum in eadem stirpe varietatem, hinc Gallis *Merueille du Perou, ou Belle de nuit.* Ge. **Jalappenwurz, Nachtschön.** B. *Nagtschoon.* Quia vesperi se aperit flos. A. *Jalap.* — Purgans est validissimum, quod inprimis serosos humores euacuat, hinc in hydrope magnas vires habet. Virtus eius cathartica praecipue in portione resinosa menstruis spirituosis extrahenda, scilicet resina et magisterio residet, cum decocta et extracta aquosa magis vi diuretica gaudeant. Frequens eius tum in puluere, tum sub forma extracti, in medicina vsus est.

IANITOR, i. q. *Pylorus.*

IAPONICA TERRA, vide *Catechu.* Ge. **Japanische Erde.** G. *Cachou, Terre de Japon.*

IASMINVS, vel IASMINVM, est plantae genus, vel arbuscula, quae habet multos ramos, valde longos, tenues, nodosos, debiles, flexiles, virides, valde extensos, medulla alba fungosa repletos. Folia sunt oblonga, acuta, bina costae adhaerentia, in folium impar definentia; pulchri viridis coloris. Flos monopetalus ex oblongo tubo in quinque lacinias totidem folia imitantes est expansus, coloris albi,

albi, odoris suauis, et valde grati. Huic flori succedit plerumque bacca obrotunda, viridis, bilocularis, mollis, semina habens obrotunda et compressa. Radix fibrosa. Floribus ob qualitatem fragrantem vis vterina tribuitur, hinc in dystocia commendantur. Puluerem praeterea Cyprium, variaque odoramenta, praecipue sub olei aetherei forma, ingrediuntur. *Gelseminum* Italis, Arab. *Jesemin, Sambach*, vel *Zambach.* Iasminum, quasi violaceum, a Violis, quas *Ia* vocant; vel a Graeca voce ἰασμὸς, quae significat odorem medicinalem, quia huius plantae flos suauem odorem fundens in medicina optimas habet vires; vel a voce Hebraica *Samin*, quae thus notat, quia hic flos in locis optimum relinquit odorem. Ge. **Violreben, Jasminblumen.** G. *Jasmin.* A. *Jasmine, Shrub-Trefoil, Jasemin.* B. *Jasmyn, Jesemin.*

IASMINVM ARABICVM, *Castaneae folio, flore albo odoratissimo.* Vide *Caffe.*

IASPIS, est Lapis, varii coloris, caerulei, viridis, purpurei, qui creditur haemorrhagias sistere amuleti instar appensus. Est Petrosilex Iaspideus *Wall. Silex marmoreus Linn.* chalybe percussus scintillas edens, prorsus opacus, nitidam tamen admittens polituram; hinc frequens eius vsus mechanicus est.

IATROALIPTAE, Romanis dicebantur medici, qui vnice conficiendis vnguentis odoriferis, iisque praeuio balneo, frictione adhibendis studebant, quippe quod ad artem gymnasticam pertinebat.

IATROCHYMICVS, est medicus, qui operationibus et medicationibus chymicis operam dat. Ex ἰατρὸς, medicus, et χυμικὸς, chymicus. Ge. **Ein chymischer Arzt.** G. *Medecin Chimiste.* A. *A Chymical Physician.* B. *Een Chymiste Geneeskenner.*

IBERIS, est Nasturtii species, sic vocata, quod in Iberia luxuriose succrescat. Vocatur etiam καρδαμαντικὴ et ἀγριοκάρδαμον, item *Lepidium, Hiberis, Nasturtium agreste, Cardamantice* et *Agriocardamon*, Graecis appellata, quod radici odor insit Nasturtii: vel quod eius folia partim Nasturtio aquatico, quod a *Dioscoride Sisymbrium* vocatur, partim etiam hortensi, quod *Cardamon* Graecis nominatur, similia sint; vel quod gustu Nasturtium referant. — *Iberis* Ill. *Linnaeo* est plantae genus, (Tetradyn. Siliculos.) flore tetrapetalo cruciformi, calyce tetraphyllo, silicula erecta, suborbiculata, compressa, superne margine bifido acuto cincta, biloculari, seminibus solitariis subouatis. Odoris saporisque acris est, meritoque inter remedia antiscorbutica refertur. Ge. **Wilde Kresse,**

Biſemkraut G. *Paſſe-rage.* A. *Sciatica Creſs.* B. *Peperkruid.*

IBIGA, eſt Chamaepytis, i. q. *Abiga.* Vide *Iua.*

IBISCVS, et HIBISCVS, eſt *Althaea.* Nomen videtur fictum ex Malua et Viſcum, quaſi diceres maluae viſcum, vnde barbaris Pharmacopolis *Maluaniſcum.* Hinc forte deſcendit *Ibiſcus* et *Hibiſcus*, vel, vt aliis placet, *Ebiſcus.* Alii deriuant ab ἴβυς, quod ſit magna eius vis. Vide *Althaea.* — *Ibiſcus* Ill. *Linnaeo* peculiare eſt plantae genus, (Monadelph. Polyandr.) Maluauiſcus *Dill.* Ketmia *Tournef.* calyce exteriori octophyllo, vel vltra, interiore monophyllo ſemiquinquefido, corolla pentapetala, baſi coalita, capſula quinqueloculari, quinqueualui, ſeminibus reniformibus. Ge. Syriſche Pappeln. G. *Fauſſe Güimauve.* A. *Syrian Mallow.*

ICHOR, ſaepe ſignificat ſerum ſanguinis; aliquando eſt humor acris oleoſus et aquoſus, ex vlceribus manans. Ge. Scharfe Feuchtigkeit, die aus denen Wunden fließt. G. *Seroſité, Sanie.* A. *Watery-blood, Ichor, Sanies.* B. *Waterig bloed.*

ICHOROIDES, eſt humiditas ſaniem referens. Ex ἰχὼρ, ſanies, et εἶδος, forma. Ge. Scharfe Feuchtigkeit in denen Wunden. G. *Sanieux.* A. *Ichorous, Sanious.* B. *Waterbloedig.*

ICHTHYOCOLLA, eſt gluten piſcis, qui vocatur *Huſo*, vnde Ge. Hauſenblaſe, Fiſchleim. B. *Huiſen-blas*, ſiue *Viſchblym. Pharm. Colla piſcium.* Piſcis eſt Huſo Germanorum *Will. Acipenſer Huſo* cirris quatuor, ſquamis dorſalibus tredecim, caudalibus quadraginta tribus *Linn.* In fluuiis maximis imperii Ruthenici frequens eſt, et in Danubio obuius, in quem e mari migratione annua autumnali turmatim tranſit, captusque in ſauem cibum cedit. Inſignis eſt magnitudinis, longitudine viginti quatuor pedum, pondere nonnunquam ad libras quadringentas accedens. Gluten illud album eſt, ex veſicula aerea huius piſcis coctione cum aqua confectum, et in ſpiras, quae inodorae ſunt, et ſaporem glutinoſum habent, coactum. Adhibetur inprimis ad vina clarificanda; dum enim in iis diſſoluitur, ſecum rapit ad fundum partes craſſiores, vina turbida reddentes. In medicina rarius vſurpatur, niſi quod ob vim glutinantem et incraſſantem decoctis et clyſteribus contra diarrhoeam et dyſenteriam nonnunquam addatur. Vſus quoque eximius eſt ad conficiendam telam emplaſticam, quae vulgo tela vulneraria Anglica, Ge. Engliſche Haut. G. *Peau d'Angleterre.*

A. *Sticking plaiſters.* G. *Colle de Poiſſon.* A. *Fishglue, Iſing-glaſs.* Arab. *Alcana, Alzanaban*, vel *Alchanach*, ſiue *Alzanuch* vocatur.

ICTERICA, ſunt medicamenta aduerſus icterum.

ICTERVS, eſt morbus, in quo album oculi non tantum flauo colore tingitur, ſed etiam cutis totius corporis in flauedinem mutatur, cum vrina croceo-tinctoria, foecibus griſeis, ſiccis, aluo tarda, pigritia, animi languore, viſu obſcuro ac raro obiectorum omnium apparente flauedine, pruritu et ariditate cutis, nauſea et amaritie oris. Oritur ab obſtructione ductus choledochi, vel ductuum hepaticorum, iecoris inflammatione, vel adipoſae, calculoſaeue materiae, huc ex omento morae, vel in veſicula fellis etc. haerentis, obſtructione, aut ſcirrho, vnde ob ſe- et excretionem impeditam in ſanguine bilis retinetur. — *Ictérus* eſt vel acutus ab inflammatione, vel chronicus ab infarctu hepatis pendens. Dicitur ἀπὸ τῆς ἰκτίδος, id eſt *Viuerrae*, quae eſt ex genere muſtelarum, quo venatores vtuntur, cuius oculi eiusmodi colore tincti cernuntur. Siue ab Ictero aue, eius coloris, quam Latini *Galbulum* vocant, quae ſi ſpectetur, (inquit *Plinius* lib. xxx. cap. 11.) ſanari id malum, tradunt, et auem mori. Eſt haec auis *Coracias Galbula*, fulua, capite, dorſo, remigibusque nigris *Linn.* Icterus ex aureo nigroque varius *Catesb.* Latinis *Regius Morbus* nominatur, quoniam, vt nonnullis placet, vita ſoluta curis ſanari debet; ſeu potius ab auro, metallorum rege, ſicut et *Aurigo*, ab auri colore. Nominatur et *fellis ſuffuſio. Celſo* ita dictus, quod in aulis regum molliter curetur, (vt *Sammonicus* ait) ludis, laſciuiaque, per quae mens exhilaretur. *Arcuatus* et *Arquatus morbus Celſo*, a colore arcus caeleſtis aemulo. Veteres etiam mentionem faciunt de *Ictero nigro*, quem a liene deriuant, qui tamen communis, vel flaui, Icteri maior tantum gradus eſſe videtur. Dicitur quoque hic *Melaſicterus*, vel *Melanchlorus*, et eſt morbus vt plurimum diuturnus, apyretus, qui cutem fere vniuerſam colore nigro, vel diffuſo, vel guttato et maculoſo, deturpat. *Sauv.* Ge. Die Gelbſucht. G. *La Jauniſſe.* A. *The Jaundice.* B. *De Geluw, Geelzucht, de Geele.*

ICTERVS ALBVS, i. q. *Chloroſis.*

IDAEA, vide *Victorialis.*

IDEA MORBI, eſt cognitio cauſſae, et eſſentiae morbi. Ab εἶδω, video. Ge. Kenntniß der Krankheit. G. *Idée de la Maladie.* A. *Idea of a Diſeaſe.* B. *Eigenſchap der Ziekte.*

IDEALES MORBI, ſunt, qui praecipue ab affecto ſenſorio

communi oriuntur, quorumque character est imaginationis, iudicii et voluntatis deprauatio.

IDIOPATHIA, est morbus primarius, qui ab alio morbo non dependet, nec originem ducit, et qui in eadem parte corporis manifestatur, in qua haeret caussa morbi, vt Dyspepsia a cruditatibus: sicque opponitur *Sympathiae*, vbi adhuc aliae adficiuntur partes praeter eam, in qua caussa morbi haeret, vt Tetanus maxillae a vulnere pedis. Ab ἴδιος, proprius, et πάθος, affectus. Ge. Eigenleidige Krankheit. G. A. *Idiopathie.* B. *Eigen-lydig.*

IDIOSYNCRASIA, est propria cuiuis corpori constitutio, tum respectu mixtionis fluidorum, tum praecipue respectu habitus et distributionis neruorum, qua is homo aliter sese ad quasdam res externas habet, quam alii, sic vt saepe laedatur a quibusdam, quae reliqui homines facile ferunt. Pertinet huc lipothymia ex conspectu felis, horror casei, vini, etc. Ex ἴδιος, proprius, σύν, cum, et κρᾶσις, temperamentum. Ge. Eigene Beschaffenheit. G. A. *Idiosyncrasie.* B. *Eigen Gematigheid.*

IECORARIA VENA, i. q. *Basilica.*

IECVR, i. q. *Hepar.*

IECVR VTERINVM, vide *Placenta Vteri.*

IEIVNVM INTESTINVM, est secundum intestinorum tenuium, situm in regione vmbilicali, incipiens, vbi Duodenum desinit, et finem habens, vbi Ileum incipit, scilicet vbi membranae sunt magis albae, vascula pauciora, valuulae minus frequentes, agmina vero glandularum numerosiora. Verum cum prima origo Ieiuni intestini et vltimus Ilei finis his notis quidem insigniter differant, vltima vero pars Ieiuni primaque Ilei adeo sui sint similes, vt nulla nota discriminis adsit, quae sufficiat, rectius hodie Ieiunum et Ileum pro vno intestino, sub communi nomine *Intestini tenuis*, habentur. Constant e tunica membranacea, propagine peritonaei, musculosa, neruea, seu potius tendinea, et villosa, multo laxiore et valuulas formante, interstrato cuiuis tunicae textu celluloso. *Ieiunum* veteribus dictum est, quod ob fluiditatem alimentorum, horumque facilem transitum, et per vasa lactea copiosa celeriorem chyli resorptionem, plerumque vacuum reperiretur. Vocatur a Varrone *Hilla.* Gr. Νῆστις. Ge. Das leere Gedärm. G. *l'Intestin Jejunum.* A. *The empty Gut, Jejunum.* B. *De Nuchtere, of Ydele darm.*

IESEMINVM, i. q. *Iasminus.*

IGNIS, iuxta explicationem *Boerhaauii*, est illa res, incognita caeterum, quae istam in se proprietatem habet, vt

corpora omnia consistentia et fluentia penetret, atque eo ipso ea dilatet in spatia maiora. Ge. Das Feuer. G. *Le Feu.* A. *Fire.* B. *Vuur.*

IGNIS ACTVALIS, est, qui primo contactu adurit, vt sunt ignis ipse et cauteria ferrea. Sic *Actuali* igne calcinantur animalium partes, vt ossa, cornua, etc. ad albedinem, seu ad particularum oleosarum, et salinarum exhalationem, quod alias *Combustio* dicitur; sicque plumbum in minium, limatura ferri in crocum adstringentem, vt nimirum flamma vndiquaque materiam lambat, calcinatur, quod et *Reuerberare* dicitur. Si autem corpori viuenti applicetur, solida inde destruuntur, et humores concrescunt. Ge. Das wirkliche Feuer. G. *Le Feu actuel.* A. *Real, or actual Fire.* B. *Daadelyk Vuur.*

IGNIS CIRCVLATORIVS, est tepor, vel talis caloris gradus, quem digiti facile ferunt. Vide *Circulatorium.*

IGNIS COLVMELLAE, i. q. *Erysipelas.*

IGNIS GEHENNAE, antiquioribus chymicis est *Alcahest*, seu menstruum illud vniuersale, quod sibi fingebant.

IGNIS PERSICVS, i. q. *Gangraena*, sumitur etiam pro *Carbunculo*, seu *Anthrace.*

IGNIS POTENTIALIS, est medicamentum, quod, postquam aliquamdiu parti superimpositum fuerit, vires suas penetrando et destruendo exserit, eundemque effectum, ac ignis actualis, praestat. Vt lapis infernalis, butyrum antimonii, caeteraque exedentia. Sic potentiali igne soluuntur metalla, lapides, etc. ope spiritus acidi nitri, vitrioli, etc. Germ. Aetzende Mittel. G. *Le Feu potentiel, Caustiques.* A. *Potential Fire, Caustics.* B. *Vermoogelyk Vuur, een gatbrandend Medicament.*

IGNIS REVERBERII, *Rotae, Fusorius*, est, quando in fornace viua flamma in modum rotae crucibulum ambit, estque maximus ignis gradus, dum vndique a parietibus fornacis determinantibus reflexus in vas medium agit Ge. Reverberirfeuer, Radfeuer, Schmelzfeuer. G. *Feu de Reverbére.* A. *Reverbering Fire.* B. *Reverbereer Vuur, wedcrom stuitend Vuur.*

IGNIS SACER, *Ignis Sancti Antonii*, i. q. *Erysipelas*; quidam tamen pro *Herpete* sumunt.

IGNIS SILVESTRIS, i. q. *Phlyctaena.*

IGNIS SVPPRESSIONIS, est, quando retorta in arena collocata est, et infra et supra arenam, ignis fortissimus, adhibetur, vti fit in cinnabari antimonii, etc. conficienda.

IGNIS VOLATICVS, quibusdam dicitur morbus infantes sat frequenter inuadens, scilicet macula intense rubra, pertinax, constans, vniformis, circularis, monetae minoris magnitudine, circa genas et labia. *Sauv.* Ge. Flugfeuer. G. *Feu volage.*

IGNITIO, est calcinatio per ignem facta. Ge. Kalkbrennung. G. *Calcination de Chaux.* A. *Calcination by Fire.* B. *Kalkmaaking.* — Frequentius tamen nihil aliud denotat, quam candefactio, qualis in metallis, v. g. ferro, ante fusionem obtinet.

IKAN RADIX, est radix teres, oblonga, flaua, resinosa, Curcumae similis, saporis aromatici. Planta vix nobis satis cognita, in prouincia Chinensi Súchuan crescit. Radici contusae et cum vino sumtae eximiae vires stomachicae, carminatiuae et emmenagogae tribuuntur.

ILE, est cauitas a thorace ad coxae ossa; in animalibus omnibus, homine et oue excepto. — Intestina omnia etiam *Ile* appellari annotat *Plinius.* Ab εἰλέω, circumuoluo. Ge. Die Höle des Bauches. *G. Cavité pour les boyaux.* A. *Cavity for the guts.* B. *Ingewands holte.*

ILEVS MORBVS, vide *Iliaca passio.*

ILEX, est arbor glandifera, Quercus species, et quidem Quercus Ilex foliis ouato-oblongis, indiuisis vel serratis, petiolatis, subtus incanis, cortice integro *Linn.* (Monoec. Polyandr.) Ilex oblongo serrato folio *Bauh.* Pomi, vel Pyri, magnitudine est. Eius cortex est fuscus, lignum vero durum et compactum; rami lanugine alba repleti. Folia sunt oblonga, in margine incisa, superius semper virentia, inferius albescentia et lanuginosa, saporis adstringentis. Flos amentaceus, constans multis staminibus ortis ex calyce infundibuliformi, quadrifido, vel quinquefido. Fructus Quercus. Haec arbor crescit in syluis, praesertim in Europa australi, aliisque regionibus calidis. Vide *Kermes.* Nomen arboris quidam deriuare volunt a voce Hebraica *Elon*, quercus, quia species est quercus. Gr. Πρῖνος, quia arbor serra propter duritiem sit secanda. A πρίω, vel πρίζω, serra seco. Ge. Scharlachbeerbaum, Steineiche. Ga. *Yeuse, Chêne verd.* A. *The Scarlet-oak, the euergreen Oak.* B. *Scharlaken-beſſen-boom, Karmoſyn-boom.* — *Ilex* quoque Ill. *Linnaeo*, est genus plantarum, (Tetrandr. Tetragyn.) perianthio quadridentato, petalo quadripartito, bacca subrotunda, quadriloculari, seminibus solitariis, osseis, oblongis, hinc gibbis, inde angulatis. Sub hoc genere *Aquifolium*, plu-

resque aliae species continentur. Ge. Stechpalm, Stechbaum. G. *Houx.* A. *The Holly-tree.*

ILIA, partes dicuntur laterales inanes et molles abdominis, inter costas breues et pubem. *Celso* Λαγών, Κενεών, Λαπάρη. Ge. Die Weichen. G. *Les Flancs.* A. *The Sides.* B. *De Zyden des Onderbuiks, het Week van de Buik.* — — Aliis sunt loca illa, quae ossi Ileo vicina sunt, initium sumentia a partibus mollibus, seque ad inguina extendentia.

ILIACA PASSIO, ILEVS, siue DOLOR ILIACVS, MISERERE MEI, VOLVVLVS, TORMENTVM, et CHORDAPSVS, est morbus acutus, et quidem dolor in intestino Ileo cum borborygmis, pertinaci alui suppressione et horrendo vomitu, quo primum humores, deinde alui faeces foetentes excernuntur, cum insigni anxietate, et periculo mortis tanto, vt rarissime aegri euadant. Solet haec passio herniae non restitutae saepe superuenire, et in genese oritur ab omnibus iis, quae insuperabilem alui constipationem producunt. Gr. εἴλεος, quasi *versus*, seu *circumuolutus*, vel χορδαψος, a χορδεύω, implico, vel irretio. Ge. Darmgicht, das Miserere. G. *Le Miserere, ou Paſſion Iliaque.* A. *The Iliac pain in the guts, Iliac paſſion.* B. *De Kronkel, Darmkrinkel, Drekbraaken.*

ILIACA VASA, est bifurcatio illa truncorum descendentium arteriae magnae, et venae cauae, in abdomine intra peluis regionem, quae demum rursus in arteriam et venam Iliacam internam, seu hypogastricam, et externam, seu cruralem, sese subdiuidit. Ge. Die Blutgefäße im Unterbauch. G. *Vaiſſeaux Iliaques.* A. *The Iliac Veſſels.* B. *Scheiding der vaten des Onderbuiks.*

ILIACVS MVSCVLVS: hoc nomine tria musculorum paria denotantur; scilicet *Musculus Iliacus internus maior*, qui a tota superficie interna ossis Ilei oriens cum tendine musculi Psoae sub *Ligamento Poupartii* transiens trochanteri minori ossis femoris inseritur, femurque flectit.— *Iliacus minor*, qui ab exteriori et inferiori parte spinae ossis Ilei oriens sub trochantere minori inseritur, pariterque flexor femoris est; et *Iliacus externus*, qui etiam *Pyramidalis* et *Pyriformis* dicitur, et a latere ossis sacri oriens, per incisuram ischiaticam transiens, et longo tendine pone tronchanterem maiorem inseritur, femurque rotat, seu extrorsum vertit. Ge. Der Hüftmuskel. G. *Muscle Iliaque.* A. *The Iliac Muscle.* B. *Darmbeens spier.*

ILINGVS, vide *Scoromia.* Ab εἰλίσσω, circumuoluo.

ILIVM, ILEVM, eſt inteſtinum tertium tenuium, oritur, vbi Ieiunum deſinit, ſed frequentioribus gyris decurrit inprimis per hypogaſtricam regionem, et finem ad coecum aſſequitur. Longitudine vnam et viginti palmas aequat. Ab εἰλέω, circumuoluo. Vide *Ieiunum*. Ge. Der Krummdarm, gewundene Darm. G. *Le long boyau, inteſtin Ileum*. A. *The winding, or turning gut, Iliac gut*. B. *De omgebogen Darm*.

ILIVM OS, eſt pars oſſis innominati, in infantibus adhuc diſtincta, in adultis vero in acetabulo penitus, a parte anteriori vtrinque cum oſſe pubis, poſtice cum oſſe ſacro coalitum. Sic dicitur, quod inteſtinum Ilium continet. Circumferentia eius circularis fere eſt, pars ſuperior latiſſima, exterius conuexo-concaua, vtrimque muſculis tegitur. Superior pars Spina, vel Criſta, interior Coſta, et exterior Dorſum appellatur. Amplius eſt in mulieribus, propter partum, quam viris. Ge. Das Darm- oder Hüftbein. G. *l'Os des Iles*. A. *The Iliac bone*. B. *Darmbeen, Heupebeen*.

ILLACRYMATIO, vide *Epiphora*.

ILLECEBRA, *Hellecebra, Semperuiuum minus acre*, per antiphraſin ſic videtur appellari, quod minime propter acrimoniam illiciat. Eſt Semperuiuum tertium *Dod*. Semperviuum minus vermiculatum acre *Bauh*. *Sedum acre* foliis ſubouatis adnato ſeſſilibus, gibbis, erectiuſculis, alternis, cyma trifida *Linn*. (Decandr. Pentagyn.) Creſcit in Europae campis ſicciſſimis, ſteriliſſimis. Qualitatis eſt acris et vrentis. Succus expreſſus in ſtomacace, planta vero contuſa in tumoribus glandularum commendatur. Ge. Mauerpfeffer. G. *Pain d'Oiſeau, Vermiculaire brulante*. A. *Stone-crop, Wall-pepper*. B. *Muur-peper*. — *Illecebrum* vero *Linn*. eſt plantae genus longe diuerſum, (Pentandr. Monogyn.) Corrigiola *Dill*. Paronychia *Tournef*. flore apetalo, calyce pentaphyllo, capſula ſubrotunda, quinqueualui, vniloculari, monoſperma. Plures dantur eius ſpecies, quarum tamen hucusque nulla in vſum medicum adhibetur.

ILLINCTVS, vide *Eclegma*.

ILLITIO, eſt applicatio remedii externi fluidi, oleoſi, aquoſi, vel etiam ſpirituoſi, adiuncta ſimul leni frictione, hocque remedium *Illitus* vocatur.

IMAGINATIO, vide *Phantaſia*.

IMBECILLITAS, eſt, ſi de *generali*, ſ. *vniuerſali*, ſermo eſt, illa conditio corporis humani, qua eius muſculi laxi, ob ſanguinis, vel ſpirituum animalium deficientium influxum imminutum in illorum fibras carneas neruoſasque, membra annexa non ſatis pro voluntate animae mouere poſſunt, vel

cito defatigantur. *Particularis* vero eſt, quando quaecunque pars ſolida cohaerens, ex variis particulis ſibi appoſitis compoſita, eas tam parua cohaeſione connexas habet, vt minimis viribus ad actiones in ſanitate agendas requiſitis vel nimis cedant, vel in vnione diſſoluantur, et eatenus haec imbecillitas laxitatis, vel fragilitatis, effectus eſt. Ge. Schwachheit. G. *Foibleſſe, Débilité*. A. *Weakneſs, Feebleneſs*. B. *Zwakheid*.

IMBRICATVS, botanicis vocatur plantarum truncus tectus, vt ſuperficies non appareat. *Imbricata folia* ſunt conferta et erecta, vt ſe inuicem quoad partem tegant. *Spica Imbricata*, cuius flores ſe inuicem ex parte tegunt. *Imbricatum Perianthium*, quod ſquamis variis ſibi ſuperimpoſitis conſtat. Sic et *Somnus* plantarum, ſeu nocturna foliorum mutatio, dicitur *imbricans*, dum folia ſic complicantur, vt ſe ex parte tegant.

IMMERSIO, eſt vel balnei ſpecies, qua totum corpus aquae immergitur, vel chymicis eſt, quando metalla, aut mineralia, rei alicui corrodenti immerguntur, vt tandem in calcem redigantur. Haecque dicitur *Calcinatio immerſiua*. — Item lotionis ſpecies eſt, quando ſimplicia aquae immerguntur, vt corticem duriorem, vel inutilem, aut qualitatem nociuam, deponant. Sic calx, ceruſſa, tutia igne candida, etc. aquae iniiciuntur, vt a nimia acrimonia liberentur. Eſtque ſicca, vel humida. Ge. Das Eintunken, Eintauchen. G. *Immerſion*. A. *Ducking, Dipping*. B. *Indompeling*.

IMMERSVS MVSCVLVS, i. q. *Infraſcapularis*.

IMMVTANTIA, medicamenta ſunt, quae ipſas figuras particularum ſingularum, fluidum conſtituentium, vel in fluido natantium, et figuris acutis laedentium, non per appoſitionem, ſed propriae ſuperficiei immutationem, ita in natura ſua mutare valent, vt inertes, vel obtuſiores fiant. In genere immutantia nonnullis illa dicuntur medicamenta, quae partibus ſolidis, aut fluidis vitiatis, aliam conditionem inducunt, et eatenus ſunt *alterantia*; aliis ſolam fluidorum mutationem reſpicientibus, idem ſignificant, ac *corrigentia*.

IMPARES DIES, ſunt dies in imparem numerum ab inuaſione morbi incidentes, vt tertius, quintus, ſeptimus, et ſic porro, quibus multum veteres in praedicendis, aut perficiendis criſibus tribuebant.

IMPASTATIO, eſt, quando materia ad paſtam excipienda cum excipiente quodam commiſcetur et pinſitur, vt fiat inſtar maſſae.

IMPATIENS HERBA, siue NOLI ME TANGERE, BALSAMINA LVTEA, aut *Foemina*. In nonnullis officinis quoque *Persicaria siliquosa* vocatur. Sic appellatur, quod non patitur attingi, quin eius seminales folliculi crepaturam patiantur, hinc tangi nolit. Aliis est Balsaminae species; aliis proprium genus plantarum constituit, quod Balsaminae species comprehendit, (Syngenes. Monog.) Calyce diphyllo, corolla pentapetala ringente, nectario cucullato, capsula vniloculari, quinqueualui, oblonga, polyspermа, elastice dissiliente. Species, de qua hic agitur, est *Impatiens noli me tangere Linn.* Eadem crepatura obseruatur circa folliculos Balsaminae maris, et Cucumeris asinini. G. Sprungkraut, wild Balsamkraut. Ga. *Herbe impatiente, Balsamin sauvage.* A. *Quick in hand, Touch me not.* B. *Wild Balsemkruid, Kruidje roer my niet.*

IMPERATORIA, seu OSTRVTIVM, est plantae genus, (Pentandr. Digyn.) Inuolucro vniuersali nullo, partiali polyphyllo, tenuissimo, perianthio proprio vix notabili, stipula petiolari membranacea, ventricosa, vna intra alteram. *Imperatoria ostruthium Linn.* Habet folia magna, lobata, impari extremum claudente, dura, rigida, in tres partes diuisa, dentata, quaedam leuiter, alia profunde incisa. Ex his nascuntur caules, duos circiter pedes alti, in alas diuisi, et in summitate gerentes flores, quinque petala inflexo-cordata, fere aequalia habentes, et in vmbellas crescentes. Calyx florum abit in duo semina plana, fere ouata, leuiter striata et marginata, inuolucrum plerumque deponentia, candida et plana. Radix oblonga, geniculata, crassa, extrinsecus fusca, intus albicans cum folliculis, liquore flauo plenis, saporis acris, paulo amari, totum os calefacientis. Ob hanc qualitatem aromaticam Angelicae admodum similem radix viribus apophlegmatizantibus, carminatiuis et emmenagogis pollet, et in subiectis frigidioribus sub varia forma vtiliter adhibetur. Menstrua et aquosa et spirituosa viribus suis imbuit. Abunde in Alpibus plerisque prouenit. Forte ab imperando dicitur, quod caeteris plantis imperat, vel propter vim penetrantem, qua plurimis morbis medetur. Hinc fortasse *Magistruntia* quoque appellatur, vel, vt C. *Hofmanno* placet, *Magisastrantia*, id est Astrantia validior. Confer. *Astrantia.* Ge. Meisterwurz, Magistranz, Ostritz. G. *Imperatoire, ou Austruche, Benjoin François.* A. *Master-wort.* B. *Meester-Wortel.*

IMPERFECTA CRISIS, vide *Crisis.*

IMPERFORATIO, vide *Atresia.*

IMPERIALIS CORONA, est planta bulbosa, cuius flores coronae in modum caulis summum cingunt. Plantae genus est flore liliaceo, ab Ill. *Linnaeo* olim ad *Petilia*, recentius ad *Fritillarias* relata, (Hexandr. Monogyn.) cuius calyx nullus, corolla hexapetala, nectarium hemisphaericum, capsula oblonga, triloba, trilocularis, trivaluis, margine acuto. Totius plantae, praecipue radicis, qualitas dubia est et subuenenata, testante *Wepfero*, ad Cicutam accedens. Sed ob florum elegantiam passim in hortis colitur. Ge. Kaiserskrone. G. *Couronne Imperiale.* A. *The Imperial Crown.* B. *Keizers-kroon.*

IMPETIGO, est morbus, cuius praecipuum symptoma in cute squamulis et pustulis serpentibus foedata consistit. Quibusdam idem ac *Herpes*, aliis *Vitiligo* est, nec prorsus in descriptione et differentia huiusmodi constituenda conuenire vides autores. *Impetiginis* quatuor species proponit *Celsus.* Minime mala est, inquit, quae similitudine scabiem repraesentat: nam et rubet et durior est, et exulcerata, et rodit. Distat autem ab ea, quia magis exulcerata est, et varis similes pustulas habet: videnturque esse in ea quasi bullulae quaedam, ex quibus interposito tempore squamulae soluuntur, certioribusque haec temporibus reuertitur. Alterum genus peius est, et simile papulae ferae, sed asperius, rubicundiusque, figuras varias habens. Squamulae ex summa cute decidunt, rosio maior est, celerius et latius procedit, certioribusque etiam, quam prior, temporibus et fit, et definit, *Rubra* nominatur. Tertia etiamnum deterior est: nam et crassior est et durior, et magis tumet, in summa cute finditur, et vehementius rodit. Ipsa quoque squamosa, sed nigra est, proceditque, et latet et tardat: minus vero errat in temporibus, quibus aut oritur, aut definit, neque ex toto tollitur. *Nigrae* cognomen est. Quartum genus est, quod curationem omnino non recipit, distans colore: nam subalbidum est, et recenti cicatrici simile, squamulasque habet pallidas, quasdam subalbidas, quasdam lenticulae similes: quibus demtis, nonnunquam profluit sanguis. Alioqui vero humor eius albidus est, cutis dura atque fissa est, proceditque latius. Haec vero omnia maxime genera oriuntur in pedibus et manibus, atque vngues quoque infestant.—Item *Impetigo* quibusdam, v. c. *Plinio*, sonat ac *Lichen.* Ge. Zittermaal. G. *Tigne.* A. *Ringworm, or Fetter.* B. *Ring-worm, vuurige Schurftheid.* Lusit. *Empige.* Vide *Lepra Graecorum.*

IMPETVM FACIENS, Gr. ἰνοφιῶν: ita *Hippocrates* id vocabat, quod in sano aeque ac aegroto corporis statu nisus

et motus in corpore obseruando producit. Conf. *Abr. Kaauw Boerhaaue* librum *Impetum faciens Hippocrati dictum* L. B. 1745.

IMPOTENTIA, in genere quemcunque defectum virium significat; plerumque autem medicis ita dicitur inhabilitas virilis ad impraegnandam foeminam. Vide *Anaphrodisia.* Germ. Ohnmächtigkeit, Männliche Unvermögenheit. Belg. *Onmacht.*

IMPRAEGNATIO, est species imbibitionis, quando corpora aliis rebus praecipue sub forma fluida imbuuntur, verbi gratia, si tartarus viribus emeticis ab antimonio impraegnatur, vel quando sal alcali ab acido liquore saturatur. Ge. Das Befeuchten. B. *Bevogtiging.* — Sed *Impraegnatio* proprie sumitur pro illa actione animalis masculi in foemellam foecundam, per quam in hac producitur conceptio. Vide *Conceptio.* Ge. Das Schwängern. G. *Imprégnation.* B. *Bezwangering.*

INAEQVALIS, dicitur botanicis florum *corolla*, partibus non magnitudine, sed proportione, respondentibus. *Inaequalia filamenta*, quorum alia maiora, alia minora sunt.

INAEQVIVALVIS, botanicis est *aestiuatio*, seu corollae complicatio ante explicationem floris, in qua valuae magnitudine inter se differunt.

INANIS, dicitur *truncus* plantarum interne medulla spongiosus.

INAPPETENTIA, est, quando cibus propter digestionem laesam, vel tardiorem chyli consumtionem, vel motum respirationis debilem, etc. non appetitur. Vide *Anorexia.* Ge. Unluſt zum Eſſen. G. *Dégout.* A. *Loathing.* B. *Slappe Eetens-luſt*

INAVRATIO, in genere quidem est actio, qua corpus quoddam, praecipue metallicum, auro obducitur, quod vario modo fit. In officinis vero in specie dicitur, quando pilulae auro foliato obducuntur; cum nempe pilulae in capsula clauduntur, et vna cum foliis auri circumagitantur. Ge. Das Vergulden. G. *Dorer.* A. *To gild Pils.* B. *Verguldíng.*

INCARNANTIA, et INCARNATIVA, sunt medicamenta carnem generantia. Idem quod *Sarcotica.*

INCARNATIVA LIGATVRA, est fascia chirurgica biceps, in vulneribus magnis partium mollium ad consolidationem promouendam applicari solita. Ge. Fleiſchmachende Binde. G. *Bandage incarnatif.*

INCERATIO, est mistio humoris cum re sicca, per combibitionem lentam ad consistentiam cerae remollitae. Sic et vitrum antimonii cum cera flaua subigitur, et sub *Vitri Antimonii Cerati* nomine a nonnullis, vt volunt, optimo cum effectu in dysenteria adhibetur. Gr. Ἐγκήρωσις.

INCIDENTIA, i. q. *Attenuantia.*

INCIDVVS PVLSVS, quibusdam dicitur *Pulsus* vix a *Dicroto* multum diuersus, dum scilicet ante plenariam arteriae systolen in vno pulsu nouiter irruens sanguis nouam diastolen rursusque systolen plenariam efficit; hicque pulsus cum reliquis bonis signis futuram bonam crisin, cum malis signis interitum praedicit.

INCINERATIO, est ignitio, qua corpora vegetabilium et animalium in cineres igne violentiore rediguntur. Nonnulla etiam nonnunquam in sole ope vitri vstorii ad albedinem calcinantur, siue incinerantur, quod olim in antimonio, vitriolo, etc. factum est. Ge. Einäſcherung. G. A. *Incineration.* B. *Aſchmaaking.*

INCISA, dicuntur vegetabilia, aut animalia, medicamentorum compositionem ingredientia, quae vel ante, vel post mixtionem minutim conscinduntur, vel inciduntur. Hinc in formulis medicis *Incis.* vel *Concis. Misc. D.* idem denotat, ac Incisa, vel Concisa misceantur et dentur.

INCISIO, fit vario modo, recta, crucialis, triangularis, etc. Vide *Encope.*

INCISORES, INCISORII DENTES, idem quod *Primores dentes.*

INCISORIVM, est scalpellum chirurgicum, quo aliquid discinditur, aut praescinditur; nempe si vulnera sint dilatanda, etc. Ge. Ein Inciſionsmeſſer. G. *Biſtouri.* A. *Cutting knife.* B. *Een Snymes, Inciſi-mes.*

INCISVRAE, in ossibus dicuntur variae rimae, aut fissurae naturales, quae inaequalibus limitibus dehiscunt.

INCLINATIO, ab *Inclinare*, est, quando liquor tenuis a crassa subsidentia sensim effunditur; vt succi per subsidentiam clari, aut aqua post edulcorationes. Si vero ad humores corporis humani applicetur, nisum eorum versus certam quandam partem denotat.

INCLVDENS, dicitur *Somnus* plantarum, dum folia alterna noctu se cauli approximant.

INCONTINENTIA, medicis significat talem in quibusdam organis defectum, vt talia, quae non nisi volentes excernimus, retinere nequeant. Frequentissime tamen de *Incontinentia Vrinae* dicitur. Vide *Enuresis.*

INCORPORATIO, eſt commiſtio, qua ſtatim humida cum ſiccis, aut oleoſa cum reſinoſis in vnum corpus per formam maſſae contemperantur, dum tantum humoris additur, quantum ad corporis miſti conſiſtentiam requiritur, vt fiat veluti paſta, vnde et *Impaſtatio* nominari poteſt in nonnullis *Subactio*. Incorporatae autem res ſaepe in calore digeſtorio relinquuntur, vt mutua actione et paſſione craſin communem nanciſcantur. Ge. Das Einverleiben. G. A. *Incorporation*. B. *Lyfmaaking, Inlyving*.

INCRASSANTIA, ſiue ECPYCTICA, ſunt medicamenta, quae particulis magis cohaerentibus praedita, ſe ſuccis tenuioribus et liquidioribus immiſcendo, iis per vaſa corporis fluentibus, conſiſtentiam craſſiorem et ſtabiliorem conciliant. Ge. Verdickende Mittel. G. *Remedes incraſſans*. B. *Dikmaakende Medicamenten*.

INCRASSATVS, botanicis dicitur *pedunculus*, apice ſenſim maiorem molem acquirens.

INCVBATIO, eſt actio animalium ouiparorum, dum ventris incaleſcentia eo adiguntur, vt ouis ſuis per debitum tempus ſuperincumbant, eaque calore ſuo foueant, quo albumen oui attenuatum vaſcula tenuiſſima embryonis ſubeat, eaque ſenſim euoluendo, ipſum pullum ad perfectam maturitatem, ſicque ad excluſionem promoueat. Ge. Das Brüten, Ausbrüten.

INCVBVS, INCVBO, et ASTHMA NOCTVRNVM, PNIGALION, EPIBOLE, Gr. ἐφιάλτης, ab ἐφιάλλομαι, inſilio. Familiare eſt infantibus et melancholicis malum, qui hoc affectu correpti in inſomniis, cum ſupini decumbunt, falſo ſibi imaginantur, aliquem ventri, aut pectori, incumbere, ita vt compreſſi ſpirare, loqui, vel clamare, ſe non poſſe putent, quae omnia corpore erecto, vel in latus conuerſo, breui quidem euaneſcunt; poſtquam vero expergiſcantur, anxii ſunt, turbati, facie rubentes et calentes, et palpitationibus obnoxii. Porro in ſuſpiria, in vigilias, et miras ſaepe imaginationes de diabolo, de hoſtibus, de ſpiritu ad coitum ſollicitante, et caeteris incidunt. Re autem bene perpenſa, apparet, hoc malum leue eſſe, et quae in ſomno contingunt, ſuffocationem hypochondriacam aemulari, dum plerumque a ſpaſmo muſculorum abdominalium, forte etiam ſpaſmo fugaci ventriculi et diaphragmatis, et remote a plethora, cruditatibus, vermibus, etc. originem trahit. Muſculis enim rigidis reſpiratio non niſi laborioſe et cum ſenſu ponderis incumbentis fieri poteſt. Dicitur et *Suppreſſio nocturna*,

Ge. Der Alp, das Nachtmännlein. G. *Cochemar, Incube*. A. *The Night-mare*. B. *Nacht-merrie, Nacht drukking*.

INCVRVATIO, i. q. *Cyrtoma*.

INCVS, eſt vnum ex oſſiculis in cauitate tympani contentis. Molarem dentem refert, cruribus tamen magis diuaricatis, et malleum inſtar incudis recipit: diuiditur in tres partes, nempe in corpus, et in duo crura, quae ab auctoribus etiam rami, apophyſes et proceſſus vocantur. Pars anterior et ſuperior corporis committitur parti poſteriori capituli mallei, ſuis duabus cauitatibus cum protuberantia intermedia, articulatione ginglimi. Corpus hoc fere totum in eodem ſulco, in parte ſuperiori, anteriori, media, tympani excauato, vna cum mallei capite collocatur. Proceſſuum breuior, craſſior, ad oſtium ſinus maſtoidei, ibidem in parte ſuperiori tympani ope ligamenti tenuis et breuis libere ſuſpenditur, et in cellula quadam maſtoidea firmatur, ſeruata interim mobilitate, et puncto connexionis pro hypomochlio inſeruiente. Hinc etiam incus proprios muſculos nullos habet. Alter vero proceſſus longior, tenuior, ad finem introrſum incurvus, extremum apicem paulo conuexum habens, parallelo fere, ſed altiori, ſitu cum mallei manubrio membranae tympani applicato perpendiculariter deorſum in tympani cauum deſcendens, ad inferiora excurrit, a tympani membrana, notabili interſtitio, ſatis remotus, parte ſua extrema, conuexa, incuruata, introrſum verſus poſteriora ſpectat, cui denique accreſcit latere ſuo anteriori, parumper concauo, *oſſiculum orbiculare* exiguum, oſſiculi ſtapedis ligamento innexum, cuius oſſiculi ope articulatur incus cum parte ſuperiori, vel capitulo ſtapedis. Ge. Das Amboßohrenbein, der Amboßähnliche Gehörknochen. G. *l'Enclume*. A. *Anvil*. B. *Het Aambeelt-been*.

INDEX, *Indicator*, *Salutaris* et *Demonſtratorius digitus*. Gr. ſaepe dicitur Λειχανὸς, a lingendo. Eſt digitus pollici proximus, ſic dictus, quia hoc digito aliquid demonſtratur, ideoque Δεικτικὸς, a δείκνυμι Gr. appellatur. Olim de diebus futuram criſin pronuntiantibus, velut indicantibus, dicebatur Δάκτυλος. Ge. Der Zeigefinger. G. *Le ſecond Doigt, le Doigt Indice*. A. *The Fore-finger*. B. *De Wys-vinger, Voorſte Vinger*.

INDICANS, nihil aliud eſt, quam quoddam in corpore ſecundum, aut contra ſanitatem obſeruatum et deſignatum, cuius gratia aliquid fieri dicitur, quod ei conferre debeat. Seu in genere omne id, quod in corpore conſeruationem ſui, mutationem, vel ablationem expoſcit. Sic e. g. Plethora, ſi moleſta ſit, ablationem nimii ſanguinis expoſcit, et eſt

Indicans Venaesectionis. Si plura in corpore obseruentur, quae idem remedium vrgent, *Coindicantia* dicuntur, vt temperamentum sanguineum, plethora, orgasmus, calor, cephalalgia, phlogosis, quae iunctim venaesectionem indicant. Ge. Anzeigung, Indication. G. A. *Indication.* B. *Het aanwyzende van het gene 'er moet gedaan worden.*

INDICANTES DIES, sunt, qui crisin certis diebus futuram indicant; qui propterea indicantes et contemplabiles dicuntur, et sunt cuiusque septenarii medii quaterni, vt dies quartus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus quartus. Sed illa numeratio apud nostrates non tanti vsus est, quoniam vel medicamentis morbus a suo naturali cursu deflectitur, vel climatum varietas magna est ab iis, quae in Graecia. A nonnullis, quamuis temere, iam prorsus in scientia medica exposa est. Ge. Anzeigende Tage. G. *Jours indicants.* A. *Days indicant.* B. *Aanwys-dagen.*

INDICATIO. Gr. Ἔνδειξις. Ge. Anzeigung. G. *Indication.* B. *Inzicht.* Est conclusio facta ex indicante, vel propositio practica ex iudicio intuitiuo deducta, scilicet id, quod demonstrat, quid in morbis sit faciendum: estque quadruplex: *Praeseruatoria.* Ge. Verwahrende. B. *Verhoedende.* quae sanitatem a morbis praeseruat. — *Curatiua*, vel *Causalis.* Ge. Heilende. B. *Genezende.* quae morbum iam inductum sublata causa tollit. — *Vitalis.* Ge. Stärkende. B. *Versterkende.* quae vires et victus rationem respicit. — *Palliatiua.* Ge. Lindernde. Et B. *Verzagtende.* quae symptomata mitigat, quando nimis vehementia sunt, vt ad finem vsque morbi tolerari queant, aut quando ipsa morbi causa tolli non potest. Scopi, a quibus indicationes sumuntur, trito hoc disticho comprehendi solent:

Ars, aetas, regio, complexio, virtus.
Mos, et symptoma, repletio, tempus et vsus.

INDICATOR, est vnus ex musculis, digitum indicem extendentibus, qui ortus a facie interiori et inferiori cubiti, et ligamento interosseo, tendine suo sub ligamento carpi externo transit, et phalangae tertiae Indicis implantatur. Ge. Ausstrecker des Zeigefingers. G. *Le Muscle extenseur propre de l'Index.* B. *De Gebieder.*

INDICATVM, est illud ipsum iuuans, siue id, quod indicanti congruit, aut consequens agendum, sanitatis restauranda gratia.

INDICES DIEI, vide *Critici Dies.*

INDIGESTIO, vide *Dyspepsia.*

INDIGNATORIVS MVSCVLVS, est musculus oculum abducens, vnus ex quatuor rectis, et quidem rectus externus, prope foramen opticum oriens et oculo insertus ad latus circa parvum angulum. Ge. Der abziehende Augenmuskel. G. *Muscle Abducteur, ou Droit externe.* B. *De verontwaardigende Spier.*

INDIGO, est substantia caerulea, dura, friabilis, scilicet faecula extracta e planta in India Orientali et Occidentali proueniente, flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) quae est Coluteae affinis fruticosa, floribus spicatis purpureis *Sloan. Indigofera tinctoria* leguminibus arcuatis, incanis, racemis folio breuioribus *Linn.* Vsus maxime tinctorius et pictorius est. In vsum medicum vix hodie adhibetur. Olim tamen ob vires subadstringentes in diarrhoea et in balneis neruinis a quibusdam commendabatur. Ge. G. A. B. *Indigo.*

INDVRANTIA, vide *Sclerotica.*

INDVRATIO, dicitur ea praeternaturalis viscerum aliarumque partium corporis mutatio, qua a naturali mollitie recedentes in vitiosam densitatem abeunt, pendens a recessu tenuissimarum partium fluidarum, et maiori partium terrearum contactu. Ge. Verhärtung. G. *Durcissement.* A. *Induration.*

INDVSIVM, i. q. *Amnios.*

INEDIA, est abstinentia a cibis, vel totalis, vel partialis, sic vt minus solito comedamus. Ge. Enthaltung der Nahrung, oder der Speise und Tranks, Hunger. G. *Abstinence de manger, Diéte.* A. *Abstinence.* B. *Ontrekking van Spyze.*

INERTIA, vocatur talis fibrarum nostri corporis status, in quo tensae vix aut non ad requisitum in sanitate tonum redeunt, hocque respectu ad laxitatem pertinet; sed etiam in fluidis corporis nostri ad certum vsum secretis *Inertia* adesse dicitur, si ob defectum salium resolutorum munere suo fungi non possint. Sic *bilis* dicitur *iners* ob copiam aquae et muci resolutionem ingestorum non satis efficiens.

INFANS, vocabulum hoc latam quidem habet significationem, in medicina vero plerumque sumitur de recens natis vsque ad illud tempus, donec incipiant sermone vti, vtpote qui eousque fari nesciunt. Ge. Kleines Kind. G. *Enfant.* A. *Child.* B. *Kind.*

INFARCTVS, est morbus viscerum et glandularum, et iuxta nonnullos primus obstructionis gradus, dum ob humorum visciditatem hi tardius refluunt, hinque in parte quadam accumulantur.

INFECTIO, vide *Miasma.*

INFERNALE OLEVM, ſ. *Oleum de Kerua*, vide *Ricinus.*

INFERNALIS LAPIS, vide *Argentum.*

INFERVM, botanici dicunt *perianthium* proprium, ſcilicet quemlibet florem reſpiciens, cui germen ſupra receptaculum poſitum eſt.

INFIBVLATIO, vide *Ancteres.*

INFILTRATIO, eſt ſpecies oedematis, pendens a ſero intra textum cellularem collecto, ob impeditam eius in vaſis lymphaticis circulationem, aut reſorptionem.

INFIMVS VENTER, vide *Abdomen.*

INFLAMMATIO, vide *Phlegmone.*

INFLATIO, eſt partis alicuius, et maxime inteſtinorum, a flatibus diſtenſio, quae veſtigium digiti prementis non retinet, oriens ab aere incluſo ſaepe putredine expanſo. Gr. Ἐμφύσημα et Ἐμπνευμάτωσις. Ge. Aufblähung. G. *Enflure, Bourſoûflure.* A. *A Puffing up.* B. *Opblaazing.* Vide *Emphyſema*

INFLATVM, botanicis dicitur *perianthium* proprium, inſtar veſicae cauum.

INFLORESCENTIA, botanicis dicitur modus, quo flores pedunculo plantae adnectuntur.

INFLVENZA, vide *Intemperies.*

INFRASCAPVLARIS MVSCVLVS, ſiue SVBSCAPVLARIS et IMMERSVS, dicitur id ſtratum fibrarum muſcularium, quod a margine totius ſuperficiei internae, vel inferioris ſcapulae oriens, antrorſum tendens, tendine ſatis lato tuberculo minori humeri inſeritur, ſuaque actione humerum deorſum et retrorſum mouet. Ge. Der Unterſchulterbeinsmuskel. G. *Muſcle ſous-ſcapulaire.* B. *Onderſchouderblads Spier.*

INFRASPINATVS MVSCVLVS, ſiue SVPRASCAPVLARIS SECVNDVS, ſub ſpina ſcapulae ex tota ſuperficie externa profectus, cum ſupraſcapulari ſecundo carnoſus et craſſus, breui latoque tendine in humeri ligamentum, quod numero quartum conſtituunt, excurrit, et pone tuberculum maius humeri inſeritur, ſuaque actione humerum retrorſum abducit. Ge. Der unter der Gräte des Schulterblatts liegende Muskel des Oberarms. G. *Muſcle Sous-epineux.* B. *Ondergraat-ſpier, Bovenſchouderblads ſpier.*

INFVNDIBVLVM, ſeu ENCHYTA, vulgo *Tritorium*, eſt vas transmittens quod in ſummitate latum, paulatim in fiſtulam cuſpidatam definit. ex metallo fabricatur, vel ex vitro. Gr. Χοανή. Ge. Ein Trichter. *G. Un Entonnoir.* A. *A Tunnel, Funnel.* B. *Een Tregter, Tremelle.*

INFVNDIBVLVM CEREBRI, Πῶλος, Λοιπὸς, *Herophilo*, dicitur portio ſubſtantiae cineritiae pia membrana veſtita, ab oſtio ventriculi tertii anteriori ſub commiſſura cerebri anteriori deorſum et antrorſum ad glandulam pituitariam tendens, cuius vſus yix hucusque ſatis patuit, cum ne quidem de canalis natura ſatis conſtet. — Idem quoque quod *Choana.*

INFVNDIBVLVM RENVM, eſt peluis, qua ex renibus ad vreteres et veſicam vrina tranſit. Ge. Nierenbecken. G. *Baſſin.* B. *Bekken.*

INFVNDIBVLIFORMIS, botanicis eſt florum *corolla*, quae infundibuli formam exhibet, ſcilicet quae conica eſt, in tubum deſinens.

INFVSIO, eſt extractio virium ex ipſis medicamentis, per liquorem conuenientem facta, cum, vel absque igne, quae ſi purgans fuerit, vnica vice abſorberi poteſt, cui proprie nomen competit. Sumitur etiam pro cunctis medicamentis, quae per certum tempus in menſtruum aquoſum absque decoctione infunduntur, quaeque vel intus ſumuntur, vel foris applicantur. Gr. Ἀπόβρεγμα. Dicitur et *Maceratio*, vel *Dilutum.* Ge. Das Einweichen, ein aufgegoſſener Trank. G. A. *Infuſion.* B. *Een Afweekſel.*

INFVSORIA ANIMALCVLA, dicuntur exigua animalcula, proxime ad Polypodum naturam accedentia, quae euoluuntur, ſicque apparent, ſi aqua tepida variis animalium, vel et vegetabilium, partibus, praecipue plantis cerealibus, affundatur, breuisque maceratio ſubſequatur. Praemature forte ad probandam generationem aequiuocam adhibita fuerunt. G. Infuſionsthierchen.

INFVSORIA CHIRVRGIA, vide *Chirurgia.*

INFVSVM, i. q. *Infuſio.*

INGERENDA, i. q. *Ingeſta.*

INGESTA, in genere vocantur, quae in corpus ingeruntur, in ſpecie vero alimenta, tam ſolida, quam fluida.

INGREDIENTIA, dicuntur varia ſimplicia, quae vnicum compoſitum conſtituunt, et quae vario fine adduntur, hocque reſpectu dicuntur *baſis, adiuuans, corrigens, excipiens*, etc.

INGVEN, Gr. Βουβών, dicitur ille locus a flexu femoris ad vtrumque latus inferioris abdominis. Ge. Die Weichen. G. *l'Aine.* A. *The Groin.* B. *De Lieſſen, Heupen, Eeschenis.*

INGVINALIS, vide *Aſter.*

INGVINALIS GLANDVLA, vide *Glandula.*

INGVINALIS HERNIA, vide *Bubonocele, Enterocele, Hernia.*

INHALATIO, eſt reſorptio tenuiſſimae materiae fluidae ſuperficiei corporis applicatae, vel etiam roris in cauitates corporis exhalantis, quae vltima, ſi impediatur, varias hydropis ſpecies producit.

INIECTIO, in genere notat liquidi medicamenti ope ſiphonis in vulnus, vel vlcus, vel aperturam quamcunque, infuſionem. — Anatomicis ita dicitur repletio vaſorum cum cera, aliaue materia colorata, vt eorum ramificationes ſubtiliores viſui pateant. Ge. Einſpritzung. G. A. *Injection.* B. *Een Inſpuyting.*

INIECTIO INTESTINALIS, idem quod *Clyſter.*

INIVM, eſt initium medullae oblongatae, quod iuxta aliquos eſt ſenſorium commune, quaſi ſenſationes, ſiue ſpecies, ab organis externis exceptae, ibi per neruos deferantur. Ab *in*, fibra, eo quod fibrae neruoſae ibi loci, tanquam in camera, et loco communi terminantur. Ge. Der Anfang des verlängerten Marks. G. *Le Commencement de la Moelle allongée.* A. *The Beginning of the oblongate Marrow.* B. *Het begin van het lange Merg.*

INNOMINATA ARTERIA, eſt truncus arterioſus in latere dextro ex arcu aortae ad vnius, vel duorum pollicum longitudinem naſcens, et in duos ramos diuiſus in arteriam ſubclauiam dextram et carotidem dextram abiens.

INNOMINATA CAVITAS, in aure eſt exigua vallecula inter crura anthelicis.

INNOMINATA GLANDVLA OCVLI, vide *Glandula Lacrymalis.*

INNOMINATA OSSICVLA, vide *Cuneiformia.*

INNOMINATA TVNICA OCVLI, eſt tendinum a muſculis, oculos mouentibus, ſubtilis quaedam expanſio, ad corneae membranae circumferentiam vsque producta. Vide *Adnata Tunica.* Ge. Das ungenannte Augenhäutlein. G. *Tunique tendineuſe, ou Albuginée de l'Oeil.* A. *Innominate Coat of the Eye.* B. *De ongenoemde Oog-rok.*

INNOMINATVM OS, aliis *Os Coxae*, vel *Ilium*, ad latera oſſis ſacri eſt, conſtans in tenellis manifeſte ex tribus oſſibus, *Ilio*, *Oſſe pubis* et *Iſchio*, quae interuentu cartilaginis, iunguntur quaſi in medio inſignis illius cauitatis, quae *Acetabulum* dicitur, et ad pubertatem vsque ibidem diſtincta videri poſſunt, poſtea vero concreſcunt, et in vnum os abeunt. In mulieribus tenuiora ſunt, et magis a ſe inuicem diſtant, quam in viris, vt cauitatem peluis, quam ſimul cum oſſe ſacro componunt, maiorem efficiant, pro commodiori foetus geſtatione. Ge. Das ungenannte Bein. Ga. *l'Os*

innominée. A. *The innominate Bone.* B. *Het ongenoemde Been.*

INNOMINATVS HVMOR, ſiue *Inſitus*, erat humor ſecundarius a veteribus dictus, ex quo corpus nutriri putabant. Erant enim iſtis humores nutritii quatuor: *Innominatus, Ros, Gluten, Cambium.* Ge. Die ungenannte Feuchtigkeit, Nahrungsſaft. G. *Humeur innominée.* A. *The innominate Liquor.* B. *De ongenoemde Vocht.*

INOCVLATIO VARIOLARVM, vide *Variolae.*

INOSCVLATIO, vide *Anaſtomoſis.*

INQVIETVDO, eſt ea conditio corporis humani, qua ſeſe hinc inde mouent aegri de latere in latus, brachia attollentes, pedes et femora ad nates trahentes, modo in ventrem, modo ſupini decumbentes, iam ſedentes in lecto, iam ſurgentes, ob teneritudinem, inflammationis initium, dolorem in muſculis lumborum, ceruicis, et artuum orta. Haec vero Inquietudo euenit vel initio febrium, vel etiam toto tempore, quo febris vrget; eſt quoque ordinarium in febribus malignis ſymptoma. Dolores etiam graues poſt ſe trahunt Inquietudinem: inprimis vero cardialgia, colica et nephritis, et quaeuis inflammatio viſcerum abdominis. Porro cum delirio ſaepe eſt inquietudo, ſed nuſquam magis, quam vbi mors in propatulo eſt, atque aegri ſenſim moriuntur, viribus adhucdum aliquando ſuperſtitibus. Gr. Ταραχή. Ge. Unruhe. G. *Inquietude.* A. *Unquietneſs, Reſtleſsneſs.* B. *Woeleutheid, Onruſt.*

INSANIA, ſiue AMENTIA, eſt imaginationis et iudicii deprauatio, absque febre, hinc ſumitur etiam pro *Mania*; vide ſuo loco. Gr. Παραφοσύνη. Ge. Unſinnigkeit, Tollheit. G. *Folie, Phrenesie.* B. *Gekheid, Dolheid, Onzinnigheid.*

INSCRIPTIONES MVSCVLORVM, vocantur portiones tendineae paſſim fibris muſcularibus interiectae, quales praecipue in muſculis rectis abdominis conſpiciuntur.

INSECTA, ſunt animalcula polypoda, poris lateralibus reſpirantia, cute oſſea cataphracta, antennis mobilibus ſenſoriis capitis inſtructa, et exutis aui tunicis vna poſt alteram, triplicem plerumque metamorphoſin ſubeuntia. Ideo notanda, tum quia corpori noſtro viuenti ſaepe infeſta ſunt, tum quia plura eorum in vſum medicum adhibentur.

INSERTIO, in anatomicis denotat tendinis muſculi loco alicui infixionem, in quo finem habet, aut ductus excretorii, in cauum, in quod ſe exonerat, implantationem, vt ductus choledochi in duodenum, vreterum in veſicam. Ge. Die Einfügung. G. *Inſertion.* B. *Inplanting.*

INSERTVS, botanicis dicitur petiolus perpendiculariter ramo insidens.

INSESSVS, seu ENCATHISMA, est balneum ventri, inferioribusque partibus dicatum, cui aeger ad vmbilicum vsque insidet. Habentque tales insessus vsus varios, qui nonnunquam ad dolorem sedandum, interdum ad emolliendum, vel flatus discutiendos, et non raro ad menses ciendos, parantur. — *Insessus* quoque saepe dicitur vapor partibus inferioribus admissus. Vide *Balanaeum*. Ge. Ein Bad, darinnen man bis an den Nabel sitzet. G. *Bain*. A. *A Bath*. B. *Een Bad, daar men in zit*.

INSITIO VARIOLARVM, vide *Variolae*.

INSOLATIO, est, quando res fermentandae, aut macerandae, solis calori exponuntur, et olea tali modo praeparata vocantur insolata; vel quando partes corporis infirmae solis calore fouentur, aut totum corpus super arena collocatum radiis solis exponitur, quod veteribus familiare fuisse legimus. Vide *Artic. sequentem*. Ita quoque vocatur quando quis derecto capite in sole aestiuo moratur, estque illa, quae recensetur inter causas phrenitidis. Vide *Ephelis*.

INSOLATIO, veteribus frequens valde erat medendi methodus, qua infirmi variis in morbis, aut totum corpus, aut partes quasdam, nudas, vel arena tectas, solis radiis exponere iubebantur.

INSOMNIVM, est actio sensorii communis in dormientibus, in qua anima spectaculum succedentium sibi sensationum et notionum contemplatur, et seriei imaginum auscultat, quae ex vestigiis priorum sensationum cerebro impressis nascuntur, sibique conscia est, et iudicat, ratiocinatur, voluntate vtitur, et animi adfectus varios pati potest, cum, vel sine reminiscentia. Quae ex statu et adfectione corporis nascuntur in somno sensationes et inde Insomnia, vt de incendio, de cruore effuso, stagnis et inundationibus, attentione medici non prorsus indigna sunt. Ge. Traum. Ga. *Songe*. A. *Dream*. B. *Droom*.

INSPIRATIO, Gr. Εἰσπνοή, et Ἐμπνευμάτωσις, est inductio aeris in pulmonem per os, nares, et asperam arteriam, quae fit ob dilatationem thoracis per musculos intercostales, costas sursum in medio arcus sui trahentes, dein per diaphragma in abdomen impulsum, et ex magis conuexo minus conuexum redditum, vnde thorace capaciore facto, aer sua grauitate et elasticitate per rimam glottidis et tracheam ingressus pulmonem, illum implet, vndique extendit, vesiculas explicat, sphaericas reddit, et sanguinis circulationem per vasa

pulmonalia magis explicata liberam facit. Ge. Das Einathmen. G. A. *Inspiration*. B. *Inademing*.

INSPISSATIO, est, quando liquida materia euaporando in massam tractabilem et consistentem redigitur. Gr. Πάχυνσις. Ge. Verdickung. G. *Epaississement*. A. *Inspissation*. B. *Verdikkinge*.

INSTILLATIO, dicitur applicatio generosi remedii fluidi, quod ori aegri guttatim infunditur; dicitur etiam de mixtione duorum fluidorum, quorum alterum alteri guttatim admiscetur. Vide quoque *Embrocatio*.

INSTINCTVS, est principium motus intrinsecum, animalibus proprium, cuius virtute motus quidam certi et determinati in eorum corporibus perficiuntur, ita vt animae rationalis vim quodammodo aemulari videatur. Ge. Der natürliche Trieb, Instinkt. G. *Instinct*.

INSTRVMENTVM, in genere significat rem omnem, certae operationi, vel vsui, dicatam. In physiologia idem denotat, quam *Organum*. In diaetetica, pharmacia, anatomia, chirurgia sunt omnia illa, quae ad artem omnesque actiones, his artibus perficiendas, pertinent. In chemia *Instrumenta* dicuntur, vel *Actiua*, vel *Passiua*; illa rationem penetrandae corporum compositionis in se continent; *Passiva* sunt quorum ope efficitur, vt effectus, quos ab actiuis exspectamus, possint obtineri. Ge. Werkzeug. B. *Werkzuig*.

INSVCCATIO, est, quando aloe, etc. in succo violarum, rosarum, etc. inspissatur. Ge. Das Tränken trockner Sachen mit Säften von Kräutern.

INSVLTVS, est primum paroxysmi tempus, quo morbus in aegrum subito quasi insilit. Plerumque de morbis intermittentibus chronicis dicitur, e. gr. Insultus epilepticus, etc. Ge. Der Anfall der Krankheit. B. *Aanval der Ziekte*.

INTEGERRIMA, botanicis dicuntur *folia*, vel *stipulae*, margine continuo, nec minimum secto.

INTEGVMENTVM, ab anatomicis vocatur, quodcunque externum alicuius partis operimentum est; sic corporis integumenta vniuersalia sunt cuticula, corpus reticulare, cutis, tela adiposa. Particularia sunt, vti membrana quaeuis, quae musculum inuestit, etc. Pars scientiae anatomicae, quae de integumentis corporis agit, *Dermatologia* vocatur, a δέρμα, cutis. Ge. Die Decken. G. *Tégumens*.

INTELLECTVS, Gr. Νοῦς et Σύνεσις, est ipsa mens humana, vel in illa aliquis habitus, quo omnia obiecta, circa quae se exercet, percipit, pluresque ideas ipsi simul praesentes comparat, ita quidem, vt perspiciat, an diuersae ideae

in aliquo attributo conueniant, nec ne, itemque an vna alteram comprehendat. Cum ergo a distinctione idearum pendeat, facile apparet, cur, vitiato variis in morbis cerebro, ipse *Intellectus* turbetur, qui status *Delirium*, vel *Insania*, dicitur. Ge. Der Verſtand. G. *Entendement.* A. *The Understanding.* B. *Verſtand.*

INTEMPERIES, seu DYSCRASIA, et ACRASIA, est morbus, qui in qualitatum corporis inconuenientia consistit, eaque vereribus vel *manifesta* est, aut *simplex*, vel *composita*. *Simplex* iis est quando vna qualitas peccat; vt intemperies calida, frigida, aspera, rara, dura, humida, sicca, acida, salsa, etc. *Composita*, vbi plures qualitates in vitio sunt: vt intemperies calida et salsa, frigida et acida, etc. Intemperiem *occultam* vocant, quae oritur a qualitatibus venenatis, vt ex aere, animalibus venenatis, etc. Ex aere prouenit, quando nempe aer, ab aquis stagnantibus putridis, diurnis siccitatibus, terrae motibus, etc. impurus euadit; vnde febres malignae, pestilentiales, et pestes ipsae nascuntur. Sublatis quippe vaporibus, id, quod reliquum est, (propter elementum sulphureum et salinum) foetorem contrahit, vnde et aer a temperie et κράσει optima desciscit et degenerat. Ge. Ueble Beſchaffenheit. G. *Intemperie.* B. *Ongematigheid, Ongetempertheid.* — Nonnulli etiam morbos epidemicos, inprimis febrem catarrhalem benignam, quam vulgo *Influenza* dicunt, hoc nomine insigniunt.

INTENTIO, i. q. *Indicatio.*

INTERCALARES DIES, siue *Intercidentes*, et ab aliis *prouocatorii* dicti, sunt, in quibus vel ob vehementiam paroxysmi, vel ob causam externam, corpus et succi irritantur ad intempestiuam expulsionem praestandam, vix autem, aut raro, ad crisin laudabilem. Tales sunt dies tertius, quintus, nonus, decimus tertius, decimus nonus. Iuxta alios sunt omnes illi dies, qui in medio sunt septenariorum et quaternariorum, et qui etiam *Intercurrentes* vocantur. Sed illa numeratio hodie a plerisque medicis vix exacte adeo obseruatur. Ge. Zwiſchentage. G. *Jours Intercalaires.* B. *Tuſſen beyden komende Daagen.*

INTERCIDENTES DIES, idem quod *Intercalares.*

INTERCISVS PVLSVS, quibusdam vocatur, in quo arteriae dilatatio, interiecta leui morula, ita interrumpitur, vt pro vnica contractione duae distinctae dilatationes obseruentur. Vocatur etiam bis feriens, seu dicrotus, et calidum humorem, eumque vehementer putrem, et facultatem non penitus inualidam, sequi creditur. Dicitur quoque pulsus

Inteſtinalis, saepeque futuram crisin aut per diarrhoeam, aut per haemorrhagiam, indicat.

INTERCOLVMNE, i. q. *Diapegma.*

INTERCOSTALES ARTERIAE, sunt, quae in sulco inferiori vniuscuiusque costae decurrunt, et partibus vicinis prospiciunt. *Arteria Intercostalis superior*, ex subclauia, vel interdum ceruicali arteria oriens, tribus, vel quatuor costis superioribus ramos largitur. *Arteriae Intercostales inferiores*, octo vtrinque ex trunco arteriae aortae orientes, super corpora vertebrarum transeuntes sub margine inferiori singularum octo costarum inferiorum decurrunt, et bifurcati in plurimos finduntur ramulos in pleuram, diaphragma musculosque vicinos distributos. Ge. Die Pulsadern zwiſchen den Rippen. G. *Les Artéres Intercostales.*

INTERCOSTALES MVSCVLI, in vtroque latere viginti duo sunt, vndecim externi et totidem interni, interstrato tenui textu cellulosо distincti. Omnes costis intertexuntur, earumque marginibus tam crebra insertione annectuntur, vt vix punctum assignaueris, in quo earum fibrae originem, vel finem, non habent. Fibras habent obliquas, et inuicem instar X sese decussantes. Externi oriuntur a superiorum costarum inferioribus partibus, et oblique versus anteriora descendentes inseruntur in inferiorum costarum partes superiores, spatiumque replent, quod inter singulas costas est a vertebris vsque ad portionem cartilagineam, nec vltra extenduntur. Interni prope sternum incipientes, et a margine inferiori singulae costae superioris orientes versus posteriora oblique descendentes, margini superiori singulae costae inferioris inseruntur, et vsque ad angulum costarum extenduntur, sic vt ab angulis costarum vsque ad partem cartilagineam duplex fit stratum fibrarum, sed simplex tantum, scilicet internum, in interstitio partis cartilagineae, et externum in interstitiis costarum a vertebris vsque ad angulos. Hi musculi iunctim agentes costas sibi admouent et eleuant, thoracemque in inspiratione dilatant. Ge. Die Muskeln zwiſchen den Rippen. G. *Muscles Intercostaux.* B. *Tuſſchen ribbige ſpieren.*

INTERCOSTALIS NERVVS, ita dictus, quia iuxta costarum radices incedens, in singulis earum interstitiis a medulla spinali ramum accipit. Oritur vtrinque ex coniunctione ramulorum quasi retrogradorum quinti et sexti neruorum paris, dum scilicet secundus ramus paris quinti, vel trigemini, seu maxillaris superior, ramum remittit, qui *Nerus Vidianus* dicitur, quine bifurcatus altero ramulo, et quidem anteriori, ramo pariter retrogrado paris sexti supra carotidem

decurrenti inſeritur, altero ramulo ſub carotide decurrens radicem tertiam nerui intercoſtalis conſtituit, ad quam radix ſecunda a ramulo poſteriori rami paris ſexti accedens, originem huius nerui, carotidem laquei inſtar amplectentem conſtituit. Magnis tamen inciſoribus etiam interdum primum ramum quinti paris, ſeu neruum ophthalmicum, ad hanc originem ſurculos quoque ſpargere viſum eſt. Ex his iam ramis, ſeu radicibus, vario modo confluentibus oritur truncus Intercoſtalis plerumque paulo prius vnitus, quam de canali carotico prodeat, ſenſim craſſeſcens, ruber aliquantum et mollis et ad latera colli iuxta neruum octauum et carotides deſcendens thoracem ingreditur, ibique ſparſis in toto decurſu ſuo ramulis, in truncum anteriorem, ſeu neruum ſplanchnicum diaphragma perforantem, et poſteriorem diuiſus abdomen ingreditur, in innumerabiles demum ramulos abiens, qui pariter cum ramulis neruorum ſpinalium et nerui octaui communicant, plurimaque ganglia et plexus neruoſos formant in ſingula viſcera diſtributos. Cum inſignis ſit omnium partium, in quas hic neruus diſtribuitur, conſenſus, dicitur quoque *Neruus ſympathicus magnus*. Alii rectius dici putant, neruum hunc innumeris radicibus a partibus inferioribus oriri, et fine demum ſuo in par quintum et ſextum inſeri, hincque *Recurrentem* eſſe. Ge. Der groſſe ſympathiſche Nerve. G. *Nerf Intercoſtal, grand Sympathique.* A. *The Intercoſtal nerve.* B. *De tuſſchenribbige zenuw.*

INTERCVRRENS, vocatur *Febris* continuae quaedam ſpecies, quae certis annis variat, et modo diuerſa eſt a febribus iſto anno graſſantibus, ſiue fuerit mitis, vel ſaeua, vnde inter febres iſtius anni ſtationarias modo huc et illuc intercurrit. — Epitheton hoc datur etiam *pulſui*, in quo inter duos regulares tertius quidam ictus, aut poſt factam pulſationem adhuc motus tremulus percipitur, et qui, ſi caetera bona ſigna reſpondeant, bonam iudicationem morbi et futuram ſalutem polliceri dicitur.

INTERCVS, vide *Anaſarca.*

INTERFOEMINEVM, i. q. *Perinaeum.*

INTERMISSIO FEBRIVM, vide *Apyrexia.*

INTERMITTENS FEBRIS, dicitur, quando per vnum, vel plures dies febris plane intermittit, quae poſtea redit, ſeu cuius pyrexia pluries accedit et omnino recedit, in decurſu aegritudinis; eaque tunc eſt *Quotidiana, Tertiana, Quartana*, quibus nonnulli *Quintanam* adduxt. Ge. Wechſelfieber. G. *Fièvre Intermittente.* A. *An Intermitting Fever, Ague.* B. *Afgaande Koorts.*

INTERMITTENS MORBVS, eſt, qui quibusdam temporis periodis affligit et remittit. Ge. Eine ausſetzende Krankheit. G. *Maladie Intermittente.* A. *An Intermiting Diſeaſe.* B. *Tuſſchenlaating, gaande en wederkomende Ziekte.*

INTERMITTENS PVLSVS, vocatur, qui poſt aliquot vibrationes interea deficere obſeruatur, qui, quibusdam in morbis, quo diutius a motu quieſcit, aut quo frequentius intermittit eo periculoſior cenſetur. Saepe degenerationes varias circa cor et vaſa maiora, ſaepe ſummam debilitatem indicat. Sed et hypochondriacis, et iis, quibus viſcera abdominis adfecta ſunt, huiusmodi pulſum familiarem eſſe, obſeruatum eſt. Diſtinguunt nonnulli Pulſum intermittentem vnam pulſationem ab eo, qui in vna pulſatione intermittit, quam non totam abſoluit, qui tamen rectius ad alias Pulſus anomalias referendus eſt. Ge. Ein ausſetzender, intermittirender Puls. G. *Le Pouls intermittent.*

INTERNODIVM, eſt digitorum oſſium mutua colligatio, articulatio et ordine ſucceſſio. Ge. Die Gelenke der Finger. G. *Les Jointures des Doigts.* A. *Internodation.* B. *De Tuſſchenknoopingen.*

INTERNODIVM, in vegetabilibus eſt, quod inter artus, vel genicula, medium intercedit. Ge. Der Halm zwiſchen zwey Knoten des Stengels. G. *l'Eſpace entre deux noeuds dans les Cannes, dans le Tuyau de Blé &c.* B. *De Plaats tuſſchen twee Knoopen.*

INTERNVNCII DIES, vide *Critici Dies.*

INTEROSSEA LIGAMENTA, ſunt membranae denſae et validae, quibus oſſa inuicem nectuntur, praecipue vero ea dicuntur, quae radium et vlnam, tibiam et fibulam interiacent. *Vaſa* arterioſa et venoſa ſuper et ſubter haec ligamenta decurrentia, *Interoſſea* quoque, et quidem interna et externa, dicuntur.

INTEROSSEI MVSCVLI, ſiue ABDVCTORES, ſunt ſex in ſpatiis oſſium metacarpi, tres exteriores et tres interiores, qui a parte laterali et inferiori oſſium metacarpi orientes, per latera exteriora et interiora digitorum incedunt, tendinesque ſuos latos ad tria internodia extendunt, ac extenſioni aliquantulum inſeruiunt. Externi palmae incumbunt, interni volae inter metacarpi oſſa. Ita in pede ſeptem ſunt muſculi Interoſſei, quatuor ſuperiores, vel externi, in dorſo pedis, tres interni in planta, a parte laterali oſſium metatarſi orientes, ſpatiumque inter haec oſſa replentes, tenui et lato tendine ſuo lateribus primae phalangae digitorum inſerti,

actione ſua partim digitos abducentes, partim adducentes. Ge. Die Muſkeln zwiſchen den Knochen. G. *Muſcles Interoſſeux.* B. *Tuſſchen-beenige ſpieren.*

INTERPASSATIO, dicitur de ſacculis, ſeu fomentis ſiccis, idemque eſt, quod *Interſuere*, ne materia incluſa conglomeretur, cuius rei gratia quoque *Goſſypio* pulueres ſuſcipi ſolent. Ge. Unternähen. G. *Piquer.* B. *Tuſſchen-najing.*

INTERSCAPVLARIA, ſunt cauitates inter ſcapulam et ſpinas vertebrarum.

INTERSCAPVLIVM, eſt proceſſus ſcapulae in gibba ſcapulae parte, qui vulgo dicitur *Spina.*

INTERSECTIONES, vocantur expanſiones tendineae in medio quorundam muſculorum latorum reperiuntae. Tales ſunt *Interſectiones* tendineae in ſuperficie externa muſculorum rectorum abdominis. Commodiorem muſculi actionem reddunt.

INTERSPINALES, et INTERTRANSVERSARII, ſunt parui muſculi, a Cl. *Albino* deſcripti, a proceſſibus ſpinoſis et transuerſis vnius vertebrae ad easdem apophyſes alterius decurrentes, easque partes ad ſe inuicem adducentes.

INTERTRIGO, vel ATTRITVS, Gr. Ἐντριμμα, διάρσις, eſt partium ano vicinarum, ſeu partium inter femora ſitarum, vel cutis in ala, excoriatio, vel pelliculae abraſio madens et dolens, per frictionem a motu vehementiori, praecipue equitatione, orta. Frequenter id euenit infantibus, inprimis obeſioribus, vt cuticula in perinaeo, inguinibus aliisque plicis cutis a vera cute ſeparetur et quaſi abradatur, atque dolor eo loci excitetur, qui infantes inſomnes atque inquietos reddit. Tollitur munditie, leniſſimisque exſiccantibus inſperſis, aut applicatis. Gr. Διάρσις, a διαίρω, excorio. Ge. Fratt ſeyn, Wundwerden, der Wolf. G. *Ecorchure.* A. *Galling.* B. *Ontvelling, Smertſel.*

INTERVALLVM, vel eſt tempus, quod inter paroxyſmos cuiusdam morbi, vel inter duas arteriarum pulſationes, intercedit.

INTESTINA, vide *Enteron.*

INTRITVM, eſt ſpecies cibi conſtans e mica panis ſecalini affuſo vino aqua temperato, ſucco et elaeoſaccharo citri, additoque cinnamomo, qui frigidus aſſumitur, et ob eximias vires analepticas in debilitate commendatur. Ge. Kalte Schaale.

INTROSVSCEPTIO, vocatur praeternaturalis ingreſſus vnius portionis Inteſtinorum in alteram proximam, ab inaequali validaque fibrarum muſcularium contractione, oriens,

hinc vix in cadaueribus feliciter imitanda. Portio introſuſcepta, vel deorſum reſpicit, tumque, tranſitu aliquantum libero, mitiora ſunt ſymptomata; ſi vero in ſuperius inteſtinum facta ſit Introſuſceptio, diriſſima ſymptomata ſuperueniunt, et plerumque *Iliaca Paſſio* ſequitur. Dicitur etiam *Voluulus.*

INTVBVS, et INTVBVM, INTYBVS, eſt Endiuia, Gr. Σέρις. *Intubum* Latini vocarunt a cauo tubae ſpecie caule: vocatur etiam *Seris* et *Seriola.* Vide *Endiuia.*

INTVMESCENTIA, i. q. *Tumor.*

INVERTENS, dicitur botanicis *ſomnus* plantarum, in quo folia demiſſa et ſimul inuerſa ſunt.

INVERTENTIA, medicamenta ſunt, quae aciem ſtimuli infringunt, ita vt abeat in aliam naturam, figuramque; ſic acerrimum acidum inuertit acerrimum alcali in naturam mixtam, non acrem.

INVISCANTIA, vide *Incraſſantia.*

INVLA CAMPANA, vide *Helenium.*

INVNCTIO, eſt applicatio externa remedii, praecipue vnguinoſi ope frictionis. Speciatim vero ſic dicitur applicatio mercurii pinguedine excepti, vel ad ſaliuationem excitandam et curam luis venereae, vel ad alios morbos rebelles abigendos.

INVOLVCRVM CORDIS, vide *Pexicardium.*

INVOLVCRVM, botanicis dicitur in plantis vmbelliferis calyx a flore remotus, eſtque vel *Inuolucrum vniuerſale*, vmbellae vniuerſali ſubiectum, vel *partiale*, vmbellae partiali ſubiectum, vel *proprium*, cuilibet flori ſubiectum.

INVOLVENS, dicitur *ſomnus* plantarum, quando foliola erecta apice conniuent, et cauitatem inter ſe formant.

INVOLVTA, plantarum dicitur *vernatio*, vel foliorum diſpoſitio intra gemmam, lateribus verſus paginam ſuperiorem vtrinque ſpiraliter contortis.

IONTHVS, ſiue VARVS, vocatur etiam ἄκμη, quoniam huiusmodi tubercula potiſſimum in aetatis vigore oriuntur. Eſtque tuberculum paruum, durum, rubrum, et calloſum, in faciei cute excitatum, absque notabili dolore, aut pruritu, cito interdum abiens, aliquando exiguo pure matureſcens, quo expreſſo exſiccatur, alio tamen ſubinde prodeunte; apud quosdam pueros vsque ad adoleſcentiam perſeuerant, dein euaneſcunt. Ab ἴνθος, fimus, quia faciem deturpat et foedat. Alii ab ἄνθος, flos, eo quod circa aetatis vigorem efloreſcit, deducunt. Ge. Finnen im Geſicht. G. *Bouton, le Tac.* A. *A Spot, Pimple.* B. *Puiſtigheid, Vuurigheid in't Gezigt.*

IOTACISMVS, eſt ſpecies Pſelliſmi, ſcilicet difficultas pronunciandi litteras gutturales, quae ſunt *iota, j* conſonans,

et g molle Gallorum. Illud vitium familiare eſt apud eos, quibus palatum eſt perforatum; in quo caſu ſi quis incaute bibat, potus per nares reiicitur; vox illa ingratiſſima eſt, et apud recens natos hoc foramen impedit lactis deglutitionem, niſi praelonga ſit papilla, quae vltra foramen extendatur. Lamina argentea ſolerter applicata et firmata poteſt hoc foramen exacte claudere et huic vitio mederi. *Sauv.*

Iovis barba, Sedum maius appellatur, quod ſcilicet nonnullis locis plebis animos iampridem inuaſerit opinio, non feriri fulmine domum, in cuius tegulis vireat. Hinc noſtris Ge. Hauswurz. G. *Joubarbe.* B. *Donder-baard.* Vide *Barba Iouis, Anthyllis.*

Iovis flos, vocatur Crocus, propter ſplendorem, fulgoremque.

Ipecaçvanha, eſt radix officinalis longa, tenuis, flexuoſa, nodoſa, multis exiguis porulis aſpera, extus ruſſa, intus pallida, ſaporis amari, nauſeoſi. Planta eſt Viola grandiflora, Veronicae, folio villoſo *Barr. Viola Ipecacuanha Linn.* (Syngeneſ. Monogam.) Periclymenum paruum Braſilianum *Pluk.* Folia habet verſus apicem oppoſita, obuerſe ouata, vtrinque acuta, ſcabra, ſubtus pallidiora et piloſa, duorum pollicum latitudine, trium longitudine, internodiis caulis vix pollicis longitudine. Perianthium eſt quinquepartitum, laciniis lanceolato-linearibus aequalibus, corolla quinquefida; bacca ſubrotunda, vnilocularis, calyci inſidens; ſemina ſunt tria oſſea, hinc gibba, inde angulata. Tres radicis proſtant ſpecies, nigra, quae apud nos in vſum vocatur, alba, quae rarior, et flaua, quae rariſſima eſt. Creſcit in ſyluis humidis Americae meridionalis, praecipue in Braſilia et Peru. Vſus eius apud nos circa finem elapſi ſaeculi innotuit. Praeſtantiſſimum eſt atque tutiſſimum emeticum, quod infantibus ad pauca grana, adultis ad ſcrupulum vnum, aut drachmam dimidiam, porrigitur. Sed etiam viribus antidyſentericis et alexipharmacis pollet, hinc in dyſenteria et quibusdam morbis malignis imo haemorrhagiis optimo cum effectu, paucis, ſed repetitis, doſibus adhibetur. Vocatur quoque *Hipocacuanha.* Ge. Indianiſche Ruhrwurzel. G. *Ipecacuanha.* Luſit. *Cypo de Cameras.* A. *Ipecacuanha.*

Ippo, eſt ſuccus gummoſo-reſinoſus ex arbore Indiae occidentalis nondum ſatis deſcripta exſtillans, ſumme venenatus, quo incolae ſagittas et arma ſua inficiunt.

Irio, ſeu irion, Gr. ἰρίσμον, viri docti *Triponum* legendum eſſe cenſent. Latini ab irruendo deriuant, quod ignea vi et feruido ſapore irruat in guſtum. Nonnulli a voce *Iris* deducunt, quia ſummitates in modum iridis incuruantur. Irion *Fuchs.* Eſt Rapiſtrum flore luteo *Bauh. Sinapis arvenſis Linn.* (Tetradynam. Siliquoſ.) flore tetrapetalo cruciformi, ſiliquis multangulis, toroſo-turgidis roſtro longioribus. Gaudet viribus antiſcorbuticis, diureticis et reſoluentibus.— Alii hoc nomine *Eryſimum* denotant. Ge. Ackerſenf, Hederich, wilder Senf. G. *Torzelle, Velar.* A. *Hedge-muſtard.* B. *Herik, wilde Moſtaart.*

Iris, eſt plantae genus flore liliaceo, (Triandr. Monog.) radice carnoſa, oblonga, repente, foliis enſiformibus, cuius quam plurimae dantur ſpecies, et apud nos paſſim in hortis coluntur, aut ſponte proueniunt. In vſum vero medicum praecipue duae tantum ſpecies adhibentur, ſcil. *Noſtras*, et *Illyrica*, vel *Florentina. Iris noſtras Pharm.* eſt Iris vulgaris Germanica, ſ. ſyluestris *Bauh. Iris germanica Linn.* corollis barbatis, caule foliis longiore, multifloro, floribus inferioribus pedunculatis. Habet ſcilicet haec folia, pedem vnum, vel ſeſquipedem, longa, duos digitos lata, rigida, ſtriata, acuta. Intra haec oritur caulis duos circiter pedes altus, rectus, rotundus, puluiſculo farinaceo obductus, in tres, vel quatuor ramos diuiſus. Flos liliaceus monopetalus, ad exortum veluti infundibuliformis, et in ſex partes ampliatus, quarum tres partes ſurſum, tres vero deorſum ſpectant: piſtillum e fundo floris ſurgit, tribus petalis inſtructum fornicatis, et partibus florum deorſum inflexis, ita incumbentibus, vt palati cuiusdam ſpeciem prae ſe ferant. Ouarium ex fine pedunculi natum fit fructus oblongus, trigonus, foetus ſeminibus obrotundis. Radix oblonga, craſſa, flexilis, carnoſa, repens, tuberoſa, digitum craſſa, paululum compreſſa, externe coloris rubicundi, flaueſcentis, aut griſei, interne albi, ſaporis amaricantis, acris, ſubpinguis, odoris fragrantis et violacei. Creſcit haec planta in pratis et aruis. Tota planta, praecipue vero radix, quae in vſu eſt, ſucco hydragogo ſcatet, qui, dum recens eſt, potentiſſime aquas hydropicorum euacuat. G. Schwertel, blaue Lilien, blaue Schwerdtlilien. G. *Flamble.* A. *Common Flower de Luce.* B. *Gemeen blaauw Liſch.*— *Iris Illyrica* eſt Iris alba florentina *Bauh. Iris florentina Linn.* corollis barbatis, caule foliis altiore ſubbifloro, floribus ſeſſilibus. Creſcit haec in Italia, vnde eius radix exſiccata, et admodum fragrans odore violaceo praedita ad nos adfertur, cuius ſcilicet qualitas acris et purgans, qua pariter gaudet, per exſiccationem periit. Huius puluis vires expectorantes, reſolventes, errhinas, et eccoproticas exſerit, eiusque frequens ſatis variis in medicamentis vſus eſt. Ge. Florentiniſche

Violwurzel, Veilswurzel. G. *Iris de Florence.* A. *Florentine Orris.* B. *Florentynſche Lys.* — Planta ab arcus coeleſtis ſimilitudine, qua florum folia incuruantur, nomen ſortitur, quam flores eius repraeſentant. In quibusdam codicibus habetur ἶρις, et vertitur ideo *Conſecratrix*, quod in ſacrificiis, purificationibusque ſuis antiquitas Iride ſit vſa. Aliis ἰρανία, coeleſtis, quod coeleſtis arcus ſpecie et modo floreat. Aliis θαυμασὸς, admirabilis, eadem ratione, qua a poetis ille coeleſtis arcus *Thaumantias* dicitur, genus, originemque illi ex admiratione nouae rei, rudi adhuc ſaeculo, vt primus *Plato* indicauit, aſſignantibus antiquis. G. Gilgen, Schwerdlilien, Violwurzel, Himmelſchwertel G. *Iris, Glayeul, Flambe, Fleur de lis.* A. *Flower de Luce.* B. *Liſch.*

IRIS LVTEA, eſt *Iris Pſeudo-acorus*, vel *Acorus adulterinus.*

IRIS, in oculo vocatur circulus ille varie coloratus, in medio perforatus, qui anterius in oculo, vbi cornea pellucida eſt, conſpicitur. Eſt hic autem productio piae matris, neruum opticum inuoluentis, quae expanſa pro capacitate bulbi oculi, choroideam, indeque vueam format, et anterius, vbi cornea pellucida eſt, ab illa introrſum reflectitur, et ob arterias, venas, vaſa lymphatica, in cauum corneae hiantia, tam emittentia, quam abſorbentia, infinitosque neruos ſuos, quaſi radiis totidem centrum petit, quae in limbum orbicularem vaſculoſum pariter definunt, quibus vtrisque amplitudo et figura pupillae definitur, dum ſe contrahunt, vel relaxant. In anteriori lamina iridis eminet natura flocculenta, varie in flammulas quasdam introrſum euntes diſpoſita; quiuis flocculus eſt ſerpentinarum ſtriarum introrſum convergentium et intermiſtarum macularum fuſcarum congeries, coniuncti vero flocculenti faſciculi arcum quaſi ſerratum eminentem, ad aliquam a pupilla diſtantiam efficiunt, qui convexus eminet, quaſi antrorſum, ſupra reliquum planum pupillae elatus. Ab his flocculis pendet color iridis, vt aliqua tamen pigmenti nigri, vaſculorum et neruorum in producendo colore ſit portio. Color eorum floccorum varius eſt, indeque iridis nomen habet. Albis nigritis, tum et albis cuniculis et muribus roſeus eſt, transparente ſcilicet, ob defectum atri pigmenti, ſanguine. In lupo, noctua, fele flauus, qui noctu luceat. — Sunt tamen quoque, qui totam vueam *Iridis* ſub nomine intelligunt, cum alii proprie anteriorem ſaltem eius partem hac denominatione deſignent. G. Das Regenbogenhäutlein im Auge. G. *l'Iris.* B. *De Regenboog, het Kroonetje.*

IRRI

IRRITABILITAS, eſt vis contractilis fibrarum animalium, qua fibra, accedente ſtimulo, contrahitur, motumque ſuum diu ita continuat, vt integra ſeries contractionum et relaxationum alterna ſe excipiat, et diutius in eodem muſculo fibrae ſe adglomerent, et viciſſim remittant a vicinis contactibus, ſenſim tamen elangueſcant oſcillationes, et quies ſuccedat. Plurima vero ſunt, quae pro ſtimulo eſſe poſſunt, vt venenum chemicum, ſal adſperſum, alcohol, frigida, calor vehemens, lancinatio, quae fit a radente metallo, et potiſſimum ſcintilla electrica. Haec vis, quae quidem maxime in animali viuo obſeruatur, tamen etiam poſt mortem aliquamdiu, et diutiſſime in animalibus frigidi ſanguinis ſupereſt. Diuerſa eſt ab elatere et a mortua illa contractione omnibus fibris communi, et peculiarem omnino poteſtatem conſtituit propriam fibrae animali, et quidem ſoli fibrae muſculari, cuius characterem efficit, ita vt omnis fibra muſculoſa ſit irritabilis, et contra, quod irritabile eſt, fibram muſculoſam eſſe poſſis pronunciare. Differt porro ab omni alia poteſtate, et referenda eſt inter fontes generandi motus in corpore animali, vitaeque noſtrae. In vegetabilibus enim, quorum quaedam irritabilia dicuntur, non ſequuntur motus alterni, vt ſit per irritabilitatem animalem, quae ergo, cum in plantis nihil neruoſi ſit, forte a latente, aut ſuperſtite adhuc aliquamdiu in muſculari fibra fluido neruoſo orta poteſt. Ge. Die Reizbarkeit. G. *Irritabilité.*

IRRITANTIA, dicuntur remedia, quae aut contactu ſuo, ſicque mechanice, aut mixtione et acrimonia, fibras animales ad contractionem ſtimulant, vel fluidorum affluxum augent. Ge. Reizende Mittel. G. *Irritans.*

IRRORATIO, eſt adſperſio fluidi cuiuscunque ad ſpecies alias, vel ad faciliorem extractionem, vel ad virium exaltationem, vel alio fine facta; vt dum flores roſarum ſpiritu vitrioli, vel epithemata liquoribus ſpirituoſis, vel ſpecies infundendae aqua, aut vino calido, adſperguntur. Ge. Besprengung. G. *Arroſer.*

ISATIS, eſt planta, (Tetradynam. Siliquoſ.) quae habet caules tres pedes altos, minoris digiti craſſitie, rotundos, rigidos, politos, rubicundos, in ſummitate in multos ramos diuiſos, emittentes multa folia, ſine ordine diſpoſita, oblonga, lata, ad Cynogloſſum accedentia, polita, ſucculentiſſima. Flores ſunt exigui, quadrifidi, flaui, in crucem diſpoſiti, pedunculis exiguis adhaerentes. Poſt florem ſequitur ſiliqua compreſſa, oblonga, linguam exprimens, coloris nigricantis, quae intus recondit duo ſemina plerumque oblonga.

Radix longa, alba, lignosa, in inferiori parte minor, quam in superiori, saporis amari et adstringentis. Haec planta magna cura colitur in regionibus calidis, vt etiam in Gallia atque Germania; quo, pasta ex ea formata, lintea, lana, etc. caeruleo colore sufficiantur. Sunt, qui contra dysenteriam herbam, et radicem contra icterum commendant. Forte dicitur ab ἰσάζω, aequo, complano, quod vim habeat tumores aequandi. Quidam *Glastum* olim fuisse putant, nunc *Guadum*. Hinc Belgico idiomate *Glas*, siue Vitrum. Barbari deprauata voce *Ojazim* appellant. Ge. Wayd. G. *Guesde, Pastel.* A. *Woad.* B. *Weed.*

Isatodes, est bilis caerulea, acris et corrupta, quae Glastum, siue Isatidem, colore refert. Ex ἰσάτις, Glastum, quod herbae nomen, et εἶδος, forma. Ge. Blaue Galle. G. *Bile bleue.* A. *Blue Bile.* B. *Blaauwe Gal, weed-kolcurige Gal.*

Ischaema, sunt medicamenta, sanguinem sistentia, quae emplastica, adstrictoria, refrigeratoria, vel exsiccatoria sunt, vel meatus vasorum apertorum claudunt, vel sanguinis fluiditatem et motum vehementiorem imminuunt, vel sistunt. Ab ἰσχύω, valeo, cohibeo, et αἷμα, sanguis. Ge. Blutstillende Arzeney. G. *Remedes, qui étanchent, ou arretent, le Sang.* A. *Bloodstopping Medicines, Stiptics.* B. *Bloed stoppende Middelen.*

Ischaemon, est graminis species, a Thracibus primum inuenta, quae ferunt sanguinem sisti. Alii per antiphrasin contrarium scribunt, quod eius spica, naribus indita, sanguinem potius proliciat. Hodie hoc sub nomine intelligitur plantae genus ad familiam Graminum pertinens, (Polygam. Monoec.) cuius gluma et corolla biflora et biualuis est, flosculo altero masculo, altero hermaphrodito, filamentis tribus, stylis duobus, semine lineari, oblongo, hinc conuexo. Crescit in India Orientali. Ab ἴσχω, sisto, contineo, et αἷμα, sanguis.

Ischas, est Ficus siccata. Dicitur quasi ἴσχνας, ab ἰσχναίνω, arefactum, siccatum esse. Ita vocatur etiam *Apios*, quod eius radix exsiccatum Ficum referat. Vide *Apios*.

Ischiadicvs nervvs, est neruus maximus totius corporis, oriens ex confluxu neruorum inferiorum lumbarium et neruorum ossis sacri et per incisuram ischiaticam e pelui egrediens, qui in postica femoris parte et sub poplite descendens ad omnes partes vicinas et inferiores ad extremitates vsque distribuitur. Ge. Der große Hüftnerve. G. *Le Nerf sciatique.*

Ischias, ischiagra, malvm ischiadicvm, morbvs coxarivs, est arthritis coxendicis, sedem suam circa

articulum ossis femoris cum coxendice in ligamentosis partibus habens, et prae caeteris arthritidis speciebus grauiorem dolorem mouens. Vel in genere est morbus, cuius praecipuum symptoma est dolor constans, saepius diuturnus, coxendicis, siue ossi sacro et ossibus pelvis, siue articulationi femoris cum illis ossibus, siue musculis cruris et tibiarum inhaereat iuxta fasciae latae extensionem, quod saepius accidit, inde vero progrediendi, immo standi, femurque rotandi difficultas et claudicatio. Ab ἰσχίς, lumbus, ἰσφύς, *Hesychio*. Ge. Hüftweh. G. *Sciatique, Goute Sciatique.* A. *The Sciatica, or Hip-gout.* B. *Heupgicht.*

Ischivm, est coxa, siue coxendix, seu rectius os tertium, vel inferius et posterius ossium quae iunctim cum osse ileo et pubis ossa *innominata* dicuntur, quaeue in adultis in acetabulo penitus conferuent, licet in iunioribus satis distincta sint. Eius tuberositas, cui plures musculi flexores tibiae inseruntur, sedentes sustinet. Hinc dicitur ab ἰσχύω, sustineo, contineo. Ge. Das Hüftbein. G. *l'Ischium, l'Os de la Hanche.* A. *The Hip, Hip-bone, Huckle bone.* B. *Heupen-been.*

Ischophonia, est vitium illorum, qui in certis litteris pronunciandis, vt ex. gr. *G* vel *K* illico sistuntur et haerent, quasi offensaculo quodam vox inhiberetur. Ab ἴσχω, reprimo, et φωνή, vox. Ge. Anstoßen im Sprechen. G. *Beguayement.* A. *A Small voice.* B. *Kleine stem.*

Ischvretica, sunt medicamenta, quae vrinam suppressam expellunt. Ab ἰσχύς, validus, et ῥέω, fluo. Ge. Harntreibende Mittel. G. *Remedes contre la suppression d'Urine.* B. *Pis ontstoppende Dingen.*

Ischvria, est duplex, *Vera*, vel *Notha*. *Vera* est, quando vrina, in vesica haerens, emingi nequit, quamuis aeger perpetuo mingendi desiderio atque stimulo laboret, hinc circa pubem tumor dolorque circumscriptus oritur, verum cathetere immisso prodit vrina. *Notha* est, quando vitio renum, vel vreterum, nulla vrina ad vesicam mittitur, nec dolor, tumor, nec conatus mingendi adest, quod vel vrina non secernatur in renibus, vel secreta, ob impeditum exitum, readmisceatur sanguini. Hoc in renum calculo, in obstructione arteriarum renalium, vel vreterum, a pituita, aut concreto sanguine, aut haerentibus lapillis, aut caruncula, aut membrana, orificium occludente, aut in spasmo, vel paralysi, contingit. Etiam in sudoribus, vomitu, vel alui fluxu copiosis: imo in imbecillitate, paralysi vesicae, aut penis, delirio, apoplexia, lethargo, etc. locum habet. Ab ἴσχω, cohibeo, et οὖρον, vrina. Ge. Harnverstopfung.

Verhaltung des Harns. G. *Suppreſſion d'Urine, Rétention d'Urine.* A. *A Stoppage of the Urine.* B. *Pis-opſtopping, Opſchorting der Pis.*

ISIS, vide *Corallia.*

ISOCHRONOS, de iis dicitur, quae in corpore poſt aequalia temporis interualla fiunt, pluriesque redeunt. Praecipue vero *Pulſus iſochronos* dicitur, cuius ictus et aequali celeritate et poſt aequale temporis interuallum fiunt. Ab ἴσος, aequalis, et χρόνος, tempus.

ISOPYRVM, non dicitur, quod ἴσον ſit τῷ πυρῷ, quod Triticum aemuletur, aut Tritico ſimile ſit, ſed ἀπὸ τοῦ πυρός, quod florem edat flammae ſimilem, ob flammeum rutilantemque colorem, nec non formam; ſic vocatur Aquilegia, Flos Conſtantinopolitanus, etc. — Hodie *Iſopyrum* eſt plantae genus Helleboris maxime affine, ſed habitu diuerſiſſimum (Polyandr. Polygyn.). Flos eſt roſaceus pentapetalus; nectaria quinque aequalia, tubulata, breuiſſima, ore trilobo, lobo exteriore maiore, intra corollam poſita; capſulae plures lunulatae, recuruae, vniloculares, polyſpermae. Naſcitur in regionibus Europae borealibus. Tres ſpecies apud nos paſſim in hortis coluntur.

ISTHMVS, ſ. *Iſthmus faucium*, eſt ea pars, quae inter os et gulam, ſeu guttur et vtrasque tonſillas, in modum Iſthmi interiacet, et in os introſpicienti apparet tanquam oſtium anguſtius, quo fauces incipiunt. Ge. Die Enge zwiſchen dem Mund und Schlund. B. *Engte der Keel.* — Item, Interſepimentum, vel diſcrimen narium. Interfinium *Iſidoro.* Imbrex narium *Arnobio* ſcite dicitur. Gr. Ἰσθμιονς Στυλὶς, Κίων, Διάφραγμα, etc. Ge. Die Scheidewand der Naſenlöcher. G. *l'Iſthme ou la Cloiſon du Nez, ou du Palais.* A. *The Ridge of the Noſtrils.* B. *Middelſchot der Neusgaten.*

ITHMOIDEA OSSA, vide *Ethmoides.*

ITINERARIVM, ſ. *Conductorium*, vel *Conductor*, eſt inſtrumentum chirurgicum, lithotomis in vſu, quod vrethrae intruſum, ſulcatum eſt, vt in hoc ſulco cum certitudine inciſio fiat. Vide *Catheter.* Ge. Ein Sucher, Wegweiſer. G. *Conducteur ou ſonde cannelée.* A. *A probe Conductor.* B. *Een Tintel-yſer, Snyſtaf.*

IVA ARTHETICA, ſeu MOSCHATA, eſt Chamaepytis, quae *Aiuga*, ſiue *Abiga*, Lat. dicitur. Inuenitur et *Ibiga* vocari, quod nomen fere ſeruant Illyrici, hinc abiectis duabus literis, *i*, et *g*, fit *Iba*, et ab *Aiuga* abiectione literarum *a* et *g*, *Iua* manauit in vulgi nomenclationem. Vide *Abiga.*

IVBA, eſt arundinacea coma effuſa, qualis eſt in Milio.

IVDAICA HERBA, vide *Sideritis.*

IVDAICVM BITVMEN, vide *Aſphaltum.*

IVDAICVS LAPIS, oliuae ſpecie et oblonge rotundus eſt, tener, ſtriis, ſecundum longitudinem diſcurrentibus et aequidiſtantibus, ac ſi arte (torno ſcilicet) factae eſſent; colore eſt ſubcinereo, duritie ſilici vix cedente, fractus, intus glaber eſt et politus. Reperiebatur olim in Syria et Iudaea, vnde et nomen accepiſſe videtur, hodie vero etiam in pluribus Europae regionibus inuenitur. Eſt proprie petrificatum animale; *Helmintholithus iudaicus* obouatus crenulato-ſtriatus, ſubpetiolatus *Linn.* ſcilicet radiolus Echinitae petrificatus. Hos lapides, ſi maiores ſint, vocant maſculos, ſi minores, foeminas. Sunt, qui iis ſingularem virtutem diureticam et antinephriticam tribuunt, cum tamen qualitas eorum vix alia, quam calcarea et abſorbens ſit. Ge. Judenſtein. G. *Pierre Judaique.* A. *The Judaick-ſtone.* B. *Joden-ſteen.* — Dicitur *Aetio* Lapis Syriacus, aliis Phrenicites, Tecolithos Arab. *Hager Alieudi*, et *Agiar Alibeud.*

IVDICATORII DIES, vide *Dies Critici.*

IVGALE OS, idem quod *Zygoma.*

IVGALIS SVTVRA, vocatur illa, quae zygoma coniungit cum parte *Iugali oſſis* maxillaris ſuperioris.

IVGLANS, eſt arbor nucifera, ſic quaſi *Iouis glans*, ob nucis praeſtantiam et excellentiam vocatur. Eſt vero arbor procera flore amentaceo, (Monoec. Polyandr.) cuius embryones in eadem arbore a floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque in drupam ſiccam, oualem, magnam, vniloculärem, in qua continetur nux maxima, ſubrotunda, ſulcis reticulata, ſeniquadriloculari, nucleo quadrilobo, varie ſulcato. Species maxime frequens eſt Nux Iuglans, ſ. regia vulgaris *Bauh. Iuglans regia* foliolis oualibus glabris, ſubſerratis, ſubaequalibus *Linn.* Nuces maturae qualitate ſubdulci ſunt, nutrientes et flatulentae. Oleum expreſſum contra cicatrices variolarum. Diſſepimentum contra dyſenteriam commendatur. Nuces immaturae ſaccharo condiuntur, et ob aromata addita ſtomachicae, carminatiuae et analepticae ſunt. E nucibus pariter immaturis cum melle praeparatur Rob diapucum, in adfectibus faucium ſumme proficuum. Foliorum qualitas graueolens, amaricans et narcotica, visque emmenagoga et anthelminthica eſt. Eorum decoctum vulnera a vermibus mundificat, muſcasque et tabanos ab equis arcere dicitur. Iuglandium vmbra grauis *Plinio* dicitur, noxia etiam capiti humano, omnibusque iuxta ſatis. Gr. Διὸς βάλα-

voc, Κάρυον βασιλικὸν. — Porro *Regia nux* et *Persica*. Ge. Wälſche Nuß, Walnuß. G. *Un Noyer*. A. *Walnut Tree*. B. *Walnoot, groote Noot, Okkernoot*.

Ivgvlaris vena, eſt illa, quae vtrimque iuxta iugulum deſcendit, tam interna, quam externa, et ſanguinem a capitis internis et externis partibus in venas ſubclauias reuehit. Ge. Die Halsader. G. *Veine Jugulaire*. A. *The Throat Veine*. B. *De Krop of Strot-ader*.

Ivgvlvm, i. q. *Furcula*, ſeu *Clauicula*.

Ivivba, eſt cortex arboris in America meridionali habitantis, nondum ſatis apud nos cognitae; ipſe cortex raro ad nos adfertur; odoris eſt gratiſſimi, et ſaporis balſamici ſuauiter amaricantis, hinc ob eximias vires cardiacas ſummopere laudatur.

Ivivbae, ſunt fructus in Rhamni ſpecie prouenientes, extus rubri, dulcem habentes ſaporem; arbor Prunum vix ſuperat, folia habet parua, et ſerrata. Ex Italia fructus nobis adferuntur, qui in pectoris morbis vſui ſunt. Ge. Rothe Bruſtbeerlein. G. *Jujubes*. A. *The Jujube-Tree*. B. *Jujuben, Borſt-beſſen of Pruimen*. Dicuntur et *Ziziphae*. Vide *Zizipha*.

Ivlap, ivlapivm, ivlep et ivler, Ivlepvs, eſt medicamentum liquidum internum ſapore gratum et pellucidum, ex liquore idoneo cum ſyrupo, vel ſaccharo, ex tempore ſine coctione mixtum, in tres quatuorue doſes ad alterandum, vel refrigerandum, compoſitum. Frequenter aliquot guttae ſpiritus acidi, etc. ad gratum ſaporem admiſcentur. *Iuleb*, vnde *Iulepus*, nomen Perſicum eſt, acidem ſonat, quod potio dulcis; Arabibus vox *Iulebi* a ſyrupis non diſtinguitur. Ge. Julep, ein kühlender Trank. G. A. *Julep*. B. *Koel dranck, Julep*.

Ivli, ivlvs, ſunt folia primum erumpentia. Ge. Die erſten ausbrechenden Blätter. G. *Chaton*. A. *Leafs firſt breaking out*. B. *De eerſte uitbreekende Bladeren*. — Stricte *Iulus* tam Graecis quam Latinis eſt idem, quam flos amentaceus, qui ſcilicet nunc ſtaminibus tantum, aut apicibus, nunc foliolis quibusdam componitur axi cuidam affixis, amenti, ſeu lori, vel caudae ſelinae forma. Iulus autem ſemper a fructu ſeparatur, vel in eadem arbore, vel in diuerſis arboribus eiusdem generis. Tales ſunt in Iuglande, Corylo, etc. Ge. Die Kätzlein. G. *Chaton*. A. *Long Flowers called Catkins*. B. *Bloeyſels voor de Vruchte, Katteſtaarten*.

Ivnctvra, i. q. *Diarthroſis*.

Ivncvs, eſt plantae genus flore roſaceo fere et liliaceo, medium quaſi locum inter Gramina et Lilia tenens, (Hexandr. Monogyn.) cuius plures ſpecies partim iuxta aquas et paludes, partim etiam in locis aridis prouenium. Habent plures caules, vel tubos, duos pedes altos, ſatis craſſos, rigidos, acutos, cortice denſo obductos, et medulla ſatis dura et fungoſa plenos, et a radice tunicis folioſis rubris, ad pedis altitudinem inſtructos. Gluma eſt binaluis, corolla nulla, niſi quis perianthium hexaphyllum, coloratum, recens, corollam dicere velit, ex cuius meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu capſulam plerumque trigonam, trifariam dehiſcentem, ſeminibusque foetam vt plurimum ſubrotundis. Gr. Σχοῖνος, a iungendo; quod viminum in modum iungat vinciatque. Ge. Binſen. G. *Jonc*. A. *Rush*. B. *Bieze*.

Ivncvs odoratvs officinarvm, vide *Schoenanthus*.

Ivniperus, *Cedrus* veterum, *Oxycedrus Phoenicea*, eſt plantae genus, (Dioec. Monad.) cuius ſpecies aliae ad fruticis, aliae ad arboris altitudinem excreſcunt. Iuniperi truncus tenuis et cortice aſpero obductus eſt, qui *Cortex Rugiae* dicitur. Species maxime frequens et in collibus, ſiccioribusque Europae aruis atque ſyluis prouenions eſt. Iuniperus vulgaris fruticoſa *Bauh*. *Iuniperus communis* foliis ternis patentibus, mucronatis, bacca longioribus *Linn*. Huius lignum eſt compactum, durum, albeſcens et ſubinde rutilans, odoris, ſaporis et qualitatis reſinoſae ſubaromaticae; accenſum ſuauem odorem ſpirat. Ipſa planta valde ramoſa eſt, habetque folia parua, anguſta, acuta, dura, ſpinoſa, ſemper virentia. Flos amentaceus, pluribus nempe foliolis apicibus donatis conſtans. Fructus autem, ſeu baccae rotundae per maturitatem e caeruleo nigricantes, includentes ſub tenui pellicula pulpam, in qua tria oſſicula dura, ab vna parte conuexa, ab altera plana reperiuntur. Sunt ſaporis ſubdulcis, ſubacris, et reſinoſi, odoris fragrantis. Hae baccae, praeter lignum et radicem, quibus decoctis pariter virtus diuretica ineſt, ob copioſum oleum aethereum, eximiis viribus pellentibus, carminatiuis, diureticis, calefacientibus et alexipharmacis pollent, earumque hinc frequens in calculo, aſthmate, catarrho, hydrope vſus eſt. Ex lixiuium cinerum ligni potenter vrinam pellit. Proſtant in officinis e baccis aqua deſtillata, oleum, ſpiritus atque rob. Ex arbore Iuniperi exſudat gummi. Vide *Sandaraca*. Graec. Ἄρκευθις, et Ἄρκευθος, eſt arbor, baccas ferens: dici putant, quod iuniores et nouellos fructus pariat; ſola enim fere

arborum foetus in biennium prorogat, qui ne matureſcunt quidem, nouis ſuperuenientibus. Vide *Arceuthos*. Ge. Wacholderbaum, Wacholderſtaude. G. *Genevrier, ou Genevre*. A. *Juniper-Tree*. B. *Jenever-Boom*.

IVNONIS ROSA, eſt *Lilium*. Veteres Graecorum poetae fingunt, e Iunonis lacte reſperſa terra natum Lilium. Namque cum Hercules puer, quem ex Alcmene ſuſtulerat Iupiter, Iunonis dormientis vberibus admotus eſſet, et lacte ſe repleſſet, poſt ſuctum ex mamma lac copioſe profluxit. Quod in coelum puero vago et incerto ſuctu perfuſum eſt, lacteam effecit viam: quod humi ſparſum eſt, *Lilium* lacteo flore nitens creauit; vnde *Roſa Iunonis* dictum.

IVPITER: per Iouem chymici ſignificant *Stannum*, hinc etiam quaedam medicamenta, quae ſtannum ingreditur, inde denominantur: vt antimonium diaphoreticum Ioviale, Bezoardicum Ioviale, etc. Vide *Stannum*. Ge. Zinn. Ga. *Etain*. A. *Pewter, Tin*. B. *Tin*.

IVSCVLVM, eſt medicamentum liquidum, ex carne ſola, vel cum aliis ſimplicibus decocta, paratum, continens ergo ſuccos ſubtiliſſimos carnis per coctionem eductos. Ge. Suppe, Brühe. G. *Bouillon*.

IVSQVIAMVS, i. q. *Hyoſcyamus*.

IVVANS, AVXILIVM, ſeu REMEDIVM, idem quod *Iuuans*.

IVVANTIA quoque medicis illa dicuntur medicamenta, vel etiam omnia ingeſta, geſta et applicata, quae in morbis leuamen et ſymptomatum imminutionem efficiunt, et quae, ſi cum *nocentibus*, quae morbi exaſperationem producunt, comparentur, morbi ſaepe et indolem et euentum et remedia eligenda denotant.

IVXTANGINA, eſt Anginae ſpecies, quae dicitur *Cynanche*, vide ſuo loco.

IXIA, i. q. *Cirſos*, ſiue *Varix*.

IXIA et IXINE, *Theophraſti*, eſt Cardui, vel Carlinae ſpecies Chamaeleontis nomine. Dicitur quoque quibusdam in locis ἶξος, hoc eſt, Viſcum: hoc enim ad eius reperitur radices, eoque pro Maſtiche vtuntur mulieres. *Ixia* hodie denotat plantae genus flore liliaceo, (Triandr. Monog.) cuius ſpathae vagae, oblongae, perſiſtentes, germina diſtinguentes, corolla hexapetala, capſula ſubouata, triquetra, triloculatis, ſemina ſubrotunda. Plures eius in hortis noſtris ſpecies coluntur. Nonnulli ad Siſyrinchia et Bermudianas referunt.

K.

KAIEPVT OLEVM, vide *Caieput*.

KALI, *Salſola Linn.* eſt plantae genus, (Pentandr. Digyn.) cuius praecipue ſpecies maxime frequens eſt *Salſola Kali*, herbacea, decumbens, foliis ſubulatis ſpinoſis, calycibus marginatis axillaribus. Nec non *Salſola Soda Linn.* Eſt vero planta, quae ad altitudinem trium circiter pedum creſcit, ſi bene colatur, multum ſe extendens, habetque ramos longos, rectos, ſatis craſſos, rubicundos. Folia ſunt longa, anguſta, craſſa, carnoſa, acuminata, ſucculenta, flos roſaceus polypetalus *Tournefortio*, aliis apetalus, perianthio pentaphyllo, fructus globoſus, membranaceus; foetus ſemine vnico, in cochleae formam intorto, in centro calycis. Tota planta habet ſaporem ſalis; creſcit in littoribus Europae, praeſertim circa mare rubrum. Vocatur et *Alkali*. Ex eius et aliarum plantarum marinarum, v. c. *Salicorniae, Chenopodii maritimi, Fucorum*, cineribus ſal elicitur, ex quo vitrum, ſapo, etc. componitur. Dicitur id *Sal ſoda*, vel *Alkaneh carinum*. Kali et Alcali nomina ſunt Arabica. Ge. Glaswurzel. G. *Soude, ou la Marie*. B. *Krabbe quaad*.

KARABE, vide *Succinum*.

KEIRI, vel CHEIRI, et CEIRIM, eſt vox Mauritana, i. q. *Leucoion*.

KELOTOMIA, vide *Hernia*.

KERMES, *Chermes, Coccus infectoria, Granum* et *Coccus baphica, Granum tinctorum, Scarlatum*. Fructus olim creditus eſt arboris, quae inſcribitur Ilex, in quo *Coccus baphica*. Naſcitur in Creta, vti et in multis Hiſpaniae locis, in Narbonenſi etiam Gallia, et Prouincia. At rectius hodie cognitum eſt, eſſe foemellam inſecti hemipteri forma ſubgloboſa foliis huius arboris adhaerentem. Eſt illud *Coccus ilicis* Quercus cocciferae. Inſectum ipſum habet roſtrum pectorale, abdomen poſtice ſeroſum. Maſculis ſunt alae duae erectae; foeminae ſunt apterae; quae igitur ramis foliisque adfixae in veſiculas huiusmodi globoſas rubro ſucco imbutas expanduntur. Hae ab incolis decutiuntur, et aceto immerſae exſiccantur. Praeter vſum tinctorium iis quoque vis roborans, analeptica et aphrodiſiaca tribuitur; praecipue in metu abortus. Hinc fat frequens horum granorum in pluribus medicamentis compoſitis vſus eſt. Ge. Scharlachbeer, Kermeskörner. G. *Du Vermillon, Graine d'Ecarlate*. A. *Chermes berries*. B. *Scharlaken beſſen*. Vide *Chermes*.

KERMES MINERALE, ita dictum ob similitudinem coloris, est Sulphur auratum antimonii mitigatum, scilicet sedimentum aqua edulcoratum, quod subsidet, postquam antimonium crudum in solutione nitri fixi coctum est. Infirmis potius viribus resoluentibus et euacuantibus, praecipue vero pectoralibus, hinc in asthmate humido et sputis suppressis frequens eius vsus est. Datur a grano vno, ad tria, vel quatuor; maiori enim dosi vehementes vomitus excitat. Mercurio dulci iunctum, parcis, sed repetitis dosibus, egregie lympham viscidam dissoluit, morbosque inde orundos tollit. Dicitur etiam *Puluis Carthusianorum.*

KIKEKVNEMALO, vide *Cancamum.*

KINA KINAE, vide *Cina Cinae.*

KINO GVMMI, ita in officinis anglicis gummi rubrum vocatur, quod ex ora Senegalensi in Africa adfertur, adstringens est, et in haemorrhagiis atque alui fluxu commendatur.

KIRATH, seu *siliqua*, est pondus vesperum, pendens grana quatuor.

KOILIA, latius significat omnem capacitatem, sed strictiori sensu insignem tantum cauitatem, praesertim vero cavitatem abdominis denotat. Ge. Der Bauch. G. *Le bas ventre.*

L.

L in formulis medicis significat *lege*, l. a. vel l. a. lege artis, vel secundum artem, qua medicamentum in debitam formam redigi oportet, vt M. f. l. a. Bolus, vel Pilulae. misce fiat lege artis Bolus, vel fiant l. a. Pilulae — L. adiecto numero Libras denotat, vt L. IV. Librae quatuor.

LABARIVM, est illa adfectio, in qua dentes in suis alueolis vacillant.

LABDANVM, i. q. *Ladanum.*

LABELLA LEPORINA, vide *Labia leporina.*

LABES, LABEO, est is, cui labia prominent, Gr. χειλών, et χελών.

LABES, est macula, Gr. Σπίλος. Saepe etiam pro vitio in viscere quodam, vt plurimum morbum chronicum inducente, sumitur, diciturque sic adesse labes pulmonum, hepatis, etc. Ge. Verdorbene Eingeweyde. G. *Lésion des viscéres.*

LABIVM, botanicis vocatur in corollis florum monopetalorum irregularium, seu quarum limbus in duas partes hiat, quaeue ideo ringentes dicuntur, pars limbi singula, superior

scilicet et inferior, hinc etiam hi flores labiati vocantur. Sunt, qui labium superius *Galeam*, inferius vero *Barbam* nominant.

LABIA LEPORINA, LAGOSTOMA, dicuntur ea, quae ob vitiosam conformationem solutionem continui habent: quandoque solum labium superius fissum est sub naso, nonnunquam ipsa ossa palati simul dehiscunt, quod vitium nonnullis *Faux lupina* dicitur. G. Haasenscharten, Haasenlippen. G. *Bec de Liévre.* A. *Hare-lip.* B. *Een Haazemond.*

LABIA PVDENDI MVLIEBRIS, pudendum proprie est, inter quae rima est externa constituta, extuberantias habens, quae *Monticuli Veneris* dicuntur, pilis decorati. Sunt corpora oblonga, mollia atque substantiam habentia, qualis nulla est in toto corpore, partim ex cute et carne, partim et spongiosa, cui pinguedo subiacet duriuscula. Interna labiorum commissura in virginibus tensa est, constricta ac veluti ligamentosa, in corruptis laxa, vt et in his, quae peperunt. Ge. Die Lefzen, Lippen der weiblichen Schaam. G. *Levres des parties honteuses d'une femme.* A. *The Lips of the privity of a woman.* B. *De Lippen van de Vrouwelykheid.*

LABIS, est *Volsella*, siue *Forceps*, qua aliquid extrahendi causa apprehenditur. Gr. Λαβίς.

LABIVM, et LABRVM, est illa pars colore suo rutilo ob cutis huius teneritudinem conspicua, carnea, interius membrana oris tecta, sub qua glandulae miliares et lenticulares sitae sunt, liquorem saliualem secernentes, quae, os nostrum vndique ambiens, illud quoque a parte superiore claudit, siue oris margo.—Ita et vulnerum extremitates *Labia* appellantur.—Sic et ossium processus in latitudinem extenti *Labiorum* nomine veniunt. Ge. Lefzen, Lippen. G. *Levres.* A. *Lips.* B. *Lippen.*

LABOR, idem quod exercitium, quod, vt alt *Celsus*, corpus firmat. Sed etiam *Labor* medicis interdum pro molesto lassitudinis sensu sumitur; sic malum iudicat *Hippocrates* somnum, qui expergiscenti laborem faciat. Chemicorum etiam operationes *Labores* dicuntur, vnde *Laboratores Chymici* vulgo. Ge. Ein Laborant. G. *Artiste.* B. *Een Laborant.*

LABORATORIVM, est ille locus, pluribus furnis, aliisque instrumentis necessariis instructus, in quo chymici suas operationes peragunt. Sic et omnis officina pharmaceutica laboratorium est. Ge. Ein Distillierplatz, Laboratorium. G. *Un Laboratoire, un lieu pour distiller.* A. *A Place of the Distilling.* B. *Een Stook-plaats.*

LABORIOSVS PARTVS, vide *Dyſtocia.*

LABRISVLCIVM, vel LABROSVLCIVM, vide *Cheilocace.*

LABRVM, eſt vas, in quo *Balneum* inſtituitur.— Idem quoque ſignificat, quod *Labium.*

LABRVM VENERIS, eſt *Dipſacus.* Nomen habet a carinato foliorum poſitu, nam Labrum repraeſentare videntur, in quo ſemper aqua limpida reperiri ſolet. Vide *Dipſacus.*

LABRVSCA, eſt *Bryonia*, ſic dicta, quod in agrorum labris, hoc eſt, marginibus et ſepibus, naſcatur. Vide *Bryonia.*

LABVRNVM, eſt *Anagyridis* ſpecies. Nomen deducunt a Labor, quia forte ex ipſius ligno arcus, pectines, aliaque elaborantur. Ill. *Linnaeus* ad Cytiſos refert, (Diadelph. Decandr.) et vocat *Cytiſum laburnum*, racemis ſimplicibus pendulis, foliolis ouato-oblongis. Veterinariis ſemen frequenter in vſu eſt. Ge. Breitblätteriger Bohnenbaum, Linſenbaum. G. *Arbre de Trâfle, Aubour.* A. *Bean trefoil-Tree.* B. *Ebben bous, groote Boom-klaver.*

LABYRINTHVS, proprie eſt corpus, gyris et circumrotationibus inflexum. Hinc nomen hoc translatum ad oſſis petroſi partem, quae mira ſua fabrica organum auditus conſtituit. Dividitur in tres partes, quarum media dicitur *veſtibulum*, anterior *cochlea*, et poſterior e tribus *canalibus ſemicircularibus*, quinque orificiis in cauitatem veſtibuli patentibus conſtat. Feneſtra oualis, in qua baſis ſtapedis haeret, ex cauo tympani in veſtibulum, ſicque in labyrinthum patet. Pars haec oſſea, praedura, in omnibus ſuis cauitatibus veſtita eſt expanſione neruea portionis mollis nerui ſeptimi, vel auditorii, quae ſic a variis ſonis vario modo afficitur, eosque ad ſenſorium commune propagat. Ge. Der Irrgang im Ohr. G. *Labyrinthe.* B. *Doolhof des Oors.*

LAC, Gr. Γάλα, eſt liquor albus, ex mammis, vel animalium mammalium vberibus, emulctus; ſaporem habet dulcem ſaccharinum, et ſola quiete ſeparatur in tres partes, butyraceam, caſeoſam, et ſeroſam. Non eſt humor proprie animalis, ſed multum adhuc participat de natura alimenti; omnibus experimentis tentatum nec acidum, nec alcalinum, inuenitur, ſed aceſcens in parte ſeroſa de natura vegetabili, in caſeoſa et butyracea de animali participans. Fit ſeparatione chyli a ſanguine arterioſo, per glandulas mammillares. Lactis vſus, praeter nutritionem primam cuiusque partus recens editi, etiam frequentiſſimus eſt cibarius et medicus. Eximiis enim ob indolem ſuam pollet viribus demulcentibus, inuoluentibus et nutrientibus, hinc in quam plurimis morbis, praecipue chronicis, adhibetur, tum e foemina

ſuctum, tum lac quadrupedum, haecque *Cura lactea* dicitur; aut, ſi etiam alia quaeuis alimenta, praeter ea, quae e lacte parantur, teneramque pulli carnem, excludantur, *Diaeta alba*, vel *lactea*, vocatur. Pars quoque aquoſa, ſeparato coagulo, ſub nomine *Seri lactis*, aut cryſtalli in hoc ſero lactis aliquantum euaporato natae, ſub nomine *Sacchari lactis* pluribus in morbis propinantur. Puluis e lacte prouide ad ſiccitatem cocto natus, *Puluis lactis* dicitur, et in aqua rurſus decoctus, in inanitione et humorum acrimonia commendatur. Nocet lac biliofis, aut acido primarum viarum abundantibus, hincque et infantibus plurimi, ſique graues, morbi ex lactis coagulo naſcuntur. Omne lac aqua ponderoſius eſt, ſed inter ſe pro maiore, vel minore, quantitate pinguium partium, in variis animalibus grauitate differt. Ponderoſiſſimum omnium eſt aſininum; ſequitur humanum; proximum eſt ouillum; tunc vaccinum, inde equinum; leuiſſimum omnium caprillum eſt; licet etiam pro differentia alimentorum, aetatis animalis, aut aliarum circumſtantiarum, haec grauitas variabilis ſit. Lactis generatio incipit plerumque poſt foetus geſtationem, vel paulo ante partum, deſinit vero in vetulis, grauidis et menſtruatis: aliquando tamen ex mammis virginum, imo et virorum, elici potuit, accedente ſtimulo ex ſuctione. Ipſe quoque chylus lactis denominationem meretur, niſi quod lacti in mammis et vberibus aliquid pinguedinis animalis accedat. Sic et albi ſucci ex Taraxaco, Papauere, Tithymalo, Eſula, etc. emanantes, lac, haeque plantae *lacteſcentes* vocantur. Notatu tamen maxime dignum eſt, ſuccum lacteum plantarum flore monopetalo ſimplici, vt Euphorbiae, maxime acrem et cauſticum, plantarum vero flore ſemifloſculoſo compoſito, amaricantem, ſed ſimul aperientem valdeque ſalutarem eſſe. Ge. Milch. G. *Du Lait.* A. *Milk.* B. *Melk.*

LAC LVNAE, eſt ſubſtantia alba, fungoſa, friabilis, leviſſima, aqua addita non ductilis, in fornicibus ſpeluncarum, aut ſaxorum commiſſuris Heluetiae, Germaniae et Noruegiae reperiunda, ſaporis ſubdulcis, leuiter adſtringentis. Eſt Creta friabiliſſima, leuiſſima, non cohaerens, alba *Waller. Calx Gubr* fixa impalpabilis farinoſa *Linn.* Maxime ex decompoſitione ſtalactitarum naſci videtur. Qualitas eſt cretacea et calcarea, hinc vires forte, praeter abſorbentes, vix vllae, quamuis nonnullis ad augendum lac commendetur. Proſtant exempla, in quibus haec farina foſſilis non ſine damno ad panificium adhibita eſt. Minus recte ad margas refertur, cum per aquam non fiat ductilis. Vocatur quoque

Fungus petraeus, Agaricus mineralis, Stenomarga. G. Mondmilch, Bergmehl. *G. Lait de Lune foſſile.* A. *White Stonemarle.*

LAC SVLPHVRIS, vocatur ſedimentum ſubſidens, poſtquam decoctioni ſulphuris citrini cum ſolutione cinerum clauellatorum factae acetum vini inſpergitur. Cum floribus ſulphuris conuenit, et ad morbos pulmonum commendatur. Ge. Schwefelmilch. G. *Lait de Soufre.*

LAC VIRGINVM, dicitur mixtura albicans, quae naſcitur, dum aquae roſarum tinctura Benzoes inſtillatur. Commendatur vt eximium coſmeticum. Ge. Jungfernmilch. G. *Lait virginal.* B. *Maagdemelk.*

LACCA. In Pegu et Siamo vaſta inuenitur arbor, foliis quodammodo Pruni, quae dicitur Ricinoides aromatica arbor, Circaeae foliis hirſutis, floribus ſpicatis, maior, *Burm. Croton lacciferum* foliis ouatis tomentoſis ſerrulatis, petiolatis, calycibus tomentoſis, *Linn.* (Monoec. Adelph.) in cuius furculis et minutioribus ramulis magnae alatae et punicei coloris (non alatae enim non laborant) formicae habitant, eorumque ſuccum decerpunt, et inde non ſecus, ac apes, Laccae conficiendae materiam colligunt, ac in communes operas conferunt. Atque hoc modo ramulis Laccae materia circumuoluitur, vti ad nos deferuntur. Eodem forte modo et in aliis regionibus colligitur, vti in Sumatra inſula, Bengala, Martaba, Malabaria, etc. Lacca colorem habet rubrum et diaphanum, fumum igni iniecta gratum emittit. Triplex in officinis proſtat ſpecies. 1. *Lacca in ramulis.* Ge. Baumlack. G. *Lacque, ou Gomme Lacque, Lacque en bâton.* A. *Stick-lac.* B. *Boom-lac.* — 2. *Lacca in granis.* Ge. Körnerlack. G. *Lacque en grain.* A. *Seed-lac.* B. *Zaad-lac.* — 3. *Lacca in maſſis*, quae eſt puriſſima ex granulis liquatis confecta. Gr. Κανδιαμον. Arab. *Lach* et *Sach*, vnde noſtrum *Lacca* appellari videtur. Ge. Schellenlack. Ga. *Gomme Lacque plate.* B. *Schel-lac.* — Vſus praecipue tinctorius eſt, ſed ob vires adſtringentes etiam tinctura gummi laccae ſummopere in ſtomacace et vitiis gingiuarum commendatur.

LACCA FLORENTINA, LACCA COLVMBINA, LACCA MVSICA, LACCA IN ROTVLIS, pure factitia ſunt, et vel e ramentis panni Coccinella infecti, vel e ligno Braſilienſi, vel ex Heliotropio tricocco, addita creta, alumine, arſenico, ſale ammoniaco, praeparantur, earumque vſus maxime pictorius eſt.

LACERTA RVBRA, vide *Vitriolum.*

LACERTA VIRIDIS, vide *Mercurius.*

LACERTI CORDIS, ſeu TRABES, TRABECVLAE, ſunt faſciculi denſi, teretes, muſculares, transuerſim inter parietes cauorum cordis collocati, qui et ſanguinis conquaſſationem, et contractione ſua in ſyſtole cordis, anguſtationem cauorum efficiunt.

LACERTVS, vide *Brachium.*

LACERVM, botanici vocant folium margine varie diuiſum, ſegmentis diſformibus.

LACHANVM, eſt *Olus.* A λαχαινω, fodio. Deducunt a λα, et χαινω, quia terram fodere, eſt facere, vt ea hiet, vt ſemina eo melius terrae mandentur.

LACINIAE, vegetabilium partes ſunt extremae particulatim decoris gratia conciſae orarumque ſummarum caeſurae; inde *folia* membranatim per flexuras digeſta; vel natiuis ſegminibus diſcreta, *laciniata* vocitantur. Sunt tamen, qui laciniоſum pro ſinuoſo vſurpent.

LACONICVM, ſiue CALDARIVM et ASSA, ſiue BALNEVM AEREVM, STVPHA LACONICA, cella olim erat nullam aquam intra ſe continens, ad prouocandum ſudorem potiſſimum inſtituta, et ob id a nonnullis *Calida ſudatio*, ſicuti a *Cicerone* et *Celſo Aſſa*, nuncupata fuit in hac vapor calidus, ſeu calor ſiccus incluſus, ſudorem prouocabat. Hodie vero hoc ſub nomine intelligitur ciſta ex aſſeribus coagmentatis facta, in quam corpus, excepto capite, includitur, et ſudor, vel ſpiritu vini accenſo, vel vapore aquae calidae, elicitur. G. Ein trocken Schweißbad, Schwitzkaſten. G. *Un bain ſec, bain de vapeur.* A. *A dry Bath, Vapour-Bath.* B. *Een droog Zweetbad.*

LACRYMA CHRISTI, ſeu LACRYMA IOBI, eſt Lithoſpermum maius; ſic appellatur, quod eius ſemen lacrymas referat. Proprie eſt Lithoſpermum arundinaceum *Bauh.* vel Lacryma Iobi *Cluſ.* ſeu *Coix* ſeminibus ouatis *Linn.* cuius ſcilicet flores maſculi e gluma biflora, biualui conſtant, foeminei glumam exteriorem arcte adnaſcentem non dehiſcentem, et ſemen ſolitarium, ſubrotundum includentem ferunt. Ge. Hiobsthränen. G. *Larmes de Job.* A. *Job's tears.*

LACRYMAE, ſunt humores aquoſi, ſubſalſi, ad ignem non coagulabiles, qui a glandulis oculi innominatis, vel lacrymalibus, ad oculos humectandos, pellucidos tenendos, et ſordes eluendas ſecernuntur, qui ſi ob acrimoniam fumi, vel halitus, animi perturbationes, aliasque cauſas tanta copia proliciantur, vt a punctis lacrymalibus non ſatis recipiantur, extra oculos in genas decidunt, et lacrymarum nomine veniunt. Ge. Die Zähren, Thränen. G. *Les Larmes.* A. *Tears.* B. *Tranen.* — *Lacryma* eſt quoque humor, e

vegetabilibus tum ſponte effluens (ſiue is concreſcat in olevm, reſinam, gummi, ſiue non), tum facta inciſione, vti lacryma Thuris, Opii, Sanguinis draconis, etc.

LACRYMALE OS, eſt os pertenue, fere transparens, vtrinque in parte inferiori orbitae ad angulum internum collocatum; oblongum, exterius concauum, interius convexum; hinc vngui non abſimile, etiam *Os vnguis* dicitur. Iunctum eſt per ſuturam oſſi frontis, et cribriformi, vt et apophyſi naſali oſſis maxillaris, ſicque ductum naſalem, vel lacrymalem oſſeum, formare iuuat. Ge. Thränenbein. G. *L'os lacrymal.*

LACRYMALE PVNCTVM, vide *Colliciae.*

LACRYMALIS CARVNCVLA, vide *Caruncula lacrymalis.*

LACRYMALIS DVCTVS, vide *Ductus lacrymalis.*

LACRYMALIS FISTVLA, dicitur exulceratio ſacci lacrymalis, qui pure turgidus, vel ſponte, vel digito compreſſus, materiam purulentam cum lacrymis per puncta lacrymalia effundit. Si integumenta integra ſint, dicitur *Fiſtula incompleta*, vide *Aegilops*. *Completa* vero, ſi illa ſimul eroſa ſint, et *complicata*, ſi ſimul caries oſſa vicina deſtruxerit. Oritur plerumque a variolis, aut a quacunque inflammatione has partes aggrediente, vel etiam obſtructione ductus lacrymalis. In principio interdum tollitur, ſi ope ſpecilli tenuiſſimi aurei per punctum lacrymale ſuperius intruſi ductus naſalis aperiatur, vel etiam iniectionibus abſtergentibus, aut compreſſione; ſi inueterata ſit, vix ſine operatione chirurgica, ſacci ſcilicet lacrymalis diſciſſione, ſanatur. Ge. Thränenfiſtel. G. *Fiſtula lacrymale.*

LACRYMALIS GLANDVLA, vel INNOMINATA, eſt glandula dura magis, quam pleraeque glandulae, in lobulos pluſculos diſtincta, per quorum interualla nerui transeunt, ſita in ſuperiori parte, vel lacunari oſſeo, orbitae verſus tempora, vel angulum externum, ſecretioni lacrymarum inſeruiens, quas effundit per ſex, vel ſeptem ductus, inter ſe nusquam connexos, deſcendentes per faciem internam membranae coniunctiuae palpebralis, et aliquot lineis ſupra tarſum in coniunctiua ſcleroticae apertos. Ge. Thränendrüſe. G. *La Glande lacrymale.*

LACRYMALIS SACCVS, vide *Saccus lacrymalis.*

LACRYMOSVS, vide *Dacryodes.*

LACTATIO, eſt lactis pro infantis nutritione ex mammis exſuctio. Ge. Säugung. G. *L'action d'allaiter.* A. *Milking, or ſuckling.* B. *Melkzuiging.*

LACTEA FEBRIS, eſt illa, quae primis puerperii diebus puerperis leni frigore, cum ſequente calore et ſudore ſupervenit, qua ceſſante, lac in mammis colligitur. Ge. Das Milchfieber. G. *Fievre de lait.* A. *The Milk Fever.* B. *Een Melk-koorts.*

LACTEA VASA, vide *Vaſa Lactea.*

LACTES, quidam pro pancreate, vel meſenterio, alii pro lacteis vaſis ſumunt; pro inteſtinis tamen non inepte ſumeretur: *Plauti* enim verba ſunt in Curcul. ACT. II. Sc. III.

Ita cibi vaciuitate venio laxis lactibus.

Hoc eſt, laxis et inanibus inteſtinis. *Lactes* etiam ſunt piſcium materia ſeminalis, qua oua foecundantur. Ge. Das Gekröſe, die Milchgefäße, die Milch in den Fiſchen. G. *Les menus boyaux, ou ſe porte le Chyle, Laite aux Poiſſons, Ris de veau.* B. *De Hom.*

LACTICINIA, vocantur alimenta, quae ex lacte praeparantur. Ge. Milchſpeiſen.

LACTVCA, planta culinaris, ſic dicta, quod abundantia lactis exuberet, vel quod lactis copiam mulieribus augeat. Proprie eſt plantae genus flore compoſito ſemiflofculoſo, (Syngen. Polygam. Aequal.) cuius ſpecies apud nos maxime frequens eſt *Lactuca ſatiua* foliis rotundatis, caule corymboſo *Linn.* Qualitatis eſt aquoſae, oleraceae et lacteſcentis, viribusque diluentibus, humectantibus et refrigerantibus pollet. Vſus maxime cibarius eſt; ſemen inter ſemina quatuor frigida minora recipitur. Ge. Lattich, Salat. G. *Laitue.* A. *Lettuce.* B. *Salade, Latouw.*

LACTVCA AGNINA, vide *Valerianella.*

LACTVCA SYLVATICA, i. q. *Hieracium.*

LACTVCELLA, eſt *Sonchus*, ſeu *Lactero*, quod ſcilicet caulis eius diſſectus copioſo diffluat lacte. A. *Sow-thiſtle.*

LACTVCIMINA, i. q. *Aphthae.*

LACTVMIA, i. q. *Achores.*

LACVNAE, ſunt poruli, ſiue foueae, ſeu rugae, in vrethra virili, nec non in vteri vagina, nullibi tamen maiores, quam in inferiore parte meatus vrinarii. Ex ductibus illis materia quaedam pituitoſa emanat, olim pro ſemine habita, quae vaginam lubricat, et in veneris quidem actu magna copia foras prorumpit. Ge. Grüblein in der Mutterſcheide. G. *Lacunes.* B. *Sloorjes, Buiskens.* — *Lacuna, Lactantio Philtrum*, cauum in Labro ſuperiore ſub naribus. Gr. Φίλτρον. Ge. Das Grüblein unter der Naſe. B. *Het Voorken in de bovenſte Lippe.* — — *Lacunae* quoque dicuntur foueae illae in ſuperficie interna

vteri grauidi conſpicuae, in quas eminentiae natae ex complicatione vaſorum placentae immerguntur, iisque adhaerendo mutuo fluidorum inter matrem et foetum circulo inſeruiunt.

LACVNOSVM, botanicis dicitur folium diſco depreſſo inter venas interiectas.

LADANVM, ſeu LABDANVM, eſt liquor pinguis ex *Ciſti ledon* foliis exſudans, qui canicularibus diebus in Cypro, Candia, Libya, Arabia, etc. inſtrumentis quibusdam colligitur, et poſtea ſoli, vt induretur, exponitur. Quod ad nos fertur, durum eſt, friabile, colore opacum, cinereum, aut ſubnigrum, inflammabile, cuius fumus grati eſt odoris, ideoque in ſuffitibus, balſamis et odoramentis vſitatiſſimum. Planta, e qua colligitur, eſt Ciſtus ladanifera Cretica, flore purpureo, *Tournef. Ciſtus Creticus* arboreſcens exſtipulatus, foliis ſpatulato-ouatis petiolatis, eneruiis, ſcabris, calycinis lanceolatis *Linn.* (Polyandr. Digyn.) *Ladanum* deriuatur a Ladon, ſeu Ledum. Vide *Ledum* et *Ciſtus*.

LAESIO, in genere vocatur, quando partis alicuius functio impeditur, et tunc idem eſt, quam morbus, vel etiam denotat ſolutionem continui, laedente inſtrumento, aut quoque ſucceſſiue factam.

LAETIFICANTIA, medicis dicuntur remedia, quae principio volatili motum ſanguinis et fluidi neruei blande incitando, gratam quandam corporis et animi alacritatem efficiunt. Proſtant ſic in officinis *Species laetificantes*, vix tamen forte huic ſcopo ſatisfacientes. Vide Ill. *Delii* Diſſ. de *Laetificantibus*.

LAEVIGATIO, eſt exactiſſima trituratio, qua medicamentum aliquod marmore, porphyrite, vel alio lapide polito, affuſo liquore conueniente, aut etiam vino, molari lapide, manu verſatili, tam diu verſatur, vt in pollinis puluerisque paene impalpabilis formam redigatur, eo modo, quo pictores ſuos colores praeparare ſolent. Chymicis dicitur *Alcool*. Ge. Zerreibung zu feinen Staub. G. *Lévigation*. B. *Een ontaſtbaar Poeder maaking, Fyneryving*.

LAEVIS, opponitur aſpero, et adhibetur de rebus, quae ad contactum nullam inaequalitatem habent, et hoc ſenſu cuticula dicitur membrana laeuis. Vſurpatur etiam vox de ſtatu quodam praeternaturali, vt de *Laeuitate inteſtinorum*, quae eadem eſt, quam *Lienteria*.

LAGOCHILVS, dicitur is, qui leporina, ſeu fiſſa, labia habet. Ex λαγὸς, vel λαγὸς, lepus, apud *Heſiod.* et χεῖλος labium. Vide *Labia Leporina*.

LAGOPHTHALMVS, ſiue OCVLVS LEPORINVS, eſt vitium oculi, cum ſuperior palpebra oculum non plane obtegit, manente nonnihil aperto oculo, cum ſomnum capiunt; eiusque ſunt variae cauſſae, vt a natiuitate; vel cum conuulſione muſculus affligitur; vel ab exſiccatione per adſtringentia; vel cum cicatrix dura remanet a vulnere, vel vlcere, curato. Ex λαγὸς, lepus, et ὀφθαλμὸς, oculus. Ge. Haaſenauge. G. *Oeil de Liévre*. A. *Eyes like a Hare*. B. *Haaze-Oog*.

LAGOPVS, eſt Trifolii ſpecies, cuius ſummitates pedem leporinum referunt. Plerumque hoc nomine denotatur Trifolium aruenſe humile ſpicatum *Bauh. Trifolium aruenſe Linn.* (Diadelph. Decandr.) ſpicis villoſis oualibus, dentibus calycinis ſetaceis aequalibus. Ex λαγὸς, lepus, et πούς, pes. Ge. Haſenklee, Katzenklee, Haſenfuß, Haſenpfötchen. G. *Pied de Liévre*. A. *Long klaver, Hares-foot*. B. *Haaze-poot, Haazen-voet*.

LAMACENSE VENENVM, eſt ſuccus inſpiſſatus ex extractis variarum plantarum venenatarum a Peruanis circa vrbem Lamas paratus, quo tela inficiunt. Praeſtantiſſimum venenum eſt, ſi ſanguine recipitur; ita vt animalia his telis vulnerata mox moriantur. Conf. *Ticunenſe venenum*.

LAMBDACISMVS, PSELLISMVS LAMBDACISMVS, LALLATIO, dicitur vitium illorum, qui litteram L. vel inopportune geminant et emolliunt, vel loco litterae R. litteram L. pronunciant. Habent plerumque linguam tenuem, et os ſaliuoſum. Sed exactior cauſſa adhuc latet; an ab anchilogloſſo oriatur, inquirendum eſt.

LAMBDOIDES, eſt ſutura cranii poſterior, os occipitis cum oſſibus bregmatis et temporum coniungens; a ſimilitudine Λ dicta. Item *Os Hyoides*. Ex λάμβδα et εἶδος, forma. Ita etiam a nonnullis vocatur diuiſio venae cauae inferioris, quae in duos ramos, ſcilicet venas iliacas, abit paulo ſupra initium oſſis ſacri. Ge. Die dreyeckige Nath der Hirnſchale. G. *La Suture Lambdoide*. A. *The Lambdoides ſuture*. B. *Winkelhaak-naat*.

LAMBITIVVM, a *Lambendo* dicitur. Vide *Eclegma*.

LAMINA, vel LAMELLA, dicitur de extenſione quadam tenui, ſiue membranacea, ſiue oſſea, (quo ſenſu anatomici loquuntur, v. g. de lamina *Peritonaei*, de lamina cranii interna, vel externa, quarum illa vitrea, haec marmorea dicitur); ſiue metallica, hinc lamina aurea, ferrea, plumbea, pro bracteis horum metallorum vſurpatur. *Lamina* etiam botanicis dicitur corollae polypetalae pars ſuperior patula.

LAMINA SPIRALIS, vide *Cochlea*.

LAMIVM, eſt plantae genus flore monopetalo, labiato, (Didynam. Gymnoſperm.) quod habet plures caules longos, quadratos, excauatos, ramoſos. Folia Vrticam referunt, ſed minora ſunt, breuiora, lanuginoſa, non pungentia, mollia, in margine inciſa, caulibus ſatis longis adhaerentia. Flores in ſummitate caulium verticillati, parui, purpurei, labiati; quorum labium ſuperius cochlearis inſtar eſt excauatum, inferius vero bifidum, cordiforme, deſinuntque ambo in fauces marginatas. Ex calyce autem tubulato ac quinquepartito ſurgit piſtillum, poſticae floris parti adinſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunti in totidem ſemina, in capſula, quae floris calyx fuit, recondita, et ſunt ſatis craſſa, triangularia, rubicunda, ſplendentia, per maturitatem decidentia. Radix eſt tenuis, fibroſa. Tota planta habet odorem foetidum. A Lamio, monte Ioniae: quidam deducunt a Gr. Γλάμη, gramiae, ſeu lippientes oculi: quia oculis medetur. Alii a Lamia piſce, quia huius piſcis horrendum vultum refert, vbi ſe in raptum componit, vel a nonnullis Galeopſis dicitur; quia eius flos felis vultum refert, dum mordere vult. Huius plantae variae dantur ſpecies. Maxime frequens apud nos eſt Lamium album non foetens, folio oblongo *Bauh.* *Lamium album* foliis cordatis acuminatis ſerratis, petiolatis, verticillis vigintifloris *Linn.* Prouenit abunde in Europae cultis ruderatis. Licet qualitatis tantum ſubfatuae et oleraceae videatur, tamen infuſo florum eximiae virtutes contra haemorrhagiam vteri et leucorrhoeam tribuuntur. Ge. Taube Neſſel, todte Neſſel. G. *Ortie morte.* A. *Dead-nettle.* B. *Verkeerde Netelen, doode Netelen.*

LAMPSANA, vel LAPSANA, eſt planta lacteſcens, (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) quae habet caulem tres circiter pedes altum, rotundum, ſtriatum, rubicundum, excauatum, ramoſum. Folia inferiora magnitudine et figura accedunt ad Sonchum laeuem, alternatim diſpoſita, parum mollia, villoſa, ſuperiora ſunt oblonga, anguſta, acuta, ſine caulibus. Flos eſt ſemifloſculoſus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, embryoni inſidentibus, et calyce comprehenſis monophyllo et multifido, cuius ſquamae deinde formant capſulam ſtriatam, ſeminibusque foetam vt plurimum tenuibus, acutis et pappoſis. An nomen ab vrbe Lampſacum? vel an ab λαπάζω, euacuo, quia haec planta comeſta aluum laxat. Dicitur etiam *Papillaris herba*, quia in fiſſuris mammarum, vel papillarum, optime conducit. Ge. Wilder Kohl, Reinkohl. Ga. *Lampſane, Herbe aux mamelles.* A. *Nipple-wort, Corn-ſallet.* B. *Wilde Kool.*

LANA, PHILOSOPHORVM, ſunt Flores zinci. Vide *Zincum.*

LANA SVCCIDA, vide *Oeſypus.*

LANARIA, eſt *Saponaria*, ſeu *Struthion*, ſic dicta, quod ad candorem et mollitiem lanarum ea vſa fuerit antiquitas. Vide *Struthium.*

LANCEOLATA, botanici vocant folia, vel ſtipulas, quae oblongae et ab vtraque extremitate attenuatae ſunt.

LANCETTA, eſt cultellus chirurgicus rectus, acuminatus, vtrimque anceps; in venae ſectionibus, fiſtulis incidendis, vel ano, pene et vtero clauſo aperiendis, idoneus. Germ. Eine Lanzette, Aderlaßeiſen. G. *Lancette.* A. *Lancet.* B. *Een Lancet, Laatyzer, Steek-mesje.*

LANGVOR, eſt quaſi diſſolutio, vel remiſſio, virium corporis, quae vel a defectu, vel minuta actiuitate ſpirituum nerveſorum ortum habet, et plerosque morbos vel praecedere, vel comitari, vel ſequi ſolet.

LANVGO, in phytologia, ſunt filamenta tenella, plantarum cuticulae extimae inſtar pilorum, ſeu lanae, adnaſcentia, vti in Verbaſco, Gnaphalio, etc. Hinc etiam *folia* dicuntur *lanata*, quae pilis intricatis, curuatis, quaſi tela aranearum inducta ſunt. Ge. Das Wollichte an denen Kräutern. Ga. *Laineux, Coronneux.* A. *Woolly.* B. *Wolligheid der bladen.* — — Eſt quoque barbae in pubeſcentibus primum rudimentum, lanae inſtar prorumpens. Ge. Die erſten Barthaare. G. *Le poil folet.* A. *Soft young hair, Down.* B. *Vlas-baard, het eerſte Hair van den Baard.*

LAPATHVM, ſiue RVMEX, eſt plantae genus flore apetalo ſtamineo, (Hexandr. Trigyn.) cuius plures dantur ſpecies. Quae in vſum medicum adhibentur, tres ſunt; ſcilicet Lapathum folio acuto rubente *Bauh.* *Rumex ſanguineus Linn.* floribus hermaphroditis, valuulis integerrimis, vnica granifera, foliis cordato-lanceolatis; *Lapathum ſanguineum Pharm.* Ge. Drachenblut, rothblühender Mangold. G. *Patience rouge.* A. *Blood-wort.* B. *Bloed-kruid, Draake-bloed.* — Deinde Lapathum aquaticum folio cubitali *Bauh.* *Rumex aquaticus* floribus hermaphroditis, valuulis integerrimis nudis, foliis cordatis, acutis, lanceolatis *Linn.* *Herba Britannica Pharm.* Ge. Wilde Rhabarber, Waſſermangold, Dockenblätter. A. *Waterdock.* — Tandem Lapathum acutum *Rai.* Lapathum acutum, ſ. Oxylapathum, *Bauh.* *Rumex acutus* floribus hermaphroditis, valuulis dentatis graniferis,

foliis cordato-oblongis acuminatis *Linn.* Ge. Grindwurzel. G. *Parelle ſauvage.* A *Sharp-pointed Dock.* B. *Wilde Patig, Peerdig.* — Habet caulem ſtriatum, rubicundum, in ſummitate in multos ramos diuiſum. Folia magna, ampla, longa, acuta, mollia, coloris viridis obſcuri, caulibus longis et rubicundis adhaerentia. Flores iuxta ramos diſpoſiti, multis ſtaminibus conſtantes: finis pedunculi intra calycem dat placentulam, cui innaſcitur ouarium triquetrum tribus tubis, apice eleganter fimbriato, quae lateraliter eminent extra ſegmenta capſulae. Semina triangula, ſplendentia, in capſula membranoſa incluſa. Radix magna, externe fuſca, interne flaua, aut crocea, multas fibras habens; ſaporis amari, adſtringentis, quo ab Acetoſa differt, quae ſaporis acidi eſt. Ob hanc qualitatem auſteram et roborantem pollet viribus vulnerariis, mundificantibus, antiſcorbuticis, et praecipue in ſtomacace ſummopere laudatur. Vide *Britannica.* Deriuatur a λαπάζειν, ab inaniendo, quod eius decoctum aluum moueat, exinaniatque. Dicitur et *Patientia*, quia eius eſt lenta vis. — *Rhabarbarum Monachorum*, ita dictum quia a Monachis Rhabarbari loco adhibetur, eſt etiam ſpecies Lapathi, ſcilicet Lapathum hortenſe latifolium, Hippolapathum *Bauh. Rumex alpinus Linn* floribus hermaphroditis ſterilibus foemineisque, valuulis integerrimis nudis, foliis cordatis, obtuſis rugoſis; cuius radix longe magis, quam Rhabarbarum verum, adſtringens, viribus vero aluum mouentibus huic longe inferior eſt.—Totum genus dicitur G. Grindwurzel, Ampfer. G. *Patience.* A. *Dock.* B. *Patich, Paardik, Patientie, Surkel.*

LAPIDES, in ſingulis tribus mundi regnis locum ſibi vendicant. Sic inter vegetabilia, cortices duriores nucleum includentes, dicuntur lapides. In animalibus quoque habentur, vti calculi ex corpore humano, lapides bezoardici, etc. Proprie vero lapides ad regnum minerale pertinent, et latiori ſenſu regnum lapideum conſtituunt. Sunt ſcilicet corpora foſſilia dura, non ſciſſilia, plerumque nec friabilia, non ductilia, non malleabilia, nec aqua, nec oleo ſolubilia, igni magis, vel minus, reſiſtentia. Conſtant vel ex puris particulis homogeneis, et tunc proprie lapides dicuntur, vel principio peregrino, vt ſale, ſulphure, aut metallo, imbuti ſunt, tuncque minerae vocantur, vel ſunt lapides aggregati, ſcilicet e particulis ſimplicibus, aut compoſitis diuerſae indolis, aut generis, conflati, qui minerae dicuntur.— *Lapides* quoque ſunt vel *vitreſcentes*, qui chalybe concuſſi ſcintillant, in igne vitreſcunt, in acido non ſoluuntur; vel *calcarii*, chalybe raſiles, nec ſcintillantes, igne in farinam abeuntes, acido

plerumque cum efferueſcentia ſolubiles; vel *apyri*, chalybe fectiles, nec ſcintillantes, igne immutabiles, acido non ſolubiles. Lapides vitreſcentes, ſingulari ſplendore, colore, aut pelluciditate conſpicui, pretioſi, *gemmae* dicuntur. His ſingularem olim virtutem cardiacam tribuit credulitas, et adhucdum in officinis proſtant fragmenta quinque lapidum pretioſorum, ſcilicet Granati, Hyacinthi, Saphiri, Carneoli, Smaragdi. Nomen lapidis nonnullis quoque imponitur medicamentis, quae ad duritiem lapideam, vel terreſtrem, excocta ſunt, vt Lapis prunellae, infernalis, etc. Ge. Stein. G. *Pierre.* A. *Stone.* B. *Steen.*

LAPIDILLVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, cochlearis forma, in extrahendis veſicae calculis accommodatum. Ge. Ein Steinlöffel. G. *Une Curette, ou Tenette.* B. *Een Steenlepel, Lapidil.*

LAPIS ASBESTVS, LAPIS BEZOAR, LAPIS CALAMINARIS, etc. Vide ſuis ſub nominibus.

LAPIS CAERVLEVS, eſt praeparatum ex nitro, alumine et vitriolo, quod ad vlcera mundanda adhibetur. Germ. Blauſtein. G. *Pierre bleue.*

LAPIS CAVSTICVS CHIRVRGORVM, ex ſale alcali aqua ſoluto cum quadrupla calcis viuae ratione, ſeu ex *lixiuio foronaciorum* coctione et inſpiſſatione paratur. Vocatur quoque *Cauterium potentiale, Sal cauſticum, Cauſticum commune* et *Ruptorium commune.* — Noſtri chirurgi eo rarius vtuntur. Ge. Alkaliſcher Aetzſtein. G. *Pierre à cautere.*

LAPIS DIVINVS, ſ. OPHTHALMICVS, a *Woelhuſio* inprimis commendatus, ex vitrioli, nitri et aluminis partibus anaticis, addita camphora, paratur, et in oculorum morbis ſaepe cum inſigni fructu adhibetur.

LAPIS MEDICAMENTOSVS, ſ. MIRABILIS, SALVTIS, vel VVLNERARIVS, ex vitriolo albo, ſale ammoniaco, ceruſſa, bolo et aceto paratur, atque externe in vlceribus commendatur. Nonnulli compoſitum ex limatura martis, maſtiche, croco, aloe, myrrha, etc. ita vocant.

LAPIS MIRIFICVS BVTLERI, eſt compoſitum ab *Helmontio*, vt diuinum remedium in omnibus morbis commendatum.

LAPPA, ſeu BARDANA, *Arctium Iappa, Linn.* foliis cordatis inermibus petiolatis, (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) eſt planta, quae creſcit ad altitudinem trium, vel quatuor pedum: caules habet rectos, anguloſos, lanuginoſos, rubicundos. Folia ſunt magna, ampla, in ſuperiore parte virido-fuſca, in inferiore albeſcentia, lanuginoſa, quae exſiccata in igne

crepitant. Constat flore floſculoſo; ſemine pappis inſtructo breuibus, calyce ſquamoſo hamato, ac veſtibus haerente comprehenſis. Semina ſunt oblonga, craſſiuſcula, fuſca, ſtriata, ſaporis ſubamari, ſubacris, odoris nullius. Radix eſt craſſa, oblonga, intus alba, foris nigricans, ſaporis ſub auſteri, et amaricantis, odoris fere nullius. Radicis, quae praecipue in vſu eſt, decoctum eximiis viribus diaphoreticis, diureticis et antipodagricis pollet. Plurimi ſpecificam ei virtutem in lue venerea et cacochymiis variis tribuunt. Semen pariter diureticum etiam aluum mouet. Proſtat in officinis Eſſentia Bardanae compoſita. Creſcit haec planta vbique circa vias, et vel maior, vel minor eſt, quae tamen inter ſe conueniunt viribus, neque magnitudine adeo differunt. Gr. Ἀρκτίον, Πρόσωπον et Προσωπίς. Deriuari putant nonnulli Lappae nomen ab Hebraica voce *Lapath*, apprehendit, quia eius ſummitates veſtes praetereuntium apprehendunt. An vero ab vrbe Cretae, *Lappa* dicta? Vocatur et *Perſonata*, quia pueri ex foliis conficiunt id, quod vocant Laruas, ſ. Perſonas, Ge. Kletten. G. *Bardane*, *Glouteron*. A. *Burdock*, *Clot-Burr*. B. *Kliſſen*, *Kladden*, *Dokke-bladen*.

LAPPAGO, videtur diminutiuum a *Lappa*. Sic vocatur *Aparine*; quoniam eius ſemina veſtibus ſimiliter adhaerent. Vide *Aparine*.

LAQVEVS, eſt vinculum ita nexum, vt attractum, vel pondere preſſum, claudatur: vtriusque vſus eſt ad fracta luxataque oſſa maiori cum robore extendenda, et repoſita ſuo loco retinenda, tum ad partes conſtringendas et arcte vinciendas. Sic in arte obſtetricia laqueo ſub verſione pedes foetus nonnunquam apprehenduntur. Differentiae laqueorum ſunt variae, nomina ſortitae vel ab inuentoribus, vel ab vſu, vel alicuius rei ſimilitudine et figura, vel nectendi modo, vel effectu. Ge. Eine Schlinge. G. *Lacs*. A. *A Snare*. B. *Een Strik*.

LARIX, eſt arbor conifera, (Monoec. Adelph.) *Pinus Larix* foliis faſciculatis obtuſis *Linn.* ex qua etiam *Terebinthinae* gummi, et quidem ſic dicta *Venета*, exſtillat. Vide *Terebinthina*. Arbor ipſa eſt inſtar Abietis alta; truncus rectus, cortice denſo, aſpero, fiſſo, fuſco obductus. Rami ſunt longi, flexiles, tenues, incuruati. Folia Pini foliis tenuiora, plura ſimul ex vno communi tuberculo inſtar penicilli nata. Flos mas amentaceus, pluribus apiculis conſtans in vno loco plantae. Fructus in eadem arbore, loco a flore remoto, conicus, ſquamoſus, recondens ſub ſuis ſquamis ſemen foliatum. Haec arbor creſcit in Europa auſtrali circa montes.

In ea etiam prouenit agaricus. Vide *Agaricus*. Larix eſt Gallo-Graeca vox, a Gallo-Graecis huic arbori impoſita; forte nomen traxit ἀπὸ τῦ λαρῦ, quod pingue ſignificat. A reſinae ſcilicet copia, qua turget. Alii a λαρὸς, dulcis, iucundus, deriuant, quod odore et adſpectu iucunda. Ge. Lerchenbaum, Lerchentanne. G. *Larice*, *Larche*, *Méleſe*, *Meleze*. A. *Larch-tree*. B. *Lorken-boom*.

LARVAE INSECTORVM, vocantur vermes, ſeu erucae ex ouis prodeuntes, antequam in chryſalides et inſecta alata mutantur.

LARYNGOTOMIA, i. q. *Bronchotomia*.

LARYNX, GVTTVR, Gr. Λάρυγξ, Βρόγχος, Τραχεῖα, Ἀρτηρία. *Galeno* tamen Λάρυγξ proprie eſt caput et oſtium aſperae arteriae, ſiue cartilaginoſae arteriae, conſtans ex quinque cartilaginibus, quae ſimul hanc partem maiorem faciunt, quam trachea eſt. Prima cartilago Θυρεοειδὴς, ſiue *ſcutiformis*, dicitur, protuberantiam illam in collo, vulgo *Pomum Adami*, conſtituens, inde etiam *peltalis* dicta; ſecunda Κρικοειδὴς, ſiue *Annularis*, quae inſtar annuli turcici rotunda eſt, et priori ſubiacet. Tertia et Quarta cartilago, aliis vnica, ſed, ſi membrana exuitur, apparet gemina, dicitur Ἀρυταινοειδὴς, *Guttalis* et *Glottis*, in interiori et inferiori parte cartilaginis ſcutiformis collocata et glottidem format. Quinta Ἐπιγλωττὶς appellatur, quae rimam tegit et claudit, et fere ad linguam pertinere videtur, inſeruit voci et reſpirationi. A λαρυγγίζω, clamo. Ge. Die Gurgel am Hals, Kopf der Luftröhre. G. *Le noeud de la Gorge*, *le Larynx*. A. *Head of the Wind-pipe*. B. *Het Strotten-hoofd*, *Gorgel*, *Stroz-appel*.

LASER et LASAR, Gr. Σίλφιον, vnde habeat originem, vix determinari poteſt. Videtur eſſe vox Cyrenaica et Barbarica, vnde olim ſolebat aduehi.

LASERPITIVM, Gr. Σίλφιον, caulis vero eius ferulaceus iis Μάσπετον appellatur. *Linnaeo* genus plantarum vmbellatarum ita audit, plures ſpecies comprehendens. Species officinalis eſt *Laſerpitium gallicum* foliolis cuneiformibus furcatis *Eiusd.* Folia huius plantae ſunt Apio ſimilia, ampla, magna, dentata. Flos roſaceus, vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans cordiformibus, in orbem poſitis, et calyci inſidentibus. Semen latum, membranoſum, oblongum, albeſcens, odoris et ſaporis Angelicae. Radix longa, craſſa, interne nigricans, odoris ſatis grati. Dubium eſt, an ex hac planta *Laſer* veterum fuerit, quo veteres in condiendis cibis maxime delectabantur. *Auicennae*

planta Laſerifera *Altitht* et *Hiltit* dicitur. Interpretum aliqui *Aſam* reddunt, forte voce ex *Laſer* corrupta. Quidam putant, deriuari a Lac et Silphion. Creſcit in regionibus calidis in montibus. Conf. *Silphium* et *Aſa foetida*. Ge. Laſerkraut. G. *Laſer*. A. *Laſerwort*. — *Laſerpitium latifolium Linn.* eſt *Gentiana alba* offic. Vide ſub hac voce.

LASSITVDO, eſt maior defatigatio, et cum dolore aliquo, atque velut tenſione motarum partium, quam non modo ſentiunt, dum ſeſe mouent, ſed etiam quieti ſedentes, decumbentes. Plerumque pro cauſſa agnoſcit vires per validum et inſuetum exercitium exhauſtas; ſaepe tamen etiam a cauſſis morboſis oritur. Diuiditur a nonnullis in quinque gradus. 1. In tota cute carnibusque ſentiunt, ac ſi aciculis pungerentur, maxime ſi moueant ſe, aut laſſa membra contingant. Haec dicitur *Laſſitudo Cacochymica*, ortum habens a cacochymia, ſiue vitioſis humoribus membra laceſſentibus. 2. Cum in membris laſſis praeter alia ardorem percipiunt, vocatur *Laſſitudo Phlegmonodes*, quae in febribus ipſis citra laborem, aut, ſi velis, ab inquietudine, euenit. Hinc illud *Hippocratis*: ſpontanea laſſitudo morbum denuntiat, id eſt febrem futuram, quae iam leuis aliqua inuaſit. 3. Cum in profundo circa articulos, id eſt, in ligamentis et tendinibus, tenſio vrget, appellatur *Laſſitudo tenſiua*, ſiue *Tenodes*. 4. Cum adhuc profundius in ipſis quaſi oſſibus, id eſt, in oſſium et epiphyſium et apophyſium perioſteo, contuſionis ſenſum habent, nominatur *Laſſitudo contundens*, ſiue Ὀστεόκοπος. 5. Laſſitudo, quae emaciatis, gracilibus, hecticis, aut pueris, aut ſenibus, communis eſt. Gr. Κόπος, Κάματος. Ge. Müdigkeit. G. *Laſſitude, Fatigue*. A. *Wearineſs*. B. *Vermoeidheid*.

LATERALES, botanicis dicuntur *ſtipulae*, quae lateribus caulis inſertae ſunt.

LATERALIS MORBVS, i. q. *Pleuritis*.

LATERINVM OLEVM, vel *Oleum Philoſophorum*, eſt oleum, quod deſtillatione per retortam elicitur e lateribus, quorum fruſta ignita in oleum oliuarum demerguntur, ſicque per aliquot horas oleo imbuuntur. Commendatur vſus externus in paralyſi, pernionibus, ſurditate, et infarctu viſcerum. Ge. Ziegelöl. G. *Huile de briques*.

LATHYRIS, eſt Euſulae, Cataputiae, aut Tithymali, ſpecies. Iuxta Ill. *Linnaeum* eſt *Euphorbia lathyris*, vmbella quadrifida, dichotoma foliis oppoſitis lanceolatis integerrimis, (Dodecandr. Trigyn.) Pariter, vt reliquae Euphorbiae, lacte acri, draſtico et cauſtico turget. Folia et ſemina piſcibus narcotica ſunt. Ex λὰ, valde, et θέω, calefacio, vel potius θρύπτω

oſtiolum. Nam dicitur, quod folia duo, quae caulis partem ſummam amplectuntur, cauitatem ſatis magnam oſtendant. Etenim inter duo folia, quae vmbellam ambiunt, ſemen quaſi inter duas ianuas, ſiue valuas, continetur; vel a contrario, quod ſemen pluribus contineatur tunicis; nempe tribus. Ge. Springkraut, Springkörner, Treibkörner. G. *Epurge*. A. *Spurge*. B. *Spring-kruid, Spurgie, Sporit*.

LATHYRVS, eſt plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) vexillo obcordato, maximo, alis oblongis lunulatis, carina ſemiorbiculata, magnitudine alarum, in medio introrſum dehiſcente. Habet caules flexiles, repentes, in multos ramos diuiſos, compreſſos, coſta elata margine foliato, folia bina tantum coniugata ad neruum in claviculas, vel cirrhos, abeuntem, oblonga, acuta, anguſta. Flores ſunt leguminoſi, albi, maculis ſaepe purpureis, aliis tamen coloribus etiam variant. Quarum vagina membranacea tectum ſit ſiliqua teres, compreſſa, biualuis, alba, foeta ſemine modo cylindraceo, modo anguloſo, interne coloris flaui. Radix exigua et fibroſa. Huius generis plures ſpecies ob florum elegantiam in hortis coluntur. Eſt tamen etiam ſpecies, quae paſſim in aruis ſponte prouenit, partim colitur ob radices tuberoſas, quae in cibum adhibentur, ſcilicet Lathyrus aruenſis, repens tuberoſus *Bauh. Lathyrus tuberoſus Linn.* pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis oualibus, internodiis nudis. *Caſtanea porcina*, vel *Panis porcinus officin.* Ge. Erdnüße, Grund- oder Erdwicken. G. *Geſſe ſauvage, Tareole*. — — Dicitur forte a λαθεῖν, latere, quod in folliculis lateat. Ge. Platte Erbſen. G. *Geſſe*. A. *Chickling-Vetch*. B. *Platte Erweten*.

LATICA, AMPHIMERINA LATICA, eſt febris continua, quae paroxyſmos praelongos obtinet ad horas octodecim protractos; exacerbatur quotidie circa veſperam, cum leui partium extremarum refrigeratione, vt plurimum calore in paroxyſmo miti, ſed tenaci. Ita contumax eſt, vt duos menſes ſibi relicta excurrat. Latica dicitur a calore latente. *Sauv.*

LATISSIMVS DORSI MVSCVLVS, vide *Ani ſcalptor*.

LATVS, eſt vel nomen adiectiuum, et opponitur *anguſto*. Hoc ſenſu nonnulli muſculi dicuntur *lati*, vt in collo et dorſo, in femore *Faſcia lata*. Vide *Membranoſus, muſculus*. *Latae puſtulae* ſunt, quae non valde prominent. — Vel eſt nomen ſubſtantiuum, et in genere adhibetur de dimidia corporis parte, quo ſenſu partes quaedam dicuntur ſitae eſſe in latere dextro, vel ſiniſtro. Strictiori vero ſenſu ſumitur

pro dimidia alicuius cauitatis regione, dextra, vel siniſtra, inprimis in pectore, vnde *Dolor lateralis* ſaepe pleuritidem denotat.

LAVAMENTVM, i. q. *Fotus.*

LAVATIO, potiſſimum dicitur de reſinoſis, terreis, mineralibus et metallis, cum aqua, vel alio liquore, ab eorum immunditie purgatis, poſteaque iterum exſiccatis, vt in aloe lota, lapidibus, etc.

LAVDANVM, adhibetur de medicamentis, ex opio confectis, v. c. *Laudano opiato*, ob vires nempe, quas praeſtat, laudabiles. Nonnulli dictum eſſe putant ab articulo barbarico et anodyna vi, quaſi dicas *l'Anodyna*, alii quod Ladanum Cyprium ſimuletur. Verius tamen *Theophraſtus Paracelſus*, primus vocis laudani architectus, Laudanum ſuum vocauit a laudata eius efficacia, vt laudatum medicamentum, quod medicina laudatiſſima, vel omni laude digniſſima eſſet. Proſtat quoque in officinis *Laudanum hyſtericum, diureticum, liquidum Sydenhami, opiatum, cydoniatum*, etc. in quibus pro piandis ſedulo ad quantitatem opii, quae quamuis compoſitionem ingreditur, attendendum eſt.

LAVENDVLA, ſeu LAVANDVLA, et PSEVDONARDVS, eſt plantae genus flore monopetalo labiato, (Didynam. Gymnoſperm.) labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito. Species maxime frequens in Europa auſtrali naſcens, apud nos in hortis culta, eſt *Lauandula ſpica*, foliis lanceolatis integris, ſpicis nudis *Linn.* cuius duae ſunt varietates, ſcilicet Lauendula anguſtifolia, Pſeudonardus *Bauh.* et Lauendula latifolia maior quae vulgo Spica *Bauh.* Habet caules, duos, vel tres pedes altos, duros, lignoſos, quadratos. Folia ſunt oblonga, albeſcentia. Flores parui ringentes, ſummis caulibus et ramis verticillatim innati, in ſpicam oblongam congeſti, coloris caerulei. Semina quatuor poſt flores parua, oblonga, capſulae incluſa, quae flori tanquam calyx inſerviit. Radix lignoſa. Tota planta habet odorem penetrantem, aromaticum, gratum, ſaporem amarum. Planta haec officinalis eſt, gaudetque viribus neruinis, cephalicis et veterinis. Proſtant ex ea conſerua, aqua, ſpiritus et oleum. Flores in odoramentis adhibentur. Sic dicitur, quod balneis et lauacris expetatur, elotaque omnia, ſi permiſceatur, odoris commendet ſuauitate; ergo a Lauando nomen ſortitur. *Spica* quoque, quia ſola ſpicas gerit inter omnes verticillatas plantas, et nonnullis *Nardus* vocatur. Num vero ſit Nardus veterum, id aliis inquirendum relinquimus. Ge. Lavendel

G. *Grand Lavandé, ou Aſpic, ou Nard.* A. *Lavender.* B. *Lavendel, Spyk.*

LAVER, ſiue SION, ſeu BECCABVNGA AQVATICA, nomen haud dubie a lauando contraxit, quod ſonantibus aquis enatum ſemper elui gaudeat. Vide *Beccabunga.*

LAVER ODORATVM, vide *Naſturtium aquaticum.*

LAVREOLA, ſeu DAPHNOIDES, Laureola ſemper virens, flore viridi *Bauh. Daphne laureola* racemis axillaribus quinquefloris, foliis lanceolatis glabris *Linn. Laureola Pharm.* eſt planta arboreſcens, (Octandr. Monogyn.) absque calyce, corolla monopetala, tubulata, quadrifera, bacca ſubrotunda, vniloculari, monoſperma. Creſcit in Europae ſyluis vmbroſis. Cortici praecipue et baccis eſt qualitas acris ſeptica et ſubuenenata, visque corrodens, rubefaciens, excorians et draſtica. Hinc non niſi temerario auſu ad euacuandas hydropicorum aquas adhibentur. Dicitur quoque *Coccognidium, Thymelaea, Chamelaea. Laureola* eſt diminutiuum a voce *Laurus:* nam a Lauri forma et ſpecie, quam in foliis et fructu refert, dicta eſt. Ge. Seidelbaſt, Kellerhals. G. *Lauréole.* A. *Laurel, Garland, Spurge-Laurel.* B. *Berg-peper, Kellerhals.* Conf. *Thymelaea.*

LAVROCERASVS, Ceraſus folio laurino *Bauh. Prunus Laurocerasus Linn.* (Icoſandr. Monogyn.) floribus racemoſis, foliis ſemper virentibus, dorſo biglandulosis *Sp. pl.* Padus foliis ſemperuirentibus lanceolato-ouatis *Hort. Cliff.* eſt arbor pulchra et viſui grata, foliis laurinis, ſed maioribus, magis viridibus, et glabris; caulem habet rectum, ramoſum; eius cortex eſt e viridi fuſcus. Lignum eſt album, calyx cauus, infundibuliformis, ora plana, quinquefida. Flos roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus multis foecundus. Ouarium in fundo calycis inſtructum tuba longa fit fructus Ceraſo ſimilis, vnde nomen impoſitum; foetus ille fructus eſt putamine obrotundo, tenui, fragili, continente ſemen oblongum, ſaporis amari. Haec arbor habitat in Trapezunte, vnde ſaeculo decimo ſexto in Europam translata, nunc paſſim in hortis noſtris colitur. Foliis ſingularis quaedam amaricans eſt fragrantia, hinc interdum ad imbuenda eo ſapore lacticinia adhibetur, ſed non ſine periculo, cum qualitatis ſint venenatae, eorumque infuſum et aqua ſtillatitia animalia cum conuulſionibus enecet, ipſis hominibus pernicioſa. Parciſſima doſi ſanguinis motum concitare, eumque fluidiorem magisque floridum reddere, et in phthiſi ac diatheſi inflammatoria commendari lego. Ge. Lorbeerkirſchen, Kirſch-

lorbeer. G. *Laurier-Ceriſe.* A. *Laurel-cherry, Laurel.* B. *Laurier-Kers.*

LAVRVS, Laurus vulgaris *Bauh. Laurus nobilis Linn.* (Enneandr. Monogyn.) foliis venoſis lanceolatis perennantibus, floribus quadrifidis, eſt arbor in regionibus calidis ad ſatis magnam altitudinem creſcens; truncus politus, non nodoſus: lignum poroſum et ſatis debile: rami longi. Folia ſunt longa, duos, vel tres digitos lata, acuta, dura, ſemper virentia, parum ſucculenta, neruoſa, polita, odoratiſſima, ſaporis acris, amari, et adſtringentis, breuibus caulibus adhaerentia. Floribus eſt calyx nullus; corolla habet petala ſex ouato-acuminata, concaua, erecta; ſtamina ſunt nouem, corolla breuiora, terna in ſingulo ordine, quorum ſingulo intimi ordinis glandulae duae globoſae, petiolo breuiſſimo prope baſin affixa ſunt; germen abit in drupam oualem acuminatam, vnilocularem, corolla comprehenſam, foetam nuce ouato-acuminata, nucleum eiusdem formae continentem. Lauri folia, praecipue vero baccae, qualitate calida, aromatica et fragrante, viribusque calefacientibus, reſoluentibus, pellentibus, carminatiuis et phthiriacis pollent, variaque medicamenta compoſita ingrediuntur. Baccae oleo eſſentiali ſcatent quod et deſtillatione et expreſſione, maiori vero copia decoctione cum aqua largiuntur, quod vltimum ſub *Olei laurini* nomine vnguentis neruinis immiſcetur. Antiquitas in laudis honorem ſolebat ex huius arboris ramis coronas flectere, iisque victores, aut eorum arma, ornare. Hinc a *Laude* ſibi nomen adſciuit. Gr. Δάφνη, quae poetis fabulandi occaſionem videtur praebuiſſe, Daphnen puellam, ab Apolline adamatam, cum vim eius effugere non poſſet, deorum miſeratione in laurum fuiſſe mutatam. Conf. *Camphora, Caſſia, Cinnamomum, Saſſafras.* Ge. Lorbeerbaum. G. *Laurier.* A. *Laurel-tree.* B. *Laurier-boom, Lauwer-boom.*

LAVRVS ALEXANDRINA, *Ruſcus hypogloſſum* foliis ſubtus floriferis ſub foliolo *Linn.* (Dioec. Syngeneſ.) Laurus alexandrina fructu pediculo inſidente *Bauh.* eſt planta flore monopetalo campaniformi, cuius germen in flore foeminino abit in baccam globoſam trilocularem, continentem ſemina bina globoſa, quorum tamen vtplurimum vnum tantum matureſcit. Creſcit frequenter in Hungaria et Liguria, et apud nos paſſim in hortis. Plantae eſt qualitas ſtiptica, inſipida et inodora, visque ſubadſtringens, hinc eius decoctum praecipue in prolapſu vuulae adhiberi ſolet. Gr. Δάφνη Ἀλεξανδρεία, vel Ἰδαία. Officinis *Vularia*, nonnullis *Bonifacia. Theophraſtus* appellat Ἐπιφυλλόσπερον, quod fructum ſuper folia ferat. *Alexandrinam* autem *Laurum* dictam putamus, quod Alexander Victor ea vſus fuerit; hinc quoque *Victoriola* appellatur, quod nimirum Victores ea pro Lauro in triumphi et victoriae ſignum vterentur. *Idaea* appellatur ab Ida monte, quo in loco ſpecioſior naſcitur. Vide *Hypogloſſum.* Ge. Zapfleinkraut. G. *Laurier Alexandrin.* A. *Laurel of Alexandria.* B. *Tonge blad, Keelkruid, Tapkens-kruid.*

LAXANTIA, ſunt medicamenta, quae benignis ſtimulis haerentia in ventriculo et inteſtinis, ſoluendo, aut incidendo, aut lubricando, ex aluo euacuant. Ge. Laxirende Artzeneyen. G. *Remedes laxatifs.* A. *Laxative remedies.* B. *Zagte uitdryvende Middelen.* — Hoc etiam nomine a nonnullis donantur medicamenta, quae valent liquiditate ſua intrare vaſa corporis minima, illorum parietes ſua grauitate et adhaeſione remouere, infarctumque expellere, apta fluori interponere, ita vt ſolida ante rigefacta, iterum horum ope reddantur apta flexioni absque ſolutione continui. Germ. Schlappmachende Mittel. B. *Leenigmaakende Middelen.*

LAXITAS, eſt partium ſolidarum talis conſtitutio, vt facilius flecti et elongari poſſint; minori vero nixu, quam ſanis competit, in priſtinum ſtatum redire conentur. Sic *laxitas* fibrae dicitur ea cohaeſio partium inter ſe, quae minori vi, quam in corpore ſano fieri deberet, poteſt mutari ita, vt fiat ſe ipſa longior. Opponitur ergo rigiditati.

LAZARI MORBVS, vulgo ſumitur pro *Lepra.* An ita dicitur, quia *Lazarus,* de quo Lucas in euangelio loquitur, ſimili morbo laborauit? Exactius tamen determinant eruditi, *Morbum Lazari* fuiſſe morbum, adhucdum inter mendicos interdum occurrentem, a ſingulari cacochymia pendentem, et praecipue vlceribus ſordidis et verminoſis ſtipatum.

LAZVLI LAPIS, eſt lapis intenſe caeruleus, non pellucidus, ſubſtantiae quarzoſae et ſpathoſae, aureis punctulis, aut venulis, exornatus, quae lapide Armenio durior. Exinde praeparatur color, *Vltramarinus* vulgo dictus. A pyritis particulis admixtis pendent aurea puncta. Ex Oriente allatus, colorem in igne non mutat, cuius vero color in igne diſparet, is in Germaniae locis reperitur. Ad mineras cupri plerumque refertur, ſicque dicitur *Cuprum lazuli* caeruleum ſcintillans *Linn.* Iaſpis colore caeruleo et alio mixto, cuprifer *Wall.* Sed experimentis chemicis inprimis Cl. *Marggrafii* demonſtratum eſt non cuprum, ſed ferrum, continere, atque ab eo colorem eius caeruleum pendere. Vehementer vomitum ciet, aluumque mouet; hinc olim in febribus intermittenti-

bus, epilepsia et mania commendabatur, hodie tamen vix in medicina adhibetur, nisi quod adhucdum confectionem Alkermes ingrediatur. Ge. Lazurſtein. G. *Pierre d'Azur.* A. *Lazur ſtone.* B. *Lazuur-ſteen.*

LEBES, vide *Cacabus.*

LECTI AD PARTVM, ſunt machinae, in quibus puerperae partum excludunt, ſellis obſtetricantibus vulgaribus longe praeferendae. Ge. Geburtsbette.

LECTVLI, ſeu THORVLI STRAMINEI. Ge. Strohlade. G. *Fanons*, ſunt cylindri ex ſtramine confecti, qui linteo inuoluti ad membra fracta in ſitu ſeruanda adhibentur.

LEDVM, ſeu *Ciſtus ledon*, foliis Roſmarini ferrugineis *Bauh.* eſt *Ledum paluſtre*, foliis linearibus ſubtus hirſutis, floribus corymboſis *Linn.* (Decandr. Monogyn.) *Roſmarinus ſylveſtris Pharm.* Eſt planta flore roſaceo pentapetalo, ferens capſulam ſubrotundam, quinquelocularem, quinquefariam baſi dehiſcentem, polyſpermam. Creſcit circa paludes Europae borealis. Qualitatis eſt nidoroſae et amarae, viribusque gaudet narcoticis, phantaſticis, cephalalgicis, phthiriacis. Ad abigenda inſecta, et interdum in ſcabie et tuſſi ferina adhibetur. Male Lupulo in coquenda cereuiſia ſubſtituitur, quam ſumme inebriantem reddit. Dicitur, quod folia eius neque laeuia, neque nitida ſunt, ſed ſcabra et pannoſa. Λήδος enim veſtis ex panno raro ac detrito eſt; vel ἀπὸ τῦ λαίζεσθαι, quod caprae ac hirci pinguedinem eius depraedentur ac diripiant; niſi placeat ab Arabibus nomen *Ladi* impoſitum, vnde et *Ladanum* dici videtur. Ge. Wilder Roßmarien. G. *Ourels.* A. *Hillroſe, Bohemian Roſemary.* B. *Boheemſche Roſmaryn.*

LEGALIS MEDICINA, vel FORENSIS, vel *Iurisprudentia Medica*, dicitur ea ſcientiae medicae pars, quae dubias iuris quaeſtiones in foro enodandas, et ad medicinam ſpectantes, explicare docet. Ge. Die Rechtliche Arzneygelartheit.

LEGITIMVS, opponitur *Notho*, vel *Spurio*, et dicitur de morbo, ex communiſſima cauſa in quadam parte excitato, et ſolita phaenomena producente, quo ſenſu febris intermittens, quae typum exacte ſeruat, *legitima* vocatur. Sic partus in medicina forenſi dicitur *legitimus*, qui ex iuſto matrimonio, vel iuſtis nuptiis, tempore ad viuendum apto, quo haereditatem adire poteſt, atque in alios transferre, monſtri abortionisque expers, perfecte in lucem editus eſt.

LEGVMEN, eſt pericarpium biualue vni- vel bi-loculare, adfigens ſemina ſecundum ſuturam alteram tantum. Plantae huiusmodi fructus ferentes vocantur *leguminoſae.* Dicitur a *legendo*,

legendo, quod manu legatur. Graec. Φακὴ, χέδροψ, βοτρυον. Ge. Hülſenfrucht. G. *Legume.*

LELYTHVS, vide *Piſum.*

LEMAE, ſunt ſordes, maiori oculi cantho innaſcentes, interdum palpebrarum occluſionem de nocte praeſtantes.

LEMNIA TERRA, *Argilla lemnia* incarnata fracturis glaberrimis *Linn.* eſt terra alba, tenax, ita tamen, vt linguae adhaereat ſine mordacitate, lubrica ob pinguedinem, in inſula Lemno effoſſa; quam Turcae dein in paſtillos formant, et ſigillum Sultani imprimunt. Tempore *Dioſcoridis* et *Galeni* figura ſtellae ſignabatur, hinc tum temporis *Aſter* dicta. Qualitatis eſt plaſticae et exſiccantis, vt reliquae terrae ſigillatae, vſusque eius exoletus. Antiquas tamen quasdam compoſitiones ingreditur. Vocatur quoque *Terra ſigillata Turcica.* Ge. Lemniſche Erde, Siegelerde. G. *Terre Sigillée, ou Scellée de Lemnos.* B. *Gezegelde Aarde.*

LEMNISCVS, idem eſt ac turunda, quae orificiis vulnerum et vlcerum intruditur, vel ad ea amplianda, vel ad eorum conſolidationem impediendam.

LENIA, vocantur *medicamenta*, quae ingeſta vel applicata corpori, paruum motum concitant, imo potius compeſcunt, et in ſuo genere minus efficacia ſunt.

LENIENTIA, LENITIVA, i. q. *Laxantia.*

LENO, et LINON, ſeu *Torcular Herophili*, eſt ille locus in cerebro, vbi ſinus tertius durae meningis primo, ſecundo et quarto iungitur. Ge. Die Kelter im Gehirn. Ga. *Le Preſſoir d'Herophile.* B. *De Vers in de Herſſenen.*

LENS, et LENTICVLA, Lens vulgaris *Bauh. Eruum lens* pedunculis ſubbifloris, ſeminibus compreſſis conuexis *Linn.* (Diadelph. Decandr.) eſt planta, quae habet caules pedem circiter altos, ſatis craſſos, angulosos, villoſos, ramoſos, flexiles, in terram cadentes, niſi ſuſtineantur. Folia oblonga, coniugata, vni coſtae adnata, deſinenti in viticulam. Flores ex alis foliorum erumpentes, papilionacei, leguminoſi, albi. Iis ſuccedit ſiliqua breuis, parua, compreſſa, foeta ſeminibus orbiculatis vtrimque conuexis, compreſſis, duris, politis, coloris albi, aut flaueſcentis, rubicundi, aut nigricantis. Radix exigua, alba, fibroſa. Haec planta creſcit et colitur in locis aridis. Qualitatis eſt ſiccae et farinaceae, vique nutriente et flatulenta pollet. Vſus maxime cibarius eſt. Vapor decocti ſeminis ad abigendas variolarum cicatrices commendatur. Gr. Φακὴ, et Φακὸς. An a Lenteo, quia lentum et ſanguinem tardigradum efficiant? vel lentam aluum procurent, quoniam nimis laxam

conſtipent? vel a lenitate, quia lenis eſt eius ſuperficies, quia laeuis planta. Vide *Phace.* Ge. Linſen. G. *Lentille.* A. *Lentils.* B. *Linſen.*

LENS CRYSTALLINA, vide *Cryſtallinus humor.*

LENTA FEBRIS, eſt febris continua chronica, qua homo lente et emarceſcendo conſumitur, quaeque ob paruitatem vix obſeruatur, cum incipit; adſunt plerumque viſcerum quorundam obſtructiones. Ge. Ein ſchleichend Fieber. G. *Fievre Lente.* A. *Lingering Fever.* B. *Traage Koorts, Sleep-koorts.*

LENTICVLA, LENTICVLA PALVSTRIS, hoc nomine variae plantae denotantur, quas Ill. *Linnaeus* partim ad *Lemnas*, (Monoec. Diandr.) partim ad *Marſileas*, (Cryptog. Filic.) refert. Fructificatio vix ſatis diſtincta. Abunde in aquis ſegnibus, ſtagnis, paludibus et foſſis proueniunt. Folia quae aquis ſupernatant, maxime lentibus quoad formam ſimilia ſunt. Externe adhibita reſoluunt, refrigerant, haemorrhoidumque et herniarum dolores mitigant. Anatibus maxime in cibum expetuntur. Ge. Waſſerlinſen, Meerlinſen. G. *Lentille d'eau.* A. *Water-lentils.* B. *Water-linſen.*

LENTICVLARIS CVLTER, pertinet ad operationes chirurgicas; eſt ſcilicet culter, cuius cuſpis diſco lenticulari tecta eſt, ne partes ſubiacentes laedantur. Frequentiſſimus eius in trepanatione et herniotomia vſus eſt. G. *Couteau lenticulaire.*

LENTICVLARES GLANDVLAE, ſunt glandulae, quarum magnus numerus in inteſtinis craſſis reperitur, a formae ſimilitudine ſic vocatae, quae humorem mucoſum ſecernunt et emittunt ad inteſtina lubricanda. Ge. Linſenförmige Drüſen. G. *Glandes lenticulaires.*

LENTICVLARIS FEBRIS, vide *Miliaris febris.*

LENTIGINES, ſiue EPHELIDES, ſunt maculae lentis colorem referentes, pulicum morſum magnitudine vix excedentes, quibus, in foeminis praecipue, facies inprimis, interdum manus, brachia, et thoracis pars ſuperior aeti expoſita, nunc denſius, nunc rarius, quaſi guttatim, conſperſa eſt, ſine omni dolore et moleſtia. In nonnullis aeſtatis ſolum tempore apparent, hyeme vero euaneſcunt, in quibusdam vero perennant. Gr. Φακὸς. Ge. Sommerflecken, Sommerſproßen. G. *Taches de rouſſeur.* A. *Freckles.* B. *Zomerſproeten.*

LENTISCVS, eſt arbor pro diuerſitate ſoli ad variam magnitudinem excreſcens; *Piſtacia lentiſcus*, foliis abrupte pinnatis, foliolis lanceolatis *Linn.* (Dioec. Pentandr.) Rami eius ſunt craſſi, flexiles, cortice cinereo obductis. Folia

Myrtum referunt, per paria ad vnam coſtam diſpoſita, non in vnum folium deſinentem, ſemper viridia, tenera, odoris fortis non ingrati, ſaporis adſtringentis, acidiuſculi, in maſculis. Flores apetali ex foliorum alis naſcuntur inſtar racemorum diſpoſiti, rubri, vel coloris herbacei pallidi, ad purpureum accedentis, in foeminis. Fructus ſunt baccae rotundae, nigrae, ſaporis acidi, habentes nucleum oblongum, nigrum, durum, continentem medullam albam, vel viridem. Ex hiſce baccis in Italia oleum conficitur. Lignum gaudet virtute aromatica, tonica et roborante, hinc non ſolum ad conficienda dentiſcalpia, verum etiam eius decoctum ad laxitatem primarum viarum commendatur. Creſcit haec arbor in regionibus calidis Europae, praecipue vero in inſula Chio, vbi ob ſuccum reſinoſo-gummoſum, quem fundit, ſcilicet Maſtichen, colitur. Vide *Maſtix.* Dici videtur a *Lenteo* verbo, ſic propter eius virgultorum lentorem deducunt, ſed malunt alii a foliorum pinguedine lentoreque, quem habent, cum manu tractantur. Gr. Σχῖνος, quaſi σχιστὸς, fiſſilis; quod facile et frequenter in dentiſcalpia fiudatur. Ge. Maſtixbaum. G. *Lentisque.* A. *Maſtic-Tree.* B. *Maſtix-Boom.*

LENTOR, opponitur friabilitati, diciturque nonnunquam de iis corporibus, quorum partes adeo inter ſe cohaerent, vt nec flexa frangantur, nec preſſa diſſiliant. Sed *Lentor* praecipue eſt vitium fluidorum, cuius partes iuſto plus inter ſe cohaerent, quaeue ſic ad motum naturalem et ſecretiones minus apta ſunt. Sic poteſt eſſe in ſanguine lentor phlogiſticus ex motu et calore maiori, vel lentor frigidus ex nimia copia muci oriundus, quorum quisque morborum peculiarium cauſſa eſſe poteſt. Generaliori ſignificatione lentor impeditum tranſitum fluidorum per vaſa minima denotat, eoque ſenſu ſaepe in principio febrium, praecipue in frigore intermittentium lentor accuſatur. Ge. Zähigkeit. B. *Taaiheid.*

LEONTIASIS, hoc nomine intellexerunt medici veteres morbum, qui terrorem adſpicientibus incutit, vt leo, nec non qui humanam figuram ita mutat, vt ferinae aliquatenus ſimilis ſit; quo pertinet corpus vel ſetis rigidis, vel corniculis, horridum. Praecipue vero de Elephantiaſi valet. Vide *Elephantiaſis.*

LEONTODON, Dens leonis latiori folio *Bauh.* *Leontodon Taraxacum Linn.* (Syngeneſ. Polygam. Aequal.) calyce ſquamis inferne reflexis, foliis runcinatis, denticulatis, laeuibus, eſt planta vbertim in Europae paſcuis apricis proueniens. Flore ſemifloſculo, ſemine pappoſo, lacteſcens. Qua-

litatis eſt aquoſo amaricantis, et oleraceae, vique ſaponaceae diluente, aperiente, et diuretica gaudet, hinc herba, ſuccus et radix in hypochondriaſi et ictero pluribusque aliis viſcerum morbis cum fructu adhibentur. Ill. *Delius* in Diſſert. de Taraxaco. Vide *Taraxacum.*

LEONTOPETALON, *Leontice Linn.* (Hexandr. Monogyn.) eſt planta, quae habet folia ampla, fere rotunda, inſtar Soldanellae, haec integra, illa laciniata, venoſa, coloris caeruleſcentis, longis caulibus adhaerentia. Ex his naſcitur caulis, pedem circiter altus, lineis purpureo-pallidis notatus, in multos ramos diuiſus, habens folia minora, et minus inciſa, quam ſunt inferiora. Flores calyce hexaphyllo comprehenſi in ſummitate ramorum naſcuntur, foliis oblongis calycis intermiſti, et in ſpicam congeſti, magni inſtar Ranunculi, quinque, vel ſex petalis conſtantes, oblongis, flauis, vel rubicundis, in ſtellam diſpoſiti. Flori ſuccedit bacca globoſa, vel capſula, habens in ſe ſemina magna, pauca, nigra. Radix craſſa, rotunda, inaequalis, gibboſa, externe coloris cinerei, interne viridis ſubflaui, ſaporis amari. Haec planta creſcit in locis calidis. Graecum nomen idem eſt quod folium leoninum. Ex λέων, leo, et πέταλον, folium. Eius radix ictibus ſerpentum mederi dicitur. Ge. Löwenblatt. G. *Feuille de Lion.* A. *Lions blade, Black-Turnep.* B. *Leeuwen-blad.*

LEONTOPODIVM, ſiue PES LEONIS, eſt *Alchimillae* ſpecies. Sic dicitur propter villoſam foliorum et florum effigiem crus pedi annexum aliquantum referentem. Ex λέων, leo, et πούς, pes. Vide *Alchimilla.* Ge. Löwenfuß. G. *Pied de Lion.* A. *Lions Foot.* B. *Leeuwen-voet.*

LEPIDIVM, vulgo *Piperitis*, eſt planta, (Tetradynam. Siliculoſ.) quae plures habet caules, duos, vel tres pedes altos, rotundos, politos, medulla repletos, ramoſos. Folia longa et ampla ſunt, inſtar Mali citreae, acuta, pinguia, ex viridi in luteum vergentia, in margine inciſa, alternatim diſpoſita. Folia partis inferioris caulibus longis adhaerent. Flores in ſummitate ramorum creſcentes, exigui, albi, tetrapetali, cruciformes. Poſt florem ſequitur fructus, vel ſiliqua plana, vtcunque in cuſpidem deſinens, referensque ferrum, vel cuſpidem haſtae militaris, et dehiſcens in duo loculamenta, ſemina exigua et oblonga continentia. Radix longa, repens, alba, digiti craſſitie, ſaporis acris. Haec planta creſcit in vmbra; qualitate acri viribusque antiſcorbuticis pollet. Appellatur, quod λεπίδας, hoc eſt, ſquamas et maculas, in facie deleat, et repurget, vel ἀπὸ τοῦ λεπίζειν, id eſt, ἐκδέρειν, detum, quod ſua acrimonia vrente vlceret, excoriet, eaque facultate, vel ferro notas fronti ſeruorum inuſtas deleat. Vide *Naſturtium* et *Piperitis.* Ge. Pfefferkraut. G. *Paſſerage.* A. *Dittander, Dittammer, Pepper-wort.* B. *Peperkruid.*

LEPIDOIDES, eſt *Sutura* cranii *Mendoſa*, ſiue *Squamoſa*, a relatione appellata. Vide *Mendoſa.* Ex λεπὶς, ſquama, a λέπω, decortico, et εἶδος, forma. Ge. Schuppigte Nath. G. *Suture fauſſe, ou écailleuſe.* A. *The Scaly Suture.* B. *De Schub-naad.*

LEPIDOPTERA, vocantur inſecta peculiarem ordinem conſtituentia, quibus ſcilicet ſunt alae quatuor, imbricatae ſquamis, os lingua inuoluta ſpirali, corpus piloſum; quo ergo Papiliones, Sphinges et Phalaenae pertinent. Germ. Mehlflügelichte Inſekten, Schmetterlinge. G. *Inſectes Lepidoptères.*

LEPORINA LABIA, i. q. *Lagochilus.*

LEPORINVS OCVLVS, vide *Lagophthalmus.*

LEPRA, eſt ſcabies ſicca, qua cutis in ſquamulas, piſcium inſtar mutatur. Differt a *Leuce* et *Alpho*, eo quod Lepra aſpera eſt ad contactum, et pruritum inducit; quandoquidem cutis ſola affecta eſt, ideoque excoriata cute, ſubiecta caro ſana apparet. Dignoſcitur ergo ex puſtulis verrucoſis, duris, craſſis, vel ſquamis ſiccis in corymbos diſpoſitis, per faciem et corpus diſperſis, cum pruritu harum puſtularum: quaedam exulcerantur et dein cruſtaceae euadunt, hinc *Lepra humida* dicitur, ſi praeualeat illarum numerus, ſecus *ſicca*, aut *arida*, vocatur. A λεπρόω, ſcabrum reddo. Ge. Der Ausſatz. G. *Lépre, Ladrerie.* A. *Leproſy.* B. *Melaatsheid, Lazerie.*

LEPRA ARABVM, i. q. *Elephantiaſis Graecorum.*

LEPRA GRAECORVM, ſiue IMPETIGO CELSI, Gr. ἀπὸ τῶν λεπίδων, ſquamis, denominata. Summus quidam *Pſorae*, ſeu ſcabiei, gradus eſt, mox autem in principio, ne quis auctorum lectione turbetur, obſeruandum, nos hic de *Graecorum lepra*, non de *Arabum* loqui. Quam autem Arabes *Lepram* nominant, illa *Graecorum* eſt *Elephantiaſis*, quae nihil aliud ſecundum eos eſt, quam vniuerſalis totius corporis *Cancer*, ſcilicet, iuxta eorum opinionem, ortum habens ex bile atra per totum corpus ſparſa, vnde intemperies partium, forma et figura, et tandem etiam ipſa continuitas corrumpitur. *Graecorum* vero Lepram nominant *Arabes Albaram nigram.* Hoc idem eſt, quod Impetigo excoriatiua, ſcabioſitas ſcil. accedens cuti, aſpera, vehemens,—

Maior in *Lepra* est humorum corruptio et intemperies, quam in *Scabie*, et in scabie solum quaedam corpora furfuracea decidunt, in *Lepra* autem velut squamae piscium; hinc etiam tum *Lepra ichthyosis* vocatur; ita vt a pruritu per scabiem ad Lepram fiat transitus. Graecorum hanc *Lepram* procul dubio sub *Impetiginis* nomine proposuit *Celsus*. Non vero *Lichenem Graecorum*, quae aliis Impetigo dicitur, intellexit. Ge. Der griechische Aussatz. G. *Lepre des Grécs.* A. *Leprosy of the Greeks.* B. *De Griekſche Lazerie.*

LEPTOPITYRON, est Furfur macer. Ex λεπτὸς, tenuis, gracilis, macer, et πίτυρον, furfur.

LEPTVNTICA, idem quod *Attenuantia*. A λεπτύνω, attenuo.

LEPVS, est animal quadrupes ad Mammalia glires pertinens, vbique fere in Europae syluis et campis sat frequens. *Lepus timidus* cauda abbreuiata, auriculis apice nigris *Linn.* Vsus cibarius est. Coagulum leporis ad resoluendum sanguinem congrumatum, vt et contra dysenteriam et morsus venenatos, pinguedo ad promouendam suppurationem commendatur. Talo, vel ossi primo metatarsi, in suffragine posteriori, singulares virtutes anticolicae, antipleuriticae, antiepilepticae et partum pellentes temere olim tribuebantur. Pellibus leporum partes rheumatismo adfectae cum fructu tegi solent. Ge. Haase. G. *Lievre.* A. *Hare.* B. *Haaze.*

LETALITAS, dicitur ea mutatio corpori viuo inducta, quam necessario mors sequitur. Sic morbi ratione euentus dicuntur *letales*. *Vulnera letalia* ea nominantur, quae vel effusionem sanguinis incompescibilem causando, vel commercium cor inter et cerebrum tollendo, vel actionem ad vitam necessariam plenarie abolendo mortem ineuitabilem inferunt.

LETHARGVS, est sopor in morbis profundior, quam in comate vigili; sed minor, quam in comate somnolento et caro, tum quoque delirium et febris adsunt. Tumet facies, reliquum corpus marcescit, manus tremunt, sudant, et aliquando sudor frigidus est; aegri obliuione tenentur, vt matulam forte manu tenentes, mox eius obliuiscantur; vrina turbata est, et febris cum lenta, tum accessiones inprimis circa vesperam habens, ita vt character essentialis huius morbi consistat in concursu delirii continui, febris, soporis et obliuionis. A λήθη, obliuio, et ἀργος, otiosus, quasi otiosa obliuio. Ge. Die Schlafsucht, Schlaffieber. G. *Lethargie.* A. *Dead-sleep.* B. *Slaap-koorts.*

LEVATORES ANI, vide *Ani Leuatores.*

LEVATOR MVSCVLVS, s. LEVATOR SCAPVLAE, est vnus ex scapulae musculis, ita per excellentiam nuncupatus, a transuerso secundae, tertiae et quartae, nonnunquam quintae colli vertebrae processu, vario fibrosorum fasciculorum ductu emergens, qui ex parte carneus, ex parte tendineus, elatiori atque superiori scapulae angulo infigitur, atque sic scapulam eleuat. Dicitur et *Patientiae musculus.*— Sic etiam alii musculi *Leuatores* dicuntur, vt palpebrarum, auris, humeri, costarum, etc. quod actione sua has partes eleuent. Ge. Der erhebende Muskel des Schulterblattes. G. *Muscle Releveur de l'Omoplate.* A. *The Uplifting Muscle of the Scapula.* B. *Opligtende Spier des Schouderblads.*

LEVCACANTHA, est *Spina alba*. Vide *Carlina, Chamaeleon*, etc. Ex λευκὴ, alba, et ἄκανθα, spina. Ge. Kügeldistel. G. *Chardon Argentin.* A. *White Thistel, Cotton Thistel.* B. *Witte Weg distel.*

LEVCANTHEMVM, est planta flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. Superfl.) semine non papposo, et habet omnia quae in Chrysanthemo notata sunt, nisi quod semiflosculi, qui radium constituunt, albi sint. Radix est fibrosa repens, saporis acris; quasi albus flos, sic Chrysanthemum flore albo vocatur. Ex λευκὸν, album, et ἄνθος, flos. Cumque flos Helenii sit instar, dicitur *Flos solis albus.* Vide *Chrysanthemum, Bellis maior. G. Marguerite.*

LEVCANTHON, in genere planta est. flores producens candidos. Ex λευκὸν, album, et ἄνθος, flos.

LEVCE, seu VITILIGO ALBA, est mutatio, in qua pili cutis, et nonnunquam subiectae carnes, in album colorem mutantur; caro acu puncta non sentit, nec sanguinem emittit, sed humorem lacteum. Dicta est λευκὴ, a populo alba: quoniam, vt in illa arbore sunt veluti quaedam lanugines, sic in istoc affectu apparet albedo in ipsa cute. Differt ab *Alpho*, quod *Leuce* altius penetret, et cutim mutet, ita vt etiam pili immutentur, et ipsa ossa vitientur. A λευκόω, album reddo. Vide *Vitiligo.* Ge. Der weiße Aussatz. Arab. *Albaras alba.* G. *Lepre blanche, Morphée.* A. *White leprosy.* B. *De witte Lazery.*

LEVCELECTRVM, est Succinum album. Ex λευκὸν, album, et ἤλεκτρον, succinum.

LEVCOENVS, est Vinum album. Ex λευκὸν, album, et οἶνος, vinum, ab ὕειν, iuuo.

LEVCOION, *Cheiranthus Linn.* est plantae genus, (Tetradyn. Siliquos.) quod habet caulem plus quam duos pedes altum, rotundum, lignosum, in multos ramos diuisum,

lanugine alba inſtructos, et in arbuſculae formam diſpoſitos. Folia ſunt longa et ampla fere inſtar ſalicis, alba, mollia, lanuginoſa. Flores in ſummitate ramorum creſcentes, quadrifidi, oblongi, cruciformes, coloris rubicundi, aut purpurei, aut violacei, aut albi, odoris ſuauis. Flori ſuccedit ſiliqua oblonga, anguſta, compreſſa, ſepto medio diſtincta, cui adhaereſcunt ſemina orbiculata, plana, ad margines foliata, coloris rubicundi, ſaporis atris. Radix exigua, ſed lignoſa et fortis. Variae huius plantae dantur ſpecies, tum flore ſimplici, tum flore pleno, variique coloris, quorum aliae ſponte proueniunt, aliae in hortis coluntur. Species officinalis, cuius flores ſub nomine *Cheiri* proſtant, eſt Leucoium luteum vulgare *Bauh. Cheiranthus cheiri* foliis lanceolatis acutis, glabris, ramis angulatis, caule fruticoſo *Linn.* Floribus eſt qualitas fragrans, visque anodyna, neruina, pellens et vterina, hinc in dolore vario, apoplexia et dyſtocia commendantur. G. Levkoyen. G. *Giroſlier, ou Violier.* A. *Wall-Flower.* B. *Muur-violetten, Muur-bloemen.* Ex λευκὸν, album, et ἴον, viola. A λευκόω, dealbo, proprie vocatur Viola alba.

LEVCOIVM, Ill. *Linnaeo*, eſt genus plantae, Narciſſo-leucoium *Tourn.* (Hexandr. Monogyn.) ſpatha oblonga, latere plano rumpente, corolla campaniformi, ſexpartita, capſula turbinata, triloculari, triualui, ſeminibus pluribus, ſubrotundis. Ge. Schneetröpflein. G. *Perce-neige.* A. *Snow-drop.*

LEVCOLACHANVM, eſt Olus album, ſiue Valeriana campeſtris. Ex λευκὸν, album, et λάχανον, olus.

LEVCOMA, ALBVGO, eſt cicatrix, vel macula opaca, alba, in cornea oculi tunica, non tantum ſuperficiaria, vt in Nephelio, ſed paulo profundior, aut prominentior, ex incraſſatis vaſis per lamellas huius tunicae currentibus oriunda. Oritur plerumque a variolis, ophthalmia humida, combuſtione, calore nimio, collyriis acrioribus, etc. A λευκὸν, album. Ge. Ein weißer Fleck im Auge. G. *Taye, Tache de la cornée.* A. *White Scar in the horny Coat of the Eye.* B. *Een wit Lidteken op 't Oog.*

LEVCOMORIA, PASSIO HYDROLEOS Graecis, *Curuburh* Arabibus, eſt ſpecies melancholiae, ſeu melancholia errabunda, in qua aeger ne per horam quidem quieſcere ſcit, ſed cogitur huc et illuc continuo vagari, neſciens, quo vadat; timidior eſt omnibus melancholicis, hominum frequentiam fugiens, noctiuagus, per ſepulchreta, per ſolitudines; nec ſcit, vnquam, quid fugiat, quid quaerat, quid velit. Corpus ſiccum eſt et aridum, oculi concaui ſine lacrymis, ex-

ſucci, ſitis aſſidua, lingua arida, color corporis citrinus, vlcera non raro in cruribus, quae non conſolidantur. *Sauv.*

LEVCOPHAGVM, ſit ex amygdalis in aqua roſarum maceratis, et carne caponis, vel perdicis, elixa, tuſa et per ſetaceum traiecta: vſus eſt in phthiſi. Ex λευκὸν, album, et φάγω, edo. Ge. Weiße Hünerbrühe. G. *Blanc manger.* B. *Een wit Toebereidſel.*

LEVCOPHLEGMATIA, eſt intumeſcentia aequalis, indolens, pallida, frigida, veſtigium digiti impreſſi diu retinens per totius corporis ambitum, orta a ſero collecto in cellulis panniculi adipoſi, dicitur etiam *Anaſarca pituitoſa*, ſiue *Hydrops vniuerſalis.* Alii *Leucophlegmatiam* pro ſummo gradu cachexiae, et primo, vel minori gradu hydropis vniuerſalis ſumunt; alii rurſus *Leucophlegmatiam* vocant ſaltem intumeſcentiam oedematoſam artuum inferiorum, ſeu turgeſcentiam mollem, non elaſticam, cuti concolorem, indolentem, variis morbis accedentem. A λευκὸν, album, et φλέγμα, pituita. Ge. Waſſerſucht, Leucophlegmatie. G *Leucophlegmatie, Hydropiſie.* A. *Pituitous Dropſy.* B. *De witte Zugt, Slym-zugt, Ongedaantheid.*

LEVCOPIPER, vide in *Piper.*

LEVCORRHOEA, vide *Fluor albus.*

LEVISTICVM, Liguſticum vulgare *Bauh. Liguſticum leviſticum* foliis multiplicibus, foliolis ſuperne inciſis *Linn.* (Pentandr. Digyn.) eſt planta officinalis, quae habet caulem valde altum, craſſum, ſtriatum, nodoſum, excauatum, ramoſum. Folia Apii, ſed maiora, et ampliora, coloris ex viridi fuſci, ſplendentis, odoris penetrantis, non ingrati. Flos eſt roſaceus, vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, in orbem poſitis, et calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, craſſiuſculis, Apii ſemine maioribus, hinc gibbis et ſtriatis, inde vero planis, ſaporis acris, aromatici, ſubdulcis, odoris fragrantis. Radix oblonga, pollicari craſſitie, in fibras craſſiores diuiſa, foris fuſca, intus pallida, ſaporis acris aromatici ſubdulcis, odoris iucundi et fragrantis, nonnullis grauis et moleſti: cui aeque ac ſeminibus vires adſcribuntur aperientes, carminantes, pellentes, emmenagogae, et antiarthriticae. Proſtant in officinis extractum, aqua, eſſentia, ſpiritus et oleum deſtillatum. Abundat recens planta ſucco luteo gummireſinoſo Opopanacem referente. Creſcit in ea Apennini praecipue parte, quae Liguriae imminet, vnde ei nomen, vel a leuando, quod a flatibus leuet. Apud nos in pratis et hortis reperitur. Gr. Λιγυστικὸν, et Λιβυστικὸν. Ge. Liebſtöckel, Bad-

kraut. G. *Leveche, Ache de montagne.* A. *Louage, Aliſander.* B. *Lavas.*

LEXIPYRETON, i. q. *Febrifugum.*

LIBANOS, et LIBANOTOS, vnde *Olibanum*, ſiue *Thus.* Sic dicitur a monte Syriae. A λείβω, vel λειβω, ſtillo, quia ex arbore thurifera lacrymae ſtillant. Vide *Thus.*

LIBANOTIS, variis plantis hoc nomen imponitur, flore vmbellato, (Pentandr. Digyn.) quas Ill. *Linnaeus* tum ad Athamantas, tum ad Cachrydes, tum ad Seſeli refert. Nomen iis datum eſt, quod radix Thus, ſeu Olibanum, oleat. Vide *Libanos* et *Roſmarinum.* Arab. *Elkialgebar.*

LIBER, eſt vegetabilium pars corticis interior, quae ligno preſſius adhaeret, et quae a cortice ſeparatur, quod pluribus fibrillarum ordinibus arctius digeſtis componatur, pauciori-bus vtriculis, hinc folium chartae repraeſentat. Iis, quibus ſcribimus, libris nomen dedit. Ge. Die Blattrinde. G. *Le Liber.*

LIBRA, apud medicos vncias duodecim pendet, apud mercatores ſexdecim. Sumitur quandoque pro *Mina.* Ge. Ein Pfund. G. *Une Livre.* A. *A Pound.* B. *Een Pond.*

LIBVRNVM, eſt *Viburnum*, ſic forte dictum a Liburniae regione.

LICHANVS, eſt digitus index. Ge. Der Zeigefinger. G. *l'Index.*

LICHEN, eſt Muſci viridis ſpecies, quae in arborum truncis, vel lapidibus, creſcit. Folia eius ſunt aſpera, ſicca, dura, coloris cinerei, punctis notata, lanuginoſa in parte inferiori, qua arbori adhaereſcunt, alba, fractu difficilia. Sic appellatur, quod contra Lichenes, quo nomine vocantur omnes morbi cutanei, omnibus remediis anteponatur, vel quoniam ſaxa, quibus adhaeret, linguae modo lambat: a λείχω, lambo. *Hepaticam* quoque recentiores vocarunt, quod hepatis morbis medeatur.— Rectius tamen hodie ſub *Lichenis* nomine denotatur plantae genus ad Cryptogamias Algas pertinens, cuius ſpecies vel tuberculatae, vel ſcutellatae, vel imbricatae, vel foliaceae, vel coriaceae, vel vmbilicatae, et quaſi fuligine ſqualentes, vel ſcyphiferae, vel fruticuloſae, vel filamentoſae ſunt, et quarum pleraeque cortici arborum, vel ſaxis adnaſcuntur, hincque vel arboreae, vel petraeae, vel terreſtres vocantur. Ad vſum medicum praecipue adhibetur *Lichen cinereus terreſtris Pharm.* Lichen cinereus terreſtris foliis ſubtus reticulatis, *Rai.* e cuius ſcilicet puluere, adiecto pipere, celebris ille componitur *Puluis antilyſſus*, contra imminentem rabiem a morſu animalis rabidi

commendatus, adiunctis tamen balneis frigidis et venaeſectione, vt adeo, in quo conſiſtat virtus plantae inſipidae et inodorae, dubium adhuc ſit.—Sed etiam *Lichen Islandicus*, ſeu Lichen foliaceus adſcendens, laciniatus, marginibus eleuatis ciliatis *L.* ſub nomine *Muſci Islandici* hodie frequenter in vſu eſt, cuius ſcilicet drachmae duae in lacte decoctae phthiſicis, non ſine inſigni ſaepe emolumento, quotidie abſorbendae dantur. — *Lichen petraeus.* Vide *Hepatica fontana.* Ge. Leberkraut, Steinflechten, Mooskraut. G. *Hepatique des bois, ou Herbes aux Poumons.* A. *Liverwort, Stony-or of the Fountain.* B. *Leverkruid van de Steenen, of Fonteinen.*

LICHEN, Barbaris *Serpigo*, ſiue *Zerna*, *Haliabbas* vocat *Petiginem*, et *Sarpedinem*, vulgus appellat *Volaticam.* *Lichenes* ſunt aſperitates quaedam cutis, et veluti tumores cum pruritu multo, ex quibus materia emanat. Graeci et Arabes duo fecerunt Lichenum genera, alterum benignum et mite, alterum ferum. Secundum *Auicennam* alia humida, ex qua confricata manat ros, alia vero ſicca, atque humida magis ſalua eſt; ſicca vero fit a pituita ſalſa conuerſa in humorem melancholicum. Scabies *Celſi* nihil aliud eſt, quam Lichen Graecorum, et Impetigo Arabum. Oritur in toto corpore, ſed praeſertim in facie et mento, vt habet *Galenus.* — — *Lichen Graecorum* eſt *Impetigo Plinii*, ſiue inaequalitas cutis, cum inſigni pruritu et puſtulis ſiccis, ad vicina ſerpens ſeque extendens. Vide *Impetigo.* Ge. Schwindflecken, Zittermaal. G. *Dartre.* A. *Tetter, Ring-worm, wild Fire.* B. *De Hair-worm, Droog-kraauſſel, vuurige Schurftheid.* — *Lichen* etiam callus in equorum pedibus dicitur.

LIEN, i. q. *Splen.*

LIENTERIA, eſt alui fluxus, ſeu laeuitas inteſtinorum, qua alimenta cruda mutata parum, vel ſeparata, vel permiſtis faecibus, breui poſtquam aſſumta ſunt, excernuntur, ita tamen, vt ab his iſta dignoueris. Oritur haec ab inertia virium ventriculi, vel tanta laxitate pylori et inteſtinorum, vt cibos nondum diſſolutos dimittant. Itaque alimenta non ſubſiſtunt in ventriculo et inteſtinis, ſed mox propelluntur, cum murmure aliquo, diſtenſione, dolore et nauſea. Hic vero fluxus diu perſeuerans, vires admodum frangit. Infantibus familiaris morbus eſt. Ex λεῖον, leue, ἔντερον, inteſtinum, et ῥέω, fluo. G. Der Bauchfluß, Lienterie. G. *Flux de Ventre, Lienterie.* A. *The Fluxe, Looſeneſs of the belly.* B. *Spys-loop, Afgang van onverteerde Spys.*

LIGAMENTVM, Gr. Σύνδεσμος, eſt pars ſolida, et admodum fibroſa, ſimili fere cum tendine, vel etiam cartilagine, duritie, ex multis fibris ſolidis faſciculatim compactis, vel ex multis membranis ſibi mutuo impoſitis et concretis, aut tela celluloſa conſtipata, ortum ducens, oſſi, vel cartilagini inprimis infixa, magnitudine, numero, ſitu, varia, lata, vel rotunda, prout ad cartilaginis, aut membranae, conſtitutionem accedit, ſiccior, aut humidior, durior, aut mollior, minus, magisque lenta et flexilis. Plurima dantur in corpore ligamenta variis vſibus deſtinata. Sic ſunt, quae partes internas firmant, vt Ligamenta hepatis, ſuſpenſorium et coronaria, ligamenta vteri, etc. aut quae tendines in ſitu retinent, vt Ligamenta carpi et tarſi, aut quae vaſa et neruos tegunt, vt Ligamentum Fallopii, vel Poupartii, in inguine, ſub quo neruus cruralis et arteria et vena cruralis tranſeunt, et ſub quo inteſtina vitioſe elapſa Herniam femoralem efficiunt; aut quae muſculis inſertionem praebent, vt Ligamentum obturatorium et ſacro-iſchiaticum, aut quae articulationes firmant, quaeue vel a capite vnius oſſis in cauitatem alterius oſſis tendunt, et rotunda, vel teretia, dicuntur, vel quae margini articulationis circumdantur, et Ligamenta capſularia vocantur. Ge. Bänder. G. A. *Ligament.* B. *Een Band, Been-band.*

LIGAMENTVM CILIARE, PROCESSVS CILIARIS, INTERSTITIVM CILIARE, CORONA CILIARIS, oritur ex circumferentia vueae tunicae, vbi duplicata membrana eius poſterior ſe reflectit ad cryſtallinum, et illud ligamentum conſtituit. Componitur ex tenuibus ligamentis ex vuea productis, quae lineas nigras, palpebrarum pilis ſimiles, referunt, et vitreum humorem anterius protuberantem coercent, et cryſtallinum connectunt. Vndique nigro pigmento obducuntur, cuius origo ignoratur. Quamuis autem haec filamenta radiata et libera videantur, tamen adeſt membrana, quae fibras has inter ſe inuicem connectit. Radii vero hi ex vuea, vti ex circumferentia emiſſi, coeunt verſus cryſtallinum humorem, cui incumbunt. Infinitis gaudent vaſculis parallelis, quae inter ſe inuicem communicant, et quae recentiorum Anatomicorum iniectio cum aliis claris inuentis, in oculis balaenarum, aliorum animalium, et dein in hominibus detexit. Vſum vero habere videntur, dum ſphaerice anterius protuberent, et poſtice premantur extrorſum ab humore vitreo, vt, dum ſe contrahant, fiant filamenta haec radiata planiora, adeoque comprimant vitreum verſus poſteriora, ſed ille reſiſtentiam multo maiorem paſſus ob

inflexiles fere tunicas oculum ambientes, ſcleroticam et adnatam, etc. fertur iterum verſus anteriora in cryſtallinum, vbi minima eſt reſiſtentia, adeoque cryſtallini protuberantiam antrorſum conciliant. Nil muſculoſi continent. Vide *Ciliare Corpus.* Ge. Das Strahlenband. G. *Ligament Ciliaire.* A. *The ciliar Ligament.* B. *Oog-hair band.*

LIGAMENTA VTERI, improprie ſic dicta ſunt. Duo vocantur *rotunda*, ſiue *teretia*, quae oriuntur a lateribus fundi vteri, inter duplicaturam peritonei verſus inguina vtrinque deſcendunt, et annulum muſculorum abdominis transeuntia in pinguedine ſupra coniunctionem oſſium pubis collocata, ſeu in monte Veneris diſparent. Vſus non tam ad firmandum vterum, quam ad faciliorem conceptionem, eſſe videtur. Cum iis vti in embryonibus maribus ad ſcrotum peritonaeum canalem formans deſcendit, cuius veſtigium in foeminis *diverticulum* ſic dictum *Nuckii* conſtituit. Alterum par *latum* eſt et membranoſum, vocanturque *Veſpertilionum alae.* Haec habentur ad latera fundi. — — *Ligamenta poſteriora* vteri nonnulli, vt *Petit*, plicas peritonaei ab inteſtino recto ad vterum vocarunt. Ge. Die runden und breiten Mutterbänder. G. *Ligamens de la matrice.* A. *The ligaments of the Womb.* B. *De Moeder-banden.*

LIGAMENTVM FALLOPII, vel POVPARTII, eſt ſtratum fibrarum validarum tendinearum inter aponeuroſin muſculi abdominis obliqui externi et faſciam latam, transuerſim a ſpina anteriori oſſis Ilei ad os pubis tendens et ſub ſe vaſa cruralia transmittens. Ge. Das Fallopiſche Band. G. *Ligament de Fallope.*

LIGAMENTVM TERES HEPATIS, eſt funiculus rotundus a parte concaua hepatis ad vmbilicum tendens, natus ex vena vmbilicali olim in foetu peruia, nunc in adulto coalita.

LIGATVRA, eſt operatio chirurgica, qua vaſa, aut partes molles, filo circumdato conſtringuntur, vel ad haemorrhagiam ſiſtendam, vel in variis excreſcentiis ad nutritionem impediendam, qua ſuppreſſa hae excreſcentiae marceſcunt ſponteque decidunt. Ge. Unterbinden, Abbinden. G. A. *Ligature.*

LIGATVRA, iuxta credulorum quorundam relationem eſt ſpecies faſcini in India Orientali frequens, qua neo-nuptis cohabitandi potentia adimitur, et contra quam ſuperſtitioſa paſſim remedia commendantur. Ge. Nesselknüpfen.

LIGATVRA GLANDIS, vide *Phimoſis.*

LIGVLA, quarta pars cyathi dicitur, hoc eſt, ſemiuncia, demtis ſcilicet duobus ſcriptulis. — Item *Clauicula.*

LIGNVM, eſt ſubſtantia, quae in vegetabilibus arboreſcentibus et fruteſcentibus maximam partem trunci et ramorum conſtituit, et quidem materies arctiſſime poſitis fibris inter ſe connexis conſtans, quas perrumpunt vtriculi pauciores et tracheae, alburno vtplurimum circumſepta. Praeter vſum largiſſimum oeconomicum, mechanicum et tinctorium, plura quoque ligna in vſum medicum adhibentur, vt Lignum *Aloes*, *Aſpalati*, *Cedri*, *Colubrinum*, etc. quae ſuis ſub nominibus quaerenda ſunt. Ge. Holz. G. *Bois*. A. *Wood*. B. *Houx*.

LIGVSTICVM, vide *Leuiſticum*.

LIGVSTRVM, eſt arbuſcula, habens multos ramos longos, flexiles, cortice obductos cinereo: lignum eſt durum, et album. Folia ex aduerſo per interualla naſcuntur, oblonga, anguſta, Salicem referentia, ſed breuiora et craſſiora, atro-virentia, ſplendentia, ſaporis acris, amaricantis, et parum adſtringentis. Calyx eſt monophyllus, tubulatus, quadridentatus. Flores ſunt monopetali, infundibuliformes, tetrapetaloidei, et pentapetaloidei, (Diandr. Monogyn.) Ouarium in imo calycis fit fructus globoſus, mollis, ſucco plenus, feminibusque foetus vt plurimum quaternis, hinc gibbis, inde vero planis. Lignum huius arboris eſt adſtringens, hinc eius decoctum in morbis oris, ſcorbuto, diarrhoea conuenit. Folia et flores ſimiliter vſurpantur in affectibus, vbi adſtringendum, vt in morbis quibusdam vuulae et oris, etc. Vſus baccarum pictorius eſt. Solent quoque eas adhibere ad gratum vino colorem conciliandum. Nomen deriuant a lego, quaſi *Leguſtrum*, vel a ligando, quod ſepibus alligetur. Ge. Hartriegel, Rheinholz, Rheinweide, Mundholz. G. *Troene*, *Freſillon*. A. *Priuet*. B. *Liguſter*, *Mond-hout*, *Keel-kruid*, *Rhynwilge*, *witte Vilt-kruid*.

LILIACEVS FLOS, dicitur ille, qui vel conflatur ex petalis ſex, raro tribus, vel in ſex partes ſecatur. Huic autem proprium eſt, vt piſtillum eius, aut calyx, abeat in capſulam in terna loculamenta ſemper diuiſam. *Tournefortius*, et qui eum ſequuntur, peculiarem claſſem plantarum flore liliaceo conſtituunt, non tantum quod maxima earum pars ad Lilii formam quodammodo accedat, ſed quod fructum poſt ſe relinquat ſemper tricapſularem, qualis eſt fructus Lilii.

LILIAGO, eſt *Phalangium*, quia floſculos habet Lilii in modum; eſt diminutiuum a Lilium.

LILIASPHODELVS, vel LILIOASPHODELVS, eſt *Hemerocallis*; componitur vox ex Lilium et Aſphodelus. Vide ſuo loco.

LILIVM, eſt plantae genus flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) quod habet caulem, duos, vel tres pedes altum, rotundum, rectum. Folia ſunt longa, ſatis ampla, caulibus adhaerentia, polita, ſplendentia, tenera, ſuccum viſcoſum habentia, calyx nullus. Flos veluti campaniformis ex petalis ſex compoſitus, nunc magis, nunc minus repandis. Piſtillum abit in fructum oblongum, vt plurimum trigonum, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque foetum quaſi marginatis, gemina ſerie ſibi incumbentibus. Radix bulboſa, carnoſis ſquamis conſtans, extrinſecus in orbem quaſi ſibi inuicem appoſitis, intus alba, extus parum fuſca, ſaporis mucilaginoſi et lenti, odoris nullius. Huius generis plures dantur ſpecies, quarum eriam multae primum ex Syria et Palaeſtina adlatae, apud nos elegantiae cauſſa in hortis coluntur. Species officinalis eſt *Lilium album*, flore erecto, vulgare *Bauh*. *Lilium candidum* foliis ſparſis, corollis campanulatis intus glabris *Linn*. Liliorum qualitas fragrans eſt, ex iisque oleum et aqua proſtant. Oleum infuſum virtute demulcente et anodyna, aqua viribus ophthalmicis et coſmeticis gaudet. Huic quoque ſingularis in pellendis lochiis virtus tribuitur. Radices qualitate mucilaginoſa viribusque emollientibus et maturantibus gaudent, et huiusmodi decocta et cataplasmata ingrediuntur. Ex vſu panis e farina hordeacea et ſucco harum radicum cocti hydropicos conualuiſſe lego. Antherarum virtutem emmenagogam eſſe dicitur. Gr. Κρίνον et Λείριον, vnde forte deſcendit Lilium, vel ab aequalitate et laeuitate, quaſi λεῖον εἶναι, pleonaſmo τὸ λείριον lilium dicitur, κρίνον a κρίνειν quidam dici putant a pulchritudine et maieſtate, quod caeteris floribus certet, iudicium petat ac ferat. Iridis ſpeciebus nomen illud κρίνον imponitur. Vide *Roſa Iunonis*. Ge. Lilien, Gilgen. G. *Lys*. A. *Lilly*. B. *Leli*.

LILIVM CONVALLIVM, eſt plantae genus flore monopetalo campaniformi, quod a Polygonatis corolla infundibuliformi, et a Smilacibus corolla rotata diſtinguitur, (Hexandr. Monogyn.) Habet folia Lilii, vel Plantaginis, oblonga, ſatis ampla, viridia, polita. Caulis eſt paruus, ſemipedem circiter altus, tenuis, anguloſus, nudus prorumpit. Ex ſine pedunculi fit flos monopetalus, campaniformis, exiguus, obrotundus, in quinque, vel ſex ſegmenta fiſſus, pendulus, ſpicatus, nullo calyce contentus, albus, odoris grati, ſaporis amari. Ex apice pedunculi intra florem ouarium naſcitur, quod fit bacca mollis, ante maturitatem maculata, ſubrotunda, rubicunda, continens ſemina denſe congeſta, rotundula,

dura, amara. Radix longa, parua, repens, alba. Haec planta creſcit in ſyluis et vallibus; hinc Lilium vocatur a ſimilitudine foliorum, et Conuallium, quia in vallibus creſcit. Flores admodum fragrantes ſunt, tota vero planta qualitate amara, acri et nauſeoſa pollet. Species officinalis eſt Lilium conuallium album *Bauh. Conuallaria maialis* ſcapo nudo *Linn.* E floribus proſtat conſerua, aqua et ſpiritus, quibus ſingulares tribuuntur virtutes antiſpaſmodicae et antiepilepticae. Praefertur Aquâ liliorum conuallium cum vino, quae etiam, addito pauco ſpiritu ſalis ammoniaci, ſpinae dorſi illita, miras in auertendo paroxyſmo epileptico vires exſerit. Siccati et in puluerem triti flores errhini ſunt. Ge. Meyenblümlein. G. *Muguet.* A. *Lilly-convally*, *May-lilly*, *Conval-lilly.* B. *Meibloemen*, *Lelietjes van den Dale.*

LILIVM INTER SPINAS, eſt *Caprifolium*, ſeu *Lonicera Linn.* (Pentandr. Monogyn.) quod eſt plantae genus flore monopetalo, lacinia inferiori duplo profundius ſeparata, baccisque vmbilicatis, bilocularibus diſtinctis. Ob lentorem virgultorum, florumque fragrantiam et foliorum virorem paſſim in hortis colitur. Vſus in medicina nullus. Sic dicitur, quod inter virgulta ſylueſtria, et ſpinas, odore Lilii albi, creſcat. Ge. Waldwinde, Geisblatt, Speclilien, Je länger je lieber. G. *Chevre-feuille.* A. *Wood-bind*, *Woodbine.* B. *Geiten-blad*, *Memmekens-kruid.* I. *Vinci boſco.*

LIMATIO, eſt corporum duriorum, praecipue metallorum, mediante lima, tornoue, in puluerem groſſum redactio, qui puluis *Limatura*, Ge. Feile. G. *Limaille* dicitur. Locum quoque habet circa dentes acutos et oſſa, carie, vel excreſcentiis, infecta.

LIMAX, eſt animal reptile ad Vermes molluſca pertinens, ſimplex nudum, artubus inſtructum, liberum, corpus oblongum ſubtus diſco plano promouens, habens foramen ad latus, per quod genitalia et excrementa emittuntur, tentacula ſupra os quatuor. Habitat in locis obſcuris, humidis et ſubterraneis. Species officinalis eſt *Limax ater* et *rufus Linn.* Nonnulli eius loco Helicis varias ſpecies adhibent. Abundat ſucco mucoſo, cui vires refrigerantes, humectantes et pectorales tribuuntur; hinc in ſputo ſanguinis commendatur. Praeparatur quoque ex eo vnguentum limacum, quod contra lentigines et guttam roſaceam prodeſſe dicitur. Germ. Gartenſchnecke ohne Haus. G. *Limace.*

LIMAX, vide *Cochlea.*

LIMBVS, botanicis dicitur corollae monopetalae pars ſuperior patula.

LIMO-

LIMODORVM, eſt plantae genus flore pentapetalo, (Gyn. Digyn.) nectario monophyllo, concauo, longitudine petalorum, capſula columnari, triualui, vniloculari, angulis dehiſcente, polyſperma, quae differt ab Orchide radicibus fibratis. Dicitur quaſi famem cauſans. A λιμὸς, fames, et δῶρον, donum. Vide *Orobanche* et *Orchis.*

LIMONIA MALVS, et LIMONIVM, in hac arbore folia, flos, fructus, vt Citrei, ſed caro tenuior longe, quam Citrei, ipſe fructus minor; cortex tenuior, pulpa copioſior, ſuccus acidior. Nomen videtur Indicum, vbi in vtraque India a Luſitanis *Limmes* et *Limmeties* vocatur. Qualitates et vires prorſus cum fructu Citri conueniunt, cuius tantum varietas eſt. Vide *Citrea malus.* Ge. Limonen. G. *Limonier.* A. *Lemons*, *Limons.* B. *Limoen.*

LIMONADA, eſt ſpecies Iulepi, in quem limonum ſuccus cum ſaccharo ingreditur. Ge. Limonade. G. *Limonade.* B. *Limoen-drank.*

LIMONIVM STATICE, eſt plantae genus flore caryophyllaeo, (Pentandr. Pentagyn.) in calyce communi imbricato floſculos ſerie oblonga exhibens. Habet folia laeuia, inermia, ſcapum paniculatum, teretem. Flores ſunt vel caryophyllaei, vel monopetali. Calyx fit vaſculum ſeminale, quod vnicum complectitur ſemen arctiſſime, cum quo cadit. Radix craſſa, rubra, ſaporis adſtringentis; in multa capita diuiſa. Creſcit haec planta in locis aquoſis et paludibus circa mare. Herba Limonii adſtringit. Dicitur a quibusdam etiam *Pyrola*, ſeu *Tintinnabulum.* Nomen videtur habere a λειμών, pratum, palus, quaſi a λείβω, quia rigatur, vel a λείπω, quod in eo vligo ab alluente aqua relinquitur. Multi credunt, ex hac planta *Been rubrum* Arabum recentiorum obtineri. Cnf. *Beben.* G. Seelavendel, rother Widerſtoß, rother Behen. G. *Limoine.* A. *Sea-Lavender.* B. *Wintergroen*, *Limoen-kruid.*

LINAMENTVM, i. q. *Motos.*

LINARIA, *Vrinalis*, Gr. Οὐρὶς, eſt plantae genus flore monopetalo, anomalo, (Didynam. Angioſperm.) cuius plurimae dantur ſpecies, quae habent plures caules ſeſquipedem circiter altos, rotundos, tenues, quibus innaſcuntur plurima folia oblonga, anguſta, nullo ordine poſita, ſaporis amaricantis. Flos eſt monopetalus, anomalus, perſonatus, et quidem ita, vt poſteriori parte longam gerat caudam, ſcilicet nectarium ad baſin corollae deorſum productum, prominens, anteriori vero bilabiatus, et ſuperior pars bifida, inferior trifida. Calyx flori ambiguo ſitu affigitur, quinquefidus. Piſtillum floris abit in vaſculum rotundum acu-

minatum, quod per maturitatem in duas cauitates dehiſcit, in quibus ſemina ſunt compreſſa, nigricantia, et rotunda. Radix longa, dura, alba, repens, exigua, lignoſa. Species officinalis eſt Linaria vulgaris lutea flore maiori *Bauh.* *Antirrhinum linaria* foliis lanceolato-linearibus confertis, caule erecto, ſpicis terminalibus ſeſſilibus, floribus imbricatis *Linn.* quae vbertim in Europae aruis prouenit. Qualitatis eſt ſubfoetidae, amariuſculae, viribusque anodynis, diureticis et purificantibus gaudet. Specifica inprimis contra haemorrhoides dolentes habere vires creditur, hinc celebre de Linaria praeſtat Vnguentum, quod inſigni ſaepe cum fructu adhibetur. Linaria a Lino, quia eius folia Linum referunt; quae et Tithymalum cypariſſium adeo mentiuntur, vt, niſi lac deeſſet, difficile foret diſtinguere, antequam floreat planta. Varietas eius *Pelioria* eſt. Vide ſub hac voce. Germ. Leinkraut, Harnkraut, Unſerer Frauen Flachs, Waldflachs, Krotenflachs. G. *Linaire, Lin ſauuage.* A. *Wild-flax, Toad-flax, Liniet.* B. *Vlas-kruid, Wild-vlas.*

LINCTVS, i. q. *Eclegma.*

LINEA, dicitur de longitudine, quae conſideratur, ac ſi nec latitudinem, nec craſſitudinem haberet. Applicatur hinc ſenſu va de improprio quibusdam corporis humani partibus; ſic enim loquuntur anatomici de linea aſpera in oſſe femoris, linea medulloſa in cerebro, etc.

LINEA ALBA, eſt anatomicis tendinum quatuor muſculorum abdominis concurſus, exceptis rectorum tendinibus. Nam tendines obliquorum vniuntur, et ita coeunt ab vtraque parte, vt quaſi tunicam tendineam, ſeu aponeuroſin abdomini obductam, forment, ac ſi vnicus eſſet tendo. Sicque in concurſu ſuo hanc lineam conſtituunt. Alba eſt, et procedens a mucronata cartilagine ad os pubis, hinc abdomen diuidit in dextram et ſiniſtram partem, et rectos abdominis muſculos a ſe inuicem diſtinguit. Infra vmbilicum anguſtior eſt, quam ſupra. Ge. Die weiße Linie. G. *La Ligne blanche.* A. *The white Line.* B. *De witte Linie.*

LINEAE FATALES, ſunt quaedam rugae in cute frontis, ex quibus multa inepta quidam praedicunt. Ge. Die Linien in der Hand, daraus man wahrſaget. G. *Lignes Fatales.* A. *Fatal Lines.* B. *Voorzeggende Linien.*

LINEAE SEMILVNARES, ſunt vtrimque lineae tendineae magis, vel minus curuae, ortae ex intima coniunctione aponeuroſium muſculorum obliquorum et transuerſalium abdominis, ad margines externos muſculorum rectorum,

quos ſcilicet vagina tendinea comprehenſos, interiecta linea alba includunt.

LINEARIA, botanici vocant *folia, petiolos,* aut *ſpicas,* quae aequalis vbique latitudinis ſunt. *Lineata* vero dicunt *folia,* quae neruis depreſſis excauata ſunt.

LINGVA, eſt membrum in ore contentum, a lingendo dictum, oblonguni, latum, craſſum, et ad radicem quidem craſſius, et oſſi Hyoidi affixum, in extremitate tenuius et acutius, ſubtus fraenulo adnexum. Magnitudo mediocris eſt, ori reſpondens, vt in omnem eius ſedem commode pertingere, et mouori expedite poſſit. Ex ſuperficie ſuperiore linguae efloreſcunt innumerabiles papillae, quarum minores conicae neruoſae ſunt, ex neruis et vaſis compoſitae, aliae maiores fungiformes, quae partim inter priores ſedent, partim in poſtrema parte linguae ad vtrumque latus *foraminis coeci* in lineas ad litterae V figuram diſponuntur. Hoc foramen ad cryptas mucoſas pertinet. Cute tegitur lingua tenera ſemipellucida. In animalibus *rete* adeſt *neruoſum,* quod perforatum papillas recipit. Sub papillis muſculoſa caro linguae ponitur ex ſtratis muſculorum genioglooſſi, baſioglooſſi, ſtyloglooſſi, ceratoglooſſi, myloglooſſi et lingualis compoſita, quae ſtrata in homine vix extricari poſſunt. Lingua a tribus neruorum paribus, ſcilicet quinto, octauo et nono, ramos accipiens, atque praeter ſenſibilitatem et mobilitatem cum aliis partibus communem, etiam ſolum guſtus organum eſt, praecipue in apice. Praeterea etiam manducationi, deglutitioni et cumprimis loquelae inſeruit. Gr. Γλῶσσα, et Γλῶττα. Ge. Die Zunge. G. *La Langue.* A. *The Tongue.* B. *De Tonge.*

LINGVA AVIS *Pharm.* eſt ſemen *Fraxini.*

LINGVA CANIS, vel CANINA, vide *Cynogloſſa.*

LINGVA CERVINA, eſt planta, quae ad dorſiferas, ſeu epiphylloſpermas, pertinet, (Cryptogam. Filic.) Species officinalis, quae *Scolopendrium Pharm.* vel ob aliquam foliorum cum lingua ceruina ſimilitudinem Lingua ceruina dicitur, eſt *Lingua ceruina* officinarum *Bauh.* *Aſplenium Scolopendrium* frondibus ſimplicibus cordato lingulatis integerrimis, ſtipitibus hirſutis *Linn.* Creſcit in Alpibus Europae. Qualitatis eſt ſiccae, viribusque exſiccantibus pollet, hinc infuſum eius in haemoptyſi, hypochondriaſi, rhachitide et cachexia commendatur. Ge. Hirſchzunge. G. *Langue de Cerf, Scolopendre.* A. *Hart's Tongue* B. *Hartstonge.*

LINGVLATA, botanicis dicuntur *folia* aequalis vbique latitudinis, interne pulpa ſolidiuſcula referta, ſubtus conuexa.

LINIMENTVM, a LINIRE, eſt medicamentum externum, conſiſtentia inter oleum et vnguentum media. Ge. Sálblein, flüßige Salbe. G. *Liniment, Oignement.* A. *Liniment.* B. *Smeerſel, ſtryking.*

LINNAEA, eſt planta flore monopetalo, turbinato, ſemiquinquefido, bacca exſucca, ouata, bi- vel triloculari, tecta perianthio fructus hiſpido, glutinoſo, (Didynam. Angioſperm.) Eius generis, in honorem Ill. *Linné*, celeberrimi naturae ſcrutatoris, ita dicti, vnica ſpecies cognita eſt, *Linnaea boreālis* floribus geminatis *Linn.* Campanula ſerpillifolia *Bauh.* Nummularia Norvegica, flore purpureo *Kyll.* Habitat in Sueciae, Sibiriae, Ruſſiae, Helueriae, Canadae ſyluis muſcoſis, acroſis, ſterilibus, vmbroſis. Semperuirens. Gaudet viribus diluentibus et diureticis, hinc infuſum eius in rheumatiſmo et ſcabie commendatur. Nondum quidem intrauit noſtras officinas, quamuis frequentiſſima in borealibus terris ſit, et vſu eximia, ipſius vulgi experientia confirmata.

LINTEVM RASVM, vel CARPTVM, ſ. CARBASA, ſunt fila ex linteo diſcerpto parata, quibus chirurgi in deligatione vulnerum vtuntur, quae iis replent. Turundas quoque et plumaceolos ex iis parant. Ge. Carpet G. *Charpie.* A. *Lint.* B. *Plukſel.*

LINVM, eſt plantae genus flore pentapetalo, (Pentandr. Pentagyn.) cuius ſpecies maxime vulgaris, habet caulem duos circiter pedes altum, exiguum, rotundum, excauatum, in ſummitate ramoſum. Folia ſunt oblonga, anguſta, fere alterna, acuta. Calyx oblongus, pentaphyllus, et tubiformis. Flos caryophyllaeus, infundibuliformis, caeruleus. Flori ſuccedit fructus piſi magnitudine, ſubrotundus, et acuminatus, rude pentagonus, quinquecalulis, continens in capſulis membranaceis multa ſemina oblonga, rotunda, compreſſa, in vna parte magis acuta, lubrica, lucida, in medio tamida, medullam oleoſam et mucilaginoſam habentia, ex fuſco caerulea. Radix exigua. Haec ſpecies vero eſt Linum ſatiuum *Bauh. Linum vſitatiſſimum* calycibus capſulisque mucronatis, petalis crenatis, foliis lanceolatis alternis *Linn.* Vbertim in multis Europae regionibus colitur. Vſus oeconomicus. Semina, eorumque oleum expreſſum, in officinis proſtant, viribusque relaxantibus, obtundentibus et emollientibus gaudent, et frequentiſſime, tam interne, quam externe in arthritide, calculo, colica, et haemoptyſi adhibentur. — Sed et alia ſpecies Lini interdum in vſum medicum adhibetur, ſcilicet: Linum pratenſe floſculis exiguis

Bauh. Linum catharticum foliis oppoſitis ouato-lanceolatis, caule dichotomo, corollis acutis, *Linn.* Ge. Kleiner Purgierflachs. A. *Purging Flax.* — Creſcit in Europae paſcuis humidiuſculis. Qualitatis eſt amarae, nauſeoſae, eiusque infuſum aluum mouet. Frequentior eius in Anglia vſus eſt. Datur in nephritide, calculo et hydrope. Gr. Λῖνον dictum eſt propter corticis et libri ſtamina, in recta filamenta divelli ſcindique ſolita, quae lina etiam vocantur; vnde linea et libella, qua directiones et parietum ſtructurae librantur.— Linum vulgare vocatur. G. Flachskraut, Flachs. G. *Du Lin.* A. *Flax.* B. *Linne-kruid, Vlas-kruid.*

LIPAROCELE, OSCHEOCELE ADIPOSA, eſt lupia intra ſcrotum enata, lipoma, vel ſteatoma, referens; cuius diagnoſis patet ex ſignis lipomatis ſteatomatis, cuius curatio liparoceli ſanandae competit.

LIPODERMVS, eſt vitium cuticulae, glandem colis inveſtientis, adeo vt non poſſit retrahi. — Item praeputii abſentia. Ex λείπω, deficio, et δέρμα, cutis.

LIPOMA STEATOMA, eſt folliculus adipoſa materia vitioſe collecta turgidus, aut ſebo farctus. Ge. Speckbeule. G. *Loupe graiſſeuſe.*

LIPOPSYCHIA, eſt leue animi deliquium, ſiue ſubitanea et breuis virium proſtratio, ſuperſtite pulſu et reſpiratione. Ex λείπω, deficio, et ψυχή, anima. Ge. Ohnmacht. G. *Defaillance.* A. *Feebleneſs.* B. *Een Flaauwte.*

LIPOTHYMIA, *Defectus animi, Defectio animae, Deliquium animi,* Λειποθυμία *Philoteo,* Λειποψυχία *Hippocr.* eſt ſubitanea virium omnium vitalium animaliumque imminutio, cum pulſu ſcilicet, reſpiratione, omni muſculorum motu, nec non ſenſu quouis, et calore admodum imminutis, ita vt aeger per aliquod tempus ſui conſcius non ſit. Haec ſi magna fuerit, *Syncope*, maxima, *Aſphyxia* vocatur. Vide *Deliquium animi.* Ex λείπω, deficio, et θυμός, animus. Ge. Ohnmacht. G. *Pâmoiſon, Defaillance.* A. *Feebleneſs, Weakneſs.* B. *Een Quaalykheid, Bezwyming.*

LIPPITVDO, eſt ophthalmiae humidae ſpecies, ſeu congeries veſicularum pure dehiſcentium, palpebrarum margines excoriantium. Ge. Das Augentriefen, Augenfluß. G. *Chaſſie.* A. *Bleareduess.* B. *Leepoogigheid.*

LIPYRIA, eſt febris continua, in qua ſimul externa frigent et interna vruntur. Saepe contingit in inflammationibus ventriculi, hepatis, lienis, aliorumque viſcerum. Summus hic calor internus ex aegri relatu, ex ſiti horrenda, linguae quandoque ſiccitate, anxietatibus cognoſcitur; non

ſolum extrema frigent, ſed tota cutis exſanguis, frigida, cadauerosa videtur, exceptis axillis et praecordiis, quae calent. *Sauv.* Ex λείπομαι, deficio, et ὑγρὸς, ignis. Ge. Innerlicher Brand. G. A. *Lipyrie.* B. *Een heet- koude Kodrts.*

LIQVAMEN, vide *Colliquatio.*

LIQVATIO, i. q. *Liquefactio.*

LIQVEFACTIO, eſt, quando oleoſa, reſinoſa, vt pinguedines, cera, reſina, etc. ſuper ignem lente et integre ſoluuntur. Dicitur quoque de ſalibus, quae, vt liquefiant, cellis committuntur, nec non de metallis. Ge. Schmelzen, Zerflüßen.

LIQVID-AMBRA, ſiue LIQVIDA AMBRA, ob odoris ſuauitatem ſic dicta. Reſina eſt liquida, e flauo fuſca, conſiſtentiae plerumque balſami Peruuiani nigri, cum tempore vero magis ſpiſſae, aut durae, ſaporis acris et aromatici, et ſuauiſſimi ac gratiſſimi odoris, effluens ex arbore, quae in Virginia, Mexico et Hiſpania noua creſcit. Eſt haec Platanus Virginiana *Raii*, Aceris foliis quinqueparitis, floribus tripetalis, fructibus ſphaerocephalis, ſeminibus minimis oblongis; Liquidambar arbor, ſ. ſtyraciflua Aceris folio, fructu tribuloide *Pluk. Liquidambar ſtyraciflua* foliis palmato-angulatis, lobis indiuiſis acutis *Linn.* (Monoec. Polyandr.) Incolis *Ocoeol*, vel *Ocoſolt*, dicitur. — *Styrax liquida* auctorum, quantum liquet, eiusdem arboris progenies eſt. Conf. *Styrax liquida.* Viribus haec reſina cum balſamo Peruuiano conuenit, rarior tamen, cum raro ſincera ad nos deferatur, eius vſus eſt. Ge. Flüßiger Amber, weicher Storax. G. *Liquidambar.*

LIQVIRITIA, vocatur Glycyrrhiza, ſed potius dicerem, eſſe eius ſuccum expreſſum et inſpiſſatum, quoniam a *liquore* deriuari videtur. Vide *Glycyrrhiza.*

LIQVITAIA BRASILIENSIVM, vide *Scrophularia.*

LIQVOR, quamuis de quolibet humore dici poſſit, in ſpecie tamen denotat per deliquium paratum, quem oleum alias, nonnunquam balſamum vocant. Saepe et pro deſtillato liquore haberi poteſt, quorum quamplurimi in officinis proſtant.

LIQVOR AMNII, eſt, qui in *Amnio* continetur, ibi perpetuo renouatur, nonnihil mucoſus, ſeu oleoſus, ſero lactis haud abſimilis, ad ignem tamen concreſcens, vt albumen oui, *Colliquamentum Haruaeo* dictum, cui foetus quaſi innatat, ipſi recens nato ſpiſſior pars adhaeret toto corpore, atque ab obſtetrice aqua tepida, pauco vino, ſimilibusue abstergitur. Pro ratione, qua propior eſt foetus ſuae origini,

eo vberior eſt pro portione foetus hic liquor, vt comparatis ponderibus multoties ſuperet. Creſcit quidem quantitas eundo, ſed in minori ratione, quam foetus, vt huius paſſus non aequet. A tertio menſe creditur foetus ſuperare pondus humoris, quo continetur. Maturo foetui ad libras duas et paulo vltra eſt huius humoris, cum foetus ſit librarum octo. Fontes quidem eius indicare, difficillimum eſt. Ab vtero eſt et a matre, ſiquidem a foetu eſſe non poteſt. Viae omnino ignorantur. Oportet vel per chorion et mediam membranam in amnion transſudare, vel per placentam. *Hall.* Caeterum ab vrinoſo liquore, copia, ſapore, odore, bene diſtinguendus, nec cum eo confundendus eſt: ille enim excrementitius eſt, hic vero foetui nutritium eſſe, veriſimiliter coniicitur. 1. Quia tale liquidum in ore, oeſophago, ventriculo foetus reperitur, quale eſt in Amnio. 2. Quia illud liquidum copioſum, in initio, paulatim minuitur, nec alia ratione conſumi videtur, quam a foetu. 3. Quia foetus reſpiratione carens tamen deglutire poteſt. Ge. Das Waſſer in der Nachgeburt. G. *Les eaux de l'Amnios.*

LIQVOR ANODYNVS MINERALIS, ab inuentore *Frid. Hoffmanno* nomen nactus, eſt acidum vitriolicum dulcificatum, dum olei vitrioli vna pars cum quatuor, aut iuxta alios cum ſex partibus ſpiritus vini rectificatiſſimi miſcetur, et praeuia digeſtione deſtillatur. Liquor hic odoris et ſaporis grati, eximiis viribus anodynis, antiſpaſmodicis et alexipharmacis pollet. Datur a guttis XV—XL. Ge. Hoffmanniſcher ſchmerzſtillender Liqvor, Hoffmanniſche weiße Tropfen.

LIQVOR NITRI FIXI, eſt liquor alcalinus, in quem per deliquium ſoluitur Nitrum, antea fuſum et adiecto puluere carbonum calcinatum. Inſeruit praecipue irrorandis ſpeciebus vegetabilibus ad extractionem faciliorem reddendam.

LIQVOR SILICVM, eſt liquor natus, dum per deliquium ſoluitur maſſa conſtans e parte vna ſilicum contuſorum et partibus ſex cinerum clauellatorum diu ſimul calcinatis. Commendatur a quibusdam a guttis V. ad XX. vt remedium diureticum. Nonnullis chymicis dicitur quoque *Alkaheſt.* Ge. Kieſelfeuchtigkeit.

LIQVOR TERRAE FOLIATAE TARTARI, praeparatur, dum *Arcani*, vel *Terrae foliatae Tartari*, pars vna in partibus quatuor ſpiritus vini rectificatiſſimi digeritur, vel in partibus tribus aquae ſoluitur. Eximium eſt remedium aperitiuum et antihypochondriacum. Ge. Zerfloſſene Weinſteinerde.

LIRION, vide *Lilium.*

LITHANTHRAX, ſiue *Carbo foſſilis*, eſt bitumen pingue, glebis petroſis, aut et forte metallorum ſcoriis miſtum, durum, aſſulatum, lamellatum, nigrum, ſciſſile, inflammabile. Per deſtillationem prodit phlegma, ſpiritus acidus, oleum ad inſtar naphthae, oleum magis ſpiſſum inſtar petrolei, et ſal acidum, vt ſal ſuccini, remanente terra nigra non inflammabili. Haec analyſis et ligna foſſilia paſſim reperta non male originem lithanthracum docent ex arboribus reſinoſis in terram ſubmerſis et poſt multa ſaecula in humum conuerſis, accedente principio reſinoſo, vel inflammabili, aliisque particulis mineralibus. Sunt, qui vnguentum e puluere Lithanthracum et oleo ouorum, vt ſpecificum in haemorrhoidibus dolentibus commendant. In Anglia, aliisque locis, tanta copia naſcitur, vt lignorum et ceſpitum loco ſufficere poſſit. Ge. Steinkohle. G. *Houille, Charbon de terre.* A. *Coals.* B. *Steenkoolen.*

LITHARGYRIVM, officinis ſpumoſum excrementum eſt, e purificatione argenti, quae per plumbum in cupella fit, reſiduum, ſeu eſt plumbum ſemiuitrificatum. Duo eius genera communiter ſtatuuntur, videlicet *Argenteum*, quod coloris minus ſaturi, et *Aureum*, quod ſaturatioris coloris, magis ad rubedinem vergentis, exiſtit. Verum tamen non niſi coctione differunt, *aureumque* magis coctum eſt, quam *argenteum*. Cum illud nil aliud ſit, quam calcinatum et aliquantum vitrificatum, hinc etiam iisdem viribus refrigerantibus, exſiccantibus et ſtipticis gaudet, pluraque remedia externa ingreditur Cum aceto coctum fit *Extractum ſaturninum*, et praeparationi *Liquoris vegeto-mineralis*, et aliorum huiusmodi medicamentorum externorum inſeruit, quorum tempeſtiue adhibitorum ſumma hodie laus eſt. Acetum ſuperfuſum dulce reddit. Hinc Lithargyrium male audit, quod eo vina acida ſummo cum ſanitatis periculo dulcificentur, quamue mangoniſationem liquore exploratorio, ſcilicet decocto auripigmenti et calcis viuae, detegere ſatagunt, nigreſcente ſcilicet paucis huius liquoris guttis inſtillatis vino infecto. Verum cum in omni vino, inſtillato hoc liquore, color obſcurus naſcatur, et lithargyrium cum dulcedine ingrata, ſimul vinum admodum auſtero et nauſeoſo ſapore imbuat, ita vt vinum, hoc liquore nigreſcens, bibi ſane non poſſit, dubium fere naſcitur, an vnquam vere hoc artificio, vt ſcriptis proditum eſt, ſolo ſcilicet lithargyrio, vina infecta fuerint. Ge. Gold- und Silberglätte. G. A. *Litharge.* B. *Glit, Goud en Zilver-Glit.*

LITHIASIS, eſt calculi in renibus, veſica, cyſtide fellea, ductibus ſaliualibus, aliisque in partibus generatio. A λιθιάω, calculos patior, calculis laboro. G. Erzeugung des Steins. G. *Pierre, Grauelle.* A. *The Stone.* B. *De Steen.* — Sic etiam dicitur morbus oculorum, quum tubercula quaedam alba et aſpera circa palpebras apparent.

LITHOIDES, eſt Os petroſum oſſis temporum, ſic ob duritiem lapideam appellatum. Ex λίθος, lapis, et εἶδος, forma. Ge. Das Felſenartige Bein. G. *l'Os Petreux.* A. *The ſtony bone.* B. *Het Steen been.*

LITHOMARGA, vide *Marga.*

LITHONTRIPTICA, ſunt medicamenta, quae calculum veſicae vrinariae, vel renum, diſſoluunt, conterunt, et ex corpore expellunt. An vera huiusmodi ſpecifica Lithontriptica remedia ſcilicet proſtent, quae ſcilicet ſolum gluten, particulas calculi conglutinantes, diſſoluant, non ſine cauſſa dubitatur, cum de plurimorum, quae hodie pro talibus venditantur, efficacia nondum ſatis conſtat. Inueniri poſſe non repugnat analogiae medicae, nec male in ſapone et calce quaeſita ſunt. Ex λίθος, lapis, et τρίβω, contero. Ge. Steinbrechende Arzeneyen. G. *Remedes Lithontriptiques, ou contre la Pierre.* A. *Lithontriptics.* B. *Steen-breekende Middelen.*

LITHOPAEDION, ita vocantur foetus, in vtero, vel tuba, aut ouario, per plures annos geſti, qui nonnunquam in maſſam tophaceam ſeu lapideam quaſi exſiccantur.

LITHOSPERMVM, eſt plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) quod habet plures caules duos pedes altos, quosdam rectos, alios incuruos, villoſos, tenues, rotundos, duros, aſperos, in ramos diuiſos. Folia vel alternatim diſpoſita, vel ſibi inuicem oppoſita, longa, anguſta, acuta, ſine petiolo adhaerentia, villoſa, ſaporis herbacei. Flos monopetalus, infundibuliformis. Ex eius calyce quinquefido, ad balin vſque ſecto, ſurgit piſtillum, quatuor embryonibus ſtipatum, quae abeunt in quatuor ſemina, dura, polita, minima, alba, ſplendentia, obrotunda, vel oualia. Radix lignoſa, fibroſa, digiti craſſitie. Creſcit haec planta in locis incultis. Species officinalis eſt Lithoſpermum maius erectum *Bauh. Lithoſpermum officinale* ſeminibus laeuibus, corollis calycem vix ſuperantibus, foliis lanceolatis *Linn.* Semínum, quae in officinis proſtant, qualitas inſipida et inodora, vſusque fere exoletus eſt, niſi quod interdum ſub ſuffimigii ſpecie in dyſuria adhibeantur. A λίθος, lapis, et σπέρμα, ſemen, et dicitur conducere in calculo renum. Semina adeo bene margaritas referunt, vt, qui has vendunt, illa inter-

miſceant margaritis occidentalibus, quae non tam elegantes, quam orientales, et ſic eas diuendunt pro puris margaritis occidentalibus, ſed fraus facile detegitur ex macula fulua his ſeminibus inhaerente. Sic vocatur ob ſeminis duritiem. Latinis *Milium ſolis*, quod ſemen eius Milio ſimile candore ſolis et lucis ſplendore fulgeat. Ge. Meerhirſe, Steinſaamen. G. *Gremil, Herbe aux Perles.* A. *Gromwel, Graymil.* B. *Paarel zaad, Steen zaad, Steen breek.*

LITHOTOMIA, eſt chirurgica calculorum e veſica ſectio; quae ſi *apparatu* ſic dicto *minore* inſtituitur, hoc modo procedit. Imponit Lithotomus aegrotantem alicuius robuſti ſinui, puluinari molli inſtrato, poſtquam ter, quaterue ex loco altiori in inferiorem proſiliit, mox manum vtrinque valide plantae pedis alligat, genua vero vtrinque adſtantes duo miniſtri detinent, ita vt quam maxime a ſe inuicem diſtent. Deinde primum ſiniſtrae manus digitum ſolum, aut, ſi neceſſitas exegerit, duos priores oleo quodam expreſſo madefacit, eosque in anum immittit, dextra vero pubis ſuperiora leuiter comprimit, vt hoc modo ab oſſe pubis ad perinaeum transferatur calculus, quem quum digitis dictis eo adegerit, ſiniſtro lateri inter teſticulos et anum, proxime ad futuram perinaei, inter muſculos erectores et acceleratores vrinae cultro vtrinque acuminato vulnus pro calculi magnitudine infligit, calculo tenus cultrum deducendo: et vulnere ſi ſua ſponte, aut digitorum inſertorum propulſione, exire detrectet calculus, eum forcipe, aut, quod praeſtat, cochleari, ſiue lapidillo, foras trahit. Extracto calculo, vinculis omnibus ſolutis, vulnus curat modo debito, ſanguinem ſiſtentibus adhibitis mediis, breuique tempore vt conſolidetur, curam adhibet, ne vrinae per locum vulneratum ſtillicidio laboret aeger. Hic modus *Apparatus minor*, vel *Methodus Celſi*, vocatur, et in infantibus inprimis locum habet. In *Apparatu maiore* vero, vel *Methodo Mariana*, aeger eodem modo, vt ſupra, bene ligatus menſae imponitur, et in ea detinetur; tum chirurgus catheterem ferreum ſulcatum per vrethram in veſicam demittit, et verſus partem ſiniſtram perinaei dirigit, ſic vt promineat et tactu percipiatur: arrepto tum cultro perinaeum ipſumque vrethrae bulbum diſcindit vsque ad veſicae collum, conductorem marem in ſulcum catheteris immittit, et remoto catheterе, iuxta conductorem marem etiam conductorem foeminam in veſicam prouide intrudit, et vtroque conductore diſtracto, collum veſicae dilatat. Inter conductores forcipem in veſicam inducit, illisque retractis, forcipem diducit, calculumque arreptum caute

protrahit. Hoc facto, deſigatio vulneris et conſolidatio inſtituitur, vt in pueris, adhibita, ſi nimis magnum fuerit, ſutura, impoſitaque ad dies duos, aut tres, cannula argentea, euacuationi ſanguinis concreti, pituitae, vrinaeque arenoſae apta. Eſt etiam adhuc alius calculos extrahendi modus, nempe inciſione ſupra oſſe pubis facta, calculus ex fundo veſicae exſcinditur, et hoc modo nunquam ſtillicidium vrinae eſt exſpectandum, qui modus *Apparatus altus*, vel *Sectio hypogaſtrica*, vocatur. Denique eſt alia adhuc methodus, quae *Sectio lateralis*, ſ. *Cheſeldeniana*, vocatur, a maximis viris variis enchereſibus ornata tutiorque reddita, in qua, intruſo prius per vrethram catheterе ſulcato, veſica ad latus perinaei apprimitur, et inclinato cultro vno, vel pluribus ictibus partes interiacentes, ipſaque veſica et eius collum in ſulcum vsque catheteris diſcinduntur, tumque immiſſo forcipe calculus educitur. Haec a variis varie emendata, aut inſtrumentorum apparatu nouo excogitato mutata tantum fuit, quarum diuerſarum methodorum hiſtoriam apud chirurgicos auctores videas. Ga. *La taille laterale.* Rarior in foeminis calculorum generatio, horumque facilior ob vrethram ampliorem, vel facilius dilatabilem, excretio rariorem quoque lithotomiam mulierum reddunt, in qua easdem, quas in viris, varias methodos variosque apparatus adhibent chirurgi, debita pro organorum muliebrium differentia adhibita cautione. Vide Cel. *E. Platneri* Hiſtor. Litterar. Chirurg. Lithotomiae mulierum. Lipſiae CIↃIↃCCLXX. Ex λίθος, lapis, et τέμνω, incido. Ge. Das Steinſchneiden, Steinſchnitt. G. *Lithotomie, Taille, Extraction de la pierre.* A. *Cutting for the ſtone.* B. *Het Steenſnyden.*

LITHOTOMVS, dicitur chirurgus in ſecandis calculis peritus, vel etiam culter, qui in hac operatione adhibetur. Ex λίθος, lapis, et τέμνω, ſeco. G. Ein Steinſchneider, Meſſer zum Steinſchnitt. G. *Lithotomiſte.* A. *A Stone Cutter.* B. *Een Steen-ſnyder.*

LITHVANICVM BALSAMVM, eſt *Oleum betulinum*, ex cortice teneriore betulino igne ſuppreſſionis deſtillatione per deſcenſum paratum. Ad haemorrhoides olim commendabatur. Corium Ruſſicum (*Juchten*) ab eo gratum ſuum odorem habet.

LITVS, i. q. *Linimentum.*

LIVIDVS MVSCVLVS, vna cum aliis muſculis femur movens, dicitur et *Pectinaeus*, qui ab oſſis pubis ſuperiore ad commiſſuram parte, oblique decurrens, vsque in femoris exporrigitur latus externum, aſperaeque cuidam lineae ſub trochantere minore inſeritur, femurque adducit. Ge. Der

Schaambeinmuskel. G. *Muſcle Pectiné.* B. *De loadverwige Spier.*

LIXIVIOSVM SAL, eſt Alcali fixum, quod mediante aqua ex cineribus ſolutum, exſiccatum ſummas ignis torturas patitur, vt Sal tartari, abſinthii, etc. Ge. Laugenſalz. G. *Sel Lixiviel.* A. *Lee.* B. *Loog-zout*

LIXIVIVM, eſt ſal aqua ſolutum. Praeparatur vulgo ex cineribus, ex quibus mediante aqua ſal, quod continent, elixiuiatur. Ge. Lauge. Ga. *Leſſive.* A. *Lee, Lie.* B. *Loog.*

LIXIVIVM SANGVINIS, eſt liquor alcalinus, ſeu aqua, calcinato, cum alcali puro, ſanguini infuſa, eiusque indole ſaturata et imbuta, quae, vt menſtruum chymicum, ſolutioni argenti, auri, mercurii, zinci et biſmuthi, per ſpiritum nitri factae, infuſa, argentum quidem initio praecipitat, ſed mox, praeſertim ſi maior quantitas lixiuii rurſus addatur, iterum diſſoluit. Cum ferro colorem caeruleum producit. Vide *Caeruleum Berolinenſe.* Examini quoque aquarum mineralium martialium inſeruit. Sublimioribus chymicis habetur pro hepati ſulphuris animalis ſoluto. Vide Ill. *Delii* Diſſ. de *Lixivio Sanguinis.* Ge. Blutlauge.

LIXIVIVM SAPONARIORVM, eſt Lixiuium, ſeu ſolutio ſalis alcalini fixi, quae calce viua addita magis cauſtica facta eſt. Lithontripticam vim habet. Ge. Seifenſiederlauge. A. *Soap-lee.*

LOBATA, botanicis dicuntur *folia* ad dimidium diuiſa in partes diſtantes.

LOBELIA, eſt plantae genus flore monopetalo leuiter ringente, capſula ouata carnoſa, apice dehiſcente, cincta calyce, polyſperma, (Syngeneſ. Monogam.) Huius ſpecies eſt *Lobelia ſyphilitica*, caule erecto, foliis ouato-lanceolatis, crenatis, calycum ſinubus reflexis *Linn.* Rapunculus Americanus, flore dilute caeruleo *Dodart.* Habitat in Virginiae ſyluis aridis et lutoſis. Radicis vſus haud ita pridem apud nos innotuit. Eſt qualitatis acris, nauſeoſae et lacteſcentis, viribusque gaudet pellentibus, emeticis et purgantibus. Decocto virtus antiuenerea tribuitur.

LOBVLI ADIPOSI, vide *Sacculi adipoſi.*

LOBVLI CEREBRI, ſunt illae portiones, in quas cerebri haemiſphaeria ſubdiuiduntur, ſuntque in quouis hemiſphaerio tres, ſcilicet anteriores, medii et poſteriores, quorum limites tum per arterias carotides internas, tum per ſulcos in ventriculis lateralibus, conſtituuntur.

LOBVLI PVLMONVM, ſunt fiſtulae pulmonalis extremitates, quae in lobulos vniformes deſinunt, conſtantque

iterum ex plurimis veſiculis, quarum parietes extremitates vaſorum pulmonalium perreptant: hi lobuli vtrimque iuncti lobos maiores, tandemque pulmonem dextrum et ſiniſtrum conſtituunt. Ge. Lungenflügel. G. *Lobules.* B. *Longedruiven.*

LOBVS, eſt Phaſeolus. Venit a λήβω, ſeu λαμβάνω, prehendo, quia fabae in ſiliquis prehenduntur.

LOBVS AVRIS, eſt appendicula quaedam mollis, flexilis, blanda tactu, auriculae appenſa, nullo foraminulo naturaliter pertuſa, ſed a foeminis artificialiter perforatur pro ornamentorum commiſſione, vnde foeminarum ornamenta *Ellobia* dicta. Ge. Das Ohrläpplein. G. *Le Lobe de l'Oreille.* A. *The Lobe, or Lapof the Ear.* B. *Het Lelletje van der Oor, Oorlapje.*

LOBVS HEPATIS, aut PVLMONIS, ſunt eorum viſcerum magnae diuiſiones, et diſtinctiones. Rectius tamen dicitur pulmo dexter et ſiniſter, quam lobus pulmonum, cum quisque pulmo viſcus peculiare conſtituat. In hepate humano, ſecus, quam in hepate animalium, quod e pluribus lobis conſtat, duo ſunt *Lobi* maiores, *dexter* ſcilicet et *ſiniſter*, interiecto in parte concaua lobo exiguo, qui *Lobulus Spigelii* dicitur. Ge. Die Flügel oder Lappen an der Leber oder Lunge. Ga. *Les Lobes du Foye &c.* B. *Quabbe.*

LOCALIA MEDICAMENTA, ſeu TOPICA, ſunt, quae parti cuidam peculiari, in quam tantummodo operari debent, externe applicantur, vt emplaſtra, linimenta, vnguenta, ſacculi, fotus, etc. Gr. Τοπικὰ. Ge. Aeußerliche Mittel. G. *Remedes Topiques.* A. *Topical Remedies, Topics.* B. *Plaats-Middelen.*

LOCH, et LOCHOCH, i. q. *Eclegma.*

LOCH SANVM, et EXPERTVM, eſt Eclegmatis ſpecies, quae in morbis pectoralibus vtilis cenſebatur, et experta. Conſtat ex emulſione amygdalacea, adiectis gummi Tragacantha, Arabico, Amylo, et radice Ireos florentinae. Praecipue in defluxione acri conducit. Nomen ipſi eſt, quod *Meſue* illud caput, quo hoc eclegma deſcribit, incipit his verbis: Sanum et expertum. Solebant enim veteres initia capitum, vel legum, adducere, vt adhucdum ICti faciunt. Plura adhuc in officinis Eclegmata, ſeu Loch, proſtant ex Arabum compoſitione, quorum tamen rarus admodum hodie vſus eſt.

LOCHIA, ſunt puerperarum expurgamenta, ex apertis arteriarum in cauitatem vteri deſinentium orificiis, poſt foetus et ſecundinarum excluſionem, prodeuntia, et per con-

fricționem vteri ex hic vasculis propulsa, primis diebus rubra, copiosa, post centum vero magis pallida et mucosa. Illunc *albae* nonnunquam vocantur. Quantitas eorum in variis foeminis varia est, hinc exacte determinari non potest. Si intempestiue eorum fluxus supprimatur, grauissima mala puerperis superueniunt. A. λέχομαι, cubo, vide λέχος, lectus, et λεχωΐδες ὦραι, tempora partus. Ge. Der Blutfluß, Blutreinigung einer Kindbetterinn. G. *Vuidanges*. A. *Womans Evacuation in Child-bed*; *Lochia*. B. *Kraamzuiveringe*, *Reiniging*.

LOCHOCH, i. q. *Eclegma*.

LOCI CHYMICI, dicuntur vasa et fornaces apud chymicos vsitata.

LOCI MVLIEBRES, i. q. *Vterus* et *Genitalia*.

LOCVLAMENTA, sunt in plantis seminum inuoluera, seu conoamerationes, quam veluti paruae capsulae ea occludunt. Ge. Saamenfächer. G. *Loges*.

LOCVSTA, THECA, in Cerealium descriptione sumitur pro quoliber flore granoque gluma obuoluris; sic, ex *Dioscoride*, arena dependentes, veluti pampas locustas bipedes gerere videtur. Ge. Saamenhülse. G. *Paquet*. — — Sed etiam *Locusta* insectum significat ad coleoptera, et quidem genus Gryllorum, pernicis, cui caput hastatum, maxillosum, palpis quatuor ad maxillas, antennae setaceae, alae deflexae superiores flexiles, submembranaceae, pedes saltatorii, plerisque, cauda simplex, et cuius quam plurimae dantur species. Locustae ruminare dicuntur. Quaedam species edulis sunt. Fumus exsiccatarum in dysuria prodesse dicitur. Puluerem vt antihystericum commendant. G. *Heuschrecke*. G. *Sauttrelle*.

LOIMOGRAPHIA, est descriptio morborum contagiosorum. Ex λοιμὸς, venenum pestiferum, et γράφω, scribo. Ge. Beschreibung der ansteckenden Seuchen. B. *Een Beschryving van besmettelyke Ziekten*.

LOIMOS, PESTIS, est Phlegmasia exanthematica, saepius epidemica, maligna et contagiosa, cuius eruptio est bubo, parotis, vel anthrax, hoc non pustulae paruae, albae, liuidae, nigrae, carbunculosae, per habitum corporis dispersae, et quae plures e medio tollit, quam sanos dimittit. Gr. Λοιμὸς, παρὰ τὸ λείπειν, id est, a deficiendo, quia hominum defectum inducit, seu, vt aliis placet παρὰ τὸ λιμῷ λοιμὸς, a fame. Vnde prouerbium Graecum, μετὰ λιμὸν λοιμὸς, pestis post famem. Ge. Die Pest. G. *La Peste*. A. *Pestilential, or contagious disease*. B. *Een besmettelyke Ziekte*.

LOMENTVM, fabarum farina est.

LONCHITIS, est plantae genus foliis filicis foliorum aemulis, a quibus tamen differt pinnulis ad exortum auritis: nullos habet flores: est enim planta epiphyllosperma, (Cryptogam. Filic.) cuius fructificationes dispositae sunt in lineolas, sinubus folii subiectas, lunulatas. Species, quae in officinis hoc sub nomine prostat, est *Polypodium lonchitis*. Eiusdem cum reliquis Filicibus qualitatis siccae, subadstringentis et roborantis est. In montibus altis asperisque occurrit. Dictam volunt ab hastae, seu lanceae, forma. Ge. Engelsüß, Bauchfarren. G. *Lonkite*, *Lancette*. A. *Rough Spleenwort*. B. *Grachtvaren*.

LONGANON, siue intestinum vltimum, item Ἀνευρυσμένον, Ἀναπτυκτὸν, Ἀγχὺ. *Hippocrati*. Vide *Rectum intestinum*.

LONGISSIMVS DORSI MVSCVLVS, producitur a maligne ossis sacri, atque a lumborum vertebris oriundus fibrarum fasciculis coagmentatus, sub Serrato postico inferiore adscendit, quem circa dorsi vertebram infimam deserens, singulis lumborum ac dorsi transuersis processibus, totidem tendinibus alligatus, primam thoracis petit vertebram. Thoracem, lumbos eorumque vertebras extendit. Ge. Der lange Rückenmuskel. G. *Le long Dorsal*. A. *The long Muscle of the Back*. B. *De langste Rugspier*.

LONGVS COLLI MVSCVLVS, oritur partim ex processibus transuersis sex superiorum vertebrarum colli, partim ex corpore vltimae colli, et trium superiorum dorsi, inseritur tuberculo primae vertebrae colli, et aliquando etiam ossi occipitis, et actione sua collum flectit. Ge. Der lange Halsmuskel. B. *Lange Hals-spier*.

LONICERA, vide *Caprifolium* et *Lilium inter spinas*. — *Lonicera Dieruilla* frutex Canadensis est, cuius stipites vt certum in gonorrhoea et suppressione vrinae remedium commendantur.

LOOK GVMMI, est resina Iaponica succino et mastiche similis, quae in dolore dentium et capitis externe laudatur.

LOPEZ RADIX, est radix arboris in India Orientali habitantis, cuius tamen hucusque nec character, nec verum solum natale scitur. Radix plerumque est crassitiei bipollicaris, eius lignum albidum, perquam leue, in minoribus ramulis aequaliter compactum, in maioribus mollius, qua proxime subest cortici, atque spongiosum et albidius, medullam complectitur duriorem, densiorem, ex albo vtcunque subrufam. Cortex rudis, rugosus, fuscus, mollis, quasi tomentosus, sat crassus, tenui cuticula pallidiore extrinsecus obducitur. Inodora prorsus et insipida radix menstruum, vel aquosum, vel spirituosum, nulla prorsus qualitate sensibili imbuit, in India tamen, in puluerem trita, et ter, aut

quater, per diem a granis XV ad XXX propinata, vt eximium remedium ſpecificum contra diarrhoeam, praecipue colliquatiuam et a laxitate inteſtinorum oriundam, celebratur, iamque et in Europa felici paſſim ſucceſſu adhiberi coepit. Nomen ei a *Ioanne Lopez* datum eſt.

LOPIDOIDES, i. q. *Lepidoides.*

LOQVELA, fit, quum ſonus, in exſpiratione formatus, organis extra laryngem poſitis, nempe gutturi, linguae, dentibus, labiis, genis, naribus, palato, illiſus, inde in tranſitu, vel reflexu, ita mutatur et determinatur, vt vox articulata proferatur. Ge. Sprache. B. *Spraak.*

LORDOSIS, eſt ſpinae dorſi in anteriora euruatio, cum ſterni prominentia. A λορδόω, in anteriora curuo. Latini vocant *Repandum*, *Recuruationem*. Sed etiam in genere *Lordoſis* ſignificat oſſium diſtorſionem, vnde hinc protuberant, inde vero excauantur artus, aut incuruantur oſſa, vel a ſitu deflectunt. Talis eſt *Lordoſis compernium*, qui pedes introrſum contortos habent, aut quorum tibiae rectae quidem ſunt, ſed in genubus contiguae, inferius vero diuaricatae, aut diſtantes. *Lordoſis valgorum*, qui tibias habent non rectas, ſed extrorſum conuexas, pedibus femoribusque approximatis. *Lordoſis varorum*, quorum tibiae inflexae ſunt, ita vt introrſum ſint conuexae, pedibus genubusque a ſe mutuo recedentibus, ſuris vero approximatis. *Sauv.*

LORICATIO, eſt actio chemica, quando retorta, igni nudo exponenda, luto, argilla, aut alia materia, vt a nimia ignis tortura defendatur, obducitur. Ge. Das Beſchlagen der Retorten. G. *Lutter les vaiſſeaux, ou les Retortes lors qu'on veut diſtiller.* A. *Lorication.* B. *Bebarnaſſing.*

LORIPES, eſt, qui alterum, vel ambos pedes habet contortos et incuruatos: dicitur quoque *Varus*. Vide *Lordoſis*. Ge. Krummfuß, Krummbein. G. *Pieds bots.* A. *Crooked legged.* B. *Scheef-been, Slim-voet, Krom-been.*

LOTIO, eſt quodammodo balneum particulare, quo caput, axillae, manus, pedes et genitalia abluuntur, idque decoctis medicamentoſis. Lauantur etiam nonnulla medicamenta, idque propter eorum ſalſedinem et acrimoniam, vt in calce, tutia, aliisque lapidibus contingit, vel quando herbae, radices, a ſordibus argillaceis et arenoſis aqua pura, aut vino lauantur. Ge. Das Waſchen. G. *Lotion, Bain.* A. *A Waſhing.* B. *Waſſing.*

LOTIVM, vide *Vron.*

LOTVS, eſt vel arbor, vel herba. Nomen accepit a voluptate, ab antiquo verbo λάω, quod ſignificat θέλω, ἐπιθυμῶ, βλέπω,

βλέπω, volo, expeto, deſidero, video. Illud nomen etiam habet *Trifolium odoratum*, vt et *Melilotus*, aliaeque plantae. Proprie vero eſt plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) legumine cylindraceo, ſtricto, quaſi transuerſaliter multiloculari, biualui, vniloculari, nudo, aequali, polyſpermo. Ge. Steinklee. G. *Lotier.* A. *Bird's food Trefoil.*

LOXARTHRVS, ſeu peruerſio capitis oſſium ac muſculorum appenſorum, eſt oſſium cum motu ſenſibili articulatorum ſitus relatiuus in alienum conſtanter mutatus, aut obliquitas reſpectiua, perſiſtens, citra exarthrema et ſpaſmum. Ge. Verrenkte Glieder. G. *Perverſion de la tête des os & des Muſcles.*

LOZANGIAE, ſunt idem quod *Morſuli.*

LVBRICANTIA, vocantur medicamenta, quae vaſorum ſuperficiem oleo, pinguedine, mucagine, vel alio molli et leui ita obducunt, vt facilior per illa fiat tranſitus, vel minori cum attritu motus.

LVCIVS PISCIS, *Eſox lucius* roſtro depreſſo ſubaequali *Linn.* eſt piſcis ad abdominales pertinens, ſat frequens vbique in lacubus et fluuiis. In ſalutarem cibum adhibetur. Proſtant in officinis mandibulae, qualitatis abſorbentis, quibus tamen temere ſingularis virtus antipleuritica tribuitur, et axungia, quam in contractura commendant. Ge. Hecht. G. *Brochet.* A. *Pike, Pike-Fish.* B. *Snoek.*

LVCIDVM, botanici vocant *folium*, cuius ſuperficies quaſi illuminata eſt.

LVDVS HELMONTII, vel PARACELSI, eſt concretio lapidoſa, cuius origo vix certo determinari poteſt. Effoditur paſſim circa Antuerpiam et in Anglia. Lapis eſt partim calcarius, partim cruſta flaueſcente pellucida gypſea tectus. Per ignem aliquid Salis amari et acidi extorqueri poteſt, hinc a *Paracelſo* quoque *Fel terrae* dicitur. Commendatur a quibusdam contra lithiaſin. — Alii hoc ſub nomine omnes calculos in corporibus animalibus concretos intelligunt.

LVES, in genere ſignificat morbum epidemicum et contagioſum, certo tempore homines et pecora infeſtantem. G. Seuche. G. *Contagion.*

LVES MORAVICA, ſeu PANNONICA, vide *Febris Vngarica.*

LVES VENEREA, *Morbus Gallicus, Italicus, Hiſpanicus, Siphylis Fracaſtorii,* παρὰ τὸ σίνειν τὰ φῦλα. Hic morbus ex India Occidentali oriundus, in Europam translatus, poſt annum 1463. innoteſcere incepit, primum in regno Neapoli-

tano, dein etiam per alias regiones propagatus. Multi tamen afferunt, eum iam ante haec tempora in Europa cognitum fuisse. Est hic autem contagiosus, ita vt ab infectis parentibus plerumque inquinati nascantur infantes; lactatione contaminentur, contrectatione, saliuae per oscula communicatae deglutitione, sudore, et coitu impurorum quilibet inficiatur. Quae autem pars primo fuit infecta miasmate venereo, in illa plerumque primo se manifestat inflammatione, vlcere erodente, gonorrhoea maligna, et fluore albo, dein bubones, vlcera in glande et genitalibus, condylomata, etc. oriuntur, per totum corpus efflorescunt pustulae; labia, gingiuae, palatum, nares eroduntur, dolores nocturni circa medios artus fiunt ingentes, et articulorum rigiditas, tophi, gummata et exostoses, capillorum totius corporis defluuium, et vox rauca cum aliis multis symptomatibus hunc morbum declarant. Hic morbus ab eo, quo in Europam translatus est, tempore multum de saeuitie sua amisit, longeque mitior est nostro tempore. Ge. Venerische Krankheit, Franzosen, Lustseuche. G. *Vérole.* A. *The Pox, the French Pox.* B. *De Spaansse Pokken.* — Dolores circa ossa vocant Hispani et Brasiliani *Bubas.*

LVIVLA, est Acetosellae species, in officinis asseruata, cuius vires refrigerantes insignes. Vide *Acetosella.* Germ. Buchampfer, Sauerklee. G. *Pain à Coucou, Alleluja.* A. *Wood-Sorrel.* B. *Schaapszuuring.*

LVMBAGO, est dolor in musculis lumborum a materia rheumatica, arthritica, vel scorbutica obsessis, ita vt aeger sese mouere absque dolore magno, ac si per medium scinderetur, nequeat, et se recto situ tenere cogatur. Ge. Lendenweh. G. *Sciatique.* A. *The Pain of the Loins.* B. *Lende-pyn, 't Spit, Lende-jigt.*

LVMBRICALES MVSCVLI, siue VERMICVLARES, sunt quatuor in singulis manibus, totidemque in pedibus, sic ob exilitatem et figuram dicuntur. Incipiunt singuli a singulis tendinibus Flexoris profundi, vel Perforantis, et primae phalangae singulorum digitorum inseruntur. Actione sua tum ad flexionem, tum ad adductionem digitorum faciunt. Ge. Die Wurmähnlichenmuskeln. G. *Muscle Lumbricaux.* A. *Wormlicke Muscles.* B. *De Wormgelyke Spieren.*

LVMBRICI, siue VERMES, sunt animalcula ex ouulis vermium, vt plurimi putant, deglutitis cum cibis, in corpore nostro aliquandiu morantibus, producta, quae plerumque quidem in intestinis, saepe tamen in aliis corporis locis inueniuntur, et tum rodendo, tum chylum absorbendo et

conspurcando, pessimos morbos, et dira saepe symptomata inducunt. Ge. Würmer. G. *Vers.* A. *Worms.* B. *Wormen.* — Alii sunt *Longi* et *Rotundi*, s. *Lumbricus intestinalis Linn.* Ge. Spulwürmer. G. *Vers ronds, Vers strongles.* B. *Ronde Wormen.* — Alii *Cucurbitae* seminis forma, *Cucurbitini* dicti, qui Taeniae articuli.—Alii *Ascarides.* Ge. Würmlein, Maden. G. *Ascarides, Vers Cucurbitins.* B. *Maayen.* Alii *Trichurides, Taeniae.* Vide suo loco.

LVMBRICVS TERRESTRIS, est animal ad Vermes intestina pertinens, scilicet simplex absque artubus, nudum, liberum, cuius corpus est teres, annulatum, longitudinaliter exasperatum, poro laterali, trifariam retrorsum aculeatum. Habitat vbique in terra abdita spongiosa. Prostat in officinis puluis Lumbricorum terrestrium, sal, spiritus et oleum infusum. Singulares iis vires antispasmodicae et diureticae tribuuntur. Ge. Regenwürmer. G. *Vers de terre, Lombrics.* A. *Earth-worms.* B. *Pierworm.*

LVMBVS et LVMBI, Gr. Ψόα, Ὀσφύς, Ἰξύς. Proprie dicitur pars totius spinae infra dorsum quinque vertebris omnium crassissimis, maximisque compacta, inter dorsum et os sacrum mediis; estque ea regio corporis, qua homines cinguntur. Hinc etiam arteriae, venae et nerui huius regionis *Lumbares* vocantur. Ge. Die Lenden. G. *Les Lombes, les Reins.* A. *The Loins.* B. *De Lendenen.*

LVNA, chymicis denotat *Argentum.* Ge. Silber. Ga. *Argent.* A. *Silver.* B. *Zilver.*

LVNA CORNEA, a *Crollio* primum sic dicta, est massa cornu flauicanti similis, quae cultro scindi potest, remanens in retorta, dum argentum comminutum cum pari pondere Mercurii sublimati destillatur; vel etiam calx illa, quae ad fundum secedit, si argento in acido Nitri soluto et multa aqua diluto adiicitur acidum Salis communis; haec enim calx in crucibulo fusa abit in massam ponderosam, resplendentem, opacam, fuscam, fragilem cum aliqua tenacitate, hinc *Corneam* dictam. Ge. Hornsilber.

LVNARIA, siue *Viola latifolia*, vulgo *Bulbonac*, est planta flore tetrapetalo cruciformi, (Tetrapet. Siliquos.) quae habet caulem, duos, vel tres pedes altum, minimi digiti crassitie, ramosum, villosum, coloris caerulei, vel rubicundi. Folia Vrticae interdum duplo, vel triplo maiora, villosa, dentata. Flores in summitate ramorum crescentes, quadrifidi, in crucem dispositi, purpurei, odoris non penetrantis. Flori succedit siliqua oblonga, compressa, obrotunda, quae continet semina ampla, reniformia, coloris rubicundi, saporis acris

cum quadam amaritudine. Radix glandulosa. Sic dicta est, quod seminum folliculi lunarem colorem et figuram habent. Ob vires subadstringentes interdum decoctis vulnerariis additur. Ge. Mondkraut, Pfennigkraut. G. *Lunaire, ou Bulbonac.* A. *Sattin, Honesty.* B. *Penning-bloemen, Maankruid, Paasch-bloemen.*

LVNARIA, vide *Osmunda.*

LVNATA, botanicis dicuntur *folia* subrotunda, basi sinu diuisa, angulis posticis acutis.

LVNATICI, dicuntur Epileptici, Σεληνιακοί, quia, mutato lunae cursu, epilepticis paroxysmus nonnunquam exacerbatur. Ge. Ein Mondsüchtiger. G. *Lunatiques.* A. *Lunatikes.* B. *Maanziek, Maanzuchtig.* Vide *Noctambulus.*

LVNVLA, est pars inferior albicans vnguium, semilunarem formam repraesentans.

LVPARIA, vide *Lycoctonon.*

LVPIA, est cystis, vel folliculus, materiam pultaceam non purulentam continens, vnde differt ab Hygromate, quod continet fluidum aqueum, et ab Apostemate, quod purulento fluido turgidum est. Vide *Meliceris, Steatoma.* Ge. Eine Sackgeschwulst. G. *Loupe.*

LVPINASTER, est plantae genus, a *Buxbaumio* inuentum, ab Ill. *Linnaeo* ad *Trifolia relatum.* Crescit ad ripas Wolgae prope Astrakan. Habet folia quinata, flores papilionaceos, semina reniformia.

LVPINVS, est plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius plures dantur et coluntur species. Ea, quarum semina in officinis prostant, est Lupinus satiuus flore albo *Bauh. Lupinus albus,* calycibus alternis inappendiculatis, labio superiori integro, inferiore tridentato *Linn.* Habet haec caulem duos pedes altum, mediocriter crassum, rotundum, rectum, villosum, ramosum, coloris viridis subflauescentis, medulla replerum. Folia sunt in septem, vel octo partes diuisa, oblonga, angusta, manum apertam repraesentantia, superius coloris caerulei, albescentia et lanuginosa, inferius, saporis leguminosi, amarescentis. Flores in summitate ramorum crescentes, in spicas congesti, leguminosi, albi, pedunculis brevibus adhaerentes. Flori succedit siliqua compressa, villosa, turgidula, foeta seminibus planis, compressis in complanatam figuram sphaericam, fossulam cauam vtrinque habentibus, extus albis, intus medulla flaua aurei coloris repletis. Horum seminum qualitas sicca, amaricans, et ingrata, visque flatulenta et anthelmintica est. Vsus tamen farinae frequentissimus in epithema-

tibus, hinc etiam inter farinas quatuor resoluentes numeratur. G. Feigbohnen, Wolfsbohnen, Lupinen. G. *Lupin.* A. *Lupines.* B. *Boks-boon, Vyg bonen.*

LVPINVS, Gr. Θέρμος, dimidiae drachmae aequatur. *Danich* Arabibus, quod tamen *Ferhelib* solum Gr. VI. *Agricolae* et *Mercuriali* VIII. siue tertiam scrupuli partem pendet. *Drachma* pendet lupinos nouem, *Siliqua* dimidium. *Lupini* tres scrupulum. Ge. Ein halb Quentlein. G. *Demi Dragme.* A. *Half Dram.* B. *Een half vierendeels Loot.*

LVPIOLOGIA, ita doctrinam de tumoribus tunicatis etc. qui *Lupiae* dicuntur, nonnulli recentiores vocant.

LVPVLVS, est planta flore apetalo, (Dioec. Pentandr.) cuius caules sunt exigui, sarmentosi, flexiles, villosi, scandentes, asperi, volubiles. Folia ampla, angulosa, dentata, scabra, coniugata, caulibus satis longis et rubicundis adhaerentia. In planta masculi flosculi apetali, albi, pallidi, aut herbacei, staminibus praediti, calyce quinquepartito, stellatim expanso, excepti, racemosi in vna planta. In planta foeminina ouaria bicornia, in racemos squamosos ex multis foliolis, axi adnatis, compositos, congesta: singulis foliolis recondebribus singula semina fere rotunda, nigricantia, tegmine membranaceo occultata. Radix tenuis, conuoluta. Huius plantae vnica prostat species, scilicet *Humulus lupulus Linn.* Lupulus mas et foemina *Bauh.* quae passim in sepibus sponte prouenit, vbertim vero in multis Europae borealis regionibus colitur. Coni, seu partes fructificationis, praecipue in vsu sunt; qualitas earum amara est et odorosa, visque tonica, anodyna et narcotica. Cereuisiae additur Lupulus ad impediendam amaritie sua acescentiam. Turiones vere prodeuntes passim esitantur, suntque aperitivi, diuretici et antiscorbutici. Folia contusa in luxationibus conducunt. Nonnulli in arthritide commendant. Caulium maceratorum et conquassatorum vsus textorius esse posse videtur. Gr. Βρύον, dicitur a Bryoniae similitudine, quam folia quodammodo habent. Aliquot Italiae rura, ob graecam appellationem alludentes, *Bruscandulam,* quasi Bryon Scansile, nominant. *Lupus* vero *Salictarius,* quia subit scandisque Salices, et arbusta omnia, circumuoluendo se, circumplectitur, appellatus est. Hinc quoque *Lupus receptitius* nonnullis nominatur. Ge. Hopfen. G. *Houblon.* A. *Hops.* B. *Hoppe.*

LVPVS, est species cancri, varias partes corporis, saepissime vero crura et tibias, occupans, et proximas partes instar

Lupi famelici celerrime depascens. Ge. Der Wolf. G. *Le Loup, ou le chancre.* B. *De Wolf.*

LVPVS RECEPTITIVS, vide *Lupulus.*

LVPVS SALICTARIVS, vide *Lupulus.*

LVSCIOSITAS, LVSCITAS, AMBLYOPIA LVSCORVM, est vitium, quo obiecta e directo oculis obuersa, confuse, oblique vero oculis oblata, distincta videntur. Oritur vel ex obliquo situ pupillae, vel lentis crystallinae, vel ex alterata corneae conuexitate, aut pelluciditate, vel ex insensibilitate partis retinae. Differt a Strabismo, quod in hoc ipse bulbus oculi distortus sit. Ge. Ein schief Gesicht. G. *La vuë louche.*

LVTATIO, est vasorum chymicorum sibi mutuo adaptatorum, materia quadam argillacea, aut pastacea, obturatio, ad exhalationem partium subtiliorum impediendam. Ge. Verlutirung. G. A. *Luter.* B. *Toelyming, Verzegeling.* Vide *Lutum.*

LVTEOLA, *Reseda luteola*, foliis lanceolatis integris, calycibus quadrifidis *Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) est planta, quae habet folia ex radice erumpentia, oblonga, angusta, mollia, caules ex his erumpunt tres pedes alti, duri, virides, ramosi, folia superius minora habentes, quam sunt inferiora. Flores polypetali, anomali, exigui, coloris flaui. Post florem sequitur capsula obrotunda, triangularis, continens semina exigua, obrotunda, et nigricantia. Radix vt plurimum digiti minimi crassitie, et interdum pollicis, lignosa, alba, saporis acris. Habitat in Europa ad vias et pagos. Tota haec planta per siccitatem fit flaua herba, sic dicta, quod ea panni et telae linteae, candidae quidem, colore luteo, virente vero, quum ante caeruleo tinctae erant, inficiantur. Radici tribuitur vis alexipharmaca et aperitiua. Brachio febricitantium applicata, paroxysmum auertere dicitur. Ge. Streichkraut, Fieberkraut, Gelbkraut. G. *Gaude, Herbe à jaunir.* A. *Dyers-weed, Yellow-weed-woad.* B. *Wouw.*

LVTEVM CORPVS, vide *Corpus luteum.*

LVTVM, est materia quaedam glutinosa, aqua subacta, vt farina triticea, secalina, lini seminis, amylum, oui albumen, argilla, et similia, qua vasa destillatoria sibi imposita, ne quid exspiret per rimas, probe obsignantur. Ge. Lelm. G. *Lut, Glu.* A. *Lute.* B. *Leem.* Vide *Lutatio.*

LVXATIO, seu DISLOCATIO, et ELVXATIO, est recessus ossis e proprio sinu et loco, in alienam sedem, motum arbitrarium impediens, citra substantiae dissolutionem, quae *perfecta* dicitur, quando os ex articulo suo plane excidit,

sed in alio casu *imperfecta*; oriturque plerumque a violentia externa, quandoque tamen etiam ex humore articulorum cauitatem replente, et ligamentorum laxitate. Vide *Exarthrema.* Ge. Verrenkung. G. *Luxation, Dislocation.* A. *Luxation.* B. *Ontwrichting, Uitleding.*

LVXVRIA, non tantum denotat intemperantiam in cibo, vel potu, sed etiam carnosam excrescentiam, qualis in gingiuis, vel etiam aliis partibus vulneratis, quandoque obseruatur. Ge. Wild Fleisch. G. *Chair baveux.*

LVZ, *Lus*, est vocabulum Ebraicum amygdalam significans, quod imponitur ossiculo corporis humani, an vero id imaginarium tantum et fictitium sit, an vero sit os vertebrarum, an sesamoideum in pede, dubitatur. Nonnullis habetur pro ossiculo triangulari, quod in confinio sagittalis et lambdoideae cranii futurae reperitur, de quo mira somniarunt Iudaei, ac si principium et fundamentum futurae resurrectionis in se reconderet, et nullo modo destrui posset.

LYCANCHE, est *Angina*, quae lupos strangulat. Vide *Angina.*

LYCANTHROPIA, est *Rabies hydrophobica*, ab *Oribasio* primum descripta, a rabido lupo excitata, in qua homines luporum vlulatus imitantur. Ex λύκος, lupus, et ἄνθρωπος, homo. Vide *Hydrophobia.* Ge. Raserey von einem Wolfsbiß. G. *Lycanthropie.* A. *Biting of a mad Wolfe.* B. *Wolfs-beet of Dolligheid.* — *Castello* sumitur pro specie melancholiae, qua aegri noctu domo egredientes, et per vrbem vagantes, vlulatu suo lupos imitantur, et in lupos se mutatos esse credunt.

LYCHNIS, est plantae genus flore polypetalo, (Dec. Pent.) cuius species maxime vulgares habent caules, sesquipedem, vel duos pedes altos, rectos, rotundos, ramosos, lanuginosos. Folia sunt tres, vel quatuor digitos longa, sesquidigitum lata, Salvia maiora, acuta, lanuginosa, alba, coniugata bina simul, mollia. Calycem habet tubulosum magnum, latum, longum, multifidum, magis bullatum, quam in Assinis, squamosum. Flos caryophyllaeus; floris pistillum fit fructus, vt plurimum in conum desinens, vnilocularem, quinquevalvem, qui per maturitatem apice dehiscens fundit semina exigua, subrotunda, vel angulata, interdum reniformia. Radix fibrosa, simplex. Huius generis quam plurimae dantur species et varietates, passim sponte prouenientes, passim ob florum elegantiam in hortis cultae. Nomen accepisse contendunt a λύχνος, luminare, vel παρὰ τὸ λύειν νύκτος, ἤγουν σκότος, quod tenebras soluat, vel, quod tomentosis earum foliis veteres

ad lucernarum vſum, pro elychniis vterentur, vnde *Lucernula*, vel *Flammula*, dicta. Ge. Frauenröslein. G. *Oeillets de Dieu, Paſſe fleur, Paſſeroſes.* A. *Roſe Campion.* B. *Chriſtus-oogen.*

LYCIVM, eſt arbuſcula ſpinoſa, ſic dicta, quod in Lycia, Aſiae regione, creſcat. Eſt planta flore monopetalo, infundibuliformi, (Pentandr. Monogyn.) calyce ſubquinquefido, perſiſtente, bacca ſubrotunda, biloculari, polyſperma. Eius plures hucusque innotuere ſpecies, et apud nos paſſim in hortis coluntur. Ge. Bocksdorn, Kreuzdorn. A. *Box-Thorn.* B. *Boks-doorn.*

LYCIVM, eſt ſuccus extractus et coquendo inſpiſſatus, qui olim frequenti in vſu fuit, at cuius propriè ſit plantae, nondum ſatis conſtat. Hinc recentiores ei ſuccum inſpiſſatum radicis Rhamni, Periclymeni et Cyclaminis ſubſtituunt. Alii *Lycium* vocant ſuccum ex baccis immaturis Rhamni cathartici expreſſum et inſpiſſatum. Eſt medicamentum adſtringens, rariorís tamen hodie vſus.

LYCOCTONVM ACONITVM, ACONITVM PONTICVM, LVPARIA, LVPICIDA, vel CANICIDA, quoniam a lupis, vel canibus, deuoratum, eos confeſtim interficit. Ex λύκος, lupus, et κτείνω, occido. Vide *Aconitum.* Ge. Wolfstour, Wolfskraut, Giftkraut. G. *Aconit, Tue loup, Tue loup jaune.* A. *Wolfs-Bane.* B. *Wolfs-wortel.*

LYCOIDES, eſt inſania luporum inſtar, a ſemine retento excitata. Ex λύκος, lupus, et εἶδος, forma. Ge. Wolfskrankheit. G. *Geſte de Loup.* B. *Wolfsgebeer.*

LYCOPERDON, eſt plantae genus, (Cryptogam. Fung.) ſcilicet Fungus ſubrotundus, ſeminibus farinaceis impalpabilibus repletus, ab apice dehiſcens. Inter plures ſpecies duae praecipue in vſu ſunt. *Lycoperdon bouiſta* ſubrotundum, lacerato dehiſcens, *Linn.* Fungus rotundus orbicularis *Bauh.* ſupra terram in campis ſterilibus prouenieus, qualitatis eſt farinoſae, ſtipticae, nigricantis, viribusque abſorbentibus, incraſſantibus et adſtringentibus gaudet, hinc adhucdum frequenter ad ſanguinem ſiſtendum et in intertrigine adhibetur. Vid. *Bouiſta.* G. Vovist. — Altera ſpecies eſt *Lycoperdon Tuber*, globoſum, ſolidum, muricatum, radice deſtitutum, *Linn.* Tuber cerinum *Bauh.* Tuber brumale, pulpa obſcura odorata *Mich.* Naſcitur ſub terra in Europae pratis humidis et denſis ſyluis, et edoctis canibus et ſuibus tempore autumnali inquiritur. Ob qualitatem, inter fragrantem et hircinam mediam, a multis in deliciis habetur, et coctum cum butyro, vel aliis cibis additum, inter dapes

menſis apponitur. Aphrodiſiacis pollere viribus creditur. Nimium vſum flatulentia cum alui ſegnitie ſequitur. Ge. Tartoffeln, Trüffeln, Erdbirnen. G. *Truffes.*

LYCOPODIVM, eſt plantae genus, (Cryptogam. Muſc.) cui flos maſculus in alis foliorum ſeſſilis, calyptra nulla, antherae reniformes, binaluis, ſeſſilis; foemineus flos in eodem vegetabili, perianthium tetraphyllum, piſtillum nullum, ſemina plumula connata calyci absque cotyledonibus. Species officinalis eſt: *Lycopodium clauarum*, foliis ſparſis filamentoſis, ſpicis teretibus, pedunculatis geminis *Linn.* Muſcus terreſtris clauatus *Bauh.* Habitat in Europae ſyluis muſcoſis. Semini, quod etiam *Sulphur vegetabile* dicitur, qualitas eſt volatilis, farinoſa, inflammabilis, visque exſiccans; hinc frequens eius in intertrigine puerorum vſus eſt. Sunt tamen, qui ei adhuc ſingulares virtutes antiſpaſmodicas, antiarthriticas, antinephriticas et antiphthiſicas tribuunt. Decoctum plantae diureticum eſt: dicitur quoque plicam Polonicam tollere. Ex λύκος, lupus, et πούς, pes. Ge. Johannisgürtel, Gürtelkraut, Wolfsklau, Bärlapp. G. *Pied de Loup, Patte de Loup.* A. *Clubmoſs.* B. *Wolfs-klaauw.*

LYCOPSIS, eſt planta ad gymnotetraſpermas aſperifolias pertinens, (Pentandr. Monogyn.) corolla monopetala, tubo corollae curuato. Viribus ſubadſtringentibus et traumaticis gaudet, ſed rarior eius vſus eſt. Vocari volunt ob radicis fuſcum ex purpureo colorem. Vel quaſi λυκόφως dicitur a lupo, cuius color cinereus eſt, nigrorem praeferens, ſed non intenſiorem. Sonat enim λύκωψις lupi faciem, adſpectumue. Vel nomen accepit ab hiſpida caulis, florum, foliorum, impexaque hirſutie, pedem lupinum imitata, Illud nomen a quibusdam Echio, Anchuſae, et Bugloſſae imponitur. Ge. Wall-Ochſenzunge. G. *Orcanette.* A. *Wall-Bugloſs.*

LYGMVS, i. q. *Lynx* et *Singultus.*

LYMPHA, eſt humor limpidus leuiter ſalſus, igne auolans, ſanguini admixtus, et in vaſis quoque lymphaticis valuuloſis, quae quoad maximam partem in ductum thoracicum confluunt, contentus. In glandulis conglobatis vlterius elaboratur. Differt a ſero ſanguinis, quod eſt minus pellucidum, flauius, et igne concreſcit, vt oui albumen. Alii tamen contraria ſignificatione *Lympham* vocant ſpiſſiorem illam et pellucidam ſanguinis partem, ad ignem concreſcentem, et ab acidis coagulabilem, *Serum* vero tenuiſſimam aquam ad ignem auolantem. Vide *Glandulae Lymphaticae.* Ge. Lymphe. G. *La Lymphe.* A. *Coagulable Lympha.* B. *Water.* — —

Sumitur aliquando pro aqua illa tenui, acri, et plerumque salsa, quae ex puncturis neruorum et tendinum aliisque vulneribus effluit. Ge. Gliedwasser. G. *Synovie.* B. *Zenuw-water*, *Ledewater.*

LYMPHATICA FEBRIS, vocatur, quae circa vesperam cum frequenti horrore insurgens, grauedine, vel tussi, et sputi copiosioris eiectione stipatur. Idem est, ac *Febris Catarrhalis.*

LYMPHATICA VASA, vide *Venae Lymphaticae.*

LYNCIS LAPIS, siue BELEMNITES, ἀπὸ τοῦ βελέμνου, a sagitta, cuius effigiem refert, seu *Dactylus Idaeus*, a figura Dactyli, et Ida, monte Cretae insulae, vbi inuenitur. Teres est et pyramidalis, conicus, vel fusiformis; sub variis coloribus repertus. Inueniuntur albi, nigri, cinerei, pellucidi, vini Falerni instar, etc. Et hic forsan est, quem veteres *Lyncurium* appellarunt, quem et succini speciem fecerunt, ob colorem, quo succinum refert, quemque ex vrina lyncis, simul ac ea excernitur, coagulari, nonnulli fabulantur. Reperiuntur multis in locis, et olim in affectibus nephriticis praescribebantur. Vide *Belemnites.* Ge. Alpschoß, Schußstein, Luchsstein, Tappenstein, Donnerstein. (si niger sit). G. *La Pierre de Lynx.* A. *Lyncian-stone.* B. *Donder-steen*, *Lynx-steen.*

LYNCVRIVS LAPIS, vide *Lyncis lapis.* Nonnulli etiam silicem flauum pellucidum ita vocant. Ge. Lynkurier.

LYNGODES FEBRIS, est febris continua, cuius praecipuum symptoma est singultus perpetuus, plerumque ab inflammatione diaphragmatis, aut cardiae, pendens. A λύζω, singultio.

LYNX, i. q. *Singultus.*

LYRA, vide *Psalterium.*

LYRATA, botanicis dicuntur *folia* transuersim diuisa in lacinias horizontales oblongas.

LYSIMACHIA, seu LYSIMACHIVM, et SALICARIA, est plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) quod habet plures caules, duos, vel tres pedes altos, rectos, villosos, nodosos. Ex singulis nodis erumpunt tria, vel quatuor folia oblonga, acuta, Salicis latifoliae similia, superne atro-virentia, inferne albicantia, et lanuginosa, saporis adstringentis. Flos monopetalus, rosaceus, in quinque lacinias diuisus. Post singulos flores pistillum fit fructus, seu testa globosa, quae per maturitatem apice dehiscit, semen excutit. Semina sunt angulata, saporis adstringentis. Radix est repens, rubicunda. Crescit haec planta in paludibus, et locis aquosis. Flos conuenit cum Blattaria, sed fructus in hac est bicapsularis, cum in Lysimachia sit tantum vnicapsularis: appellata est, vt ferunt, ab eius inuentore, Lysimacho; vel παρὰ τὸ λύειν τὴν μάχην, quod pugnam et animalium certamen verberando soluat, dirimatque. *Salicaria* vocatur, quod inter folia Salicis, aut inter Salices nascatur et folia Salicis similia sint. Rectius tamen hodie Salicaria a Lysimachia vulgari separatur, ad peculiare scilicet genus pertinens. Est haec *Lythrum Salicaria*, (Dodecand. Monogyn.) corolla hexapetala, capsula oblonga, acuminata, biloculari, polysperma, foliis oppositis cordato-lanceolatis, floribus spicatis dodecandris *Linn.* Lysimachia spicata purpurea *Baub.* Lysimachia rubra *Pharm.* Ge. Brauner Weyderich. G. *Salicaire, Lysimachie rouge.* A. *Purple spiked Loose strife.* — Habitat in Europa ad ripas. Plantae huius in puluerem tritae et ad drachmam vnam quotidie datae vires in sanandis a laxitate intestinorum oriundis morbis explorare, non sine successu passim felici coeptum est. — *Lysimachia Nummularia.* Vide *Nummularia.* Lysimachia vulgaris. G. Weiderich. G. *Soucy d'Eau*, *Perce-bosse*, *Corneille*, *Lysimachie*, *Chasse-bosse.* A. *Loose strife.* B. *Wederick*, *Vederik*, *Joden-kruid.*

LYSIS, veteribus vocabatur morbi mutatio, in qua aegri lenta et successiua materiae morbificae per varia corporis emunctoria euacuatione sensim reconualescebant, hique morbi solui dicebantur, sicque ab iis distinguebantur, in quibus *crisis*, aut repentina quaedam euacuatio, aut mutatio, fiebat.

LYTERIA, est signum solutionis magni morbi. A λύω, soluo.

M.

M simplex, in praescribendis formulis positum immediate post alicuius herbae nomen, denotat *Manipulum*, scribitur saepe tribus literis, vt *Man.* Si de fluidis agatur, *Mensuram* significat, vt aquae, vel vini M. IV. Mensurae quatuor. In fine formularum significat *Misce.*

MACER, MACIR VETERVM, est cortex, colore, sapore et viribus prorsus cum cortice Simarubae conueniens, ita vt a nonnullis pro eodem habeatur. Adfertur ad nos, rare tamen, ex India Orientali et Barbaria. Vide *Simaruba* et *Macis.*

MACERATIO, est species infusionis, quando dura quaedam corpora in aqua, alioue liquore, mediante frigore, aut calore, infunduntur per magnum temporis spatium, vt partes

emolliantur, et ab aqua penetrentur, cum illa misceantur, vel aptae euadant miscelae, si decoquantur; omnia enim hoc modo magis aperiuntur et facilius extrahuntur. Ge. Das Einweichen, Wässern, Maceriren. G. A. *Macération.* B. *Weeking.*

MACHINA, in genere est corpus, ex variis partibus, singulari artificis ingenio inter se vnitis, constructum, eo consilio, vt certos et ordinatos motus producat. In chirurgia vero dicitur instrumentum aliquod grande, cuius ope magnus motus in resistentis parua vi potentiae applicatae potest excitari, vti scamnum, scala, ambe, etc. quibus membra luxata restitui solent: dum enim luxatio plerumque plurium hominum vi et opera indigeat in restitutione, ope artificiosarum machinarum, in hos vsus accommodatarum, chirurgus solus omnium aliorum viribus satisfacit. Gr. Μηχανή, Μηχάνημα. Ge. Eine Maschine, Werkzeug. G. *Machine, Instrument.* A. *An Engine.* B. *Werktuig.*

MACIES, est minor quidam atrophiae gradus, talisque corporis constitutio, in qua pinguedo deficit. Haec tamen quibusdam est natiua, neque vllam functionum laesionem comitem habet. Ge. Magerkeit. G. *La Maigreur.*

MACIS, quid sit, vide *Moschata nux.* Ge. Muskatblume. G. *Le Macis, Ecorce où ce qu'on appelle improprement Fleur de Muscade.* A. *Mace.* B. *Foeli, Bloem van Notemoscaat.* — *Macer veterum*, est ligni cuiusdam cortex lignosus, crassus, rubescens, ex Barbaria afferri solitus, gustu valde amarus et adstringens, adeoque differt a Maci, quamquam interdum a modernis confundantur. Est et genus Maceris insularum orientalium, quod forsan idem cum Veterum Maci, scilicet cortex cortici simarubae admodum simili, vt non male forte pro eodem habeantur, cum exigua ratione crassitiei vel saporis magis aromatici, differentia a cultura, vel climate, pendere possit. Vide *Simaruba* et *Macer.*

MACROCEPHALOS, siue CAPITO, est is, qui magnum habet caput. Ex μακρὸς, magna, et κεφαλὴ, caput. Ge. Ein Grosskopf. G. *Qui a une grosse tête.* A. *Great headed.* B. *Grootbooft.*

MACROCOSMVS, denotat mundum vniuersum, sicuti homo *Microcosmus*, siue minor mundus, in comparatione a quibusdam dicitur. Ex μακρὸς, magnus, et κόσμος, mundus. Ge. Die große Welt. G. *l'Univers.* A. *The great World.* B. *De groote Waereld.*

MACROPIPER, est Piper longum. Vide *Piper.*

MACVLAE, in genere constituunt ordinem morborum ad classem Vitiorum, scilicet primam Ill. *Sauuagesii* pertinentem, et consistunt in mutatione coloris natiui. Plures ergo sub hoc ordine morbi comprehenduntur, vt *Leucoma, Vitiligo, Ephelis, Gutta rosacea, Naeuus, Echymoma.*

MACVLA EPATICA, vel HEPATICA, est macula fusci coloris, vel ex flauo nigricantis, lata palmi magnitudine, inguina inprimis, pubem ac dorsum occupans, imo totum pectus interdum obtegens, cum cutis quadam leui asperitate, quae squamas, aut furfures quasi emittit. Illae tamen non vno loco haerent, sed hinc inde disseminantur, et modo euanescunt, modo rursum emergunt. Vide *Ephelis.* Ge. Leberflecken. G. *Taches du Foye.* A. *Liver spots, Freckles.* B. *Lever-vlekken.*

MACVLA MATRICALIS, *Naeuus Cic.* Gr. Κηλὶς, Σπίλωμα, Σπίλας, est macula, vel vitium quoddam cutaneum, quod cum foetu nascitur, et a quibusdam imaginationi maternae adscribitur, magis, vel minus rubicundi, vel obfusci coloris, constanter locum suum occupans; indifferenter per totam cutim spargitur, vti est in facie, manibus, dorso, etc. Aliquando rei alicuius imaginem exprimere creditur, vt muris, mori, suberis, etc. Licet quidem hae maculae manifeste in degeneratione quacunque vasculorum cutaneorum consistant, nondum tamen adeo certe constat, an et quomodo imaginatio matris rei vel desideratae, vel exosae, effigiem tenello foetui imprimere possit. Ge. Muttermaal, Mutterflecken. G. *Envies.* A. *Mother spot.* B. *Moeder vlekken.*

MACVLA VOLATICA, est macula rubra, vel purpurea, in cute hinc inde serpens, quae si orificium aliquod, os putà, nares, oculos, aures, nates, attingit, et eousque penetret, vel si intempestiue repellatur, malum letale fit, infantibus infestum. Videtur esse species Erysipelatis maligni, ad gangraenam vergentis.—*Maculae volaticae* etiam dicuntur phantasmata ob oculos volitantia, quae plerumque a vasculis retinae turgidis oriuntur. Ge. Rothe Flecken. G. *Tache Volante.* A. *Flying spot.* B. *Roode-vlek.*

MADAROSIS, est capitis glabrities, siue capillorum defluuium, in specie vero de lapsu ciliorum dicitur. A μαδάω, laeuis et depilis sum. Ge. Das Ausfallen des Haars. G. *La Pélade.* A. *Baldness of the head.* B. *Het Uitvallen des Hairs.*

MADOR, sumitur pro humore illo aquoso, qui in syncope et virium exsolutione, calidus, vel frigidus, sudoris instar ex cute emergit. Saepe tantum in genere transpirationem

aliquantum maiorem, sed sudore minorem, denotat. Germ. Feuchte. G. *Moiteur de la peau.* A. *Moisture of the Skin.* B. *Vogtigheid.*

MAGALEP, MAHALEP SEMEN, sunt nuclei, vel nuces contentae in drupa arboris, quae est species Cerasi sylvestris, Ceraso affinis *Bauh.* Cerasus foliis ouatis *Hall.* *Prunus Mahaleb* floribus corymbosis, foliis ouatis *Linn.* Habitat in Helvetia, Gallia, Anglia. Nuclei ob fragrantiam, licet quibusdam minus gratam, cum ad odorem cimicum accedat, in odoramentis adhibentur. Lignum arboris durum, densum, rubicundum, et *Lignum Sanctae Luciae* dicitur, eiusque vsus mechanicus est. Ge. Mahalebkirschen, Dintenbeeren. Ga. *Mahaleb Bois de St. Lucie.* A. *Mahaleb, perfumed Cherry.*

MAGDALEONES, sunt cylindraceae emplastrorum, vel aliarum rerum, massae. A μάσσω, pinso. Ge. Eine Pflasterrolle. G. *Une Roue d'Emplatre.* A. *Masses of plaister made up in form of a cylinder.* B. *Eene Rolle Zalf.*

MAGISTERIVM, puluerem designat proprie solutione ac praecipitatione paratum, improprie resinosam materiam simili modo productam, quae verius extracti nomine donatur. Magisteria vt varia sunt, ita et varie parantur; semper materiae siccae, si fieri potest, puluerisatae, aut, si necessarium, calcinatae, affunditur liquor soluens, qui pro diuersitate eius diuersus est, acetum simplex, aut destillatum, tum per se, tum acuatum per spiritum nitri, vitrioli, salis, etc. Lixiuivm ex sale tartari, et aqua paratum, spiritus vini, etc. Soluto affunditur liquor, praecipitationem efficere valens, vt oleum tartari per deliquium, spiritus vitrioli, nitri, etc. Quae scilicet soluuntur a menstruis acidis, praecipitantur per addita alcalina, quae per alcalina soluuntur, praecipitantur ab acidis; aqua affusa praecipitat, quae a spirituosis soluta sunt. Sic plerumque affusa solutis mineralibus et animalibus, aqua communi, aut aluminosa in vegetabilibus secedit ad fundum vitri coagulum exsiccandum, et, si necessitas vrgeat, primum edulcorandum, postea igniendum. Plura huiusmodi Magisteria tali modo praeparata in officinis prostant, vt Magisterium Coralliorum, Cornu cerui, Cranii humani, Vngulae alcis, Ialappae, Iouis, Lapidum cancrorum, Marcasitae, Saturni, Sulphuris, etc. quae plerumque viribus cum eo, e quo praeparata sunt, corpore conueniunt, et rarius nunc adhibentur. — — *Magisterium argenti*, idem quod *Crystalli Lunae.* Vide *Argentum.* Ge. Meisterpulver, präcipitirtes Pulver. G. *Magistere.* A. *A Magistery.* B. *Meester poeder.*

MAGISTRALIA MEDICAMENTA, quae etiam *Vsualia* dicuntur, sunt medicamenta quorum compositionem medicus iuxta indicationes in singulis morbis singulisque aegris obuenientes instituit atque praescribit, sicque ab *Officinalibus* distinguuntur, quippe quae iam composita in officinis prostant. G. Verschriebene Arzeneyen. G. *Remedes magistraux.* A. *Magistrals Remedies.* B. *Meester-stukken.*

MAGMA, spissum vnguentum est. Sed dicuntur quoque ita faeces post succorum expressionem, aut decoctionem, relictae. A μάσσω, pinso, subigo. Ge. Das Dicke, so sich auf den Grund setzt. G. *Le Marc.* A. *Dregs.* B. *De Vuilgheid, het Dikke.*

MAGNA ARTERIA, i. q. *Aorta.*

MAGNANIMITATIS AQVA, quibusdam in officinis prostans, est spiritus vini formicis et quibusdam aromatibus superfusus et praeuia digestione destillatus. Interne ad venerem languidam excitandam, externe ad articulos a paralysi debilitatos corroborandos commendatur.

MAGNES, *Ferrum magnes* attractorium *Linn.* Ferrum mineralisatum, minera ferrum trahente et repellente et polos mundi ostendente *Wall.* est minera, vel lapis, plerumque coloris e rubicundo nigricantis, polos mundi ostendens, ferrum chalybemque, aliaque corpora, particulas ferreas continentia, attrahens, praesertim ferreo circulo armatus; plerumque duobus locis polaribus maximarum virium gaudens. Reperitur circa ferri fodinas in diuersis Germaniae, Norueglae, Sueciae et Italiae locis. Vegetior plerumque caeteris esse solet, qui ferri colorem ruffescentem habet. Etiam album Magnetem reperiri lego, quem Itali *Calamita bianca* vocant. Olim admiscebatur Magnes, quibusdam emplastris, vt ferrum ex vulneribus attraheret, sed frustra, cum magnes puluerisatus, et praesertim vstus, vires suas magna parte amittat, saltem non ostendit. Sanguinem quoque sistit. Magnetem armatum denti dolenti applicatum eius dolores saepe tollere dicitur. Sed etiam frusta chalybis vi magnetica imbuta, quae *Magnetes artificiales* dicuntur, variis corporis partibus applicare, ad plures tollendos systematis neruosi morbos, vario cum successu nostris temporibus tentatur, deque huius medelae efficacia adhucdum lis ventilatur. Gr. Λίθος Μαγνήτις et Ἡράκλειος, dicitur et Sideritis. Ge. Magnetstein. G. *Aimant.* A. *Load-stone.* B. *Magneet-steen, Zeil-steen,* quia nautae acu versatili, super eo ducto, vtuntur.

MAGNES ARSENICALIS, est materia lapidis instar in-

durata, nata ex colliquatione partium aequalium arsenici crystallini, antimonii crudi et sulphuris flaui. Ingreditur *Emplastrum magneticum*, sicque vocatur, quia olim credebatur malignitatem bubonis pestilentialis extrahere, vt magnes ferrum attrahit.

MAGNESIA, Ferrum mineralisatum, minera fuliginea, manus inquinante, quae sparsim striis conuergentibus constat *Wall.* *Ferrum interactabile* fuscum, inquinans, particulis micaceis striatis *Linn.* est substantia friabilis passim in fodinis ferri et plumbi reperiunda, e rutilo-nigricans, quae num quidquam ferri contineat dubium est, cum nonnulli terram tantum aluminosam ei inesse putent, quae, addito acido, in validissimum stypticum et adstringens abeat. Vsus plerumque vitriarius est, dum vitro fuso addita peregrinos colores tollit, purumque et nitidum virrum reddit. Ge. Braunstein. G. *Manganaise.* A. *Manganese.*

MAGNESIA ALBA, est terra tenera alba, in omnibus acidis solubilis, et in liquorem amarum et purgantem abiens, in igne non in veram calcem mutabilis. Praeparatur haec *Magnesia Nitri* ex lixiuio a nitri crystallisatione residuo, vel per euaporationem huius, et dein ignitionem materiae residuae, vel per praecipitationem, affusionem scilicet solutionis salis alcalini, et liquoris a puluere albo ad fundum deturbato decantationem. Videtur nasci e parte cinerum vegetabilium, quippe quorum exustorum pars in acidis soluitur, veraque videtur esse Magnesia. Si calx viua ad praecipitationem adhibeatur, multum quoque de natura calcis magnesia praecipitata participat, et cum acido vitriolico in Seleniten mutatur. Purissima Magnesia obtinetur, si solutioni salis cathartici amari solutio alcalina affundatur, pulusque fundum petens aqua abluatur et siccetur, quae *Magnesia salis amari*, seu *Edinburgensis*, vocatur. Frequentissimus eius hodie in medicina vsus est. Possidet enim vires absorbentes, et praesente in primis viis acido, cathartica, immo leniorem subinde diuresin atque diaphoresin prouocat. Optime in ardore ventriculi, aliisque morbis, in quibus copiosa saburra acida in ventriculo et intestinis hospitatur, conducit. Angli eam ad expulsionem aeris fixi hodie calcinatione subiiciunt, quod alii tamen inutile, imo si Magnesia calcaream forte terram contineat, noxium esse putant. Absente omni acido, rarissime effectum laxantem edit, et apud siccior a subiecta aluum subinde magis obstruit. Dosis ordinaria, si per se exhibeatur, apud infantes, qui adhuc lacte nutriuntur, et frequentissime morbis ex acido oriundis laborant,

laborant, a granis quatuor ad scrupulum semis, et apud adultos a drachma dimidia ad drachmas duas, tres adscendit. Dicitur etiam *Panacea Anglica*, seu *Solutiua*, *Terra foliata Nitri*, *Fecula alcalina*, etc. Ge. Weiße Magnesia. G. *Manganaise blanche.*

MAGNESIA OPALINA, vocatur *Regulus antimonii medicinalis*, scilicet ex antimonio cum sale communi et tartaro fuso praeparatus, qui in vitiis lymphae vt insigne remedium commendatur. Vide *Antimonii regulus.*

MAIORANA, est planta gymnotetrasperma, verticillata, (Didynam. Gymnosperm.) quae habet plures paruos caules, pedem circiter altos, lignosos, ramosos, tenues, parum villosos, et rubicundos. Folia sunt sibi inuicem opposita, obrotunda, minima, Origanum vulgare referentia, sed multo minora, mollia, albescentia, odoris aromatici penetrantis et grati, saporis parum acris et amari. Flores in summitate caulium crescunt, congesti in spicas, aut capitula rotunda, densa, breuiora Origano, conflata ex quaterno foliorum squamatim sibi mutuo incumbentium ordine, monopetali, ringentes, galea erecta, bifida. Flori succedunt semina obrotunda quatuor, odorata, minima, amara, coloris rufi. Radix minima. Species officinalis et maxime frequens est Maiorana vulgaris *Bauh.* *Origanum maiorana* foliis ouatis, obtusis, spicis subrotundis, compactis, pubescentibus *Linn.* Ob qualitatem fragrantem et amaricantem viribus neruinis, cephalicis, ptarmicis et stomachicis gaudet. Prostant in officinis aqua, conserua, balsamum, oleum destillatum et butyrum, quorum illud in dystocia, hoc in grauedine infantum, summopere laudatur. Σάμψυχον, vel Ἀμαράκινον, Gr. dictam volunt, quod maiori cura, diligentiaque, quam caeterae colatur. Malunt alii eandem Maioranam Marum nominari. Forte Maiorana diminutiuum a Maro erit. Cum dicitur et Amaracus, volunt illam deriuari ex ἀ priuatiuo et μαραίνω, quia haec planta non facile marcescit. Ge. Maioran, Masoran, Meyeran. G. *Marjolaine.* A. *Majoram.* B. *Marjolein.*

MALA, seu GENA, est illa pars faciei, in vtroque latere, quae est infra oculos et supra maxillam inferiorem, propter delicatam et transparentem cutem amoene rubens. Sic dicta est ob protuberantiam. Ge. Wangen, Backen. G. *La joue.* A. *The Cheek.* B. *De Wange, de Koon.*

MALABATRVM, quid proprie hoc sub nomine intellexerint veteres, incertum est, nec de eo inter se scriptores conueniunt. *Dioscorides* folia haec in aquosis crescere locis

aquisque innatare ſcribit, vt Lens paluſtris. *Garcias ab Orto*, vt et alii ſcriptores, eſſe folia arboris aiunt, inuenirique copioſe in India, ac maxime in Cambaia, procul ab aquis. Quod hodie ſub nomine Malabathri, aut folii Indi, proſtat, eſt folium ſatis ſimile folio Citri, vel Lauri, e virore ſplendens, trinerue, qualitatis parum aromaticae et acris vixque, niſi, conteratur, fragrantis. Arbor, e qua deſumitur, creſcit in Malabaria, eſtque Katou-Karva *Rheed. Laurus cinnamomum* foliis trineruiis, ouato-oblongis, neruis verſus apicem euaneſcentibus *Linn.* Veteres haec folia Theriacae, Mithridatio aliisque Electuariis addiderunt, rarus tamen eorum hodie vſus eſt, et in Theriaca et Mithridatio nunc paſſim iis flores Macis non male ſubſtituuntur. Vtrum ergo *Malabatrum* hodiernum cum veterum Malabathro idem ſit, id eſt, de quo ambigitur: conſultius eſt credere, nomen hiſce foliis inditum a regione *Malabar*. Forte ob folium, quod habet magnum, per excellentiam quoque *folium* dictum. Indi *Betre*, aut *Tamalapatra*, a quo *Malabathrum*. Ge. Indianiſches Blatt. G. *Malabatre, Feuille Indienne.* A. *Indian Leaves.* Arab. *Cadegi Indi.*

MALACHE, eſt medicamentum aluum molliens, et tumores duros. A μαλάσσω, mollio. Ge. Erweichendes Mittel. G. *Remedes émolliens.*

MALACHITES, eſt lapis, Iaſpidis ſpecies, non translucens, Maluae vireſcentis colore, vocatur quoque *Molochites*, in febribus calidis olim laudatus, etiam lactantibus ad lac augendum, et infantibus ad praeueniendos terrores ſuperſtitioſe appendebatur. Hodie hoc ſub nomine minera Cupri intelligitur, ſcilicet *Aerugo naziua ſolida Wall.* Ge. Kupfergrün, Malachit. G. *Malachite.*

MALACIA, PICA MALACIA, Latinis *Mollities*, *Effoeminatio*, eſt in genere, habitus ſuis cupiditatibus indulgendi, etiam ratione refragante; praecipue vero eſt cupiditas illa, qua interdum praegnantes in aliena et ſaepe abſurda feruntur. Item corporis mollities. A μαλάσσω, mollio. Ge. Gelüſte der ſchwangern Frauen. G. *Envie.* A. *Depraved appetite.* B. *Een verdorven Honger, maagde Honger, vreemde Eetzucht.*

MALACTICA, ſiue EMOLLIENTIA, ſunt, quae mediocri ſua calefaciendi et humectandi facultate, partes inter ſe firmius cohaerentes relaxando, diſſoluendo, et nonnulla diſſipando, molles reddunt. Hinc emplaſtrum *Apollinis Malacticum* dictum. *Malagma* idem maioribus ſonat, quod *Cataplaſma*. A μαλάσσω, emollio. Ge. Lindernde Arzeney, erweichende Mittel. G. *Remedes emolliens.* A. *Softning Remedy.* B. *Verzagtende, weekmaakende Middelen.*

MALAGMA, i. q. *Malacticum.*

MALA INSANA, dicuntur fructus duarum plantarum, quae hodie ad *Solana* referuntur, flore monopetalo rotato, (Pentandr. Monogyn.) a quibus tamen eas *Tournefortius* ob fructus in plura loculamenta diuiſos ſeparauit, et ſub ſpeciali nomine *Lycoperſici* et *Melongenae* propoſuit. Fructus hi rubicundi, tenera cute veſtiti, in ſucculenta pulpa multa ſemina compreſſa reniformia continentes, ad oui fere magnitudinem accedentes, paſſim largiter inter cibos et acetaria ſine noxa eſitantur. Externe applicatis vis emolliens tribuitur. Dicuntur Neapolitanis *Melanzana*, ab aliis *Amoris poma*. Dicta ſunt, non quod lethalia ſint, ſed quod difficulter concoquantur. *Amoris* autem *Poma* propter elegantiam et pulchritudinem. Ge. Goldapfel, Paradiesapfel. G. *Pomme d'Amour, Pomme dorée.* A. *Gold-appel.* B. *Gulden-appel, Dol-appel.*

MALAXATIO, eſt, quando maſſae quaedam pilularum in maſſam cum aliis rebus ſubiguntur, ſiue id manu fiat, ſiue pila, vel ſimili inſtrumento. Eſt etiam propria emplaſtris durioribus, quae cum oleo appropriato miſcentur, vt debita mollitiem, ad illinitionem aptam, recipiant. Ge. Das Kneten. G. *Pétriſſement.* A. *A Kneading.* B. *Kneeding.*

MALDIVICA NVX, ſ. COCCVS DE MALDIVA, eſt fructus Palmae Maldiuenſis, quem incolae, ob magnas, quas ei tribuunt, virtutes, magni faciunt; hinc raro ad nos adfertur. Vide *Palma* et *Coccus.*

MALICORIVM, quaſi corium mali, eſt *Mali punici*, ſ. *granati* putamen. Potentius adſtringit, quam flores. Vide *Balauſtium*, et *Granatus.*

MALIGNVS MORBVS, eſt, qui ſymptomatibus ſuis saeuit vehementius, aut perſeuerat diutius, quam indoles eius prae ſe ferre prima fronte videtur, quiue facilius per contagium propagatur, in quo ſubita animaduertitur et plenaria virium proſtratio, et qui medicinae non auſcultans, mortem ſaepe inducit, vt febris peſtilens, vlcus cacoethes, etc. Ge. Bösartige Krankheit. G. *Maladie maligne.* A. *A malignant Diſeaſe.* B. *Kwaadaartige Ziekten.*

MALINATHALLA, eſt *Cyperi* ſpecies, *Thraſi* Italorum, cuius nomen *Malinathalla*. Ex ἀνὰ, et θαλέω, vel θάλλω, conflatum videtur, quod Latinis regermino ſignificat, vel ex μάλα, valde, et ἀναθάλλω, regermino. Sata enim vnica radix innumeras alias producit. Hae radices rotundae, tuberoſae, carnoſae, extus flauoſcentes, interne albidae, viribus pectora-

libus, resoluentibus, demulcentibus, et iuxta nonnullos aphrodisiacis pollent, et in decoctis adhibentur. Abunde in Europa australi prouenium. Est *Cyperus esculentus Linn.* G. *Souchet Sultan, ou Sucré.*

MALIS, MALIS HYPODERMATITIS, *Lancisii* PASSIO BOVINA, vulgo est morbus, tum pecora, tum homines infestans, in quo insecta vermiformia, vel laruae insectorum, vt plurimum ex tumoribus abscessibusque corporis prodeunt, vel in eius vlceribus nidulantur. Insecta sunt vermiformia, seu apoda, aut laruae, et sic a pediculis comitantibus distinguuntur. Ge. Wurmkrankheit. G. *La Clavelée.*

MALLEABILITAS, chemicis significat talem metallorum conditionem, qua ductilia, vel tractabilia, sunt sub malleo, et opponitur friabilitati. Ge. Malleabilität.

MALLEOLVS, siue MALLEVS, Gr. Σφυρὰ, Σφυρὸν, Πέζα *Polluci*, est duplex, *Externus*, qui est inferior in pede ossis fibulae processus, vel *Internus*, seu processus inferior ossis tibiae. Ge. Die Knorren, Knöchel. G. *Malléole, la Cheville.* A. *The Anckles.* B. *De Enkel.*

MALLEOLVS, in vegetabilibus est nouellus palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus a similitudine rei, quod ex ea parte, qua deciditur ex vetere sarmento, prominens vtrinque malleoli speciem praebet, vel, quod capillatus vtrinque et furculatus solebat seri. G. Ableger. G. *Rejetton.*

MALLEVS, est ex ossiculis illis quatuor in aure contentis vnum, a figura ita dictum, quod crassius sit altera sui extremitate, quae *Caput* dicitur, et tenuius altera, quae *Manubriam* appellatur. Hoc ossiculum membranae tympani a parte posteriori versus interiora applicatur; habet caput superficiem ex vna parte hemisphaericam, ex altera parte inaequalem, duabus protuberantibus eminentiis cum cauitate intermedia donatam pro articulatione cum corpore Incudis: hoc locatur in foueola quadam, in parte anteriori, superiori, et media, tympani exsculpta, absque vlla tamen cum eadem connexione, quo efficitur, vt penitus liberum et mobile sit hoc capitulum in ginglymorum Incude. Manubrio suo longiori, tenuiori, incuruo, secundum membranae tympani interiora protenditur, vltra eius medium, vel centrum, recta descendit, ei interim firmiter accrescit, praesertim extrema manubrii parte, vbi illud paulo planius est, et sic pro actione musculi proprii dictam membranam introrsum trahit, atque efficit, vt tensa admodum, interim intus versus tympanum conice gibba, extus vero versus meatum auditorium concaua sit, sicque varios sonos etiam vario modo propaget.

Habet praeterea Manubrium duas apophyses, quarum vna possidet processum breuiorem, crassiorem, acuminatum, tympani membranae parti superiori anteriori quodammodo infixum, eamque versus meatum auditorium aliquantum eleuantem. Alter vero processus longissimus, gracilissimus, tenerrimus, incuruus, flexilis, elasticus, fragilis, a plurimis neglectus et praeteruisus, a *Caecilio Folio* primum inuentus, et postea a *Th. Bartholino*, et *I. I. Rau* animaduersus, locatur in sulco quodam ad finem meatus auditorii ossei in hunc finem excauato. Variis musculis Malleus regitur. Ge. Der Hammer im Ohr. G. *Le Marteau.* A. *Hammer, Beetle.* B. *Hep Hamertje.*

MALLEVS PEDIS, vide *Malleolus.*

MALOGRANATVM, et MALVM PVNICVM, seu GRANATVM, est cartilago *Xiphoides*, sic ab Arabibus nominata. — Alias fructum denotat.

MALTHACODE, est medicamentum cera emollitum. A μαλάσσω, emollio. μάλθη est cera emollita.

MALTVM, est substantia constans ex seminibus variarum plantarum cerealium, leni calore humido ad germinationem vsque fotis, tum exsiccatis, vel tostis. Adhibetur ad coquendam cereuisiam, sed etiam eius infusum recens nostris temporibus summopere in scorbuto commendatur. G. Malz. G. A. *Malt.*

MALVA, hoc sub nomine integra plantarum familia comprehenditur, quae *Maluaceae*, vel tubiformes, vocantur, (Monadelph. Polyandr.) a quibus genus Malvarum calyce exteriori triphyllo distinguitur. Plures species ob florum elegantiam in hortis coluntur, aliae plures sponte prouenivnt. Quae in vsum medicum plerumque adhibetur, est Malua sylvestris folio subrotundo, vel sinuato *Bauh. Malua rotundifolia* caule prostrato, foliis cordato-orbiculatis, obsolete quinquelobatis, pedunculis fructiferis declinatis *Linn.* Est haec planta, quae plures habet caules longos, satis crassos, rotundos, medullosos, villosos, ramosos, aliquando rubicundos, repentes. Folia sunt rotunda, aliquantum incisa, villosa, mollia, coloris viridi fusci, in margine dentata, caulibus adhaerentia. Flos est monopetalus, campaniformis, patens et multifidus, ex cuius fundo emergit tubus pyramidatus, staminibus plerumque onustus. Ex calyce vero exsurgit pistillum, infimae floris parti adinstar claui infixum, quod deinde abit in fructum planum orbiculatum, quandoque acuminatum, calyce vt plurimum inuolutum, e plurimis capsulis constantem, axi ita circumhaerentibus, vt singulae eius striae capsulam suam quasi articulatione quadam excipi-

ant, semine foetam, non raro reniformi. Radix simplex, longa, exigua, alba, saporis dulcis et viscosi. Qualitatis est fatuae et mucilaginosae, viribusque emollientibus, inuiscantibus et lubricantibus pollet. Prostant flores, herba et radix, et interne in decocto contra stranguriam, externe in cataplasmatibus et clysteribus adhibentur. Est prima inter herbas quatuor emollientes. Vsus olim cibarius fuit.— Eiusdem prorsus qualitatis et virium est *Malua arborea Pharm.* Malua rosea folio subrotundo *Bauh.* *Alcea rosea* foliis sinuato-angulosis *Linn.* Ge. Große Pappeln, Stockrosen. Ga. *Mauve des Jardins.* B. *Stok-Roosen.* — Gr. Μαλαχή, ab emollienda aluo nomen traxit: μαλάττειν enim mollire significat. Quin etiam sic Latinis, *Varro Maluam*, quasi *Moluam*, quod aluum molliat, dictam esse contendit. Ge. Pappeln. G. *Mauve.* A. *Mallow.* B. *Kaasjes-bladen, Maluwe.*

Malvaticvm ivniperinvm, est Rob Iuniperi in spiritu Iuniperi solutum, quod vt eximium remedium stomachicum, antiscorbuticum et antinephriticum commendatur.

Malvaviscvm, vide *Althaea.*

Malvm mortvvm, est scabiei genus, dictum, quod corpus nigrum et quasi mortificatum appareat. Est scabies cum tumore, liuore et nigredine, ac pustulis crustosis, nigris et foedis, sine sanie et sensu ac dolore, in coxis et tibiis praesertim saeuiens. Ge. Oelschenkel, Todtenbruch. Ga. *Mal mort.*

Malvs, est arboris genus, quod quam plurimas species et varietates, pro loco, vel cultura, inter se sapore, odore, colore, magnitudine differentes comprehendit, et cuius truncus habet externe corticem cinereum, asperum, interne flauescentem et politum, lignum durum, album, aut albescens. Folia sunt oblonga, obrotunda, quaedam acuta, altera obtusa, leuiter in margine crenata, vbi tenera in parte inferiori aliquantulum lanuginosa. Finis pedunculi fit ouarium, cuius margo superior explicatur in coronam, instar calycis monophylli explicatam in quinque magna segmenta expansa. Flos est roscaeus, pentapetalus, ouario intra coronam innatus, habet petala nata ex interstitiis segmentorum, et stamina viginti orta ex calycis interno ambitu. Ouario aucto, petalis excussis, elapsis staminibus, marcescunt quinque tubae longae ouarii, centro emissae. Contrahitur calyx fitque fructus pomum vmbilicatum, quinqueloculare, carnosum. Ill. *Linnaeus* Malum, Cydoniam et Pyrum sub idem genus *Pyri* refert, (Icosandr. Pentagyn.) et Malum vocat *Pyrum malum* foliis serratis, vmbellis sessilibus. In fructu

tamen mali transuersim dissecto apparent decem puncta in circulo posita, quae sunt orificia decem canalium, quorum bini e singulis capsulis seminalibus in stylum adscendunt; haec puncta in Pyro desunt. Qualitas Malorum, cumprimis cultura emendatorum est acidula, esculenta, sapida, visque tonica et refrigerans, dulcium magis laxans. Succus expressus per fermentationem in liquorem vinosum abit, qui *Vinum pomaceum* (Ge. Aepfelwein. G. *Cidre.* A. *Cider.*) dicitur. Mala in aqua superhausta facilius digeruntur quam si vinum superbibatur. Malus dicitur, forte a verbo *Malo*, desidero, expeto, propter insignem vsum alimentarium, cibariumque, vel a G. Μῆλον. G. Apfelbaum. G. *Pommier.* A. *Apple-tree.* B. *Appel-boom.*

Malvm adami, it. malvs medica, vide *Citrea malus.*

Mammae, mammilla, vber, grammaticorum senatus curiosior *Vbera*, interiora; *Mammas* ipsas eminentias dici voluit, Μαζοὶ, Μασοὶ, Τιτθοὶ, Τιτθίον, Μῆλον *Suidae*, ob mali in rotunditate similitudinem, Οὖθαϱ *Hom.* Τιτθίον *Suidae*, vter proprie pro vbere animalium sumitur. Est corpus globosum, album et molle, vtrinque musculo pectorali anterius in pectore incumbens, integumentis communibus tectum, in viris et foeminis ante pubertatem non multum tumens, in virginibus post annum quartum decimum increscens, in grauidis, puerperis, et lactantibus valde turgens, intus ex glandulis conglomeratis, intertexta multa pinguedine, constructum, quo mediante lac a sanguine arterioso segregatur, in *ductus* aliquos maiores colligitur, qui *Galactophori* dicuntur, et ex plurimis paruis ramis in maiores, seu folliculosos, confluunt, ex quibus per tubulos minimos circiter quindecim papillam transeuntes, foras in vsum foetus conuehitur. G. Die Brüste. G. *La Mamelle.* A. *The Breasts.* B. *De Borst, Mammen.*

Mammiformes processvs, mammillares, mastoidei, sunt duae portionis petrosae ossium temporalium apophyses, inferiores, subrotundae, in tenellis infantibus nondum conspicuae, in adultis intus cauae, multisque anfractibus ad partes interpas organi auditus pertinentibus donatae, insertioni musculorum inseruientes. Ge. Die Brüstenförmige Fortsätze. G. *Apophyse Mastoide*, *Apophyse Mammiforme.* B. *Mamwyze Uitsteeksels.* Vide *Mastoidei.*

Mammilla, idem quod *Mamma.* Plerumque de Mammis virorum dicitur.

Mammillares processvs, vocantur productiones duae medullosae, planae, albae, vtrinque orientes partim ex fine anteriori lobi anterioris cerebri et ex principio crurum

cerebri, tum ex lobi anterioris et posterioris interuallo, ipsisque corporibus striatis, tum antrorsum prodeuntes ad latera *Cristae galli* ossi cribroso incumbentes, per cuius foramina tenuissima filamenta demittunt, quae per nares dispersa veros neruos olfactorios constituunt.

MANATI LAPIS, *Auris Cetsi*, est substantia dura, alba, ossea, ebori fere similis, scilicet os petrosum animalis ad mammalia bruta pertinentis, quod est Vacca marina *Rai. Trichecus manatus Linn.* cui dentes primores nulli, laniarii superiores solitarii, molares ex osse rugoso vtrinque inferius duo, labia geminata, labium superius muricatum vibrissis rigidis, incuruis, pili corporis remoti, brettes, pedes antici abbreuiati, palmati, vnguiculati, postici coadunati in pinnam, mammae pectorales duae. Animal est phytiuorum, et habitat in mari Asiatico et Americano. Ossi huic, licet qualitatis saltem terreae sit, a quibusdam singularis virtus antinephritica et antispasmodica tribuitur. Ge. See-Kuhstein. G. *Pierre de Vache marine.*

MANDIBVLA, MAXILLA, Gr. Γαμφύλη, Σιαγών, Γένυς, Γένειον, Γνάθος. Estque superior, vel inferior. *Superior* e tredecim componitur ossibus, vtrimque sex, cum vno impari. 1. Ad angulum oculi externum, et cum processu ossis temporum anteriore coniunctum, apophysi sua *Os zygale* producit. 2. Oculi canthum internum constituit, *Os vnguis* meatu praeditum amplo, seu canali nasali, per quem ad nares redundans oculorum humiditas descendit. 3. Intra oculi orbitam, reliquis duobus interposita est pars *Ossis palatini* orbitalis, quod os etiam palati ossei partem posteriorem efficit. 4. *Os maxillare* maximum omnium genarum et palati potissimam absoluit partem, *Antrum Highmori*, s. *Sinum maxillarem*, efformat, in nares patens, et cauernas, seu alueolos, quibus dentium superiorum radices infixae sunt, continet, imo anteriorem palati ossei partem format. 5. Iuxta cum pari suo nasum constituit *nasale*. 6. *Ossa turbinata* sic dicta *inferiora* in narium cauitate latent, et aditum ad sinum maxillarem ex parte angustant. 7. Est impar, quod *Vomer* dicitur, narium sepimentum fulciens. — *Inferior maxilla* in infantibus ossibus binis componitur, quae per synchondrosin iunguntur, vigente vero aetate in os vnicum coalescit, duritie, crassitudine, adeoque robore insigne, quoniam varios et fortissimos motus in mordendo mandendoque sustinere debet. Habet processus duos, acutum vnum, qui *Corone*, vel *coronoideus*, dicitur, et cui musculus temporalis inseritur, tum retusum alterum, qui in capituli formam collectus et articulationi inseruiens, *Condylus* appellatur. Foramina interna possidet duo, totidemque externa vasis et neruis egressum concedentia, inferiores dentes cauernulis excipit, et ossi petroso per processum *condyloideum* coarticulatur. Ge. Der Backen, Kinnbacken. G. *Machoire.* A. *The Jawbone.* B. *Kinnebakken, Kaakbeenen.*

MANDIBVLARES MVSCVLI, i. q. *Masseteres.*

MANDRAGORA, planta est, quae habet folia immediate ex radice erumpentia, longa, in medio ampla, in fine angusta, polita, coloris viridis, subfusci, odoris ingrati. Flores sunt monopetali, multifidi, campaniformes, (Pentandr. Monogyn.) Post florem sequitur fructus mollis, globosus, carnosus, continens semina compressa, vt plurimum reniformia. Radix est longa, crassa, bifida, externe cinerea, ferruginea, interne pallida, odore ingrato, et viroso, caput faciente et narcotico. Refert radix fere hominem, inferne duo crura habet, et si superne leuiter vulneretur ab vtroque latere, tum excrescunt quasi brachia, et tum superne facile caput formari potest, cui etiam, implantatis hordei, vel milii, granis, capilli affingi possunt. Plantae huic qualitas phantastica et stupefactiua tribuitur, sed per experientiam constat, eam ad conuulsiones vsque euacuationes prouocasse. Hodie, fere vt cum aliis plantis venenatis fit, experimenta institui incipiunt, vt, quas forte sub cauto vsu virtutes exferat, innotescat. Tribuunt vero externe in cataplasmate adhibitae resoluentem vim in scirrhosis tumoribus, interne anodynam virtutem in arthritide ostendit. Vocarunt quidam ob similitudinem quandam fictitiam anthropomorphon, ab Ἄνθρωπος, homo, et μορφή, figura, quasi figura hominis; vel, vt aliis placet, quasi τῆς μάνδρας τὸ φάρμακον, spelunearum stabulorumque homos, quod ad mandras pecorum aliasque speluncas proueniat. Μάνδρα enim est spelunca, pecorum stabulum. Gr. Κυνάλη, Ἀνθρωπόμορφος, Latinis *Canina*, aut *Terrestris malus.* Qui *Circaeam* vocarunt, nomen illi a Circe fecerunt, quoniam creditur radix eius ad amatoria conducere, Agyrtae et impostores illi circumforanei radices humana effigie insignitas circumferunt, quas Mandragoras esse testantur, et de iis multa absurda et superstitiosa fabulantur, cum tamen constet, eas esse fictitias, et manu factas ex Cannarum radicibus humana specie sculptis, postea plantatis. In iis radiculae paruae repraesentant capillos, barbam, pectinis pilos. *Terrestre malum* Romani quoque dixerunt. Mas vocatur Μόριον, et candida est. Foemina nigra, Graec. Θριδακίας a similitudine foliorum. Nonnulli *Dudaim* esse

contendunt. Ge. Alraun. G. *Mandragore.* A. *Mandrake, Mandrage.* B. *Alruin, Mandraagers-kruid.*

MANDVCATORII MVSCVLI, i. q. *Maſſeteres.*

MANGLES, aquatica foliis ſubrotundis et punctatis *Plum. Rhizophora mangles* foliis acutis, fructibus ſubulato clauatis *Linn.* Arbor eſt, in maris littore abunde in calidis creſcit, cuius cortex ſuccedaneum corticis Peruuiani eſſe dicitur.

MANGONIVM, MANGONISATIO, in genere quidem vilioris rei, fuco inducto exornationem denotat. Medicis vero dicitur, dum pretioſioribus ſimplicibus viliora fraudulenter immiſcentur et pro genuinis venduntur: vt ſi oleis aethereis pretioſis alia villora, vel aetherea, vel vnguinoſa, addantur, ſicque illa adulterentur, quae tamen artificia variis experimentis ſat facile ſaepe deteguntur.

MANGOSTANA, eſt fructus *Garciniae mangoſtan* et *celebicae Linn.* in India orientali creſcens, optimus et ſaluberrimus, ſuccoſus, dulcis, qui aegris gratiſſimum cibum largitur. Magnitudinem parui pomi habet. Cortex adſtringens eſt, et in dyſenteria commendatur.

MANIA, eſt imaginationis et iudicii deprauatio, ſeu ſenſuum internorum perturbatio circa obiecta quaeuis, cum excandeſcentia, et plerumque praua nocendi, aut euadendi, deſiderio, caute diſſimulato, ſine febri et timore. Itaque gradu tantum a melancholia differt. Oritur a quacunque praeternaturali affectione penſorii communis. A μαίνομαι, furo, inſanio. Dicitur et *Rabies, Furor.* Gr. Μανία, Μανικὴ ἐκστασις, Λύσσημα. Ge. Das Toben, Unſinnigkeit, Wahnwitz, Raſerey. G. *Fureur.* A. *Madneſs.* B. *Dolligheid, Razerny.*

MANICA HIPPOCRATIS, eſt ſacculus laneus, figura pyramidali, quo vina aromatica et medicamentoſa aliique liquores percolantur. Ge. Filtrirſack. G. *Chauſſe d'Hippocrate.* A. *Strainer with a narrow end.* B. *Mouw.*

MANIODES, eſt delirium Maniae ſimile. A μανία, furor, et εἶδος, forma.

MANIPVLVS, eſt menſura ſicca medicis in praeſcribendis formulis familiaris; eſt enim determinata quantitas, quantum ſcilicet vnica manu comprehendi poteſt; hoc pondere plerumque herbae menſurantur, ſic vt Manipulus vnus tres drachmas pondere aequet. *Manipulus Celſo,* quod *Scribonio Largo* faſciculus. Caeterisque omnibus a Manipulo differt faſciculus. *Ouidius* manipulum ſcite circumſcripſit, quantum manus vna prehendat. Notatur vulgo ſigno M. vel Man. Ge. Eine Handvoll. G. *Une poignée.* A. *An Hand full.* B. *Een Hand vol.*

MANNA, eſt ſuccus melleae dulcedinis, primo limpidus, ſenſim vero a ſolis calore magis dureſcens et flaueſcens, odoris ſubmellei, in aqua, et, accedente calore etiam in ſpiritu vini totus ſolubilis, qui in maximo aeſtiuo calore, aut ſponte, aut praeuia inciſione, ex foliis, ramis et trunco Fraxini magna copia exſtillat, et condenſatus colligitur, magis exſiccatur, et ad nos transmittitur. Arbor haec eſt Fraxinus humilior, folio tenuiore *Bauh. Fraxinus Ornus* foliis ſerratis, floribus corollatis *Linn.* (Polygam. Dioec.) et Fraxinus rotundiore folio C. *Bauh. Fraxinus rotundifolia Milleri,* quae in Europa auſtrali, maxime vero in Calabria et Sicilia, naſcuntur. Hinc quae in officinis proſtat, *Manna Calabrina* vocari ſolet, quarum altera, quae purior eſt, *Manna in granis,* vel *electa,* dicitur, quippe ſponte ex arbore prima aeſtate exſtillans, quamuis incolae *Manna ſpontana,* vel *Manna di Corpo,* nominant, altera vero, quae prouectiori aeſtate non niſi ex arbore vulnerata defluit, minusque pura eſt, et in cannis, vel arundinibus, colligitur, *Manna cannulata* dici ſolet, quae humida et quaſi deliquio ſolui coepit, *Manna in lacrymis* vocatur. Sed in regionibus calidioribus etiam ex aliis arboribus, vt Pino, Ilice, Iunipero, Olea, huiusmodi ſuccus Mannae prorſus ſimilis exſudat, rarius tamen, vt etiam *Manna Briganzina,* ſ. *laricina,* in regione Brigantina Galliae auſtralis ex Larice exſtillans, ad nos peruenit. E frutice ſpinoſo, Alhagi Maurorum *Rauwolfio* et *Tournef. Hedyſarum Alhagi* foliis ſimplicibus, etc. *Linnaeo* dicto, in Inſulis quibusdam maris Aegaei, Arabia, Perſia et auſtralibus regni Aſtrachanenſis limitibus obuio, exſudat *Manna Tereniabin,* ſ. *Truuſchibin,* ſ. *Manna Perſica* dicta, quae plerumque in lachrymis reperitur, et ab incolis dictarum regionum loco calabrinae adhibetur. Huius apud medicos Arabes frequens fit mentio. Mannae Calabrinae frequentiſſimus in medicina vſus eſt; eximiis enim leniter laxantibus, obtundentibus, demulcentibus et thoracicis virtutibus pollet, et tutiſſime etiam infantibus et maxime debilibus a drachma vna ad vnciam et vltra propinatur. Ob qualitatem tamen aliquantum flatulentam non male ei lenior ſtimulus ſalinus, cum aromate quodam carminatiuo, additur. In ſero lactis ſoluta calculoſis, mictui cruento obnoxiis, leuamen adfert. Mannam quidam veterum fuiſſe Saccharum ſuſpicantur, quod tamen *Plinius Sal Indum* vocat. Gr. Δρόσυμελι, et Ἀσόβυμελι. Ge. Manna. G. *Manne.* A. *Manna.* B. *Manna, Honingdauw.* — *Manna* dicuntur femina in graminis quadam ſpecie prouenientia. Eſt haec *Feſtuca fluitans* panicula ramoſa erecta, ſpiculis ſubſeſſilibus

teretibus muticis *Linn.* (Triandr. Digyn.) Gramen Mannae eſculentum *Loeſ.* Paſſim in Europa, praecipue vero abunde in Polonia, ſponte circa riuos et ſtagna prouenit. Gramen ipſum iumentis ſuauiſſimum et vtiliſſimum pabulum praebet. Seminis vero hodie frequentiſſimus vſus culinaris et cibarius eſt, dum vario modo coctum eximium etiam maxime exhauſtis nutrimentum ſuppeditat. Ge. Mannaſchwingel, Schwadengraß. G. *Manne.* A. *Floas-graſs.*

MANNA CHYMICORVM, item MERCVRII, eſt deſtillatum quoddam ex praecipitato albo, niuis inſtar albiſſimum. Alii *Mercurium dulcem ſolarem* nominant. Vocatur et *Aquila Coeleſtis.*

MANNA THVRIS, vide *Thus.*

MANSORII MVSCVLI, i. q. *Maſſeteres.*

MANVS, in genere ſumitur pro ea parte a ſummo humero ad digitorum extremitates. Sed ſtricte diuiditur in *Brachiale*, vel *Carpum*, in *Poſtbrachiale* et *digitos.* Interna poſtbrachialis pars *vola*, ſeu *palma*, exterior autem dicitur *dorſum.* Gr. Χεὶρ. Ge. Die Hand. G. *La Main.* A. *The Hand.* B. *De Hand.*

MANVS CHRISTI, eſt ſaccharum perlatum, ſcilicet ſaccharum in aqua roſarum coctum, additis perlis. Sic forte dicitur, quod cardiaca ingreditur, quo vtuntur morte proximi. Ge. Perlenzucker. G. *Sucre de Perles.* A. *Pearle Suggar.* B. *Paerel-Suiker.*

MARASMODES, eſt *Febris*, quae lento gradu tabem acciſit. Ex μαραίνω, tabes, et εἶδος, forma. Ge. Abzehrendes Fieber, Schwindſucht. G. *Fievre lente, ou de langueur.* B. *Een uitdroogende of uitteerende Koorts.*

MARASMVS, eſt Tabis ſpecies ſine febre, oriens a nimia rigiditate ſolidorum, defectu fluidorum et exſiccatione corporis; oculi aegrorum hoc malo laborantium ſunt concaui, collapſa tempora, nares acutae, prominentes malae, coſtae protuberantes, ſcapulae inſtar alarum et clauiculae inſtar arcus eminent: exſerit ſe ſpina dorſi, collabitur venter, clunes pendent, aut conſumuntur, manus aridae ſunt, incuruantur vngues, cadunt pili, atque tota cutis euadit flaccida, arida, fuſca, et in rugas contrahitur, venis interdum conſpicuis et eminentibus. Vrget interdum inexplebilis ſitis, fames perit, reſpiratio exiſtit ſumme difficilis, denique alui fluor, et tandem mors inſequitur. Huic morbo ſenes obnoxii ſunt, quo placide exſpirant, et hic proprie *Maraſmus ſenilis* vocatur. A μαραίνω, marceſco. G. Abzehrung, Auszehrung.

G. *Conſomption, Phtiſie, Langueur.* A. *Conſuming fever, Conſumtion.* B. *Uitteerende, sleepende Ziekte.*

MARATHRVM, eſt *Foeniculum*, antiqui vocarunt ἀπὸ τοῦ μαραίνειν, τοῦτ' ἐστὶ λάμπειν, καὶ ἀθρεῖν, quod eſt videre, lucere, quia viſus aciem excitat. Recentiores vocarunt, quod foliis teneris mollibusque ſit, vel quod molliendi vim habeat. Nonnulli tamen deducunt ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι, a *Marceſcendo*, cum eius vſus multus cum inaruerit et marcidum fuerit, ad condienda plurima. Vide *Foeniculum.* Ge. Fenchel. B. *Venkel.*

MARCASITA, ſiue BISMVTHVM, vel WISMVTHVM, eſt Semimetallum, Wiſmuthum *Wall. Wiſmuthum natiuum commune Linn.* ſcilicet ſubſtantia mineralis, ſemimetallica, colore plumbi et ſtanni intermedia, vtroque durior, ſtibio ſimilis, fragilis et ſciſſilis, fractum ſplendens et ſtrias latas habens, ante ignitionem liqueſcens, tinniens, manus inficiens, in acido nitroſo ſolubilis, ſed acido vitriolico reſiſtens. Reperitur in Germaniae potiſſimum fodinis, et albo nitore argentum aemulatur, ſtanno vero et plumbo additum in maſſam abit, quae leniſſimo caloris gradu liqueſcit. Wiſmuthi minera, quae vulgo Marcaſita audit, hoc ſemimetallum arſenico et cobalto mineraliſatum continet. — (*Marcaſitis* nomine (Ge. Marcaſiten, Giftſteine.) etiam a nonnullis cryſtalli pyriticae inſigniuntur.) Veteribus incognita fuit, cum hucusque tantum in Germaniae fodinis reperta ſit. Vſus ad quosdam labores chymicos. *Flores Marcaſitae*, qui per ſublimationem ex minera praeparantur, et arſenicales ſunt, atque *Magiſterium*, quod per praecipitationem fit, qualitate exſiccante pollent, hinc praecipue in collyriis et inter remedia coſmetica adhibentur. Vſus internus valde ſuſpectus eſt. Ge. Wismuth, Marcaſit. G. A. B. *Marcaſite, Bismuth.*

MARCOR, i. q. *Maraſmus.*

MARGA, hoc nomine ſolent indigitari varia terrarum genera, quae tamen multum ac vere inter ſe differunt. Aliud genus Margae eſt id, quo nunc noſtra aetate adeo frequenter vtuntur oeconomi ad agrorum fertilitatem promouendam, quod cum ſua natura ſponte in aere fatiſcit, tenaces nimis terras egregie corrigit. Hoc ex argilla et calcarea terra, ſiue, vt alii putant, ex argilla et arena, ſiue ex argilla, arena et calcarea terra ſimul mixtum, vt plurimum in ſtratis horizontalibus occurrit, et eius variae ſpecies colore, tenacitate, mixtione, differentes, a mineralogis recenſentur. Alterum genus, quo vti quondam et medici ſolebant ad

roboranda laxa inteſtina, vel ad compeſcendas haemorrhagias, in ſaxorum rimis et fiſſuris inuenitur, hinc et *Medulla ſaxorum* appellatur. Hoc ex mera pingui argilla conſtat, quae a ferro ſaepius aliisue metallis, vel rubicunda, vel vario colore tincta eſt, et ratione duritiei maioris minorisue variat, ita, vt laxius cohaerens *Agaricus mineralis*, falſo tamen; durius vero ſoleat dici *Lithomarga Stenomarga*, addito in officinis pharmaceuticis a ſolo natali deſumto cognomine, e. g. *Lithomarga Rochlizenſis; Marga Lemnia*, etc. Effoditur in Saxonia ſpecies quaedam Lithomargae egregie variis coloribus picta, quam *Terram miraculoſam Saxonicam* nominant, quam multi marmor nondum perfectum eſſe cenſent, inepte tamen, cum nil calcarei in ſe contineat. Vſus medicus Lithomargae nunc prorſus obſoleuit, licet quondam inter terrarum ſigillatarum farraginem inſignem omnino locum obtinuerit. Prius *Oeconomorum Marga* eſt Ge. Mergel. G. *Marke, Agaric mineral.* A. *Marle.* B. *Mergel.*— Alterum, *Marga* nimirum *medica*, Ge. Erd- oder Steinmark. Conf. *Lithomarga.*

MARGARITAE, *Perlae* dictae, et *Vuiones*, ſi magnae ſint, quoniam non ſine magno labore aliae aequalis magnitudinis, formae et albedinis reperiri poſſunt. Sunt lapides, ſ. calculi, plus, vel minus rotundi, in conchis plerisque biualuibus reperiundi, et ex eadem ſubſtantia, vel ſucco ex animali exſudante, et per lamellas ſibi accreſcentes geniti, e quo ipſae concharum valuae formantur et increſcunt. Quae proprie *Margaritae orientales* vocantur, habitant intra valuas conchae, quae eſt *Mya margaritifera*, pertinens ad vermes teſtacea, ſcilicet animalia molluſca, ſimplicia, domo calcaria propria obtecta. In Mya eſt animal exſerens proboſcidem apice biperforato, teſta biualuis hians, cardo dente ſolido, craſſo, patulo, nec inſerto teſtae oppoſitae. Species eſt Mya teſta ouata antice coarctata, cardinis dente primario conico, natibus decorticatis. Intra has ergo valuas plures huiusmodi globuli inveniuntur, ideoque ipſae valuae *Mater perlarum* vocantur. *Occidentales* ex *Mytulo margarifero*, qui in riuulis Europae habitat, obtinentur. Orientales occidentalibus ſplendidiores ſunt, adeoque caeteris praeferuntur, et praeſertim Perſicae. Hae lacteſcunt, minusque ſunt ſplendidae. Maiores itidem, rotundae et nitidae, cenſentur minoribus et minus rotundis maturiores et praeſtantiores. In medicina dicuntur cor roborare, ſed vix aliae vires, praeter abſorbentes, quas cum ipſa Matre perlarum, Coralliis, ſimilibusue, communes habent, in iis obſeruantur; hinc praecipue margaritarum vires conſiſtunt in temperando acido. Arab. *Lulu.* Gr. Μαργαρίτης. Ge. Perlen. G. *Perles.* A. *Pearls.* B. *Paerel.*

MARGARITA, vide *Leucoma.*

MARIS, eſt menſura decem choarum Atticarum, vel librarum octoginta trium cum vnciis quatuor.

MARISCA, eſt tumor in margine ani enatus, ruber, ſaepe dolens et cruorem fundens, ſponte dein recedere ſolitus. Vide *Ficus.* Ge. Feigwarzen. G. ſed minus proprie, *Hémorrhoides.*

MARMARYGAE, ſunt oculorum fulgores et coruſcationes et ſcintillae, magis, vel minus fugitiuae, ob oculos verſantes, rurſumque ſubito diſparentes, hinc Latinis *Suffuſio ſcintillans* dicuntur, et a quacunque tunicae retinae affectione, ab aliis cauſſis, quam radiis lucis, pendente, oriri poſſunt. A μαρμαίνω, reſplendeo. G. Funken vor den Augen. G. *Berluë étincellante, ou rayonante.* B. *Het Vuur, dat uit de Oogen ſpringt.*

MARMELATA, et MARMELADA, eſt ſuccus Cydoniorum in gelatinam craſſiuſculam cum ſaccharo condenſatus: eaque tum ſimplex eſt, tum aromatiſata, idque pro vſu medico, aut domeſtico. Venit a voce Luſitanica et Hiſpanica. *Marmelos* enim et *Marmellos* illis malum cydonium eſt. Dicitur etiam Miua. Ge. Quittenbrod, Quittenlatwerg, Marmelate. G. *Marmelade, Coignac.* A. *Marmelade.* B. *Marmelade, Quee-vleeſch.*

MARMOR, lapis eſt calcarius, igne ſcilicet in calcem mutabilis, chalybe rafilis nec ſcintillans, niſi metallo impraegnatus, cum acido efferueſcens et ſolubilis, in maxima ſaxa concreſcens, triplo fere aqua grauior, inſigniter durus, ac ad ſplendorem accipiendum, ſi poliatur, ita aptus, vt ſtatuae, vel columnae egregie nitentes inde ſculpi poſſint. Genera multa vt et plurimae ſpecies ſunt, cum nec certa illis figura, nec color certus ſit, etc. Gr. Μάρμαρος, a ſplendore. Ge. Marmelſtein, Marmor. G. *Du Marbre.* A. *Marbleſtone.* B. *Marmerſteen.*

MARMORARIA, ſed corrupte *Mamolaria*, eſt *Acanthus*, ſeu *Branca vrſina*, ſic olim Romanis dicta, quod eius folia columnarum maxime Corinthiarum capitulis inſculpebantur, quarum identidem tam ſcapi, quam vertices, marmore ſplendebant.

MARMORATA AVRIVM, eſt liquor tenax, pinguis, flavus, amari ſaporis, collectus in meatu auditorio externo, ſecretus ex glandulis, meatum illum ambientibus, et hunc liquorem in folliculis colligentibus, et per tenues ductus

euehentibus; inferrit liquor inunctionibus membranae intimae meatus auditorii, vt feruetur mollis, aequalis, polita, ab aere defendatur, inuiscetque omnia animalia et sordes cunctas, quae alioquin ad tympanum vsque reperent, vel hanc membranam laederent. Gr. Κυψηλὶς, et inde Κυψελόβυτα nuncupatur. Item ὦτων ὠχενὸν, aurium sordes. Vide *Cerumina.*

MARRVBIVM, est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnosperm.) cuius species officinalis est *Marrubium album* vulgare *Bauh. Marrubium vulgare* dentibus calycinis setaceis, vncinatis *Linn.* Habet caulem lanuginosum, quadratum, ramosum, excauatum. Folia obrotunda, sibi inuicem opposita, rugosa, crassa, neruosa, in margine incisa, lanuginosa, villosa, albescentia, odorantia, saporis acris et amari. Flores sunt minimi, albi, in verticillis densis distincti, circa caules nudi, labio superiori elato, et velut in cornua fisso, inferiori tripartito, media portione plerumque bifida. Semina quatuor oblonga. Radix fibrosa, nigra, odoris aromatici, penetrantis, et grati. Crescit haec planta in locis incultis. Vocatur ita, quod marcescentibus et tabescentibus prosit; vel quod eius folia marcida et squalentia videantur, quasi a rubigine exesa forent. Putredini resistit, hinc externe in gangraena, interne in ictero, summopere laudatur. Sed etiam specificae ei virtutes anthelminthicae et praecipue emmenagogae tribuuntur, hinc infusum frequenter ad prouocandos menses, nec minus in asthmate humido, eximio cum effectu adhibetur. Ge. Weiſſer Andorn. G. *Marrube blanc.* A. *White Horehound.* B. *Witte Andoren, Malrove, Longekruid.*

MARRVBIVM NIGRVM, vide *Ballote.*

MARS, belli Deus, sed a chymicis sumitur pro ferro, aut chalybe. Vnde *Martialia* dicuntur medicamenta, quae ex Marte parantur. Vide *Ferrum.* Ge. Eiſen, Stahl. G. *Fer, Acier.* A. *Iron, Steel.* B. *Yzer, Staal.*

MARSVPIALIS MVSCVLVS, siue BVRSALIS, et OBTVRATOR INTERNVS, est stratum fibrarum musculariun vndique margini foraminis ouatis ossium innominatorum, et membranae tendineae id foramen obturanti in superficie interna adhaerens, et compactis fibris et fine tendineo inter spinam et tuberositatem ischii exiens atque inter musculos geminos decurrens, tandem superiori et internae parti trochanteris maioris femoris inseritur, et actione sua femur vna cum sociis rotat, sic scilicet mouet, vt calx pedis introrsum, digiti extrorsum dirigantur. Ge. Der verſtopfende Schenkelmuskel.

G. *L'Obturateur interne.* A. *The Burſal Muſcle.* B. *De innerlyke Stop-ſpier, Beurs-ſpier.*

MARTAGON, est *Lilium* purpureo-croceum, petalis reflexis. Est et vox chymica, obscurae significationis. *Martagon* est vox origine Gallica, et forte ex Turcia translata. Ge. Türkiſcher Bund, Goldwurzel. G. *Lis ſauvage, Martagon.* A. *Martagon, or Turks Cap.* B. *Berg Leli, Martagon.*

MARTIALIA, vide *Mars.*

MARTIATVM VNGVENTVM, olim fuit duplex, *Maius*, vel *Minus.* Sed minus maiori praestat, ideoque solum fere in officinis prostat. Ex variis herbis aromaticis, oleis, cera, adipibus, gummis, etc. componitur, et aduersus neruorum et tendinum mala commendatur; sed et laudabilis eius in infarctu et obstructione viscerum effectus est, cumprimis si cum vnguento de Arthanita coniungatur. Nomen a *Martiato* Medico inuenit. Ge. Nervenſalbe. B. *Zenuwzalf.*

MARTIS EXTRACTVM, est Gallicis pharmaceutis ferrum cum cremore tartari vnitum et ad consistentiam extracti inspissatum. Apud nos solutio ferri, mediante quouis acido vegetabili, ita vocatur. Hinc Extractum martis pomatum, cydoniatum e. s. p. in nostris officinis prostant.

MARTIS OLEVM, massa, quae sub praeparatione florum salis ammoniaci martialium in retorta remanet, si deliquescat, hoc nomine insignitur. Ge. Eiſenöhl.

MARTIVS PANIS, vel PASTA REGIA, fit ex Amygdalis excorticatis, instar pulmenti crassioris cum aqua rosarum contusis, et Saccharo ana, vel Amygdalarum partibus duabus, Sacchari parte vna: tum supra ignem in aheno diligenter agita, vsque dum superflua humiditas euaporauerit, depsequeque simul in massam manui non adhaerentem, ex qua deinde lautia praeparantur. Ge. Marcipan.

MARVM, s. MARVM SYRIACVM, vel VERVM, est planta flore monopetalo vnilabiato, galea scilicet carente, hinc ad Teucria pertinens; *Teucrium Marum* foliis integerrimis, ouatis, petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis, oppositis *L.* (Didynam. Gymnosperm.) Marum Cortusi *Bauh.* Qualitatis est spirantis, acutissimae, sed per exsiccationem illico pereuntis. Commendatur vt remedium neruinum, emmenagogum, errhinum et cordiale, et in variis morbis neruorum proficuum. Nascitur in regionibus calidis, vt Insulis Stoechadibus, Creta, Hispania, indeque ad nos translatum passim colitur. G. Katzenkraut. G. *Maron.* A. *Syriack Marum.* — *Marum vul-*

gare, ſ. *Maſtichina*, eſt *Thymus maſtichina Linn.* G. Amberkraut. G. *Maron.* A. *Herb-Maſtick, Maſtick-Thyme.* — Dici volunt a rege quodam Thraciae, cui nomen *Maro* fuit, ſed veriſimilius ab Amaraco, per apocopen, nomen impoſitum.

MAS, in regno animali et vegetabili id dicitur, quod partibus in certum finem ſtructis gaudet, quibus alterum eiusdem ſpeciei foecundare, et ſui ſimilis procreationem efficere poteſt. Sed in chirurgia ſic vocatur inſtrumentum oblongum et acuminatum, quod modiolo, ſiue trepano, inditur, vt trepanum in initio firmiter conſiſtat. Vide *Modiolus.* Ge. Das Männlein im Trepan. G. *La Piramide du Trepan.* A. *A Borer, or Trepan.* B. *Het Mannetjes panboor.*

MASLACH, eſt compoſitio Turcis et Indis ex Cannabis ſylueſtris ſemine, areca, ſaccharo et opio praeparata, cuius doſis eſt drachma; imo ad tres quandoque innoxie deuorant, praeſertim ſi Veneris, aut Martis, proelium ſint inituri. Vocatur et *Anſion*, vel *Amphion.*

MASSA, dicitur de quibuscunque rebus compoſitis. Saepe nomĩnatur omnis ſanguis, in toto corpore ſimul ſumtus, Maſſa humorum, vel ſanguinis — *Maſſa* dicitur quoque omnis compoſitio ex puluerĩbus aliisque rebus ſiccis, cum fluidis et reſiniis in vnam ſubſtantiam redactis, vti ſunt maſſae pilularum, maſſae emplaſtrorum, etc.—Sic et *Maſſa* vocatur carnis quaedam excreſcentia. Ge. Ein Teig. G. *Paſte, Maſſe.* A. *Paſt, Maſſe.* B. *Een Deeg, Maſſe.*

MASSETERES, MANSORII, ſeu MANDVCATORII, et MANDIBVLARES, ſunt *muſculi* maxillae inferioris craſſi et carnoſi, qui amplo validoque principio, a maxillae ſuperioris oſſe primo et oſſe iugali producti, maxillae inferioris margini inferiori exteriori per ſpatium quatuor fere digitorum inſeruntur. Maxillam inferiorem fortiter adducunt ad ſuperiorem. In canibus, praecipue moloſſis, hi muſculi valde conſpicui ſunt. A μασσάομαι, manduco. Ge. Die Kaumuskeln. G. *Les Maſſeters.* A. *The Muſcles of the lower Jaw.* B. *Kaauw-ſpieren.*

MASSOY CORTEX, ONINIVS CORTEX, eſt cortex arboris in noua Guinea prouenientis, aromaticus, odoris et ſaporis fragrantis et grati, virtute ſtomachica, carminatiua et cephalica cum *Caſſia Caryophyllata* conueniens. Incolae hunc corticem cum cortice *Culilauan* contuſo in pulmentum redigunt, corporique inungunt tempore hyberno ad frigus arcendum; ſic enim gratum corpori calorem conciliari dicunt. Hinc etiam contra perniones prodeſſe dicitur.

MASTICATIO, et MANDVCATIO, eſt actio, quae maxillam inferiorem verſus ſuperiorem adducendo, varie declinando, et antrorſum, retrorſum, dextrorſum et ſiniſtrorſum mouendo, interceptos cibos dentibus comminuit, et ſaliuae in ore admiſcet; ideoque nexum eorum recludit, et ſuccis diſſoluentibus, qui in ventriculo ſunt, faciliorem ingreſſum ad vlteriorem reſolutionem parat. Ge. Das Kauen. G. *L'Action de Mâcher, Maſtication.* A. *Knawing, Maſtication.* B. *Kaauwing.*

MASTICATORIVM, eſt medicamentum, quod ore detentum, ſaepius maſticatum, et dentibus contritum, acrimonia ſua glandulas ductusque ſaliuales ſtimulat, et hac ratione ſaliuam prolicit; ex *Pyrethro, ſale, maſtiche, ſemine ſinapi, naſturtii, cardamomo*, etc. praeparatum. Ge. Eine Arzeney die man kauet, Kaumittel. G. *Maſticatoire.* A. *Maſticatory.* B. *Kaauw-Middel.*

MASTICHINA, eſt *Marum vulgare.*

MASTIX, ſeu MASTICHE GVMMI, eſt reſina, aut lachryma, ex albo flaueſcens, pellucida, ex *Lentiſco* arbore *Piſtacia Lentiſco Linn.* vt plurimi volunt, licet alii de hac re adhuc dubitent, exſudans. Venit ex Chio, Syria, Candia, Prouincia, Hiſpania, etc. Ex albo citrina eſt, pellucida, granulata, bene odorata, friabilis, diu manducando lenteſcens, neque in humoribus oris noſtri ſolubilis, viribusque neruinis et anticatarrhalibus gaudens, etc. A μαστίχω, flagello, nam e caudice Lentiſci caeſo exſudat. Vel forte a maſticando, quia maſticatu plurimum ſaliuae elutriatur. Ge. Maſtix. G. *Du Maſtic.* A. *Maſtick.* B. *Maſtik.*

MASTODYNIA, eſt notabilis et conſtans, ſiue periodicus, ſiue continuus, mammae alterutrius, vel vtriusque, dolor, oriens vel ab inflammatione, vel a pubertate, vel a cancro, vel ab abundantia lactis, etc. A μαστὸς, mamma, et ὀδύνη, dolor. Ge. Schmerzen in der Bruſt. G. *Douleur de Mammelles.*

MASTOIDEI, et MASTOIDES, ſunt proceſſus mammiformes, qui à latiore baſi in obtuſum verticem protenduntur, et vaccinum vber figurae ſimilitudine exprimunt, oſſibus temporum accreti, ſiti ad latus et infra meatum auditorium. Item ſic vocantur *Muſculi capitis flexorii*, ſeu *ſternomaſtoidei*, qui duobus diſtinctis principiis a ſterno et clauicula orti, in mammiformem proceſſum terminantur, et caput antrorſum flectunt. Ex μαστὸς, mamma, et εἶδος, forma. Vide *Mammiformes proceſſus.*

MASTOIDES, i. q. *Maſtoidei.*

MASTOS, i. q. *Mamma.*

MATER, i. q. *Matrix*, ſeu *Vterus.* Praeter hoc ſignificat foeminam, quae peperit.

MATER, vt *Sol Pater*, chymicis dicitur *Luna*, vel *Argentum.*

MATER DVRA, DVRA MENINX, quam Arabes *Matrem* dixerunt, aut quod Arabico idiomate operimentum, quo alia corpora defenduntur, mater appelletur, aut quod ab ea, vt a pia, membranas corporis humani reliquas gigni perſuaderentur, eſt membrana elaſtica, inſenſilis, denſa, e fibris valide implexis conſtans, cuius lamina exterior arcte vndique internae cranii ſuperficiei adhaerens, per omnia foramina cranii prodit, in orbitam, cumque neruorum itineribus et cum perioſteo capitis et vertebrarum continuatur. Lamina vero interior cerebrum et cerebellum, interiecta Tunica Arachnoidea et Pia Matre, arcte obtegit, et productiones medullares vaginis inuoluit et comitatur, ſicque neruos conſtituit. In cranio deorſum producta ſua ſubſtantia, quae *Falx* vocatur, cerebrum in duo hemiſphaeria diſtinguit, tum transuerſim producta ſubſtantia, quae *Tentorium* dicitur, cerebrum a ſubiecto cerebello ſeparat. Duae laminae paſſim a ſe diſcedentes, priſmaticos quaſi canales formant, qui *Sinus* vocantur, et in quos Venae encephali ſanguinem effundunt, vlterius ad Venas iugulares transmittendum. Horum *Sinuum* praecipui ſunt quatuor, *falciformis*, *occipitalis*, et *duo transuerſales*, qui inter cerebrum et cerebellum ſimul conveniunt; quae coniunctio ab *Herophilo Torcular* vocatur. Ge. Die dicke Hirnhaut, oder Hirnfell. G. *La Dure Mere.* A. *The thick membrane of the Brain.* B. *Het dikke Herſen-Vlies.*

MATERIA MEDICA, vide *Hyle.*

MATERIA PERLATA, vocatur puluis albus fundum petens, dum lixiuio, in quo antimonium diaphoreticum coctum eſt, et filtratione ſeparatum, ſpiritus vitrioli inſtillatur. Inſignes ei vires diaphoreticae tribuuntur.

MATERIALISTA, eſt mercator, qui medicamenta ſimplicia, quae Materiam medicam conſtituunt, vendit. Vocatur etiam *Sepla ſiarius.* Ge. Arzeneyverkäufer. G. *Droguiſte.* A. *Druggiſt, Grocer.* B. *Drogiſt.*

MATER PERLARVM, NACRA PERLARVM, ſeu MARGARITARVM, ſunt conchae et teſtae, quae intus ſplendore margaritarum nitent, praecipue earum concharum, quae margaritas continent. Qualitas eſt calcarea et abſorbens,

eadem quae margaritarum. Vide *Margaritae.* Ge. Perlenmutter. G. *Nacre des Perles.* A. *Mother of Pearles.* B. *Paerel-Moer.*

MATER PIA, vel TENVIS, eſt membrana tenera, quae cerebrum et cerebellum immediate inueſtit ſub Dura matre, et Tunica arachnoidea, omnes gyros et anfractus illius intrat, eosque a ſe inuicem diſtinguit, vaſculis ſanguineis quam vberrime perfuſa. Neruis ex cranio egredientibus tunicam concedit. Eſt nil aliud, quam tenuis celluloſa multis vaſis picta. Ge. Das dünne Hirnhäutlein. G. *La Pie Mere.* A. *The thin and inner membrane of the brain.* B. *Het dunne Herſen-Vlies.*

MATERSYLVA, nonnullis olim vocabatur *Caprifolium*, forte ita vocatur, quod in ſyluis, quaſi mater, priores partes habet. Vide *Caprifolium.* Conf. *Matriſylua.*

MATRACIVM, nihil aliud eſt, quam ſacculus, cui ineſt tartarus calcinatus, vel ſimile quid; etiam crucis in modum interpungitur, vt ſalia contenta inde in cella humida in liquoris formam reſoluantur. — Porro dicitur et vitrum tenue et purum, vrinis inſpiciendis accommodatum, quod etiam *Matula* vocatur, habetque formam fere rotundam, cum collo ſatis ſpatioſo. Vel etiam ita vocatur vitrum amplioris fundi, colli longi et anguſtioris, quod, impoſito alembico, digeſtioni, vel etiam ſublimationi, inſeruit. Ge. Ein Uringlas, gläſern Gefäß. G. A. *Urinal, Matras.* B. *Matras, Pis-glas, Urinaal.*

MATRICALIA, ſunt, quae matricis morbis deſtinantur medicamenta.

MATRICARIA, eſt plantae genus flore compoſito radiato, (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) ſemine non pappoſo. Species officinalis eſt Matricaria vulgaris, ſ. ſatiua, *Bauh. Matricaria Parthenium* foliis compoſitis, planis; foliolis ouatis inciſis, pedunculis ramoſis *Linn.* Habet haec plures caules, ſatis craſſos, rigidos, firmos, cannulatos, medulla alba, fungoſa, repletos, in plures ramos diuiſos. Folia ſunt ſatis lata, in ſegmenta diuiſa, ad vnam coſtam coniugatim poſita. Flores habent calycem ſquamoſum, ſubrotundum, ſuntque in vmbellam congeſti; ſed plerumque laxiorem. Semina oblonga, ſaporis ingrati, amari, et odoris fortis. Qualitas totius plantae eſt amara, nidoroſa et halituoſa, hinc viribus anodynis, emmenagogis et lactifugis pollet. Commendatur in anorexia, hyſteria, colica, et iliaca infantum. Ingreditur etiam remedia quaedam compoſita. Ge. Mag-

νιον: ita dicitur, quod matrici prosit. Ge. Mutterkraut. G. *Matricaire.* A. *Feverfew.* B. *Moeder-kruid.*

MATRISYLVA, est planta flore monopetalo, baccis duabus siccis coalitis, (Tetrandr. Monogyn.) Rubeola odorata montana *Bauh.* *Asperula odorata* foliis octonis lanceolatis, florum fasciculis pedunculatis *Linn.* Prouenit in Europae syluis vmbrosis. Qualitate gaudet ambrosiaca, viribusque resoluentibus, diureticis et exanthematicis, hinc in scabie et ictero commendatur. Infusum etiam in arthritide profuit. Dicitur etiam *Herpatica stellata.* Ge. Stern-Leberkraut. G. *Muguet des Bois.* A. *Woodroof.*

MATRIX, i. q. VTERVS. — Inter Vegetabilia tamen denotat medullam, siue cor, alicuius plantae. In regno minerali *Matrix* vocatur illa substantia, quae reliqua fossilia in se continet, estque vel calcarea, vel argillacea, vel cretacea, etc. Ge. Die Matrix, Mutter. G. *La Matrice.*

MATRONALIS FLOS, seu VIOLA, *Viola Damascena*, est *Hesperis matronalis Linn.* Dicitur, quod odoris gratia a matronis atque virginibus coli soleat, iisque in deliciis sit. Ge. Damastblume. G. *Damas violette, Violette de Dames.* A. *Dame Violets.* B. *Damast-bloemen, Damasten, Mast-bloemen.*

MATVRANTIA, sunt medicamenta, quae partes inflammatas emolliendo, vel earum poros occludendo, vel etiam leniter irritando, obstruentem materiam hac actione sic solvunt, vt in pus mutata colligatur in vnum locum, ex quo, apertura facta omne suppuratum vna vice expelli possit. Ge. Reifmachende Arzneyen. G. *Maturans.* B. *Rypmaakende middelen.*

MATVRATIO, Gr. Πέπανσις, chirurgica vox est, et dicitur de tumoribus, quorum materia in pus mutatur. Item de variolis. — Chymicis veteribus quaedam exaltatio est rerum crudarum in maturiorem et gratiorem statum; estque *Digestio, Circulatio, Fermentatio* et *Proiectio.* Ge. Die Zeitigung. G. *Maturité.* A. *Ripeness.* B. *Rypwerding.*

MAXILLA, vide *Mandibula.*

MAXILLARIS GLANDVLA, est glandula conglomerata, quae vtrinque sita est ad partem interiorem maxillae inferioris, seu angulum eius. Ductum habet excretorium, qui *Ductus Whartonianus* vocatur, et qui a parte eius posteriore ortum habens antrorsum progreditur, et terminatur in cauo oris circa locum, vbi lingua freno suo illi alligatur, humorem salivalem exonerans. Ge. Die Kinnbackendrüse. G. *Glandes maxillaires.* B. *Kaakbeensklier.*

MAYS, FRVMENTVM TVRCICVM, vel INDICVM, *Zea Linn.* (Monoec. Triandr.) est planta flore apetalo, tribus

nempe staminibus ex gluma biflora, biualui, surgentibus constante, sed sterili: embryones enim, seu germina, stylo omnium longissimo instructa, cornascuntur in spica vel receptaculo longo, maximo, excauato, a floribus masculis remoto, foliis obuoluto vaginae ad instar tubulatis, et abeunt in semina subrotunda pisi magnitudine basi angulata, ad dimidiam partem in fructum demersa, calyce proprio cincta. Varietates a differentibus seminum coloribus pendent. Ad altitudinem plurium pedum excrescit. Primum in India et Turcia proueniens, nunc passim magna copia apud nos seritur. Caulis arundinaceus medullam spongiosam albam continet, aeque dulcem, ac Arundo saccharifera, iamque, num exinde verum saccharum confici possit, tentatum est. Seminum vsus oeconomicus est et cibarius: ob eximias enim vires nutrientes non solum ad saginandā plura animalia, verum etiam farina ad panificium adhibetur. Sunt, qui fructus immaturos, granis adhucdum lactescentibus, igne leuiter tostos in deliciis habent; e seminibus in aqua maceratis et liquorem vinosum et spirituosum eliciunt Americani. Ge. Türkischer Waizen. G. *Blé de Turquie.* A. *Mays, Indisch Koorn.*

MAZA, est species panis apud Veteres, quae tempore *Hippocratis* et *Galeni* coquebatur. Constabat maxima ex parte ex farina hordei tosta, oleo et melle. Sed posterioribus temporibus compositio ex amygdalis et saccharo facta fuit, et *Mazae*, seu *Mazae panes*, et *Gallis Macrons*, et *Macarons* dicitur. *Apollodorus* apud Athenaeum a μασᾶσθαι, mandūcare, comedere, deriuari scribit. Ipse vero *Athenaeus* a μάττω, pinso, deriuat, quem et *Eustachius* sequitur.

MEATVS, Gr. Πόρος, est vas, vt vena, arteria, vasa lymphatica, ductus chyliferi, etc. per quod aliquid transit. Alii sunt recti, alii ramosi, alii tortuosi, etc. Ge. Ein Gang. G. A. *Passage.* B. *Een Doorgang, Weg.*

MEATVS AVDITORIVS, quem nonnulli *Meatum auditorium externum* vocant, canalis est, a cartilagine auriculae, et quidem eius parte, quae Concha vocatur, continuata, angustata, originem ducens. Sic externo sui extremo ab auricula principium sumens, porro temporalis ossis parti petrosae insculptus, sic dictum os perforans, oblique ad anteriora excurrens, quodammodo ellipticus, ad extremam tympani membranam, qua terminatur, progreditur. Ab ea obliqua sectione clauditur sic, vt faciat cum hac obtusum angulum parte superiori et posteriori; acutum vero anteriori et inferiori. Canalis istius longitudo, in ipsius quidem medio

desumta, in homine adulto circiter nouem lineas, altitudo quatuor, latitudo vero tres aequat, quae tamen latitudo in ipsius principio maior est. Constat hic meatus partim cartilagine conchae elastica, continuata, partim osse petroso, protuberantiis quibusdam cartilaginem excipientibus, vt et ligamento validissimo ab extremitate conchae proueniente. Vestitur interna eius superficies iisdem, quibus auricula, integumentis communibus, teneris, et glandulis ceruminosis et folliculosis scatentibus. Vide *Marmelata*. Hic ductus vere soniferus est, dum radios sonoros, ab auricula receptos, natos, impulsos, recipit, retinet, redire et iterum ad exteriora egredi impedit, reflectit, et quidem creberrime, et efficit, vt omnes in medium sui finis, hoc est in membranae tympani centrum, vniti, illibati, illaesi incurrant, dum interim huius canalis obliquitas et tortuositas eius longitudinem superficiemque augent. Loca reflexionum, ipsasque reflexiones multiplicant, et simul cum pilis et cerumine impediunt corpusculorum heterogeneorum facilem ingressum, et transitum ad interiora. In foetu quidem is meatus auditorius nondum adest, sed eius loco tantum annulus osseus, fere ellipticus, exiguo segmento hians, in sulco interno membranam tympani continens, cuius demum margo externus increscens et protensus in meatum hunc osseum mutatur. Ge. Der Gehörgang. G. *Le Conduit auditif.* A. *The Auditory passage.* B. *Het Gehoor-gat.*

MEATVS AVDITORIVS INTERNVS, ita nonnullis foramen in superficie interna partis petrosae ossis temporum conspicuum vocatur, quod portio dura et mollis nerui auditorii ingrediuntur. In fine coecum quasi est, minora tamen foramina adsunt, quorum vnum, quod *aquaeductus* sic dicti *Fallopii* initium est, neruus durus, reliqua minora filamenta nerui mollis intrant, quae ad conchae vestibulum et canales semicirculares tendunt.

MEATVS VRINARIVS, vide *Vrethra.*

MECHANICA MEDICINA, vocatur scientia, quae functiones naturales et praeternaturales in corpore viuo, sano et infirmo e solis principiis physicis et mathematicis explicare, hisque methodum medendi superstruere docet.

MECHOACANNA, est radix alba, Bryoniae instar, quae ex India Occidentali, et praesertim ex Hispania noua et Brasilia, in taleolis ad nos mittitur, interius et exterius albescentibus, insipidis fere et inodoris; diutius tamen manducata aliquem acrimoniae et ardoris sensum linguae imprimere dicitur. Planta est *Conuoluulus Mechoacanna* Americanus,

Mechoacan dictus *Linn.* Ieticucu *Marcgr.* Folia habet obscure virentia et lata, in acutum desinentia, caules repentes, lactescentes. Radix etiam dicitur *Bryonia Mechoacanna alba, Ialappa alba* et *Rhabarbarum album.* Parum admodum partium resinosarum continet, viribus tamen securissime et leniissime laxantibus, sed per coctionem illico amittendis, et virtute robrante gaudet. Hinc, licet a nonnullis explosa, ab aliis tamen, in affectibus arthriticis, rheumaticis, hydrope, nec minus pro infantibus summopere laudatur. Nomen tulit a Mechoacan, prouincia Mexicana. Vsus eius cum alia similia remedia praestantiora nobis non desint, obsoleuit.— *Mechoacanna nigra* est *Ialappa.*— Ge. Weiße Rhabarber, Mechoacanna. G. *Mechoacan.* A. *White Mechoacan.* B. *Witte Mechoacanna, Rhabarber van Mechoaca.*

MECON, Latin. *Papauer*, Gr. Μήκων, a μὴ κοιεῖν, hoc est ministrando, quod suis fungi muniis vescentes non patiatur, nam sensibus papauereo sopore vinctis, membra nequicquam agere possunt.

MECONIVM, est Opium, siue condensatus papaueris succus. Licet alii exactius *Opium* vocent succum ex sauciis papaueris capitibus exstillantem et condensatum, vide *Opium*, et *Meconium* illum succum, qui aut ex tota planta exprimitur, aut decoctione extrahitur, tandemque inspissatur. Ge. Mohnsaamensaft. G. *La colle*, vel *la poix*, siue *la larme au Pavot, le Meconium.* A. *Juice of poppies, Meconium.* B. *Slaapsap, Mankopsap.* —— Item excrementa foetus, post partum intestinis adhuc inhaerentia, a papaueris succi nigredine sic dicta. A μήκων, papauer. Inde a retento meconio oriuntur tormina infantum, quae *Colica meconialis* dicuntur, Ge. Der Unrath bey neugebornen Kindern, Heidendreck. G. *Meconium.*

MECONOLOGIA, est Opii descriptio. Ex μήκων, papauer, et λέγω, dico.

MEDELA, i. q. *Curatio.*

MEDIANA VENA, est illa sita in cubiti flexura inter cephalicam et basilicam media, orta ex confluxu rami Venae cephalicae et rami Venae basilicae, quorum etiam ille Vena mediana cephalica, hic Vena mediana basilica dicitur, et cuius propagines in musculos radii et vlnae distribuuntur. Ea tumefacta a perito chirurgo tuto satis pertunditur, sed imperito non sine periculo laesurae tendinis subiacentis, musculi bicipitis, vel arteriae, vnde saepe dira mala oriuntur. Ge. Die Medianader. G. *La veine Médiane.* A. *The Median veine.* B. *De Mediaan Ader, middel Ader.*

MEDIASTINVM, eſt ſepimentum membranoſum, thoracem et pulmones bifariam iuxta longitudinem diuidens, eſtque ipſum duplex, *anterius* et *poſterius*, dum Pleura cingens thoracem ab vtraque parte in medio aſſurgit, laminisque ſibi iunctis hoc ſepimentum conſtituit, hinc anterius ſternum attingit, poſterius dorſi vertebras, ſuperius iugulum, inferius diaphragma veſtit, et pericardium, vaſa maiora, aſperam arteriam, oeſophagum, etc. in ſe recipit. Ge. Das Mittelfell, Scheidewand der Bruſt. G. A. *Le Mediaſtin.* B. *Het Middelſchot.*

MEDICA, MEDICAGO, eſt plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.), legumine compreſſo, longo, inflexo, vel cochleato, vel falcato, ſeminibus pluribus, vel reniformibus, vel angulatis. Folia omnibus ſunt terna, inſtar Trifolii. Plures dantur huius generis ſpecies, quae plerumque ab oeconomis in paſcuis expetuntur, cum praeſtantiſſimum pecoribus et iumentis alimentum praebeant, et equos ipſos languentes reficiant. Sic dicta, quod in Media plurimum creſcat, vnde nobis primum adueĉta; quae et vnica ſemente durat annos decem; cum Milium aliaeque plures plantae alimentariae annuam poſtulent curam. Ge. Schneckenklee, Sichelklee, wilder St. Foin, Ackerklee. G. *Luſerne, Herbe au limaſſon, Sains Foin.* A. *Medick, Trefoil hardnel, Hedge-hog trefoil.* B. *Klaver-rupſen.*

MEDICA MALVS, eadem eſt, quam *Citrea Malus.*

MEDICAMENTVM, eſt quidquid corpori animali applicatur, vel ingeritur, eo fine, vt ſanitas in integrum reſtituatur, vel quicquid corporis affectum depellit, vel mitigat. Eſtque vel *Actuale*, quod primo contactu corpus noſtrum ea, qua praeditum eſt, qualitate afficit, vt ferrum candens, aqua frigida. Vel *Potentiale*, cuius vis non primo contactu, ſed tum demum ſeſe exſerit, cum illa ex aliqua in corpore mora, et accedente actione vitali, in medicamento excitatur, vt piper, raphanus, ſalia acria, etc. Diuiditur etiam in *externum*, vel *internum*, *ſimplex*, vel *compoſitum*, *euacuans*, vel *alterans*. *Medicamentum* eſt triplex, deſumtum ſcilicet ex *Chirurgia*, *Pharmacia*, et *Victus ratione*, hique vocantur *Fontes* Therapeutici. Vocatur etiam Medicamen, Ἴαμα, Φάρμακον, Ἄλεξιον, Remedium, Iuuans, et Indicatum. Ge. Arzeney, Arzeneymittel. G. *Medecine*, *Medicament*, *Remede.* A. *A Medicine*, *Remedy.* B. *Een Genees-middel.*

MEDICASTER, vocatur, qui artem Medicam, quam rite non intelligit, tamen exercere audet, eſtque idem, quam *Agyrta.*

MEDICINA, eſt ſcientia rationi et experientiae innixa, qua per conuenientia remedia, quantum poſſibile eſt, reſtituitur ſanitas amiſſa, conſeruatur praeſens in corpore humano. A *Galeno* definitur a fine, quod ſit *Ars praeſentis ſanitatis conſeruatrix*, *et labefactatae inſtauratrix*, et libro introductorio, *ſcientia ſanitatis protectrix*, *et morborum expultrix*; ab *Herophilo* autem ex ſubiectis, *ſcientia ſalubrium*, *inſalubrium et neutrorum.* *Medendi Methodus a Syluio de le Boe* ſic definitur: *Ars inueniendi et rite vſurpandi remedia reparandae ac reſtituendae valetudini amiſſae maxime conuenientia.* *Sennerto* aliisque medicina in quinque partes diuiditur; iii *Phyſiologiam* nempe, in qua agitur de conſtitutione humana, quatenus ſana; ad hanc pertinet *Anatomia*, quae ſtructuram, et *Phyſiologia*, proprie ſic dicta, quae functionem partium in corpore viuo docet. 2. *Pathologiam*, in qua agitur de morboſa corporis noſtri conſtitutione. 3. *Semeioticam*, in qua agitur de ſignis ſanitatis et morborum. 4. *Hygieinam*, quae de regimine ſanitatis conſeruandae leges pronunciat. 5. Et *Therapeuticam*, quae docet *Diaetam*, *Chirurgiam*, et *Pharmaciam.* Prima et generalis Medicinae diviſio bimembris tantum eſt, et vna Medicinae partem *Theoreticam* conſtituit, altera vero *Practicam.* Medicinae ſubiectum eſt corpus humanum, quatenus ſanabile. Eiusque ſcopus, ſeu *Finis*, eſt *Sanitas.* *Hippocrates* vocat eam *Artem longam*, cum dicit, Gr. ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, e contra *Paracelſus* eam ponit *Brevem*; quidam Arabes eam μικροτέχνην appellarunt, artem paruam, reuera tamen ars magna et longa eſt, ita vt exclamare cogamur: *Quantum eſt, quod neſcimus.* Gr. Ἰατρική, ab Ἰάομαι, medeor. Ge. Arzeneykunſt. G. *Medecine.* A. *Medicine, the art of Phyſick.* B. *Genees-konſt.*

MEDICINALES DIES, vide *Critici Dies.*

MEDICVS, eſt vir artis Medicae ſumme gnarus, eamque apud Clinicos exercens. Si autem rationem experientiae obſeruatisque aliorum adiungit, *Dogmaticus* vocatur, ſi ſolam conſulit experientiam, et a ſimilitudine concludit, dicitur *Empiricus.* Gr. Ἰατρός, ab Ἰάομαι, medeor. Ge. Ein Arzt. G. *Un Medecin.* A. *A Phyſician.* B. *Een Arts, Genees-heer, een die ervaaren in de Genees-konſt is.*

MEDIMNVS, eſt Menſura aridorum apud Veteres. Attica continet choenicas quadraginta et octo, ſiue centum et octo libras menſurales, ſeu modios ſex, non medicos, ſed georgicos. Eius nota fuit μ et in ſummitate ε.

MEDITVLLIVM, eſt media pars rei cuiusdam, inprimis oſſis. In ſpecie vero vocatur ſpongioſum illud inter duas

cranii laminas. Vide *Diploe*. Ge. Das zollichte Weſen zwiſchen den Tafeln der Hirnſchaale. G. *Diploe*. B. *Tafelſcheidſel*.

MEDIVS DIGITVS, eſt is, qui Indicem ſequitur, et reliquos longitudine ſuperat. Ge. Der Mittelfinger.

MEDIVS VENTER, i. q. *Thorax*.

MEDVLLA, inter mineralia pinguem terram denotat, quae in ſaxis nonnunquam reperitur. Ge. Steinmark. B. *Merg der Steenen*. Vide *Marga*, *Lithomarga*. — Inter vegetabilia eſt media cuiuslibet caulis, ſemnis, fructus pars mollior ac praeſtantior, quam et cor et matricem appellant. — Quoad animalia, medulla eſt pars mollior, et pinguior, quae in oſſium cauitatibus maioribus et minoribus, cellulis ſuis concluſa, continetur, eorumque nimiam ſiccitatem et fragilitatem prohibet; ſiue oleum blandiſſimum, ſuauiſſimum et ſubtiliſſimum, quod in cellulas oſſium deponitur. Ge. Das Mark. G. *Moelle*. A. *The Marrow*. B. *Merg*. Vide *Medulla Oſſium*.

MEDVLLA CEREBRI, vocatur ſubſtantia cerebri alba, in cortice cerebri contenta, ab adſperſo ſanguine flaueſcens, rubicundior, quo iunior homo eſt, in Aethiopibus ſubnigre flaua, mollis, cortice tamen tenacior, et firmior in ſanis hominibus. Eius medullae fabrica obſcura eſt, quantumque ſenſus, nullo praeſidio adiuti, declarant, vniformis eſt pulpa, nulli alteri in corpore humano parti ſimilis, vnice paſſim ab arteriis venisque rubris longe perforata; haec vaſa tenerrima e cortice in medullam ſe immittunt, totusque cortex cum medulla inſeparabili nexu ita coniungitur, vt in iis locis, in quibus medulla quaſi in flammas colligitur, alternis proceſſibus cortex in medullam producatur, et in corticem medulla. Vt adeo firmiſſimo per analogiam argumento concludi poſſit, vt cortex e propaginibus tenuiſſimis vaſorum, et magnam partem iniectione replendis, conſtat, ſic etiam ſubſtantiam medullarem e corticis propaginibus tenuiſſimis atque tubulis conſtare, fluidum nerueum aut ſecernentibus, aut iam in ſubſtantia corticali ſecretum vlterius ad organa ſenſuum et motus diſtribuentibus. Ge. Das Mark im Hirn. G. *La ſubſtance blanche médullaire du Cerveau*. A. *The Marrow like part of the Brain*. B. *Het Herſſen-merg*.

MEDVLLA LACTIS, ſiue LACTIS FLOS, eſt quoduis butyrum.

MEDVLLA OBLONGATA, eſt ſubſtantia conflata ex coniunctione ſubſtantiae medullaris cerebri et cerebelli, ſita pone ſellam Turcicam in cauitate oſſis ſphenoidalis, et

nouem paribus neruorum e cranio egredientibus originem praebens. Ea e cauo cranii egrediens Medullam ſpinalem conſtituit. Ge. Das verlängerte Mark. G. *La Moelle allongée*. A. *The long Marrow*. B. *Het lange Merg*.

MEDVLLA OSSIVM, eſt ſubſtantia pinguis, in oſſium cauitatibus, poroſitatibusue ab arteriis depoſita. Medulla haec membranulis et cellulis continetur, et omni prorſus ſenſu caret; in fiſtulis maioribus rubicunda eſt et oleoſa, in minoribus alba, in oſſibus ſpongioſis mollis et ſucculenta. Gr. Μυελος. Ge. Das Mark in Beinen. G. *Moelle de l'Os*. A. *Marrow of the Bones*. B. *Been merg*. Conf. *Medulla*.

MEDVLLA SPINALIS, ſiue DORSALIS, Gr. Μυελος Ραχιτης, Νωτιαιος, Διαυχενιος, Ψοιτης, eſt Medulla oblongata nunc per foramen magnum oſſis occipitis tranſiens, quae per annulos vertebrales, vel fiſtulam ſacram, deſcendit, et in plures funiculos nerueos tandemque in *Caudam equinam* fiſſa in partes adiacentes diſtribuitur. Tegitur membrana dura, laxius adhaerenſe, arachnoidea et pia, et praeterea cingitur exterius tunica ligamentoſa et celluloſa. Habet etiam ſubſtantiam eandem et vſum cum cerebro, ſed hoc cum diſcrimine, vt exterius ſit alba et medullaris, interius rubicundior et corticalis. Neruorum coagmentatio eſt, quorum etiam vſum poſſidet; ſuperius fibrae quaedam ſeſe decuſſantes conſpiciuntur; hinc alterutra parte compreſſa, *Hemiplegia*, ſiue paralyſis vnius lateris, oritur; vtrimque triginta neruorum paria ad artus, ventres, caeterasque corporis partes emittit, qui *Nerui ſpinales* dicuntur. Si conuenienti liquore diligenter lauetur, in plurimas fibrillas diſpeſcitur. Ge. Das Rückenmark. G. *La Moelle de l'epine*. A. *The Marrow of the back bone*. B. *Het Rugge-merg*.

MEGALOSPLANCHNVS, eſt, qui viſcera magna et tumida habet. A μεγα, magnum, et σπλαγχνον, viſcus. Ge. Der groſſe Eingeweide hat. B. *Die grote Ingewanden heeft*.

MEL; Gr. Μελι, eſt ſubſtantia liquida craſſiuſcula ex albo flaueſcens, ſaporis dulciſſimi, nata in vegetabilium floribus, et praecipue eorum nectariis, et ab apibus in iisdem collecta. Mel differt tum ratione temporis, et loci, tum ratione plantarum, ex quibus colligunt illud apes. Sic veteres locuti ſunt de melle venenato, vbi in vicinia erant multa Rhododendra. Mel caeterum eximiis viribus edulcorantibus, abstergentibus, expectorantibus, diureticis et emollientibus gaudet, hinc ampliſſimus eius in Medicina, tum internus, tum externus, vſus eſt. Id, quod ſponte absque ignis ope e ſuis ſtillat, magis aeſtimatur et *Mel Virginum* vocatur. Ge.

Jungfernhonig. Ga. *Miel vierge.* Vide *Apis, Cera.* — — Pharmacopoeis denotat aliquando ſuccum ſimplicem, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatum, melque ſapore aemulantem; ſic conuenit cum ſapa ſiue Rob; vti mel paſſulatum, juniperinum. Non raro etiam refert Syrupum cum melle paratum, vt Mel roſarum, anthoſatum, diamorum, etc. Ge. Honig. G. *Miel.* A. *Honey.* B. *Honing.*

MELA, Gr. μήλη, eſt inſtrumentum chirurgicum, *Specillum* dictum. Imperiti olim a tentando *Tentam* vocabant. Conficitur vt plurimum ex argento, vel ebore, vel oſſe balaenae, idque ad exploranda vlcera, vel calculum vrethrae infixum extrahendum, etc. aptum, pro vario vſu varias habet formas. Gr. a μηλίζω, trunco. Ge. Sucher, Wundeiſen, Sonde. G. *Sande.* A. *A Probe.* B. *Een Tenzyzer, een Tintelyzer.*

MELAENA, MORBVS NIGER, FLVXVS SPLENETICVS, eſt alui fluxus, materiae nigricantis, atro-rubrae, deiectione, aut vomitione frequenti notatus, oriens ab infarctu viſcerum diuturno, ſcorbuto inueterato, vel etiam quacunque laeſione vaſorum internorum. Ge. Die ſchwarze Krankheit. G. *Maladie noire.* A. *Black Sikneſs.*

MELAMPODIVM, appellatur ſic *Helleborus niger*, (quoniam Melampus, caprarum paſtor, furentes regis Proeti filias hoc primum purgaſſe et ſanaſſe fertur) foliis Platani.

MELAMPYRVM, ſ. *Melampyrum aruenſe L.* eſt planta flore monopetalo ringente, labio ſuperiore galeato, inferiori ſemitrifido, (Didyn. Angioſp.) Caulis eſt quadratus, lanuginoſus, purpureus, ramoſus. Folia ſibi inuicem oppoſita per interualla, quaedam anguſta inſtar Linariae, alia ampla, et profunde inciſa, aſpera, coloris viridi-fuſci. In ſummitate plantae adſunt folia breuia, ſatis lata, coloris purpurei. Flores ex alis foliorum erumpentes in foliaceas ſpicas congeruntur. Poſt florem ſequitur fructus, aut teſta ſubrotunda, ab inferiori parte ad ſuperiorem in duas partes dehiſcens; quae ſingulae in duo loculamenta ſunt diuiſae, continentia ſemina oblonga, nigra inſtar Tritici, quae panem nigrum et amarum, non tamen noxium reddunt. Radix parua, lignoſa, fibroſa. Haec planta creſcit in locis humidis, in pratis, et inter ſegetes, quaſi Triticum nigrum: vocatur etiam *Triticum Bouinum et Vaccinum.* Ex μέλας, niger, et πυρὸς, frumentum. Ge. Kuhweizen, Wachtelweizen. G. *Blé noir, Blé de vache, blé de boeuf, Rouge herbe.* A. *Horle Flower, Cowwheat.* B. *Paards-bloem.*

MELANAGOGA, ſunt medicamenta atram bilem (Veteribus putatitiam) euacuantia. Ex μέλας, niger, et ἄγω, educo. Ge. Mittel die ſchwarze Galle abzuführen. B. *Geneesmiddelen tegen de zwarte Gal, of de Zwaarmoedigheid.*

MELANCHOLIA, *Bilis atra*, eſt delirium diuturnum et pertinax circa vnum obiectum absque febre, quo aegri ſine cauſa manifeſta admodum triſtantur et metuunt, vel interdum effuſe laetantur; horrenda, nonnunquam etiam ridicula, imaginantur, et ſibi perſuadent; color cutis externus eſt pallidus, flauus, vel fuſcus. Solitudinem amant, vt ſuae indulgere poſſint meditationi; anxietatem, repletionemque ab aſſumtis in hypochondriis ſentiunt, ructibus, flatibus, palpitationibus cordis, inſomniis terrificis et ſpasmis frequenter ſunt obnoxii, famis, ſitis et frigoris maxime patientes, parum dormientes, etc. Ge. Melancholie, Schwermuth. G. *Melancholie.* A. *Melancholy.* B. *Droefgeeſtig, Zwaarmoedig.* — Veteribus vocabatur hic morbus *Atra bilis*, quum illa ſanguinis et humorum craſſities ac malignitas acris aderat, vnde hic morbus producebatur, ſiue tum a cauſis corporeis, ſiue a mente, haec diſpoſitio inducta fuerit. Videbant enim vere, quod in hoc morbo aegri ſaepe euomebant materiam aterrimam inſtar picis, quae omnium malorum cauſa fuerat. Ex μέλαινα, nigra, et χολὴ, bilis. Ge. Schwarze Galle. G. *Melancholie, la Bile noire.* A. *Black Bile.* B. *Zwarte Gal.*

MELANCHOLICVM TEMPERAMENTVM, id dicitur, in quo ſanguis eſt ſpiſſus, terra abundans, ſolida vero denſa, ſtricta, parum irritabilia, hinc pulſus omniumque functionum tarditas. G. Melancholiſches Temperament. G. *Complexion mélancholique.*

MELANOPIPER, vide *Piper.*

MELANOSMEGMA, eſt Sapo niger. Ex μέλαν, nigrum, et σμῆγμα, ſapo, a σμάω, abſtergo.

MELANTERIA, vide *Vitriolum.*

MELANTHIVM, eſt *Nigella*, vt et aliae florum ſpecies. Sic appellatur a nigro ſeminis colore. A μέλας, niger, et ἄνθος, flos. Vide *Nigella.*

MELAS, vide *Alphus.*

MELASICTERVS, vide *Icterus Niger.*

MELASMA, ECHYMOMA MELASMA, Latinis *Nigror*, eſt macula nigricans, diuturna, conſtans, ſenibus familiaris, quae potiſſimum tibias infeſtat, ſine cauſa manifeſta oriens. Mulieribus a catameniis ſuppreſſis ſuperuenit. G. *Echymoſe noire.* Ge. Schwarzer Fleck an Füßen.

MELE, vide *Mela.*

MELEAGRIS, eſt *Fritillaria*. Sic dicitur ab aue Meleagride, ſeu perdice Barbariae, cuius plumas dicunt referre. Vide *Fritillaria*.

MELIA, eſt *Fraxinus*; dicitur et *Milia*. A μελίζω fortaſſe, *Trunco*, quod homines ea truncarentur. Haſtae enim ex ea fiebant.

MELICERIA, idem quod *Hydarthrus*, ſeu *Hydrops articulorum*, vel *Ichor*. Vide etiam *Synouia*.

MELICERIS, MELLIFAVIVM, eſt tumor tunica propria concluſus, haerens vel in folliculis glanduloſis quacunque in corporis parte, vel vbi membrana celluloſa vulgo adipem colligendo dicata reperitur, materia mellis conſiſtentiam imitante plenus, indolens, rotundus, digitis facile cedens, ſed ilico rediens. A Steatomate et Atheromate conſiſtentia tantum humoris contenti differt. Ex μέλι, mel, et κηρίον, fauus. Ge. Ein Honiggeſchwür, oder Geſchwulſt. G. *Meliceris*. A. *Hony tumour*. B. *Een Honig-gezwel, of puiſt*.

MELICRATVM, eſt Hydromel, ſiue Mulſum, quod componitur ex vna parte mellis et octo partibus aquae pluuialis. Pollet virtute bechica, et ob adiecta aromata virtute ſtomachica. A vulgo ad eruptionem variolarum promouendam adhibetur. Ex μέλι, mel, et κεράννυμι, miſceo. Ge. Meth. G. *Eau miéllée*, *Hydromel*. A. *Metheglin*, *Mede*, *Hydromel*. B. *Honig-water*, *Meede*.

MELIGEION, eſt vox vix vſitata, denominatio ſumitur a μέλι, mel; eſtque chirurgis humor ex vlceribus manans oleoſus et fere mellis conſiſtentia, ſaepe cum oſſis carie, cum foetore fere in modum eboris recens raſpati.

MELILOTVS, eſt ſpecies Trifolii odorati, Melilotus officinarum Germaniae *Bauh*. *Trifolium melilotus officinalis* leguminibus racemoſis, nudis, diſpermis, rugoſis, acutis, caule erecto *Linn*. (Diadelph. Decandr.) Habet vnum pluresue caules rotundos, ſtriatos, excauatos, flexiles. Folia terna, Foenum Graecum referentia, ſed magis alba, in margine crenata. Flores ſunt exigui, papilionacei, vel leguminoſi, in ſpicam longam diſpoſiti, coloris flaui, aliquando albi, odoris grati, praecipue in herba exſiccata. Flori ſuccedit capſula nigricans, nuda, non recondita in calyce, vt in Trifolio, foeta vno, vel altero ſemine rotundo, exiguo, pallido. Radix longa, exigua, alba, flexilis, fibras multas habens. Creſcit haec planta abunde in pratis atque aruis Europae auſtralis. Qualitatis eſt fragrantis et mucilaginoſae, viribusque eximiis reſoluentibus, emollientibus et lubricantibus pollet; hinc vſus eius in medicina frequentiſſimus eſt, ple-

plerumque tamen externus, in cataplaſmate, clyſtere et gargariſmate, in hoc tamen vltimo cauendum, ne ſemina, vt facile contingit, rancida ſint, ſuaque acrimonia magis fauces irritent. Proſtat in officinis aqua, et celebre emplaſtrum de Meliloto. Planta haec nomen gerit propter melleum ſaporem, qui in caule eius et radice deprehenditur, dum comeduntur. Ex μέλι, mel, et lotus: nam inter Loti ſpecies etiam recenſetur. Vocatur etiam *Sertula campana*, quod flos eius coronamentis dicatus ſit, et ex ea antiquitus coronae et ſerta factitata ſint, nec non *Corona regia*, quoniam luteis floribus ſuperne coronatur, atque ſuperbit. Ge. Honigklee, Meloten, Steinklee. G. *Melilot*. A. *Melilot-Trefoil*, *Clower*. B. *Meloten*, *Malloten*, *welriekende Klaver*, *geele Steen-breek*.

MELIPHYLLVM, eſt *Meliſſa*. Ex μέλι, mel, et φύλλον, folium. Quia apes Meliſſam amant, et ex ea mel colligunt.

MELISSA, *Meliſſophyllum*, ſeu *Citrago*, vel *Apiaſtrum*, eſt plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnoſperm.) quod habet caules quadratos, duros, ramoſos. Folia oblonga, acuta, ſatis ampla, aſpera, lanuginoſa, aliquantulum in margine inciſa, coloris viridis, ſubfuſci, ſplendentis, odoris Citri, grati, ſaporis aliquantulum acris ſunt. Flores in foliorum alis nati, annulos quaſi formant, qui tamen non ſunt integri circa caulem, neque omnino verticillati; galea erecta, ſubrotunda, bifida, barba tripartita. Calyx tubuloſus eſt, quinquefidus, longus, tribus ſegmentis maioribus et binis inferioribus ſic vnitis, vt bilabiatus appareat. Floribus decidentibus ſuccedunt quatuor ſemina obrotunda, oblonga, ſibi inuicem adiuncta, in calyce florum incluſa. Radix fibroſa, longa, diuiſa, rotunda. Huius nominis variae plantae in vſum medicum adhibentur, tum ſponte naſcentes, tum apud nos in hortis cultae, ſcilicet: *Meliſſa citrina Pharm*. quae eſt Meliſſa hortenſis *Bauh*. *Meliſſa officinalis* racemis axillaribus verticillatis, pedicellis ſimplicibus *Linn*. e qua in officinis aqua, ſpiritus, ſyrupus et oleum proſtant. — Tum *Meliſſa canaria Pharm*. quae eſt Cedronella Canarienſis viſcoſa, floribus plerumque ex eodem pedunculo ternis, *Comm*. *Dracocephalum canarienſe* floribus ſpicatis, foliis compoſitis *Linn*. et denique *Meliſſa Turcica*, ſ. *Moldauica*, *Pharm*. Meliſſa peregrina folio oblongo *Bauh*. *Dracocephalum moldauica* floribus verticillatis, bracteis lanceolatis, ſerraturis capillaceis *Linn*. Gaudent omnes hae plantae qualitate admodum grata et fragrante et aromatica,

viribusque reſoluentibus, excitantibus, pellentibus et cordialibus, hinc in melancholia, hypochondriaſi, hyſteria, et debilitate ſummopere commendantur. Id tamen notandum, Meliſſam canariam, ſeu Cedronellam, reliquas qualitate ſpirante multum ſuperare, et fragrantiſſimam eſſe, vt, ſi Marum excipias, vix parem habeat. Meliſſa vocatur, vel a melle, quod apes eius foliis gaudeant: vel ab apibus, quae Gr. μέλισσαι et μέλιτται vocantur, vel dicitur quaſi μῆλον, malum, nempe citreum, et ἴζω, ſedere facio, quia citreus odor huic herbae inſideat, ſeu inhaereat. — — — — Pari ratione Latini *Apiaſtrum* haud dubie dixerunt, quod ea herba apes plurimum laetantur, adeo vt ſi ea aluearia confricentur et perungantur, detentum in eis examen non fugiat. *Citrago* autem ab odore ad citrum accedente dicta eſt.—*Meliſſa montana* eſt *Melittis meliſſophyllum Linn.* paſſim in montibus ſponte proueniens. Ge. Meliſſen, Mutterkraut, Citronenkraut. G. *Meliſſe, ou Herbe de Citron.* A. *Balm.* B. *Meliſſe, Citroen of limoen-kruid, Conſielle de grein, Byenkruid.*

MELISSOPHYLLVM, i. q. *Meliſſa montana*, ſ. *Melittis meliſſophyllum Linn.* Vide *Meliſſa*. Ge. Bergmeliſſe.

MELITEMA, eſt Trageae ſpecies ex melle et medicamentis ſubacta. Ge. Honigfüchlein. B. *Medicinale Honigkoekjes.*

MELITENSIS FVNGVS, Fungus typhoides coccineus melitenſis *Boc. Cynomorium coccineum Linn.* Vide *Fungus Melitenſis.*

MELLAGO, eſt medicamentum quodlibet ad conſiſtentiam mellis redactum.

MELO, eſt planta e cucurbitacearum familia, (Monoec. Syngeneſ.) Melo vulgaris *Bauh. Cucumis melo*, foliorum angulis rotundatis, pomis toruloſis *Linn.* cuius quam plurimae apud nos coluntur varietates. Planta haec habet caules longos, ſarmentoſos, repentes, aſperos. Folia Cucumeris, ſed minora, rotundiora, minus anguloſa. Flores ſunt monopetali, campaniformes, flaui, quorum alii maſculi ſunt, ſeu ſteriles, nulli embryoni adhaerentes, alii foeminini, ſeu foecundi, inſidentes embryoni, qui per maturitatem fit fructus, in initio aliquantulum villoſus, figurae et magnitudinis diuerſae; eſt enim vel tuberculoſus, vel glaber, rotundus, vel rugoſus, magnus, vel paruus, habens corticem durum, craſſum, coloris viridis flaui et cinerei. Caro eſt tenera, medulloſa, humida, glutinoſa, flaua, aut rubicunda, odoris et ſaporis dulcis, et valde grati, in terna loculamenta bifariam ſecta diuiſus, continens ſemina oblonga, plana, ex flauo albeſcentia, habentia corticem durum, foetum amygdala albiſſima, dulci, et oleoſa. Ea inter ſemina quatuor frigida maiora recenſentur, et emulſiones, quae in febribus acutis propinantur, frequenter ingrediuntur. Loculamenta, in quibus reconduntur ſemina, continent medullam liquidam rubicundam, boni ſaporis, et qualitatis humectantis et refrigerantis. Dici volunt a numeroſo ſemine, ſiue millenis ſeminibus, vel fortaſſe a μῆλον, pomum, quod figura pomum, ſeu malum, referat. Ge. Melonen, Pfeben. G. A. *Melon.* B. *Meloen.*

MELOCACTVS, idem quod *Melocarduus.* Ex melo, et κάκτος, carduus.

MELOCARDVVS, MELOCACTOS, POMVM SPINOSVM, OPVNTIA, ECHINOMELOCACTVS, eſt planta exotica, plerumque Americana, cuius plures ſpecies in hortis coluntur, et in cuius ſuperficie ſpinae erumpunt. Ad *Cactos L.* refert. Ex Melo et Carduus nominatur. Caules eius ſunt craſſi, ſtriati, lanuginoſi, ſpinoſi, eius habitus eſt ſingularis, ſucculentus, echinatus, polygonus. Flores monopetali, (Icoſandr. Monogyn.) campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, ouario inſidentes, intus gerentes multa ſtamina. Ouarium eſt carnoſum, molle, fungoſum, pulpoſum, foetum multis ſeminibus paruis, oblongis. Fructus huius plantae ſunt edules, et in multis ſpeciebus in caput quoddam elegans colligitur, ſubrotundum, angulatum, et hae proprie *Melocacti* vocantur, *Cerei* autem proprie ſunt plantae longae cylindraceo-angulatae, *Opuntia* eſt ramoſa, dichotoma, *Pereskia* arborea, folioſa, fructu folioſo. Ge. Melonendiſtel, Indiſcher Dornapfel. G. *Chardon des Indes Occidentales, Cierge, Cardaſſe.* B. *Meloendiſtel, Indiaanſche Doorn-appel.*

MELOCARPVS, eſt *Ariſtolochiae* fructus, ob Melonis minoris ſimilitudinem. Dictus ex melo, et καρπὸς, fructus.

MELON, Gr. μῆλον, fructus arboris Mali. Forte a μήλω, quod idem atque φροντίζω, *Curo, Sollicitus ſum*, quod priſci, vt nunc, de malis admodum eſſent ſolliciti, easque omni cum diligentia et ſtudio colerent.

MELONGENA, eſt ſpecies *Solani*, et quidem Solanum pomiferum, fructu oblongo *Bauh. Solanum Melongena* caule inermi herbaceo, foliis ouatis, tomentoſis, integris, calycibus aculeatis, fructu pendulo *Linn.* Ex Aſia, Africa et America ad nos delata planta ſatis nunc in hortis noſtris frequens eſt. Fructum fert ſucculentum, qui paſſim acetariis additur. Folia externe in haemorrhoidibus dolentibus,

canero et inflammatione commendatur. Ge. Melanzenäpfel. G. *Mayenne, Mélongene, Merangéne, Aubergine.*

MELOPEPO, eſt Cucurbitae ſpecies, inter Melonem et Peponem media, ex Melo, et Pepo. Eſt *Cucurbita verrucoſa* foliis lobatis, pomis nodoſo-verrucoſis *Linn.* et *Cucurbita Melopepo* foliis lobatis, caule erecto, pomis depreſſo-nodoſis *Linn.* cuius cirrhi ſunt in caule, quamuis non ſcandat, nec procumbat. Fructum habet carnoſum, ſubrotundum, ſtriatum, anguloſum, in quinque partes ſectum, continentem ſemina compreſſa, placentae ſpongioſae affixa. Ge. Eine runde Melone. G. *Potiron.* B. *Een ronde Meloen.*

MELOPLACVNTION, eſt Electuarium, quo Veteres vſi ſunt, ab *Aegineta* deſcriptum, quod parabatur e malis cydoniis in vino coctis, addito melle, aniſo et pipere. Vires ſunt roborantes et ſtomachicae.

MELOSIS, eſt exploratio chirurgica, ſpecillo facta. A μελόω, ſpecillis exploro. Ge. Unterſuchung mit einem Wundeiſen. B. *Een Onderzoeking, Teuteering.*

MELOTIS, Gr. μηλωτὶς, et μηλωτὶς, idem quidem quod *Mela*, ſed minori forma, vt eſt ſpecillum auriculare. Ex μήλη, ſpecillum, et ὦς, auris. Ge. Ohrgriffel. B. *Een klein Pravet, een klein Oortenter.*

MEMBRANA, eſt ſubſtantia fibroſa, ex fibris vario modo vel lateraliter ſibi appoſitis et connexis, vel intertextis, vel accretis, aut tela celluloſa conſtipata, compoſita, lata, plana, alba, et dilatabilis, viſcera, ventres, muſculos, etc. inueſtiens, conuolutione vaſa conſtituens, varias partes inter ſe connectens, et in debito ſitu ſuſtentans. Gr. Τμὴν. Ge. Pergamenthäutlein, Membrane. G. *Membrane, Tunique.* A. *A Membrane.* B. *Een Vlies.*

MEMBRANA ADIPOSA, TVNICA ADIPOSA, ſic proprie tela celluloſa nominata eſt, quae renes cingit, multo adipe referta. Verum nulla eſt muſculoſa pars corporis, quantilla quoque ſit, quae non inuoluatur membrana, cellulis multis conſtante, in quibus colligitur pinguedo, pro illinienda parte, ne motu atteratur, vel arefcat, quae ideo pariter adipoſae membranae nomen meretur. Ge. Das Fetthäutlein, die Fetthaut. G. *Membrane Adipeuſe.* A. *The Fat or Adipous membrane.* B. *Het Vet-vlies.*

MEMBRANA CARNOSA, i. q. *Panniculus Carnoſus.*

MEMBRANA PITVITARIA, nares, omnesque earum cauitates et ſinus intus inueſtit, mucum, qui neruos olfactorios defendit, et effluuia odorifera inuiſcat et diutius retineat, ex ſanguine arterioſo ſecernens. Ge. Die Schleimhaut der Naſe. G. *Membrane pituitaire.* B. *Snotvlies.*

MEMBRANOSVS MVSCVLVS, ſiue FASCIALIS LATVS, et FASCIA LATA, eſt muſculus ſat tenuis, quinque circiter digitos longus et tres latus, oriens a labio externo ſpinae ſuperioris Oſſis Ilei, et vtrinque aponeuroſi incluſus, quae proprie *Faſcia lata*, vel *Vagina femoris*, vocatur, et quae labio externo marginis ſuperioris ilei, ligamento Fallopii et aponeuroſi muſculi obliqui externi adhaerens, retrorſum trochanteri maiori et margini oſſis ſacri affixa, ſupra totum femur, tibiam et fibulam deſcendit, omnes ſubiectos muſculos arcte inuoluit, et inter ipſos muſculos immergitur, tandemque in partem inferiorem fibulae inſeritur. Sunt, qui hunc muſculum actione ſua femur introrſum rotare putant, cum tamen, ſi quis exactius huius faſciae decurſum ſupra omnes muſculos conſideret, magis tantum horum actionem fulcire, et in valida conſtrictione receſſum faſciculorum impedire videatur. Ge. Der Muskel der breiten Binde. G. *Muſcle Aponeurotique, ou Muſcle du Faſcia lata.* A. *The membranous Muſcle.* B. *De Vlies-ſpier, breede Wiudel-ſpier.*

MEMBRVM, Gr. Κῶλον, et Μέλος, eſt corpus organicum ex variis ſimilaribus partibus compoſitum, actionibus voluntariis perficiendis deſtinatum. Ge. Ein Glied. G. *Membre.* A. *Member, or part Limb.* B. *Een Lid.*

MEMBRVM VIRILE, vide *Penis.*

MEMORIA, eſt ſenſus internus, vel facultas, occaſione vnius ideae aliam, quae aliquando cum priori fuit connexa, etiam abſente obiecto, ita reproducendi, vt ſimul ſciatur, hanc rem iam perceptam eſſe. Quae vero facultas per varias affectiones cerebri et cauſſas corporeas minui, hinc etiam interdum commodis medicamentis reſtitui poteſt. Ge. Das Gedächtnis. G. *La Memoire.*

MENDOSA SVTVRA, ſiue SQVAMOSA, Gr. Λεπιδοειδὴς, et Λεπιδοειδὴς Προσκόλλημα, eſt connexio oſſium ſquamoſa, vt in oſſe temporum cum bregmate apparet. Vide *Lepidoides Sutura.*

MENINGOPHYLAX, eſt Meningis, ſiue membranae cerebri, cuſtos, vt lamina aurea et argentea, quae aperturis cranii accommodatur, vel etiam inſtrumentum, quo in trepanatione dura mater defenditur. Ex μήνιγξ, membrana cerebri, et φυλάσσω, cuſtodio. Ge. Hirnbeſchirmer. G. *Meningophilax.* A. *Preſerver of the meninges.* B. *Herſſen-Beſchermer.*

MENINX, eſt membrana in genere, ſpeciatim vero *Mater dura* et *tenuis*, ſeu *pia*, de quibus ſuo loco.

MENISPERMVM COCCVLI, vide *Cocculus*.

MENORRHAGIA, dicitur omnis effluxus ſanguinis vitioſus ex vtero, ſaepe etiam ex vagina, vel quantitate nimia, vel difficultate, peccans. Ge. **Blutgang.** G. *Perte de ſang des femmes.*

MENSA, eſt dentium molarium pars latior, quae cibum comminuit, et etiam corona dicitur. Τράπεζα *Rufo*. At pars, quae gingiuam contingit, μυλιαῖος dens molaris *Poll.* — Sic et machinae quaedam chirurgis et anatomicis dicuntur *Menſae*. Ge. **Ein Tiſch, die Krone der Backzähne.** G. *La Couronne de la Dent, ou une Table.* B. *Een Tafel, de Kroon.*

MENSES, ſunt ſanguinis excretiones, quae ſingulis menſibus proueniunt in mulieribus, generationi aptis, idque ex ipſo vtero, aut eius collo, vel nonnunquam ex vagina. Triduum vtplurimum durat haec euacuatio, quandoque tamen ad plures dies extenditur. Incipiunt, cum iuuenculae pubeſcunt, anno ſcilicet duodecimo, vel decimo quarto, et plus ſanguinis conficiunt, quam pro nutriendo ſuo corpore requiritur, vnde oritur plethora, quae maxime in vaſis vteri collecta ob minorem eius, quam aliarum partium, compreſſionem, per oſcula vaſorum huc hiantium dilatata exit, donec, imminuta iam ſanguinis quantitate, vaſa rurſus contrahantur. Deſinunt vero in grauidis, lactantibus et effoetis, plerumque poſt quadrageſimum nonum, vel quinquageſimum annum. Sanguinis ipſius excreti quantitas admodum diuerſa eſt pro aetate, victu, habitu corporis, climate, etc. nec vnquam exacte determinari poteſt. Qualitate hic ſanguis vix a reliquo ſanguine differt, et fabulae ſunt aniles, quae de venenata eius indole vulgo dictitantur. Inter animalia, quantum hucusque innotuit, ſoli foeminae humanae et quibusdam ſpeciebus ſimiarum eſt periodica haec ſanguinis excretio. Vocantur etiam *Flores*, quia indicium praebent aptitudinis ad foetum concipiendum. Aliis *Menſtruum*, *Profluuium mulierum*, *Lunare virus Ouidio*, *Profluuium genitale Plin. Tributum lunare*, Μῆνες, Καθάρσεις, Ἔμμηνοι, Ἐμμηνα, Γυναικεῖα *Theophr.* Καταμήνια. Ge. **Die Monathliche Reinigung, Monathzeit, Frauenzeit.** G. *Les Menſtrues, les Regles, les Mois, les Ordinatres.* A. *Womans courſes, Menſes.* B. *De Stonden, Stonde-vloed, Maandſtonden, roode Bloemen.*

MENSIS, eſt determinatum temporis ſpatium, in quo ſcilicet vel luna orbitam ſuam percurrit, in XXVII. vel XXVIII. diebus, et hoc *Menſis lunaris* dicitur, vel Sol duodecimam

Zodiaci partem tranſit in XXX. vel XXXI. diebus, qui *Menſis ſolaris* vocatur, et quorum duodecim annum abſoluunt. Ad foetum ergo humanum perfectum requiruntur decem menſes lunares, vel nouem menſes ſolares. Eſt vero quoque differentia inter menſes *Lunares ſynodicos*, qui ſunt, quando luna a ſole digreſſa ad eundem redit, et *periodicos*, quando luna ad idem zodiaci punctum regreditur. Ducenti et octuaginta dies vt partus legitimi tempus nouem menſes ſynodicos et quindecim dies, decem vero menſes periodicos et ſeptem dies conficiunt.

MENSIS CHYMICVS, ſeu PHILOSOPHICVS, conſtat ex quadraginta diebus.

MENSTRVA ALBA, vide *Fluor Albus*.

MENSTRVVM: hoc ſub nomine varia quidem a chymicis intelliguntur; vel enim eſt id, quod in vaſe deſtillatorio eſt et deſtillationi exponitur; vel liquor, quo metalla corroduntur, et lapides ſoluuntur, vt acetum, aqua fortis, ſpiritus vini, etc. Sumi etiam poteſt pro capite mortuo a deſtillatione relicto. Rectius tamen vocatur corpus, quod lege artis applicatum alteri illud diuidit in minutas quidem partes ita, vt particulae ſoluentis inter partes diuiſas ſoluti ſint penitus intermiſtae. Diſtinguuntur, licet ſatis improprie, *menſtrua* in *dura*, vel *ſolida*, et in *fluida*; nam quamdiu corpora talia ſub forma dura conſiſtunt, tamdiu neutiquam agent, vt menſtrua. Magis ergo proprie ſub *menſtrui* nomine intelligitur fluidum, quod ſubſtantias ſolidas ita in ſe recipit, vt in vnum, viſu homogeneum, corpus abeat, easque, niſi exhalatione, aut praecipitatione, ſeparatas, non dimittat. De menſtruo vniuerſali, omnia ſcilicet ſolida ſoluente, paſſim dictum eſt, ſed merito de eius exiſtentia dubitatur, cum praeter plura argumenta, et vas, quo contineri poſſet, quaeri oporteret. Gr. a μένω, maneo, vel a menſe, quod res diſſoluendae quadraginta dierum ſpatio, ſiue per menſem philoſophicum, agitantur et diſſoluuntur. Ge. **Ein Auflöſesaft, Scheidewaſſer.** G. *Menſtrue*, A. *Menſtruum*. B. *Een Scheivocht, Uittrekſel.*

MENSTRVVM MVLIERVM, vide *Menſes*.

MENSVRA, eſt tam aridorum, quam liquidorum, quaedam determinata quantitas. Gr. μέτρον. Ge. **Ein Maaß.** G. *Meſure.* A. *Meaſure.* B. *Een Maat.*

MENTAGRA, eſt ſpecies Lichenis ferae, quae tempore *Claudii* adhuc incognita erat. Morbus dictus a mento, a quo incipit, et faciem, pectus, manusque foedo quodam furfure occupat. Ge. **Eine Schwinde, Flecke, Zittermaal**

am Kinn. G. *Dartre.* A. *A Tetter, or Ring-worme.* B. *Gevlekte, of schubagtige Lazerie in het Aangezigt.*

MENTHA, est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnosperm.) quod caules habet quadratos, rubicundos, ramosos. Folia sunt vt plurimum oblonga, satis angusta, acuta, in margine incisa, aliquantulum lanuginosa, coloris virido-fusci. Flores in spicas congesti in ramorum summitatibus, parui, bilabiati, coloris albi, punctis quibusdam rubris notati. Singulis floribus succedunt quatuor semina oblonga, tenuia, floris calyce comprehensa. Radix longa, fibrosa, et repens. Huius generis plures dantur species, spicatae, capitatae, aut verticillatae, inter quas quatuor praecipue in vsum medicum apud nos adhibentur, scilicet 1) *Mentha auricularia Pharm.* Maiorana foetida *Rumph. Mentha auricularia* spicis oblongis, staminibus corolla longioribus, foliis oblongis pilosis *Linn.* 2) *Mentha sylvestris Pharm.* Mentha sylvestris folio longiore *Bauh. Mentha sylvestris* spicis oblongis, foliis oblongis, tomentosis, serratis, sessilibus, staminibus corolla longioribus *Linn.* 3) *Mentha crispa Pharm.* Mentha crispa danica, seu germanica speciosa *Morif. Mentha crispa* floribus capitatis, foliis cordatis, dentatis, vndulatis, sessilibus, staminibus corollam aequantibus *Linn.* Ge. Krausemünze. 4) *Mentha piperita Pharm.* Mentha spicis breuioribus et hebetioribus, foliis menthae fuscae, sapore feruido piperis *Rai. Mentha piperitis* spicis capitatis, foliis ouatis, serratis, petiolatis, staminibus corolla breuioribus *Linn.* Ge. Pfeffermünze. A. *Peppermint.* — Gaudent cunctae hae species qualitate suaui, aromatica, amaricante et spirante, qua tamen sequentes singulae praecedentes superant. Fortissima est Menthae piperitis, acrimonia sua sensum quasi refrigerii linguae imprimentis. Scatent omnes Menthae oleo aethereo atque fragrante, et viribus pollent neruinis, resolventibus, pellentibus, carminatiuis, antaphrodisiacis, emmenagogis et stomachicis. Menthae crispae vsus frequentissimus est, e qua in officinis conserua, syrupus, aqua, spiritus et oleum destillatum prostant. In Anglia quoque frequenter *Mentha spicata*, A. *Spearmint*, adhibetur. Nomen accepisse putatur a *Mintha*, Plutonis pellice, in hanc plantam conuersa. Alii dicunt nomen accepisse, quod odore suo mentem exciter, aut quod grato odore mensas percurrat. Nonnulli deriuant a Mentula, quia ad coitum excitat, hominesque eneruat. Graec. μίνθη, et propter suauem odorem ἡδύοσμος. Ge. Münze. G. *Mente.* A. *Mint.* B. *Munt.*

MENTHA CATARIA, est *Nepeta.*

MENTHASTRVM, est Menthae species, et quidem *sylvestris*, vel *rotundifolia*, vnde et ei nomen deuoluitur. Ge. Wilde Münz. A. *Horse Mint.* B. *Wilde Munt.*

MENTIGO, est morbus ouibus infestus, idem qui in hominibus *Mentagra* dicitur.

MENTOBICORNEVS, *Verbeyen*, idem musculus est, quam *Geniohyoides.*

MENTVLA, i. q. *Penis*, aut *Clitoris.*

MENTVLAGRA, est Morbus membri genitalis virilis, in quo musculi illud erigentes vel conuulsi, vel contracti sunt, qualis spadonibus saepe accidit.

MENTVM, est inferior pars faciei sub inferiori labio, seu pars anterior et inferior maxillae inferioris. Ge. Trevier. Ge. Das Kinn. G. *Le Menton.* A. *The Chin.* B. *De Kin.*

MENYANTHES, *Menyanthes trifoliata*, foliis ternatis *Linn. Trifolium palustre, aquaticum*, vel *fibrinum Pharm.* est planta flore monopetalo, quinquefido, (Pentandr. Monogyn.) capsula ouata, crescens passim in Europae paludibus. Qualitatis est amarissimae, viribusque balsamicis, tonicis et stomachicis gaudet, hinc pluribus in morbis adhibetur. Prostant conserua, aqua, essentia et extractum. Ge. Fieberklee. G. *Ménianthe.* A. *Marsh Treefoil, Buckbeain.*

MEPHITIS, proprie quidem foetorem sulphuris accensi denotat, latiori vero sensu sumitur pro congerie quorumcunque vaporum foetidorum a putredine natorum, aut noxiorum, vnde v. c. *Vapores* e variis speluncis egredientes *mephitici* vocantur.

MERCVRIALIA, dicuntur omnia, quae ex Mercurio praeparantur. Ge. Arzeney von Quecksilber. G. *Mercuriaux.* A. *Mercurial medecine.* B. *Quikbereidsels.*

MERCVRIALIS, est plantae genus flore apetalo stamineo, seu sterili, et cuius embryones et fructus in aliis speciebus nascuntur flore carentibus, (Dioec. Enneandr.) dum olim contrario plane sensu species capsulas biloculares ferentes dicebantur testiculatae, seu mares, quae tamen reuera foeminae sunt, et species, quae flores, seu stamina, ferebant, dicebantur foeminae, quae tamen reuera mares sunt. Habet haec planta caules rotundos, politos, in paruos ramos diuisos. Folia sunt oblonga, satis ampla, acuta, polita, viridia, in caule bina opposita, in margine crenata. Calyx florum monophyllus, expansus in tria segmenta, tam in mare, quam in foemina. Flos in mare apetalus, staminеus, habens stamina nouem, vel duodecim, in spicas congesta. Ouarium calyci triphyllo insistit gemellum, rotundum, instructum

tuba fimbriata: femina oualia, vel rotunda, includuntur in capſula obrotunda. Radix fibroſa eſt. Quae in officinis proſtat, eſt Mercurialis teſticulata, ſeu mas *Bauh. Mercurialis annua* caule brachiato, foliis glabris, floribus ſpicatis *Linn.* Ob indolem quandam mucilaginoſam haec inter plantas emollientes refertur. Non immerito tamen alii qualitatem ei ſuſpectam, hypnoticam, purgantem et repellentem tribuunt, cum incautum foliorum in obſonio eſum dira mala ſecuta eſſe obſeruatum ſit. — Species Mercurialis, quae *Cynocrambe* dicitur, *Mercurialis perennis* caule ſimpliciſſimo, foliis ſcabris *Linn.* Ge. Hundskraut, Hundskohl. G. *Chou de chien.* A. *Dogs-Mercury*, vere venenata eſt. Confer. *Cynocrambe.* Gr. Λυσζωσις et Ἑρμῆ βοτανιον, planta ſic dicta, quod, vt ferunt, a Mercurio ſit inuenta. G. Bingelkraut, Bengelkraut. G. *Mercuriale.* A. *French-Mercury.* B. *Bingel-kruid.*

MERCVRIFICATIO, quibusdam chemicis, ſ. alchemicis, ea dicitur corporum fixorum mutatio, qua volatilia reddūntur, ita vt ope ignis ſublimari poſſint. Putant, inprimis metalla ope huius operationis in fluidum metallicum mercurio viuo ſimile, ſed ponderoſius, mutari, aut mercuriale metallorum principium ea ſeparari. Ge. Merkurificirung. G. A. *Mercurification.*

MERCVRIVS, ſiue *Argentum viuum*, ita dictum, quia ſplendore ſuo metalli illius fulgorem prouocat, extremitate ſua fluiditate et mobilitate vitalis quidpiam referre videtur. Summo tamen frigore illum in corpus ſolidum malleabile mutari poſſe, experimenta, quae recentioribus temporibus cum eo Petroburgi primum inſtituta fuerunt, probant. Vocatur etiam *Hydrargyrum*, quaſi diceres argentum aqueum, et *Hermes*, ſiue Ἑρμῆς. Eſt metallum, ſeu potius ſemimetallum, poſt aurum ponderoſiſſimum, ſimpliciſſimum, paruo igne, ſed paulum maiori, quam ebullientis aquae, totum volatile, candidi coloris, grauitatis ſpecificae, reſpectu aquae, vt 1 ad 14. minime ductile ſub malleo, dum fluidum eſt, ſed parua vi diuiſibile in partes minimas, quae tamen, quoties ad ſe mutuo iterum accedunt, quam facillime in mutuos ruunt amplexus, atque adunatis particulis vnum formant globulum; ſuperficie tam glabra donatum, vt neruis etiam acutiſſime ſentientibus adplicatum, per ſe nullum doloris ſenſum imprimat. Auro omnium facillime adhaereſcit, deinde plumbo, argento, ſtanno, difficilius cupro, vix ferro. Cum pinguedine ſpiſſiori ſubigi ſe patitur, in qua diſparens caeruleſcentem tantum colorem vnguento conciliat. Inuenitur paſſim in metallifodinis Hungariae, Iſtriae, Hiſpaniae, Palatinatus et Americae, vel mercurius purus, qui *natiuus* et *virgineus* dicitur, vel materia lapidea, aut ſulphure mineraliſatus, qui vltimus *Cinnabaris natiua* vocatur. A veteribus pro veneno habebatur. Arabes primo externe mercurio vſi ſunt, et in principio ſaeculi decimi ſexti interne adhiberi coepit, ſummamque in lue venerea tum pullulante exſeruit efficaciam. Ob maximam enim cum pondere diviſibilitatem minima corporis vaſcula penetrat, hinc in plurimis morbis a lympha viſcida, impura atque infecta oriundis ea praeſtat, quae nullis aliis remediis obtineri poſſunt, humores fundendo, et ad excretionem diſponendo. Infecta omnia fere enecat, et in morſu canis rabidi optimo ſaepe cum euentu adhiberi coepit. Frequentiſſimus eius tum internus, tum externus, vſus eſt. Adhibetur vel crudus, vel vario modo ſolutus, praecipitatus, vel ſublimatus, maiorisque, vel minoris eſt, pro diuerſitate praeparationis, efficaciae. Ingens proſtat pluribus in pharmacopoeis huiusmodi praeparationum numerus, adhucdum nouis quotidie inuentis auctus. Vide *Calomel*, *Lacerta viridis*, *Panacea*, *Turpethum*, etc. — Mercurius interdum Chymicis dicitur omnis liquor, qui non inflammatur, ſiue ſit ſpirituoſus, acidus, vel aquoſus. Alii ſumunt pro ſpiritu e plantis, vel animalibus, educto, vel pro liquore quouis acido, arte chymica parato. Hinc veteribus nonnullis dicitur triplex, mineralis, coeleſtis et chymicus. Appellatur ſic ab ethnico Deo Mercurio, qui ob agilitatem negotiatoribus praeſidere exiſtimetur. Germ. Queckſilber. Ga. *Mercure*, *Vif argent.* A. *Quickſilver*, *Mercury.* B. *Quikzilver.*

MERCVRIVS ANIMATVS, quibusdam chymicis dicitur Mercurius aliquoties cum auro et argento in amalgama redactus, et per retortam in balneo arenae deſtillatus.

MERCVRIVS PHILOSOPHORVM, eſt Alchemicis terra mercurialis a metallis per mercurificationem ſeparata. Ga. *Mercure des Philoſophes.*

MERCVRIVS VITAE, ſ. *Puluis Algaroth*, eſt puluis albus fundum petens, dum butyro antimonii aqua affunditur. Emeticum eſt ſumme draſticum, a quo prudens medicus omnino abſtinet.

MEROBALINEVM, eſt ſpecies ſemicupii, in quod vnicum membrum, vel plura immerguntur. A μέρος, pars, et balineum, ſeu balneum. Ge. Ein Gliedbad. G. *Bain pour un membre, ou une partie.* A. *A Bath for a particular membre, or more.* B. *Een Lid-bad.*

MERÖCELE, vide *Enterocele.*

MERORIXIS, ENTEROCELE-MERORIXIS, eſt hernia cruralis, rupto peritonaeo, et fit ab inteſtino, vel inteſtino et omento per peritonaei rupturam ſub ligamento Poupartii, prouolutis. Poteſt tamen etiam ſimilis Hernia ſine ruptura peritonaei exiſtere. Ge. Schenkelbruch. G. *Rupture crurale.*

MESARAICA VASA, ſunt vaſa, quae per meſenterium et inteſtina diſtribuuntur. Germ. Gefäße des Gekröſes. B. *Scheelvaten.*

MESENTERICA ARTERIA, eſt ſuperior et inferior, vtraque ex aorta deſcendente oriunda, per meſenterium, inprimis per inteſtina diſtribuitur. Ge. Gekrößpulsader. G. *Artére Meſentérique.* B. *Scheelslag-ader.*

MESENTERICAE VENAE, originem habent partim ex extremis arteriis meſentericis, partim ex villis inteſtinorum reſorbentibus; inde in maiores ramos confluunt, quae eodem modo, vt arteriae, per meſenterium decurrunt. Accedunt iis venae meſocolicae, pancreaticae, epiploicae et haemorrhoidales. Omnesque tandem conueniunt in vnum ramum, lineali maiorem, qui exonerat ſe in Venam portarum. Ge. Gekrößblutader. G. *Veine Meſentérique.* B. *Darmſcheel-ader.*

MESENTERIVM, eſt peritonaei membrana duplicata, ad corpora vertebrarum lumbarium vtrinque concurrens, glandulis, neruis, arteriis, venis, vaſis chyliferis et lymphaticis dotata, quae in interpoſita tela celluloſa decurrunt; medivm abdominis occupat, et inteſtina ordine quodam miro continet, iisque primam tunicam largitur. In medio glandulam magnam habet, *Pancreas Aſellii* nominatam, quod in ouibus et canibus quidem obtinet, ſed in homine numeroſae, molles, tam maiores, quam minores, conglobatae, lymphaticae, interſperſae glandulae reperiuntur, quas *Ruyſchius* ex ſubtiliſſimis vaſculis ſanguiferis, pulpoſa ſubſtantia ſimul appoſita, conſtare per iniectiones deprehendit: *Glandulae meſentericae* vocantur, in iunioribus longe maiores. Ad eas lactea primi ordinis vaſa ex inteſtinis tendunt, et ab hepate aliisque partibus vaſa lymphatica deſcendunt; ab hiſce iterum lactea ſecundi ordinis vaſa ad ſacculum chyliferum adſcendunt, et in eius ſinum chylum magis elaboratum exonerant. Ex *μέσον*, medium, et *ἔντερον*, inteſtinum. Gr. Ἐπιχορδὶς *Aretaeo. Μέσαρχον, μεσαραῖον, μεσέντερον, Hippocr.* Ἀπωχὴ τῶν ἐντέρων *Ruſo.* Ἐπιχορηγὶς apud Veteres, teſte *Aretaeo.* G. Das Gekröſe. G. *Meſentére.* A. *The Meſentery.* B. *Het Darmſcheel, of Scheitſel, Middeldarm-vlies.*

MESERAEVM, proprie dicitur illa pars Meſenterii, quae inteſtino tenui alligatur, eiusque circumuolutiones firmat.

MESEREI BACCAE, vide *Laureola* et *Mezeraeum.*

MESOCOLON, eſt pars Meſenterii, quae craſſis inteſtinis adhaeret. Ex *μέσον*, medium, et *κῶλον*, inteſtinum colon. Ge. Das kleine Gekröſe. G. *Meſocolon.* A. *The little Meſentery.* B. *Het kleine, of Karteldarm ſcheel.*

MESOGLOSSVM, i. q. *Genioglossum.*

MESONYCTIVM, eſt media noctis pars. Ex *μέση*, media, et *νύξ*, nox. Ge. Mitternacht. G. *La Minuit.* A. *Midnight.* B. *Middernagt.*

MESOPLEVRII, ſunt coſtarum ſpatia intermedia, vt et muſculi intercoſtales, in vtroque latere viginti duo, vndecim externi et totidem interni, numerantur. Ex *μέση*, media, et *πλευρὰ*, latus. Vide *Intercoſtales muſculi.* Ge. Die Muskeln zwiſchen den Rippen. B. *Tuſſchen-ribbig.*

MESPILVS, eſt arbor mediocriter alta, cuius plures dantur paſſim ſpecies. Quae apud nos frequentiſſime colitur, eſt Meſpilus Germanica folio laurino, non ſerrato *Bauh. Meſpilus germanica* inermis, foliis lanceolatis, ſubtus tomentoſis, floribus ſolitariis ſeſſilibus *Linn.* Eius ſilicet truncus eſt tortuoſus, rami duri et non flexiles. Folia Lauri, ſed lanuginoſa, et in parte inferiori alba. Flores ſunt magni, (Icoſandr. Pentagyn.) roſacei, coloris albi, aut rubri. Poſt florem ſequitur fructus rotundus, poſt maturitatem rubicundus, carnoſus, qui vocatur *Meſpilum.* Eius cutis eſt tenera, caro dura, alba, ſaporis auſteri, ſed poſt maturitatem dulcis, vinoſi, et grati, quatuor, vel quinque oſſicula dura, oblonga, inaequalia, et rubicunda habet. In ſingulis oſſiculis haeret ſemen oblongum. Meſpilum in arbore raro fit maturum, ſed poſtquam ad ſuam magnitudinem naturalem pervenit, carpitur, et ſupra ſtramen deponitur, donec matureſcat, tumque gaudet qualitate ſtiptico-farinoſa, eſculenta, viribusque ſubaditringentibus et grate refrigerantibus hinc in diarrhoea et laxitate inteſtinorum eſus proficuus eſt. Gr. *μεσπίλη* arbor Meſpili eſt, *μεσπίλον* fructus, pro quo recentiores dixerunt *μύσπιλον.* Fortaſſis nomen impoſuerunt Scythae, qui lunam *μέσπλην* vocarunt. *Heſychius μέσπλη ἡ σελήνη παρὰ Σκύθαις.* Veriſimilius nomen accepit, quod fructus mollior et eſui idoneus, pulpa conſtat ſordida et adſpectu ingrata, *μέσπιλος* ergo, quaſi *μεσόπιλος.* Ge. Ein Miſpelbaum. G. *Neflier.* A. *Medlar-tree, Melder, Medeler.* B. *Miſpel-boom.*

MESPILVS ARONIA, eſt ſpecies Meſpili, ſcilicet Meſpilus Apii folio lauiniato, *Bauh. Crataegus* foliis obtuſis, ſub-

trifidis, ſubdentatis *Linn.* (Icoſandr. Trigyn.) quae in Italia et Gallia auſtrali colitur, cuius fructus inde ad nos adlati a multis ob gratiſſimam aciditatem, vimque refrigerantem et analepticam in deliciis habentur. Ge. Lazarolápfel. G. *Azérole.*

METABASIS, eſt tranſitus ab vna indicatione in aliam, ab vno remedio in aliud, qui cum prudentia et non temere fieri debet. A μεταβαίνω, transgredior. Ge. Uebertretung, Veränderung. G. *Tranſition, Changement d'Indication.* A. *A Transgreſſion from one thing to another.* B. *Een Overtreding, Verandering.*

METABOLE, eſt temporis, aeris, vel morborum, mutatio. A μεταβάλλω, muto. Ge. Veränderung der Sachen. B. *Verandering der Zaaken.*

METACARPVS, et METACARPIVM, eſt manus pars poſterior: conſtituitur ex oſſiculis quatuor oblongis, ſeu cylindricis, volam manus expandentibus, quae parte ſuperiori cum digitis, inferiori cum carpo connexa ſunt. Dicuntur *Poſtbrachialia.* Ex μετὰ, poſt, et καρπὸς, manus iunctura. Vocatur item *Torus manus, Tubercula,* μεταχάρπιον. Ge. Die Hinterhand. G. *Metacarpe.* A. *The Wriſt, the Back of the Hand.* B. *De Agterhand, Naahand.*

METACONDYLI, ſunt poſtremi digitorum articuli vnguibus tecti; quemadmodum medii condyli et primi metacarpio proximi *Procondyli* dicuntur. Ex μετὰ, poſt, et κόνδυλος, digitus. Ge. Die Knöbel, oder vorderſte Gelenke der Finger. G. *Metacondyle.* A. *The vtmoſt bones of the Fingers.* B. *De voorſte Vingerleden.*

METALLVM, Gr. μέταλλον, eſt ſubſtantia mineralis, ſeu foſſilis, admodum ponderoſa, ſolida et rigida, malleabilis, igne fuſilis, frigore concreſcens, quae in montibus et cryptis ſubterraneis aut natiua effoditur, aut e mineris protractis liquando vario modo extrahitur atque ſeparatur. Sunt aurum, ferrum, argentum, cuprum, plumbum, ſtannum, et ſecundum veteres argentum viuum, quod tamen magis ad ſemimetalla pertinet. Omnia illa hoc verſiculo continentur, vt:

Sol, Mars, Luna, Venus, Saturnus, Iupiter, Hermes.

Recentioribus etiam temporibus *Platina* vt nouum metallum proprii generis innotuit. Vide *Platina.* Inter metalla aurum ſolidiſſimum eſt. Ex μετὰ, poſt, et ἄλλος, alter, quia, vna inuenta vena, altera inuenitur. Ge. G. A. Metall. B. *Metaal.*

METALLVRGIA, eſt illa ſcientia, quae metalla ex fodinis eruere, et vario artificio e mineris eliquare docet. Ge. Metallurgie.

METALLVRGVS, ſeu METALLICVS, eſt, qui ſcientia metallurgica imbutus eſt, vel etiam qui in terrae viſceribus metalla ſcrutatur, et circa eorum eductionem et ſeparationem verſatur. Ex μέταλλον, metallum, et ἔργον, opus. Ge. Ein Schmelzer, Bergmann. G. *Metallurgiſte, Maitre de mines.* A. *Diggers of Metall, Miners.* B. *Een Metaal werker, Berg of Myn-werker.*

METAPEDIVM. Gr. μεταπέδιον, i. q. *Metatarſus.*

METAPHRENVM, Gr. μετάφρενον, eſt pars dorſi poſt ſeptum transuerſum. Ex μετὰ, poſt, et φρὴν, praecordium. Ge. Der Rücken. G. *Le Dos.* A. *The Back.* B. *De Rug.*

METAPTOSIS, METASCHEMATISMVS, eſt morbi in alium morbum degeneratio; vt febris quartana in tertianam, et vice verſa: apoplexiae in paralyſin, etc. A μεταπίπτω, recido, relabor, degenero, transeo. Ge. Veränderung der Krankheit in eine andere. B. *Verandering der Ziekte.*

METASTASIS, eſt humoris morboſi ex parte, in qua natus fuit, aut ex tota maſſa humorum, translatio in vnam aliquam partem, ceſſante plerumque, vel remittente, morbo, ſed inſequente alio: quae depoſitio, ſi ad partes minus nobiles fiat, aegram ſeruat, ſi ad viſcera nobiliora, in ſummum praecipitat periculum. Vt ſi in febre acuta materia ad inguina deponatur, aperto et euacuato abſceſſu, conualeſcit aeger, ſi vero materia podagrica caput repetat, deliria, apoplexiam, ipſamque mortem inducere poteſt. A μεθίστημι, transſtatuo. Vide *Apoſtema.* Ge. Weichen der Krankheit aus einem Ort in einen andern, Verſetzung der Krankheit. G. *Metaſtaſe.* B. *Verplaatſing der Ziekte.*

METASYNCRISIS, eſt medicamenti foris applicati operatio, qua ex intimis receſſibus humores euocantur. Talia ſunt, dropaciſmi, ſinapiſmi, veſicatoria, etc. Vide *Oribaſium* lib. I. cap. 34. Ex μετὰ, trans, et συγκρίνω, coagmento.

METATARSVS, ſunt quinque oſſicula cylindrica, in parte anteriori primae phalangi digitorum, in parte poſteriori cum oſſibus tarſi per arthrodiam connexa, quae plantam pedis conſtituunt. Ex μετὰ, poſt, et τάρσος, crates, tarſus. Ge. Das Fußbret. G. *Metatarſe, le Deſſous du pié.* B. *Agter-voet.*

METATHESIS, vocatur cauſſae morbi, non prorſus remouendae, in alium locum depoſitio, vbi minus actiones tur-

bare poteſt; vt ſi calculus vrethrae impactus in veſicam repellatur, aut lens cryſtallina obfuſcata acu deprimatur.

METEORISMVS, eſt intumeſcentia fugax abdominis, vel tantum epigaſtrii, aut hypochondrii, a flatibus contentis, cum exiguo, vel nullo dolore, diſtincta ſic a colica flatulenta et tympanite. A μετέωρος, ſublimis. Plurium morborum hoc ſymptoma comes eſt. *Hippocrates* tamen ſaepe, tum de Meteoriſmo loquitur, orthopnoeam, vel catarrhum ſuffocatiuum, intelligit. Ge. Aufblähen des Leibes. G. *Météoriſme.*

METHODICA MEDICINA, eſt, cuius auctor fuit *Themiſon Laodiceus*, excultor *Theſſalus Trallianus*, qui artem ſex menſium ſpatio addiſci poſſe clamitabat. Hi, ſignis et cauſis neglectis, ad laxum, ſtrictum et mixtum in omni morbo reſpiciebant. Ex μετὰ, cum, et ὁδὸς, via.

METHODICI, ſunt Medici quidam veteres, qui compendium artis methodo quaeſiuerunt, ſcil. *laxi*, *ſtricti* et *medii* cancellis omnia comprehendentes. Hi diaetam praeterea exactiſſimam infirmis inculcarunt, et ad frangendas vires, primis tribus diebus nil quidquam alimenti conceſſerunt, hinc etiam *Diatritarii* vocabantur. Vtebantur plerumque inſolatione, frictione, balneis, etc.

METHEMERINA, CATHEMERINA, idem quod *Amphimerina*, *Hemitritaeus*, *Lazica*, ſeu febris maligna putrida. Ge. Ein bösartiges tägliches anhaltendes Fieber. G. *Quotidienne continue.*

METHODVS, METHODVS MEDENDI, eſt pars medicinae, qua per indicationes ratiocinando ex datis principiis auxilia inueniuntur, et debito modo, tempore et quantitate adhibentur, vt deperdita hominis ſanitas reſtituatur. Ex μετὰ, cum, et ὁδὸς, via. Ge. Heilart. G. *Methode.* A. *Method.* B. *Beleid van Geneezing.*

METOPIVM, vide *Galbanum.*

METOPVM, eſt frons, ſiue pars faciei ſupra oculos. Ex μετὰ, poſt, et ὤψ, oculus.

METRENCHYTA, eſt inſtrumentum chirurgicum, ſeu ſipho, quo liquores vaginae et vtero immittuntur. Ex μήτρα, matrix, vterus, et χέω, fundo. Ge. Ein Muttertrichter, eine Mutterſpritze. G. *Métrenchyte.* A. *Mother-funnell.* B. *Een Moeder-trechter.*

METRETES, eſt Menſura maxima apud Atticos, capiens Choas duodecim, ſiue libras centum et octo. Aliis centum et viginti libras continet, et olei circa centum et quinque.

METRITIS, INFLAMMATIO VTERI, eſt phlegmaſia, cuius praecipuum ſymptoma eſt tumor regionis vteri cum ardore, dolore,

dolore, grauitate et pyrexia acuta. Immiſſo in vaginam digito, os vteri tactum non tolerat, rubet, retractum eſt; febris eſt continua, ſynochus ardens, quandoque amphimerina lypiria, cum horrore perpetuo, frigore extremorum, delirio, iactatione; caput, potiſſimum vero ſinciput, dolet, nec non oculi; conuulſiones colli, manuum ac pedum accedunt. Pulſus initio magnus, celer, deinde debilis, frequens. Hic morbus puerperis ſaepe infeſtus, et, licet nonnunquam lochia vbertim fluant, tamen funeſtus eſſe ſolet. *Sauv.* Ge. Entzündung der Mutter. G. *Inflammation de la matrice.* A. *Inflammation of the Womb.*

MEVM, ſeu MEV, Gr. μεῖον et μῶυ, Arabibus *Mu*, vnde forte nomen, eſt planta vmbellifera, flore roſaceo, (Pentandr. Digyn.) Meum foliis Anethi *Bauh. Athamanta meum*, foliis capillaribus, ſeminibus glabris ſtriatis *Linn.* vel potius *Aethuſa meum eiuſd.* foliis omnibus multipartito ſetaceis. Huius herbae folia ſunt inſtar Anethi, aut Foeniculi, ideoque a nonnullis *Foeniculum porcinum* vocatur. Eius radix in vſu eſt, ingrediturque theriacam et mithridatium. Ea aromatica, acris et calida eſt, ſatis craſſa, vtcunque obtuſa, vnde *Radix vrſina* vocatur in officinis: etiam oblonga, digiti craſſitiei, foris ferruginoſa, intus pallida, aliquantulum reſinoſa, ſaporis et odoris ad Angelicam et Ligufticum accedentis, ob nimiam fragrantiam nonnullis moleſta et odioſa, viribusque carminatiuis, diureticis et emmenagogis pollens. Creſcit copioſe in ſylua Hercynia, aliisque locis montanis, et in montibus campeſtribus et apricis. Colitur tamen etiam in hortis. Ex fibris radicis, per mucum in ventriculo rupicaprarum compactis, *Aegagropilae* oriuntur. Floret Iunio ac Iulio. Ge. Bärwurzel, wilder Dill, Bärendill, Bärenfenchel, Mutterwurz, Herzwurz. G. *Meum d'Athamanthe.* A. *Spignel, Meu, wild Dil.* B. *Beer-wortel.*

MEZERAEVM, Thymelaea folio deciduo *Tournef.* Laureola folio deciduo, flore purpureo, *Bauh. Daphne mezereum* floribus ſeſſilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis *Linn.* eſt planta calyce nullo, corolla monopetala, tubo cylindraceo, limbo quadrifido, (Octandr. Monogyn.) bacca ſubrotunda, vniloculari, ſemine vnico, ſubrotundo, carnoſo. Habitat in ſyluis vmbroſis Europae borealis. Qualitatis eſt draſticae. Vide *Laureola* et *Thymelaea.* Ge. Kellerhals, Seidelbaſt. G. *Bois-gentil, Garou, Mezereon.* A. *Mezereon.* B. *Zeel-Baſt.*

MIASMA, eſt materia ſubtilis, halituoſa et multiplicatiua, quae e corpore infirmo exhalans et ad alterum corpus

translata, et ab hoc quocunque modo reſorptum, in eo eundem morbum producit; hique morbi *contagioſi* dicuntur. A *μιαίνω*, inquino. Ge. Alles, was anſtecket. G. *Le Virus, Contagion, Maladie contagieuſe.* A. *A Contagious infection, Contagion.* B. *Beſmettelykheid.*

MICLETA, dicitur apud *Meſuen* medicamentum ſanguinem ſiſtens.

MICROCOSMVS, ſic Homo veteribus nonnullis dicitur, quaſi paruus mundus et compendium totius. A *μικρὸς*, paruus, et *κόσμος*, mundus.—Significat etiam animal fabuloſum teſtaceum, marinum, quod prodigioſae interdum magnitudinis eſſe dicitur, variisque plantis et animalibus marinis tectum, vt pro rupe habeatur *(Kraken)* Ge. Die kleine Welt. G. *Microcoſme.* A. *The little World.* B. *De kleine Waereld.*

MICROPHTHALMVS, eſt, qui a natiuitate paruos oculos, vel parum ſiſſas palpebras, habet. Ex *μικρὸς*, paruus, et *ὀφθαλμὸς*, oculus. Ge. Ein kleines Auge. G. *Petit Oeil, Oeil de Cochon.* A. *Little Eyed.* B. *Speenvarken Oog.*

MICTVS CRVENTVS, HAEMATVRIA, in genere quidem eſt ſanguinis cum vrina excretio, qui ex renibus, vreteribus, vel veſica vrinaria, ſiue ſola anaſtomoſi, ſiue dilaceratione vaſorum, prodit. Speciatim vero dicitur de ſanguinis e renibus, vel ſinceri, vel cum vrina mixti, excretione. Ge. Das Blutharnen. G. *Piſſement de ſang.* B. *Bloed-watering.*

MIGMA, eſt mixtio diuerſorum ſimplicium. A *μιγνύω*, miſceo.

MIGRANA, idem quod *Hemicrania*, ſiue capitis morbus, qui modo dextram, modo ſiniſtram eius partem tantummodo occupat, et ad ſuturam vsque protenditur, quae doloris interſtitium eſt. Vide *Hemicrania.*

MILIARIS FEBRIS, PVRPVRA MILIARIS, FEBRIS VESICVLARIS, eſt genus morbi inflammatorii, ſeu febrilis exanthematici, benigni, vel maligni, in quo minutae, rubrae et milii granis aequales puſtulae per cutem ſparſae occurrunt, quae cito in veſiculas ſero plenas excreſcunt, grano milii non maiores, pellucidas, vel lacteas; qui pro grauitate ſymptomatum magis, vel minus, periculoſus eſt. *Sauv.* Ge. Der Frieſel. G. *Pourpre blanc, Millet.* A. *Miliary-Feuer.*

MILIARES GLANDVLAE, ita vocantur propter ſimilitudinem cum grano Milii. Nomen praeterea habent a ſitu, quem in corpore obtinent, vt in labiis, buccis, palato, in integumentis, etc. Ad glandulas ſimplices folliculoſas pertinent. Ge. Hirſedrüſen. G. *Glandes miliaires.* B. *Geerſtegewyze Kliertjes.*

MILIARIS HERPES, vide *Herpes.*

MILIOLVM, eſt tuberculum exterioris palpebrae, magnitudine et duritie granulum paruum Milii referens, ortum ab humore incraſſato haerente in folliculo adipoſo. Vide *Grando, Hordeolum.* Ge. Gerſtenkorn.

MILITARIS, ſeu STRATIOTES, eſt herba aquis innaſcens flore tripetalo, ſpatha diphylla, perianthio monophyllo, capſula tecta, ſexloculari, polyſperma, (Polyandr. Hexagyn.) *Stratiotes aloides* foliis enſiformi-triangulis, ciliato-aculeatis *Linn.* Sic dicitur, quod milites vulnerati ea ſanguinem effluentem ſiſtunt. Idem nomen quoque *Millefolium* obtinuit. Vocatur etiam *Aloe paluſtris, Sedum aquatile,* et *Aizoon paluſtre.* Ge. Waſſeraloe, Waſſerfenchel, Waſſerdonnerbart, Waſſerbitter. G. *Joubarbe aquatique.* A. *Water Houſe-leek, Water-aloe, Water-ſoldice.* B. *Ruiters-kruid, Krabben-klaauw.*

MILIVM, Miſſum ſemine luteo et albo *Bauh. Panicum miliaceum* panicula laxa flaccida, foliorum vaginis pubeſcentibus *Linn.* (Triandr. Digyn.) planta eſt, olim ex India ad nos adlata, nuncque in agris noſtris paſſim abunde culta. Habet caulem mediocriter craſſum. Folia ſunt ampla et inſtar arundinis. Flos apetalus per falciculos in paniculam laxam diſpoſitus. Singuli floſculi conſtant plurimis ſtaminibus, ex calyce plerumque bifolio ſurgentibus. Semina fere rotunda ſunt, aut oualia, flaua, aut alba, dura, ſplendentia, in cortice exiguo, tenero, incluſa. Radix fibroſa, albeſcens. Seminis vſus maxime oeconomicus et culinaris eſt, et ob qualitatem farinaceam inſipidam vi nutriente, ſimul tamen flatulenta, pollet. Cum lacte coctum eximium praebet epithema emolliens. Sunt, qui decocto in variolis vti amant. Gr. *Κέγχρος*, ſic vocatur a minutis ficuum granis, ſiue gygartis numeroſiſſimis, quas *Κεγχραμίδας* appellant. Forte nomen illud inditum a *Κεγχρὶδι* auicula, quae in altis vrbium turribus nidificat. Milium itaque deriuari volunt a *μέλειν*, vel *μίδειν*, ſed probabilius eſt, dici a ſeminum copia, quaſi milleſimum ferat granum. Ge. Hirs, Hirſen. G. *Mil, ou Millet.* A. *Millet, Hirſe.* B. *Geers, Girſt.*

MILIVM SOLIS, vide *Lithoſpermum.*

MILLEFOLIVM, eſt planta flore compoſito radiato, (Syngeneſ. Polygam. Superfl.) quae plures habet caules, rigidos, anguloſos, villoſos, rubicundos, in ſummitate ramoſos. Folia tenuiſſima et innumerabilibus fere ſegmentis diuiſa et ſubdiuiſa, iuxta vnam longiſſimam coſtam, diſpoſita, cui folia omnia ſulcata adnaſcuntur inſtar auium plumae, odoris ſatis grati, ſaporis aliquantulum acris. Flos eſt con-

geſtus in vmbellam candidiſſimam, eſtque diſcoideus, radiatus. Calyx ſubrotundus, ſquamoſus. Semina valde parua, flocco inſtructa, nuda. Radix eſt lignoſa, fibroſa, coloris fuſci. Creſcit in locis incultis et arenoſis. Huius nominis plures dantur plantae, maxime frequens et officinalis eſt: Millefolium vulgare album *Bauh.* *Achillea millefolium* foliis bipinnatis nudis, laciniis linearibus dentatis, caulibus ſuperne ſulcatis *Linn.* Qualitatis eſt aromatico-odoratae, viribusque eximiis, tonicis, abſtergentibus, pectoralibus et vulnerariis gaudet, hinc praeſtantiſſimus eius vſus eſt in hypochondriaſi, haemorrhoidibus, haemoptyſi, vulneribus. Proſtat eſſentia, extractum, aqua et oleum deſtillatum, quod pro diuerſitate ſoli, in quo planta prouenit, modo flaueſcens, modo virideſcens, modo ſuauiter caeruleum eſt. Succus expreſſus ſpecificum in vomica pulmonum creditur. Radices recentes ſaporis ſunt calidi, aromatici, ad Contrayeruam accedentis, ſed per exſiccationem euaneſcentis. Millefolium dicitur, quod eius folia in plurima ſegmenta ſunt conſciſſa et diuiſa. Gr. μυριόφυλλον: vocatur et *Achillea*: narrat enim *Plinius*, *Achillem* a *Chirone* edoctum fuiſſe medicinam, et artem curandi vulnera, et *Telephum* proprio telo vulneratum hac planta curaſſe. *Stratiotes*, ſiue *Militaris*, etiam appellatur, quod vulnera ferro facta ſanet, atque adeo in militia et caſtris multus eius vſus ſit. Ge. Schaafgarbe, Garbe, Tauſendblatt, Garbenkraut, Schaafrippe, Jungfernaugen. G. *Mille-feuille.* A. *Milfoil, Yarrow.* B. *Duizend-Blad, Gerwe.*

MILLEPEDES, ASELLI, ſunt inſecta aptera, pedibus quatuordecim, antennis ſetaceis, corpore ouali. *Oniſcus aſellus* oualis, cauda obtuſa, ſtylis ſimplicibus *Linn.* Habitant in cellis, muris antiquis, parietibus et lignis putridis. Exſiccati et in puluerem triti, qui *Millepedes praeparati* in officinis dicuntur, vix magnae ſunt efficaciae. Sed recentium cum vino contuſorum ſuccus expreſſus praeſtantiſſimis viribus reſoluentibus, incidentibus et diureticis pollet, hinc ſummo ſaepe cum fructu in ictero, hydrope, aſthmate, praecipue humido, dyſuria, nephritide, ſcrophulis, cataracta et amauroſi adhibetur. Contuſi externe in angina proſunt. Ge. Kellerwürmer, Kellereſel, Aſſel. G. *Cloporte.* A. *Woodlice, Hoglice, Flaters.* B. *Duizendbeen.* Gr. Ὄνος.

MILPHAE, eſt defluuium pilorum e palpebris. — Item medicamenta, quae huic morbo medendo ſunt dicata, ita vocantur. Gr. Μίλφα.

MINA, MNA, patet ex *Dioſcoride*, pondus fuiſſe vnciarum ſedecim, ſiue drachmarum centum viginti octo. Verum

Attica leuior erat Romana, et pendebat drachmas centum, ſiue duodecim vncias et ſemiſſem. *Romana* pendebat nonaginta et ſex drachmas, ſiue vncias duodecim. *Alexandrina* videtur vncias viginti continere, ſiue drachmas centum et ſexaginta. Forte illa differentia oritur a regionibus, in quibus drachmae differebant. *Mina*, ſiue *Mna*, videtur ſignificare mille. Ge. Ein Pfund. B. *Een Mine gewigts, een Pond.*

MINERA, eſt terra, ſiue materia, ex qua mineralia, et maxime metallica, ignitionibus et liquefactionibus extrahuntur, vti ſunt minerae auri, argenti, cupri, ſtanni, etc. Ge. Bergſtufen, Erz. G. *Mine.* A. *Mine, Ore.* B. *Mineraal.*— Quibusdam auctoribus denotat materiam, quae morbum excitat, vel fouet.

MINERALIA, ſunt corpora, quae vel in telluris ſuperficie, vel in eius gremio, naſcuntur, quorum fabrica per ſolam aggregationem et mixtionem nata eſt adeo ſimplex, vt nulla hactenus perſpicientia, ne quidem per microſcopia acutiſſima detexerit in his varietatem inter vaſa et ea, quae his continentur, ſed ſimillimam omnibus partibus affinitatem toti, licet in plurimis horum fluidarum et conſiſtentium partium concurſus certo cognoſcatur permiſtu factus. Huc pertinent metalla, tum metalla imperfecta, gemmae, lapides, terrae, ſalia, ſulphura. Haec omnia iunctim ſumta *Regnum lapideum*, vel *minerale*, conſtituunt, quod igitur omnes petras, mineras et foſſilia comprehendit. Ge. Mineralreich. G. *Minéraux.* A. *Minerals.* B. *Mynſtoffen, Mineraalen.*

MINIVM, eſt Plumbum forti igne calcinatum, et in puluerem rubrum redactum, ponderoſius, quam ante erat. Vſus eius ſaltem externus eſt, in quem, ob virtutem exſiccantem et refrigerantem, frequenter adhibetur. Veteribus *Scandyx* dicebatur, *Minium* vero iis id erat, quod hodie Cinnabarin vocamus. G. Mennige. G. *Minium.* A. *Red-lead, Minium.* B. *Menie.*

MINORATIO, dicitur leuis quaedam euacuatio, inprimis per aluum. Hinc *minoratiua* medicamenta eadem ſunt, quam *lenitiua, eccoprotica.* G. *Minoratifs.*

MINYANTHES. Sunt, qui Millefolium exponunt. Si a μύρια, mille, et ἄνθος, millefloſcum denotat. Si a μηνύειν, prodere, indicare, quod flore ſuo prodat. An a phoeniceo colore, ſeu purpureo, floris, tum deriuatio eſto a minium?

MIRABILE SAL GLAVBERI, eſt Sal medium conſtans ex acido vitriolico et parte alcalina ſalis communis. *Mirabile* dicitur, non quod, afferente *Glaubero*, vinum et cereuiſiam etiam aeſtiuo tempore in glaciem conuertat, ſed quia

ab omnibus ſalibus mediis in eo differt, quod facile in igne fluat, in pauca quantitate aquae ſolubile ſit, et difficillime ac vix igne acidum ſibi extorqueri et a parte alcalina ſeparari patiatur. Huic ſali analogum in plerisque fontibus foteriis deprehenditur. Pollet viribus incidentibus, digeſtiuis et maiori doſi aluum leniter euacuantibus. Ge. Glaubers Wunderſalz. G. *Sel merveilleux de Glauber.*

MIRABILIS PERVVIANA, vide *Ialappa.*

MIRACH, Arab. vox, idem eſt quod *Epigaſtrium.* — — *Mirachialis affectio* eſt colica, ſiue dolor inteſtinorum.

MISCE, ſcribitur plerumque per M ſimplex in fine formularum, et denotat mixtionem duorum, vel plurium medicamentorum.

MISERERE MEI, idem quod *Iliaca Paſſio*, et *Chordapſus.*

MISTIO, i. q. *Mixtura.*

MISY, eſt Vitriolum lapide mineraliſatum, ſeu lapis atramentarius flauus, vitriolici ſaporis, et quaſi chalcitidis efloreſcentia, colore aurum imitans, aureisque ſcintillis, dum frangitur, ſplendens. Ge. Gelber Atramentſtein. G. *Pierre atramentaire jaune, Miſy.*

MITELLA, eſt ſpecies faſciae, ſiue linteum, in quo brachium laeſum ſauciumque ſuſpenditur, idem quod *Habena*, ſeu *Suſpenſorium brachii.* Ge. Armſchlinge, Scherpe, Tragband. G. *Echarpe.* B. *Een Arm-band, Arm-zwa, Dwaal, daar men den zeeren Arm indraagt.*

MITHRIDATIVM, a Rege *Mithridate* compoſitum, et pro antidoto habitum ad depellenda e corpore venena, ab antiquis plurimi aeſtimatur, verum quia conſtat ex ſimplicibus, quoad effecta, contrariis, nunc temporis non tanti venit. Nam ſi *Opium* et pauca calida demerentur, tota compoſitio viribus eſſet orbata. Huius variae dantur deſcriptiones. Plerumque in officinis praeparatur iuxta deſcriptionem *Servilii Damocratis*, medici Graeci, et ideo *Mithridatium Damocratis* vocatur. G. Mithridat. G. A. *Mithridate.* B. *Mithridaat.*

MITRA HIPPOCRATICA, ſ. *Faſcia capitalis*, eſt faſcia, quae in capitis vulneribus potiſſimum adhibetur. Ge. Der Schaubhuth, Hippokratismütze. G. *La Capeline, le Bonnet d'Hippocrate.*

MITRALES VALVVLAE, ſunt expanſiones duae membranoſo-muſculoſae vndique tenuibus lacertis circa parietes et limites atrii et ventriculi cordis ſiniſtri affixae, quae irruentem ex atrio ſiniſtro in ventriculum ſiniſtrum ſanguinem ad huius parietes appreſſae admittunt, eius vero refluxum, dum eleuantur, impediunt. Ge. Die Mützenförmigen Herzklappen. G. *Les valvules mitrales.*

MIVA, eſt caro, ſiue pulpa, mali Cydonei cum ſaccharo in conſiſtentiam ſpiſſam cocta. Vide *Marmelata.* Ge. Quittenmuß.

MIXTVRA, MISTVRA, MIXTIO, MISTIO, CRAMA, CROMA, et CHRAMA, eſt ſubſtantia ſolida, vel liquida, ex variis medicamentis commixta. Mixturae pro ſcopi, quem habet medicus, diuerſitate variae admodum ſunt. Guttis maxime, vel cochlearibus, quandoque hauſtu vſurpandae, conficiuntur vel ex liquoribus ſolis, quales ſunt praecipue aquae deſtillatae, ſpiritus et olea, quouis modo inter ſe mixtis, ſic vt aquae miſceantur aquis, olea oleis, aquae ſpiritibus, etc. vel ex iisdem cum ſyrupis conuenientibus, pulueribus, confectionibus, opiatis, ſiue omnia concurrant, ſiue vnum, aut alterum tantum adſumatur. Solent *Mixturae concentratae* vocari, quae e ſpirituoſis conſtant, et guttatim ſumuntur, *Potiones*, quas pulueres ingrediuntur, et quae maiori doſi propinantur, et *Iulapia*, dum ſyrupi cum aquis absque pulueribus miſcentur. Ge. Mixtur. G. *Mixtion, Mixture, Mélange.* A. *A Mixture.* B. *Een Mengſel.*

MNA, i. q. *Mina.*

MOBILITAS, vocatur talis diſpoſitio, quando ex minima cauſa, quae in ſano homine motum non concitaret, motus maior et turbatus, vel a ſolita cauſa maior turbatio fit. Sic praecipue de ſenſibilitate et mobilitate ſyſtematis neruoſi medici loquuntur.

MOCHLIA, eſt oſſium luxatorum reſtitutio: μοχλὸς enim vectis eſt, et μοχλικὸς, paruus vectis.

MODIOLVS, ſiue *Abaptiſton*, vide *Trepanum*, eſt pars *Trepani*, ſcilicet tubus chalybeus, cylindrico-conicus, margine inferiori dentato, quo circumacto portiones circulares ex oſſibus exſcinduntur, quae operatio *Trepanatio* vocatur, et qua vtimur in profundis oſſium corruptionibus, contuſionibus, fiſſuris et fracturis, non facile tamen adhibenda, niſi 1. Oſſium prominentiae et fruſtula pungant. 2. Cum ſuprema tabula integra, ſed depreſſa, et infima diſrupta ſit. 3. Cum ſanguis extrauaſatus, preſſione, aut corruptione ſua, hominem iugularet. 4. Cum fruſta cranii fracta et depreſſa cerebrum comprimunt. Modus perforationis hic eſt. Deraſis capillis, cutis in formam crucis vsque ad pericranium, prudenter muſculos temporales et futuras cauendo, eſt incidenda, et pro hac vice vulnus obligandum, niſi ſanguinis profuſio tam pauca ſit, vt ſimul etiam pericranium a ſubiecto cranio diduci poſſit. Deinde poſt aliquot horas, ſanguinis fluxu cohibito, *Modiolum maſculum* ſumito, cuius cuſpis firmiter in cranio eſt collocanda, ſed tam procul a fiſſura, ſiue

fractura, ne dentibus ſuis eam, multo minus futuram, attingat; quamquam nonnulli futuras non magnopere vitent, et nos certiores reddant, ſe eas tam feliciter, quam alia quaevis loca, perforaſſe. Tum *Trepanum* manu ſiniſtra fortiter teneto, id dextra circumducendo, donec circulum mediocriter profundum incideris, poſtea *foeminam* (in cuius medio nulla cuſpis) accipe, aut cuſpidem, vt recentiores ſolent, exime, et eandem, vt ante, circumducito, interim ſcobem auferto, et modiolum ad lubricandum et refrigerandum in oleo et aqua tingito et madefac. Sanguis iam apparens, ſignum eſt, te ad diploen et ad ſecundam tabulam penetraſſe, et tum lenius premendum, ne meninx incaute laedatur; vbi vacillare incipit oſſiculum, vectim inter crepidines inſerito, diſſolvito, et illud volſella eximito, et vel fruſta cranii depreſſa, vel ſanguinem ſub cranio extrauaſatum, remouento. Plura, quae ad hanc operationem et ſequentem deligationem pertinent, e lectionibus chirurgicis petenda ſunt. Vide *Trepanum*. Ge. Ein Trepan. G. *Trépan.* A. *Trepan, Trephine.* B. *Een Beenboor, een Trepaan, Panboor.*

MODIVS, Gr. μόδιος, eſt menſura, continens ſedecim ſextarios.

MOGILALOS, eſt in genere is, qui cum difficultate loquitur, proprie vero *Mogilalia*, ſeu Pſellismus Mogilalia, vocatur impotentia pronunciandi litteras labiales, quae vitioſe a balbis, minime a mogilalis, proferuntur, vel harum loco aliae ſubſtituuntur. Sic quibus labium alterutrum deficit, vt in labro leporino, vix pronunciare poſſunt B. P. M. maxime ſi dentes ſimul anteriores deſint; littera enim V. loco F. vel F. loco P. profertur, maxime ſi labrum inferius moueri nequeat. *Sauv.* Ex μόγις, vix, et λαλέω, loquor. Ge. Schwere Sprache. G. *Bégayement.* B. *Zwaar beſpraakt.*

MOLA, PATELLA, ſeu ROTVLA, eſt os rotundum, et aliquantum triangulare, baſi ſurſum, apice deorſum reſpiciens, in medio craſſius, margine anguſtiore, antrorſum ſubconuexum, retrorſum duabus cauitatibus inaequale, ſubſtantiae ſpongioſae et fragilis, articulationi femoris et tibiae impoſitum, atque aponeuroſi valida et ligamentis firmatum, mobile tamen, ſicque articulationem fulciendo, ſtationem et greſſum firmiorem efficiens, et, vt ait Celſus, inter omnes crurum flexus iuncturam tuens. Non male a nonnullis pro parte tibiae habetur, et *Olecranum mobile* dicitur. Olecranum vero cubiti pro patella fixa habetur, et latum, imponitur articulationi femoris et tibiae, vbi genu membranoſo ligamento cingitur, Gr. Κόγχη, Κόγχος, Μύλη, Ἐπιγονατὶς, Ἐπιμυλὶς, Μυλακρὶς. Ge. Die Knieſcheibe. G. *La Rotule.* A. *The Knee-pan.* B. *De Knie ſchyve.*

MOLA CARNEA, Gr. μύλη, eſt ſubſtantia carnoſa, quandoque etiam fungoſa, aut veſicularis, intus cyſticoſa, ſine oſſibus et viſceribus, ſaepe inſtar ſanguinis concreti, nigra, et nonnunquam duriſſima, loco foetus in vtero a ſecundinarum degeneratione, vel ſanguine coagulato, vel ſarcomate vteri, producta, vel nullam figuram determinatam obtinens, vterum ingenti nonnunquam mole diſtendens, et a vera grauiditate difficulter, niſi motu debito tempore non accedente, dignoſcenda. Sunt, qui in *Molas generationis* et *nutritionis* diſtinguunt, hasque vltimas et in caſtiſſimis virginibus deprehendi poſſe contendunt. Saepe tamen molas ſe excreviſſe putant mulieres, in quibus caute perluſtratis embryo, ſeu verus abortus, reperitur. Saepe etiam vna cum vero foetu huiusmodi molae geruntur ſimulque excernuntur. Ge. Gewächs, Mondkalb. G. *Mole, Faux germe.* A. *A Mole, or deformed birth.* B. *Een Zuiger, vleeſchige Misdraagt.*

MOLARES, ſeu MAXILLARES DENTES, in eo ab aliis dentibus differunt, quod extremas ſuas partes, quas *Ruffus menſas* appellat, valde amplas habeant, et duabus, vel pluribus radicibus inſtructi ſint. Horum in homine viginti ſunt, in quouis ſcilicet vtriusque maxillae latere quinque, hi triturando proprie cibos comminuunt. Gr. Μύλοι et Γόμφιοι. Ge. Die Backen- oder Stockzähne. G. *Dents machelieres, molaires.* A. *The Cheek-teeth, Grinders.* B. *Baktanden, Kiezen.*

MOLDAVICA, i. q. *Meliſſa Turcica.* Vide *Dracocephalon.*

MOLLIENTIA, vide *Emollientia.*

MOLLVGO, eſt *Aparines* ſpecies, a quibusdam ad Galia relata. *Galium mollugo Linn.* ob mollitiem dicta, quod non, vt Aparine, praetereuntium veſtibus adhaereat.

MOLOPES, *Vibices, Enchymoma, Sugillationes*, idem ſunt, dicuntur rubores vibicum inſtar in febribus malignis et peſtilentialibus producti. Gr. μώλωψ, vibex. Vide *Enchymoma.*

MOLVCCENSE LIGNVM, vide *Ricinus.*

MOLY, Gr. Μῶλυ, eſt *Allii*, aut *Cepae*, ſpecies, ſcilicet planta flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) *Allium moly* ſcapo nudo ſubcylindrico, foliis lanceolatis ſeſſilibus, vmbella faſtigiata *Linn.* ab aliis Allii ſpeciebus odore non graueolente differens. Dicitur ἀπὸ μὴ καὶ ὅλλω, ſiue ὄλλυμι, quod *ab interitu conſeruet*, vel ἀπὸ τοῦ μωλύειν τὰς νόσους, *a mitigandis ſedandisque morbis:* aliud tamen Etymon *Ptolemaeus Hephaeſtion* adfert. *De Moly deinde herba apud Homerum agit, quam e ſanguine interfecti in Circes, inſula gigantis enatam ferunt,*

habereque candidum florem. Circe autem in pugna Socium ſolem, etiam gigantem, interemiſſe dicitur, atque inde, quod Μαλε *pugnam ſignificet, inditum herbae nomen.* Sic et *Vlyſſes* hac planta ſe a *Circes* incantamentis liberaſſe et *Circe* ex hac planta philtra ſua praeparaſſe dicitur, quorum antidotus Helleborus albus eſſet. Verum, quae ſit planta *Moly Homeri*, vix exacte determinari poteſt.

MOLYBDAENA, ſeu PLVMBAGO, planta eſt *Perſicaria*; forte ſic dicta ob maculas, quibus maculatur, plumbeas. A μόλυβδος, plumbum.

MOLYBDAENA, ſeu PLVMBAGO, duplex *Dioſcoridi* eſt, *nativa* et *factitia*. Illa nihil aliud eſſe videtur, quam lapis, ſiue plumbi minera, ſeu potius minera plumbi et argenti ſimul. Ge. Bleyglantz. — Factitia eſt ſpecies Lithargyrii, videlicet illud recrementum, quod in argenti aurique purificatione cum plumbo, mineraue plumbi, inſtituta, fornacis ſolio concretum, et peruſtum adhaereſcit. Exactius vero hodie *Molybdaena* dicitur *Mica pictoria* nigra manus inquinans *Wall.* e tenuiſſimis lamellis et ſquamis absque ordine compoſitis conſtans, coloris ſubſplendidi et plumbei nigricantis, quae nec plumbum, neque, in igne licet flaueſcens, quidquam auri continet. Vſus maxime ſcriptorius et pictorius eſt. Ge. Schwarzes Bleyweiß, Waſſerbley. G. *Mica des peintres.* B. *Potloot.*

MOLYNSIS, i. q. *Miaſma.*

MOMORDICA, ſeu BALSAMINA MAS, eſt planta, quae habet caules exiguos, ſarmentoſos, anguloſos, ſtriatos, ſcandentes. Folia Bryoniae, ſed minora, caulibus longis adhaerentia, ſaporis acris et amari. Flores ſunt monopetali, campaniformes, quinquefidi, lati, expanſi, coloris flaui, albeſcentis, e quibus alii, ſcilicet maſculi, ſunt ſteriles nulli embryoni inſidentes, alii vero foecundi, ſeu foeminini, embryonibus adhaerentes, (Monoec. Syngeneſ.) e quibus dein fiunt elegantes fructus longi, vel rotundi, magis minusue turbinati, caui, carnoſi, triloculares, loculis membranaceis, elaſtica vi rupti, et ſemina explodentes oblonga, vel ouata, rubicunda, obducta calyptra plana, margine denticulato. Radix eſt parua, fibroſa. Haec planta proprie in India naſcitur, inde ad nos delata nunc ſatis frequenter in hortis noſtris colitur. Fructus eximiis viribus anodynis et vulnerariis pollent, et cum oleo oliuarum infuſi praeſtantiſſimum in laeſione tendinum, haemorrhoidibus dolentibus, fiſſura papillarum, perniionibus, exulceratione vteri, partu difficili, exhibent remedium. Ge. Balſamapfel. G. *Pomme de Mer-*

veille. A. *Male Balſam apple.* B. *Balſem-appel.* — — Ad Momordicae genus et *Momordica elaterium*, ſ. *Cucumis aſininus* pertinet, ex qua planta *Elaterium* praeparatur. Vide ſub his vocibus.

MONADELPHIA, botanicis dicitur claſſis plantarum, in quarum floribus ſtamina omnia inter ſe inuicem aliqua ſua parte, vel cum piſtillo, cohaerent.

MONANDRIA, eſt claſſis plantarum, quarum flores vnum ſaltem ſtamen, ſeu partem maſculam, continent.

MONANGIAE, vocantur plantae, poſt quarum ſingulos flores vnica ſaltem capſula ſeminalis, aut vnilocularis, ſuccedit.

MONOCEROS, i. q. *Vnicornu.*

MONOCLINIA, botanicis eſt claſſis plantarum, quarum flores omnes hermaphroditi ſunt, ſcilicet ſtamina cum piſtillis in eodem flore.

MONOCOLVM, eſt *Inteſtinum coecum.*

MONOCOTYLEDONES, dicuntur plantae, quarum ſemen vnicum tantum folium ſeminale continet.

MONOCVLVS, ſ. *Oculus ſimplex*, eſt faſcia chirurgica, qua vnicus tantum oculus deligatur.

MONOECIA, eſt claſſis plantarum, quarum flores maſculi et foeminini, a ſe remoti, ſed in eadem planta ſunt.

MONOGYNIA, eſt ordo plantarum eas comprehendens, quarum flores vnicum tantum piſtillum habent.

MONOHEMERA, ſunt morbi, qui vno die curantur, vt *Ephemera* febris. Ex μόνη, ſola, vna, et ἡμέρα, dies. Ge. Eine Krankheit, die nur einen Tag währet. G. *Maladie d'un jour.* A. *A Diſeaſe of one days duration.* B. *Eendaagſe Ziekte.*

MONOPAGIA, MONOPEGIA, eſt acutus capitis dolor, vnum locum occupans. Vide *Clauus.* Ex μόνος, ſolum, et πήγνυμι, compingo. Ge. Kopfweh an einer Stelle des Haupts. G. *Migraine.* A. *An acute fixed pain of the head.* B. *Eenzydige Hoofd-pyn.*

MONOPETALVS, botanicis dicitur *flos*, cuius corolla ex vnico tantum folio, ſeu petalo, conſtat. Si circularis ſit limbus, dicitur *regularis*, ſin minus, *irregularis*, vel *anomalus*. Corollae monopetalae regulares ſunt, vel campaniformes, vel infundibuliformes, vel hypocrateriformes, vel rotatae: irregulares ſunt vel vnilabiati, vel bilabiati, ringentes.

MONOPHYLLA, vocatur planta, quae vnicum tantum folium fert. Calyx vocatur *monophyllus* ex vno tantum folio conſtans.

MONOPYRENAE, vocantur *baccae* vnicum tantum granum, vel gigarton, continentes.

MONORCHIS, vocatur, qui vnum tantum testiculum habet.

MONOSITIA, vocatur illa consuetudo, qua semel tantum in nycthemero alimenta assumuntur.

MONOSPERMAE, dicuntur *plantae* vnicum tantum semen, vel nudum, vel capsula inclusum ferentes.

MONSTRVM, Gr. Τέρας, nihil aliud est, quam foetus, siue homo, siue animal, conformatione sua prorsus ab illa, e qua natum est, specie recedens, hoc est, capite duplici, pedibus, aut manibus, deficientibus, vel abundantibus. Possunt quidem monstrosae huiusmodi conformationes e compressione vasorum, et nimia, sublata, vel inaequali, euolutione et nutritione partium plerumque explicari, sunt tamen interdum et internae huiusmodi et externae degenerationes, ratione situs, aut vasorum distributionis, quae supra omnem casus potentiam positae sunt, et quarum causas vix ratione nostra assequi possumus. In medicina legali proprie monstrum dicitur corpus solius machinae legibus viuens, a matris sanguine per funiculum vmbilicalem adducto nutritum, sine anima, certe sine anima humana; talia sunt, quae tota forma, maxime capitis, ab humana natura abludunt, vt dubitari fas sit, hominem natum esse. *Hebenstr. Monstrum* est, cui caput humanum deest; nam intellectus in capite esse praesumitur. Illud vero, in quo natura membra humana mutauit, ampliauit, vel imminuit, vel cuius membra, capite excepto, a forma debita et congrua recedunt, *Ostentum*, vel *Portentum*, dicitur. *Teichm.* Ge. Eine Mißgeburt. G. *Monstre.* A. *Monster, or deformed birth.* B. *Een Monster, Wanschepzel.*

MONS VENERIS, nominatur superior pubis muliebris pars pubescens, a copiosiori substrata pinguedine prae reliquis nonnihil eminentior. Ge. Venusberg. G. *Eminence, ou Montagne de Venus.* A. *Mountain of Venus.* B. *Venus-Berg.*

MORA BACCI, MORA BATI, MORA VACINIA, MORA VACCINIA, vide *Rubus.*

MORBILLI, quasi parui morbi, sunt maculae rubrae, paruae, cum tussi sicca, sternutatione, lacrymatione et febre catarrhali, in fronte et facie primum, dein in pectore, ventre et artubus, pulicum morsibus persimiles apparentes, quarum eleuatio tactu, non visu, discernitur, et quae non in suppurationem, sed post paucos dies in squamulas furfuraceas, abeunt, sicque decidunt. Hic morbus infantes infra et supra septimum annum maxime, singulos tamen semel tantum, adoritur, et plerumque per sex circiter menses epidemice grassatur, et pro symptomatum grauitate maius, vel minus, periculum infert. Ab Arabibus *Bothor* vocatur. Ge. Die Masern, die Röthein, a colore purpureo. Flecken. G. *Rougeole.* A. *The Measles.* B. *Mazelen.*

MORBVS, Gr. Νόσημα, Νόσος, a *Morte* dicitur, vnde est propinqua dispositio ad eam. Etenim quicquid morbi nomine venit, non potest non initium esse, et velut gradus ad mortem, vnde patet, differre morbos, iuxta maiorem, vel minorem propinquitatem. Diciturque esse eiusmodi corporis constitutio, qua actionibus naturalibus, vitalibus, animalibus recte obeundis simus inepti. Morbus iuxta veteres dogmaticos est duplex, *Prauae conformationis*, vel *succorum Incrassatorum*, vulgo *Intemperiei. Praua conformatio* est sexduplex; consistit enim in numero, magnitudine, figura, cauitate, superficie et situ. *Intemperies*, siue succorum inspissatio, est venenata, siue contagiosa et pestilens, vel benigna, et sunt morbi vulgares, vt per Idiopathiam, Protopathiam, Deuteropathiam et Sympathiam. Item morbus est simplex, compositus, multus, complicatus, connexus, disiunctus, congruus, incongruus, periodicus, vagus, magnus, paruus, benignus, malignus, breuis, acutus, longus, continuus, intermittens, salutaris, dubius, lethalis, sanabilis, insanabilis, exquisitus, spurius, haereditarius, natiuus, adscititius, sanguineus, biliarius, pituitosus, melancholicus, vernus, aestiuus, autumnalis, hybernus, pandemius, epidemius, sporadicus, etc. Sicque vario admodum modo, pro differentia, vel essentiali, vel accidentali, morbi considerari et subdiuidi possunt. Ge. Krankheit, eine Seuche. G. *Maladie.* A. *Sickness, Disease, Disorder.* B. *Ziekte, Krankheid.*

MORBVS ANIMATVS, quibusdam dicitur, qui ab animalibus viuis in corpore contentis producitur, e. g. a vermibus. Sunt, qui et scabiem et plura exanthemata huc referunt.

MORBVS CADVCVS, *Comitialis, Herculeus*, vel *Sacer*, i. q. *Epilepsia.*

MORBVS GALLICVS, vide *Lues Venerea.*

MORBVS HISPANICVS, vide *Lues Venerea.*

MORBVS INDICVS, i. q. *Lues Venerea.*

MORBVS NAVTICVS, s. *Vomitus nauigantium*, est morbus, quo nauigatores inassueti prehenduntur, quiue praecipue in nausea et vomitu consistit, aromaticis, stomachicis et vinosis remediis, interne et externe adhibitis citius, vel tardius, compescendo. G. Seekrankheit. G. *Le mal de mer.*

MORBVS NIGER, vide *Melaena.*

MORBVS REGIVS, i. q. *Ictérus.*

MORETVS, mulierculis olim vsitatissimum potionis genus

aromatici erat, quod parari faciebant, vbi praesumtio impraegnationis aderat, persuasum nimirum sibi habentes, falsam impraegnationem eo exturbari, veram corroborari. Moretum dicitur, a moris, seu diamoro ingrediente. Est ergo simile aquae mulsae, quam *Hippocrates* hoc in casu bibendam suadet. Ge. Ein Maulbeertrank. G. *Potion de Meure.* A. *A Mulberry drink.* B. *Een Moerbezie drank.*

MORIA, *Stupiditas*, *Fatuitas*, *Stultitia*, *Stoliditas*, etc. est iudicii et intellectus defectus. Sed praecipue denotatur hoc nomine ea melancholiae species laeta et iucunda, in qua aegri se caeteris hominibus feliciores existimant, alta quaeque spirant, et se principibus, regibus, immo diis, pares autumant. Oritur praecipue ab imaginationis et memoriae deliquiis. Ἀ μωραίνω, stulte ago. Ge. Thorheit. G. *Folie.* A. *Stupidity.* B. *Krankzinnigheid.*

MORINGA RADIX, est radix Pastinacae luteae similis, arboris in Ceylonia et Malabaria prouenientis, quae est *Guilandina moringa* inermis, foliis subbipinnatis, foliolis inferioribus ternatis *Linn.* (Decandr. Monogyn.) Radix haec fragrantia aromatica gaudet, eique singulares virtutes bezoardicae, alexipharmacae, et contra morsus animalium venenatorum tribuuntur. Hystrices hac radice adeo delectari, et inde virtutes lapidis hystricis pendere creditur.

MOROCHTVS LAPIS, *Morochites Veterum*, est substantia argillacea indurata, alba, subuiridis, tactu quasi pinguis, passim in fodinis reperiunda. Praeter vsum oeconomicum, pulvis eius in puerorum intertrigine adhibetur. Alii hoc nomine *Lac Lunae* denotant. Vsus internus ad lactis secretionem augendam suspectus est. G. Milchstein. G. *Morochite, Pierre de lait.*

MOROSIS, AMENTIA MOROSIS, *Stupor*, *Stupiditas*, est facultatis imaginandi, proindeque iudicandi, debilitas, tarditas, abolitio sine delirio. Magnum autem est discrimen inter *amentes* et *stupidos*; amentes satis promte imaginantur et memoria non carent, sed male iudicant, et ineptiendo, pleraque sinistre, aut ridicule, agendo risum adstantibus movent: ast stupidi imaginatione et memoria carent, nec bene, nec celeriter, capiunt dicta, non nugando ac gesticulando, sed barde et insulse se gerunt, sunt hebetes, obtusi. *Sauv.* Ge. Blödsinnigkeit. G. *Stupidité.*

MORPHAEA, i. q. *Alphus* et *Melasecterus.*

MORPIONES, vocantur pediculi illi lati, qui ad pubem genitalium, imo et sub axillis in crinibus, rarius in supercilliis, hospitantur. Sunt scilicet insecta aptera, quibus sunt pedes sex ambulatorii, oculi duo, os aculeo exserendo, antennae longitudine thoracis, abdomen depressum, sublobatum; cineribus Nicotianae, longe certius vero vngueuto mercuriali, facile abigenda. Ge. Filzläuse. G. *Morpions.* B. *Platluizen.*

MORS, medicis est plenaria cessatio omnium actionum vitalium, naturalium et animalium. Ge. Der Tod. G. *La Mort.* A. *Death.*

MORSVLI, seu MORSELLI, TABVLAE, medicamenta sunt quadratae figurae vt plurimum, parata ex pulueribus, et similibus saccharo soluto exceptis, superque tabulam ligneam, lapideam, cupreamue effusis, vt consolidentur, quorum plures compositiones in officinis prostant. Ge. Morseln, Morsellen. G. *Tablettes.* A. *Morsels or tablets.* B. *Koekjes.*

MORSVS, fit, si maxilla inferior versus superiorem per actionem musculorum temporalium et masseterum tam fortiter comprimatur, vt, quicquid cibi solidi inter dentes continetur, confringatur. Ge. Biß. B. *Beet.*

MORSVS, etiam est compositi vulneris species: nam, dentibus animalium ad partes molles pressis, generatur contusio, punctura, et laceratio, aliis laesionibus peior, si saliua animalis infecta simul communicetur. Ge. Ein Biß. Ga. *Morsure.* B. *Byting.*

MORSVS CANIS RABIDI, vide *Cynanthropia* et *Hydrophobia.*

MORSVS DIABOLI, seu SVCCISA, s. Succisa glabra *Bauh. Scabiosa succisa*, corollulis quadrifidis aequalibus, caule simplici, ramis approximatis, foliis lanceolato-ouatis integerrimis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) est planta in pascuis humidiusculis habitans, viribusque subadstringentibus et vulnerariis gaudens. Nomen inde originem ducere creditur, quod vulgus superstitione quadam credat, cacodaemona tantae efficaciae radicem huius plantae inuidere hominibus, atque hac ratione, vbi succreuerit, statim eam vndiquaque circumrodere. Vide *Succisa.* Ge. Teufelsabbiß. G. *Succise, Mors du Diable.* A. *Devils-bit.* B. *Duivelsbeet.*

MORSVS GALLINAE, est *Alsines* species, sic dicta, quod gallinis gratum pabulum submministret. G. Hünerbiß. G. *Morgeline, Mouron.* A. *Chick-weed, Henbit.* B. *Hoender-beet, Muur.*

MORSVS RANAE, est *Nymphaeae* minoris species, s. *Hydrocharis Linn.* Sic appellatur, quod Ranae eius morsu gaudeant. Ge. Froschbiß. G. *Espece de Nenuphar.* A. *Frog-bit.* B. *Vorschbe-beet.*

MORTARIOLA, seu CAVERNAE, loculamenta sunt, seu *Alueoli*, quibus singuli dentes sunt infixi. Βόθρια *Galeno*, Ὀδοντικοὶ *Poll. Rufo.* Ge. Die Zahnhöhlen. G. *Les Alvéoles des dents.* A. *Caverns of the Teeths, Sockets.* B. *Tands-Hollen.*

MORTARIVM, eſt vas ex marmore, aere, ferro, ligno, vel vitro, confectum, in quo piſtillo ligneo, vitreo, ferreo, aereo, vel lapideo, res quaedam contunduntur, in puluerem comminuuntur atque miſcentur. Ge. Ein Mörſel. G. *Un Mortier.* A. *A Mortar.* B. *Een Mortier, Vyzel.*

MORTIFICATI, i. q. *Sphacelus.*

MORVM, i. q. *Pladoroſis*, vel *Thymus.*

MORVS, MORVM, eſt arbor magna et ramoſa, cuius truncus ſatis eſt craſſus, tortuoſus, nodoſus, cortice craſſo et aſpero obductus. Lignum eſt durum, intus flauum. Folia ſunt inſtar manus ampla, oblonga, acuta, ſerrata, dura et tactu aſpera, ſaporis dulceſcentis et viſcoſi, bombycibus pabulo inſeruiunt. Flos eſt amentaceus, plurimis nempe ſtaminibus e calyce quadrifolia ſurgentibus conſtans, ſed ſterilis, a fructu remotus (Monoec. Tetrandr.). Embryo autem abit deinde in fructum nigrum, ſuccum viſcoſum dulcem habentem, et e glomerulis ſquamarum, ſuccum viſcoſum et dulcem continentium, compoſitum, quae ſemen amplectuntur ſubrotundum. Species, quae apud nos frequenter coluntur, ſunt: Morus fructu nigro *Bauh. Morus nigra* foliis cordatis, ſcabris *Linn.* et Morus fructu albo *Bauh. Morus alba* foliis oblique cordatis, laeuibus *Linn.* Qualitas fructus ſubacida dulcis eſt, viribusque refrigerantibus, analepticis et roborantibus pollet, hinc in febribus putridis, ſiti, praecipue vero angina ſummopere prodeſt. Proſtat in officinis rob et ſyrupus diamoron. Decoctum corticis taeniam expellere dicitur. Sunt qui a Graeco hoc nomen deriuent, *μόρον* enim nigrum denotat, quod eius fructus ob ſaturum colorem rubicundum, nigri appareant. Gr. *Μορέα, Συκαμινέα* et *Μόρον*. Ge. Maulbeerbaum. G. *Meurier.* A. *Mulberry-tree.* B. *Moerbezien-boom.*

MOS, in medicina vel ſignificat animi quandam proprietatem, quae ſequitur temperamentum corporis et in conſuetudinem vergit, vnde probe obſeruari meretur; vel modum alicuius rei, veluti morbi: in quo illud, quod determinat, vtrum morbus benignus malignusue ſit, *Mos morbi* dici conſueuit.

MOSAICVM AVRVM, vide *Muſiuum aurum.*

MOSCHARDINA, vocantur trochiſci ſublinguales ex ambra, moſcho, aliisque aromatibus praeparati, ad foetorem oris corrigendum. Ge. Mundküchlein.

MOSCHATA GALLIA, erat compoſitio antiquorum, e moſcho, ambra et fragrantiſſimis aromatibus confecta, cui ſingulares virtutes cardiacae tribuebantur.

MOSCHATA NVX et MVSCATA, duplex habetur, *Oblonga* nempe, quae et *Mas* dicitur. Alia eſt *Rotunda*, quae *Foemina* appellatur. Naſcitur arbor in ditione ſex inſulas comprehendente, quae vocatur *Banda*, et inſulis Moluccis Indiae Orientalis, ab incolis *Palo* dicta. Eſt *Myriſtica Linn.* Nux moſchata fructu rotundo *Bauh.* Proceritatem habet arboris Pyri. Folia Perſicae Malo haud abſimilia, ſed breviora, et magis ſubrotunda, imo et latiora ſunt. Fructus appoſite Malum Perſicum refert, eius vero cortex externe per maturitatem inſtar Iuglandis non tantum dehiſcit, ſed eo incolae quoque veſcuntur. Hoc remoto, ſequitur *Macis*, conſtans ex variis ſubrubicundis foliolis, oleo aethereo plenis. Haec item durum corticem inueſtiunt, qui ipſam Nucem moſchatam incluſam ſeruat. Leguntur Nuces maturae, lectae, remotis putaminibus, aqua marina conſperguntur, et ſiccantur, ad ſolem, ſiccatis adimitur Macis, et poſtea nuclei lauantur calce, vt eo melius a corruptione ſeruentur. Fructibus eſt qualitas fragrans, amara atque aromatica; ſcatent oleo eſſentiali aethereo et pingui, ſeu vnguinoſo et quaſi ſebaceo, quod tum decocto ſupernatat, tum expreſſione elicitur, et balſamis variis ſub nomine *Olei nuciſtae*, vel *Corporis pro balſamo* baſin praebet. Ipſae Nuces aeque ac Macis, quae male *Flores Nucis moſchatae* dicuntur, viribus ſtomachicis et carminativis pollent, pluraque medicamenta ingrediuntur, tum interna, tum externa. Proſtat e Nucibus conditura, aqua, oleum deſtillatum et expreſſum, e Floribus macis vero eſſentia, aqua et oleum. In diarrhoea, anorexia et vomitu grauidarum praecipue Nux moſchata torrefacta commendatur. Dicitur et *Nux aromatica, Moſchocarpon, Moſchocarydion, Nux myriſtica*, ſeu *Vnguentaria*. Ge. Muskatnuß. G. *Noix Muſcade.* A. *Nutmeg.* B. *Muſcaat-noot.*

MOSCHELAEVM, eſt compoſitio ex moſcho et oleo, veteribus vſitata.

MOSCHVS, eſt ſubſtantia granuloſa, pinguis, vnctuoſa, inflammabilis, ſanguini congrumato fere ſimilis, coloris ferruginei, ſaporis ſubacris, amaricantis, odoris fragrantiſſimi. Quidam eſſe ſaniem ex tumore circa vmbilicum alicuius animalis promanantem volunt. Alii falſo teſticulos eiusdem, alii aliud quid cenſent. Animal ex quo obtinetur, ſeu Moſchifera Caprea, Capreae minoris ſpecies eſt, ſcil. *Moſchus moſchiferus*, folliculo vmbilicali *L.* dentibus duobus inferioribus prominentibus praeditus, quadrupes, vngulis bifectis, ſine cauda. Filorum colore variegato ex luteo caſtaneo, et maculis quaſi ſuperbit. Pili in abdomine cinerei, in capite ex albo et cinereo caſtanei ſunt et longiſſimi. Caeterum in abdomine non longe a poſterio-

ribus pedibus eminentia quaedam eſt, rotunda et dura, oui gallinacei mediocris magnitudine, pilis albis, iisque non flexuoſis, ſed rectis, et ad folliculi faſtigium porrectis, obſita. Circa cuius partem inferiorem vnica vtrinque caruncula apparet, qualis etiam, licet paulo maior, non longe ab iſtis in ſiniſtro conſpicitur latere. Ea autem eminentia, ſiue tumor, nihil aliud eſt, niſi folliculus quidam, in quo Moſchus ſaniei inſtar colligitur. Huiusmodi folliculo mares ſaltem inſtructi dicuntur, in quo ſi nimia copia Moſchi per glandulas internas ſecreti copia colligatur, et irritatione animali moleſta ſit, ab hoc affricto ad rupes et arbores exprimitur, ſicque paſſim inuenitur. Plerumque tamen ipſi folliculi ex animali mortuo exſciſſi ad nos transferuntur. Moſchi qualitas ſumme ambroſiaca, visque neruina, cordialis, exanthematica, refocillans, aphrodiſiaca. Hinc, licet quibusdam, praecipue mulieribus, nimia ſua fragrantia infeſtus ſit, tamen in variis morbis, maxime ſyſtematis nerueſi, ſummo cum fructu adhibetur, et plura etiam medicamenta compoſita ingreditur. In delirio et morſu canis rabidi ſummopere laudatur. Datur a granis ſex ad XVI, immo ad drachmam dimidiam quauis ſexta hora. Venditari paſſim et aliam ſpeciem Moſchi lego, ſed viribus et qualitate vero Moſcho longe inferiorem. Colligunt enim huius animalis ſanguinem, quem quieti aliquamdiu exponunt, deinde ſerum ſupernatans decantant, animali mortuo cutim detrahunt, et exenterant; reliquum minutim conſcindunt, cumque ſanguine miſcent, hancque maſſam pelli eiusdem animalis includunt, terrae committunt, et per aliquot dies vrina perfundunt, donec materies putrefacta ſit; hancque mumiam exſiccatam pro Moſcho venditant. Nonnulli inteſtina vna cum foecibus adiiciunt. Venit ex India orientali, et Tunquinenſi inprimis regione et China. G. Bieſam, Muſk, Moſchus. G. *Muſc.* A. *Musk, Moſchus.* B. *Muskus.*

MOSCOVADE, vocatur illa materia cinerei coloris e cannis ſacchariferis expreſſa, et ope argillae a ſucco melleo liberata, e qua vlteriori coctione omnes reliquae ſpecies ſacchari praeparantur. Ge. Moskovade. G. *Moſcouade.*

MOTOS, eſt linteum carptum, quod vulneribus et vlceribus inditur, quo etiam ſanguinis fluxus ſiſtitur, vulgo *Charpie.* A *μοτός*, linteamentum vulneribus indo. Ge. Carpie. G. *Charpie.* A. *Lint.* B. *Plukſel.*

MOTVS, eſt actio corporum inter ſe, qua alio, ac antea, modo coexiſtere nituntur. Sic fluidorum *Motus progreſſiuus* dicitur, quo a ſolidis propulſa locum mutant, *inteſtinus*

vero, quo particulae coniunctae nunc a ſe inuicem recedunt, et in aliam combinationem transeunt. — Motus corporis cum contraria quiete inter res non naturales refertur. Ge. Die Bewegung. G. *Mouvement.* A. *Motion.*

MOTVS ANIMALIS, dicitur omnis motus fluidorum et ſolidorum, qui fit in corpore viuo. *Motus tonicus*, ſ. *elaſticus*, qui a ſola elaſticitate, *Motus vitalis* vero, qui ab ipſa vita pendet, et ad eam conſeruandam tendit.

MOTVS CONVVLSIVVS, SPASMVS CLONICVS PARTIALIS, eſt alterna, inuita et valida conſtrictio muſculorum antagoniſtarum, cum inde pendente agitatione coacta cuiusdam organi, vel artus, cuius motuum non percipitur, abſque ſenſuum obſcuratione, cum *Epilepſia* ſit ſpaſmus clonicus generalis cum ſenſuum obſcuratione. Vide *Epilepſia.* Ge. Das Zucken, Gichter, Zuckungen. G. *Mouvemens convulſifs.* A. *The convulſive motions, or fits.* B. *Stuip Trekking.*

MOTVS PERISTALTICVS, vide *Periſtalticus motus.*

MOXA, venit ex China et Iapan. Lanugo quaedam eſt ab inferiore parte Artemiſiae foliis accreſcens, quae collecta, poſtea caro pretio venum exponitur. Inſeruit vſtioni, eodem modo, vt in Aegypto Goſſypium, et olim *Hippocratis* tempore Fungi, ſeu *μύκητες*. Conficitur ex *Artemiſiae vulgaris* (latifoliae) adhucdum recentis foliis exſiccatis, longo tempore in aere ſuſpenſis et obſoletis. Praeparatio Moxae nullo artificio abſoluitur. Funduntur primum impigro piſtillo folia, ad mollitiem rudioris ſtupae; deinde vtraque manu agitantur et fricantur aſſidue, vt priori contuſione iam attritis decedant duriores fibrae, et recrementa membranacea. His excuſſis, remanet inſignis teneritatis homogenea et puriſſima lanugo, coloris cinerei, concipiendo igni aptiſſima, eoque admiſſo moderate gliſcens, ſcintilla minus conſpicua, ardore temperato, progreſſu leuto, donec in fauillam tota fatiſcat. Chinenſibus et Iaponenſibus in frequentiſſimo vſu eſt, qui ex eadem bacillos exiguos calami craſſitie formant, eosque in Mania et Epilepſia vertici, in affectibus vero arthriticis parti dolenti impoſitos accendunt. — Iam apud nos coni ex goſſypio facti eodem modo adhibentur.

MVCAGO, MVCILAGO et MVCVS, eſt extractio viſcida mediante aqua ex ſeminibus, gummi, radicibus, etc. facta. Ge. Schleim. G. *Mucilage.* A. *Slime.* B. *Slym.*

MVCHARVM, ſiue MVCARVM ROSARVM, vocabulum eſt Barbarum, quo nonnulli infuſionem roſarum per ſe, alii infuſionem cum ſaccharo in ſyrupum coctam, intelligunt.

MVCILAGINOSAE GLANDVLAE, vocantur, quae in ca-

vitate articulorum ſitae ſunt, et liquorem quendam ſuppeditant, qui lubricandis articulorum cartilaginibus ligamentisque inſeruit. Ge. Schleimdrüſen der Gelenke.

MVCILAGO, i. q. *Mucago.*

MVCRO, eſt acumen, in quod pars quaecunque definit. Sic foliorum multorum, ſiliquarum quarundam, et ſpinarum omnium extrema in mucronem acuminantur.

MVCRO CORDIS, ſiue APEX, eſt inferior pars cordis cuſpidata. Ge. Die Spitze des Herzens. G. *La pointe du Coeur.* A. *The point of the Heart.* B. *De punt van 't Hert.*

MVCRONATA CARTILAGO, MVCRONATVM OS, vide *Enſiformis Cartilago.*

MVCVS, Gr. Μύξα, Βλέννα, Κόρυζα, eſt excrementum liquidum, ſenſim vero per moram magis ſpiſſeſcens, tandemque in vera concrementa abiens, quod ad nares et palatum defluit, et ſecretum fuit ex glandulis membranae nares earumque cauitates et ſinus inueſtientis, humectandis et defendendis his partibus inſeruiens, ad quem eundem vſum etiam in faucibus, aſpera arteria, veſica, aliisque cauitatibus reperitur. Ge. Schleim, Rotz. G. *Pituite, Mucoſité, Morve.* A. *Snot, Mucus, Slime.* B. *Snot.*

MVCVS INTESTINORVM eſt quaedam viſciditas, ex glandulis exſudans, in folliculis collecta, interna obliniens, ne inteſtina facile ab acribus, aut duris ingeſtis laedantur. Ge. Schleim der Därme. G. *L'Humeur viſqueuſe, ou muceuſe, que l'on trouve dans les inteſtins.* A. *The Slime of the Guts.* B. *Darmslym.*

MVLIEBRIA, vide *Cunnus.*

MVLOMEDICINA, i. q. *Veterinaria*, ſ. *Ars veterinaria.*

MVLSVM, i. q. *Hydromel.*

MVLTIFORME OS, vide *Cuneiforme.*

MVLTISILIQVAE PLANTAE, vocantur, quibus, poſt vnumquemque florum, naſcuntur quinae, pauciores, pluresue, capſulae oblongae, *Siliquae* dictae, quae maturae dehiscunt ſecundum longitudinem fructus, parte auerſa manente concreta, atque continent plurima, in ſingula quaque thecarum, ſemina.

MVMIA, eius habentur quatuor ſpecies, *Arabum* nempe, quae eſt liquamen, ſeu liquor concretus, exſudans in ſepulchro e cadaueribus, aloe, myrrha, aſphalto, balſamoque conditis. Altera *Aegyptiorum* eſt, ſiue liquamen ex cadaveribus piſſaſphalto conditis. Nimirum hoc condiebantur cadauera vilioris ſortis, adeoque et ipſamet cadauera nonnunquam eo modo condita proſtant. Tertia *Piſſaſphaltus*

factitium, id eſt mixtum pici bitumen, quod pro *Mumia* venditant. Quarta, cadauer ſub arena ſolis aeſtu torrefactum. Fieri hoc veteres ſcribunt dum in Arabia, arenarum Syrtes ventorum turbine ſublatae incautos viatores obruunt, vnde horum cadauera a flagrante ſolis aeſtu torrentur et exareſcunt, maxima ponderis ſui parte amiſſa, quae *Mumiae albae* vocantur. Quae in officinis proſtat, dicitur *Aegyptiaca*, et eſt ſubſtantia dura, friabilis, fuſco nigra, ſaporis amari, odoris fragrantis. Gaudet virtute traumatica atque balſamica, frequentius tamen a veterinariis expetitur, et magis in emplaſtris, quam interne, adhibetur. Vox vnanimi criticorum conſenſu a vocabulo Perſico, vel Arabico, *Mum*, quod ceram denotat, deriuatur. Ge. Mumie. G. *Momie.*

MVMIA PERSICA NATIVA, pertinet proprie ad regnum minerale, eſt Mumia mineralis *Haſſelqu. Bitumen mumia* ſubfriabile piceum *Linn.* ſcilicet bitumen valde pretioſum, coloris nigri, odoris grati, balſamici, ſaporis ſubdulcis, in cauernis quibusdam ſub radice montis Caucaſi e rupe exſudans, cui mirae in conſolidandis oſſibus et vulneribus virtutes tribuuntur. Rariſſime apud nos occurrit, niſi forte Ambra nigra pro eo ſumatur. An forte idem eſt cum Mumia Arabum?

MVNDATIO, ſiue PVRIFICATIO, eſt, quando ſimplicia a puluere, corticibus aliisque immundis purgantur. Ge. Reinigung. G. *Purification.* A. *Purifying, Purification.* B. *Zuivering.*

MVNDIFICATIVVM, MVNDIFICANS, eſt tale medicamentum, quo vlcera ſordibus purgantur. Ge. Reinigende Arzeney. B. *Zuiverende Dingen.*

MVNGOS, *Ophiorrhiza mungos Linn. Lignum colubrinum verum*, eſt radix plantae, cui ab amaritie Indi, a Viuerra Luſitani nomen dedere. Patriam habet Iauam, Zeylanam, Sumatram. Radix ſimplex ſpithamea, digiti craſſitie, crebro vagoque flexu intorta, cortice fungoſo, rufo, rugoſo, ſubſtantia lignoſa, dura, fibrarum experte, fragili, albida, amariſſima, inſtar Gentianae, ſed ſubtilioris et minus ingrati ſaporis. Caulis rectus, tenuis, aequalis, pedalis; ramulis variis alterne aduerſis. Folia oppoſita, rariora, anguſta, vncialia, lanceolata. Pedunculi ex axillis ramulorum, duorum, vel trium digitorum longitudine, tenues, decidui. Floſculi circiter quinquaginta perparui, in plures faſciculos digeſti, et in vmbellam tantillam, quam vngue obumbres, conglobati, pulchre rubentes, nudi, tubulati, quinque, aut ſex laciniis. Fructus pedunculo inſidens, didymus, faſtigiis diuaricatis, rotundus, parum compreſſus et turbinatus, oſ-

seus, magnitudine seminis Coriandri, cute carnosa nigricante, aut pallente, nucleo albo, pingui, fatuo. Huic radici insignis virtus alexipharmaca, praecipue contra venenum serpentis Naiae eiusque morsum tribuitur, eoque magis, cum Mustela quaedam, seu *Viuerra Ichneumon*, Lusitanis *Mungo* dicta, cum Naia pugnans, et ab ea vulnerata, illico hanc radicem quaerere, eaque manducata a veneno se liberare dicatur; vnde et radici ab hac Mustela nomen datum est. Ob amaritiem nonnunquam *Rex amaroris* vocatur.

MVRIA, in genere denotat solutionem aquosam cuiuscunque salis medii. Ge. Salzlacke.

MVRIATICA ACRIMONIA, est acredo humorum in corporis humani quibusdam morbis peccans, vti in scorbuto, etc. quae ad naturam salis marini, vel ammoniaci, accedit. In ea sapor in ore salsus semper, sitis assidua et ingens, siccitas et rigiditas corporis; vrina salsa, tarde putrescens, cum sedimento spisso, et cum pellicula tenui pingui innatante. Ge. Muriatische, oder salzichte Schärfe.

MVRIATICVM SAL., idem quam *Sal commune*, *Sal culinare*. Vide *Sal*.

MVS, animalculum quidem satis notum ad Mammalia Glires et cryptorchides pertinens, dentibus primoribus inferioribus subulatis. Frequentissima in domibus nostris species est Mus domesticus, seu vulgaris, *Rai.* *Mus musculus* cauda elongata, subnuda; palmis tetradactylis, plantis pentadactylis, pollice mutico *Linn.* Sunt, qui et mures combustos, et stercus, quod *Muscerdam*, vel *Album nigrum*, vocant, vt remedium contra vermes, vrinae stillicidium, immo epilepsiam, commendant. G. Eine Maus, G. *Souris*. A. *Mouse*.

MVS ALPINVS, est animal quadrupes ad Mammalia Glires pertinens, cui dentes primores bini supra et infra a molaribus remoti, laniarii nulli. Mus montanus *Marth.* *Mus marmotta* cauda abbreuiata; subnuda, auriculis rotundatis; buccis gibbis. Dentes primores inferiores apice diuergentes. Habitat in Alpibus Helueticis, Tridentinis. Profunde et celerrime fodit, hybernat alto somno, manibus cibum ori admouet, saepe erectus incedit. In officinis prostat pinguedo, quae contra ariduram et ancylosin laudatur. Ge. Murmelthier. G. *Marmotte*.

MVRES MARINI, sunt exuuiae, seu potius oua, Raiae piscis, in quibus scilicet Raiae nascuntur, et interdum adhuc in iis reperiuntur. Sunt pelliculae cauae e nigro fuscae, latitudine vnius et dimidii pollicis, glabrae, striatae, quadrangulae, compressae, in quatuor angulis oblongos angustosque apices habentes, hinc ob similitudinem *mures*, et, cum in mari et circa littora inueniantur, *marini*, dicuntur. Carbonibus iniectorum fumus ano admissus, in haemorrhoidibus dolentibus, summopere, et vt remedium specificum, a quibusdam commendatur, non tamen semper euentu spei respondente. Ge. Seemäuse, Meermäuse.

MVSCAE CAPVT, i. q. *Myocephalum*.

MVSCARI, est Hyacinthi species, et quidem Hyacinthus racemosus moschatus *Baub.* *Hyacinthus muscari* corollis ouatis omnibus aequalibus *Linn.* (Hexandr. Monogyn.) Habet folia longa, angusta, striata, sat crassa, succo plena, intra quae assurgit caulis erectus, sat crassus, rotundus, sine foliis. Flos est hermaphroditus, monopetalus, campanulatus, vel vrceolatus, ad oras in sex crenas reflexas diuisus, atque in fastigio caulis in racemum congestus, denso agmine aggestum, odoris aromatici et valde grati fere instar Moschi. Flori succedit fructus sat crassus, triangularis, diuisus in tres loculos continentes semina rotunda et nigra. Radix est bulbosa, albescens, habens multas tunicas, saporis amari, et viribus valde emeticis pollens. Sic appellatur, quod flores Moschum oleant. G. Traubenhyacinth, Muscari. G. *Oignon musqué*.

MVSCARIA, in vegetabilibus sunt in orbem radiatae herbarum comae, cacuminaque in fasces coacta, a fabri similitudine, cuius ventilatu muscae in conuiuiis abiguntur, dicta.

MVSCERDA, dicitur stercus murium. — Hoc quoque sub nomine denotantur rotulae, vel trochisci fragrantes, sublinguales ad foetorem oris corrigendum.

MVSCIPVLA, est species floris Armerii, seu *Viscaria*, scilicet Lychnis syluestris viscosa, rubra, angustifolia *Bauh.* *Lychnis viscaria* petalis integris *L.* Planta flore caryophyllaeo, (Decandr. Pentagyn.) Ideo dicitur, quod caules eius visciditate obducuntur, qua de causa muscae aduolantes visco illo capiuntur. Ge. Mückenfang. G. *Atrape mouches*. A. *Catch-Fly*. B. *Vliegenet*, *Keikens*.

MVSCVLOSA EXPANSIO, vide *Myodes platysma*.

MVSCVLVS, est pars corporis animalis organica, vasis sanguineis, lymphaticis, neruis, tendinibus, et fibroso, seu carnoso, ventre instructa, constante fibris minoribus, parallelis, tela cellulosa cinctis, et in lacertulum collectis, cuius officium est, membra mobilia, appensa mouere. Motio illa, seu contractio, fit, quando a cerebro, cerebello, vel medulla spinali, per neruos ad fibras musculosas spiritus animales fluunt, et simul in sanguine maior est determinatio ad easdem partes, sicque fibrae musculares sua natura irritabiles irritantur.

tum muſculi venter incipit tumere et nubere ac in ſe redit, adeoque partes longitudinales abbreuiantur, et tendines ad ſe inuicem accedunt, et pars annexa mobilis ad minus mobilem attrahitur; hac autem determinatione ſpirituum et ſanguinis ceſſante in fibras muſculares, et liquidis per extrema vaſorum ſuorum oſcula effluentibus, omnia iterum flaccescunt. Veteres muſculi corpus in *caput*, *ventrem* et *caudam* diuiſerunt, accipientes pro *capite*, muſculi extremitatem, parti, ad quam fit contractio, ſcilicet puncto fixo, connexam; pro *cauda*, muſculi finem ſeu portionem, parti mouendae, ſeu puncto mobili, inſertam; pro *ventre* denique partem muſculi intermediam, quae carnium mole tumidior conſpicitur; deinde pro motu obeundo ſupponebant muſculum circa caput et ventrem intumeſcere, et deinde quoad longitudinem decurtatam, partem appenſam ſibi propius attrahere. Muſculi ſunt vel cauitatibus, vel artubus, deſtinati, quorum priores vel ſunt ſtrata muſcularia, vt in inteſtinis, vel veri faſciculi, qui *ſphincteres* dicuntur. Muſculi a figuris, locis et actionibus variis diuerſimode denominantur. Plerique inſeruntur oſſibus, alii tamen cartilaginibus, cuti, vel quibusdam organis. Gr. Μῦς. Ge. Ein Muſkel. G. et A. *Muſcle*. B. *Een Spier*, *Muſkel*.

Mvscvs, Gr. Βρύον, et Μνίον, quibusdam Σκλάγχνον, et Σφάγνος, Τπνον, Δορκαδία Βοτάνη. Arab. *Vſnea*, ſunt plantulae paruae ſui generis, arboribus, lapidibus, etc. accreſcentes. Forte a mucore appellatur, quod inſtar mucoris efflorescat. Exactius vero hodie Muſcorum ſub nomine ordo plantarum comprehenditur, ad cryptogamias, ſcilicet quarum fructificatio non ſatis diſtincte apparet, pertinentium, et quarum plures ſaxis, aut arboribus, adnaſcuntur. Plura ſunt huius ordinis genera et ſpecies, quae paſſim in medicina adhibentur. *Muſcus arboreus* ſ. *Vſnea Pharm.* Vsnea vulgaris, loris longis implexis *Dill.* *Lichen plicatus* filamentoſus pendulus, ramis implexis, ſcutellis radiatis *Linn.* Arboribus antiquis adnaſcens. Qualitatis eſt ſiccae et ſubadſtringentis, hinc in excoriatura, haemorrhagiis et hernia vmbilicali commendatur. — *Muſcus caninus Pharm.* Lichen cinereus *Tournef.* Lichenoides digitatum cinereum, Lactucae foliis ſinuoſis *Dill.* *Lichen caninus* coriaceus, repens, lobatus, obtuſus, planus, ſubtus venoſus, villoſus, pelta marginali adſcendente *Linn.* Prouenit in ſyluis aceroſis et lapidibus. Huic mirae contra morſum canis rabidi virtutes adſcribuntur, et cum pipere nigro mixtus celebrem illum *Puluerem antilyſſum* conſtituit, ad duos, aut quatuor ſcrupulos propinandum. — *Muſcus cumatilis Pharm.* Lichenoides ſubglaucum cumatile, foliis tenacibus eleganter laciniatis *Dill.* *Lichen aphthoſus* coriaceus repens lobatus obtuſus planus, verrucis ſparſis, pelta marginali adſcendente *Linn.* Cuius infuſum viribus draſticis et anthelminthicis pollet, et ad abſtergendas aphthas commendatur. Nondum quidem officinalis, ruſticis tamen noſtratibus vſitatiſſimus. *Muſcus clauatus*, *Muſcus erectus*, vide *Lycopodium.* — — *Muſcus islandicus Pharm.* Muſcus islandicus purgans *Barth.* *Lichen islandicus* foliaceus adſcendens laciniatus, marginibus eleuatis, ciliatis *Linn.* naſcitur in ſyluis Europae ſteriliſſimis. Qualitatis eſt farinaceae, ſubamarae, viſcidae, viribusque eccoproticis, abſtergentibus et roborantibus gaudet, hinc eius cum lacte decoctum inſign. cum fructu in hectica et phthiſi pulmonali propinatur. — *Muſcus pyxidatus Pharm.* Lichen pyxidatus, oris coccineis et tumentibus *Vail.* *Lichen cocciferus* ſcyphifer ſimplex integerrimus, ſtipite cylindrico, tuberculis coccineis *Linn.* Frequenter ſatis in Europae ſyluis prouenit: in tuſſi conuulſiua eximium creditur remedium. Vide *Vſnea*. — *Muſcus marinus*, vide *Corallina*. Ge. Moos. G. *Mouſſe*. A. *Moſs*. B. *Moſch*.

Mvsivvm, ſ. mosaicvm avrvm fit, ſi duodecim partes ſtanni liquefacti cum ſex partibus mercurii amalgamantur, et amalgama hoc cum partibus ſeptem ſulphuris et ſex partibus ſalis ammoniaci ſublimatur. Tunc Aurum muſiuum in inferiore parte ſublimati reperitur, quod ex aliqua parte ſtanni et ſulphuris conſtat. Ad pictorios vſus adhibetur, nonnulli tamen ei anthelminthicam vim tribuunt, quae a ſtanno pendet. Poteſt etiam ſine additione mercurii praeparari. Ge. Mahlergold.

Mvsivvm argentvm, ex ſtanno, biſmutho et argento inter ſe vnitis ad pictorios vſus paratur. Ge. Mahlerſilber.

Mvstardia, paratur e ſemine Sinapi concuſo, in muſto decocto, et acetarii inſtar menſis apponitur. Prodeſt in anorexia, et digeſtionem adiuuat.

Mvstellanci, vide *Galiancones*.

Mvtacismvs, pselliſmvs, balbvties, eſt difficultas recte pronunciandi verba litteris labialibus conflata, vt B. M. P. ita vt illae litterae ſaepius repetantur, aliarum loco in ſermonem ingerantur, gemineutur. *Sauv.* Ge. Stottern. G. *Bégayement*.

Mvtitas, eſt impotentia voces articulatas edendi, ſeu ſermonem proferendi, vt plurimum a vitio quodam organico pendens. Differt ab *Aphonia*, quae plerumque eſt ſym-

ptoma aliorum morborum tranſitorium, et in qua ne vllus quidem ſonus edi poteſt. Ge. Stummheit. G. *La Mutieté.*

MYACANTHA, ſeu RVSCVS, aut BRVSCVS, ſic appellatur, quod eius folia rei conſeruandae appendantur, ne mures ob acutas ſpinas eam laedant. Ex μῦς, mus, et ἄκανθα, ſpina. Vide *Ruſcum.*

MYAGRVM, et MYAGRIVM, eſt planta, (Tetradynam. Siliculos.) quae habet caules rotundos, duros, politos, ramoſos, medullam albam habentes. Folia ſunt oblonga, et aliquomodo Iſatidis cultae ſimilia, ſed pleraque ſunt laciniata, et inprimis inferiora. Calyx eſt tetraphyllus. Flores ſunt exigui, quadrifidi, in crucem diſpoſiti, flavi. Poſt florem ſuccedit fructus rotundus, acuminatus, trilocularis, ea lege, vt loculus primus ad baſin contineat ſemen obrotundum, oblongum, et rubicundum, bini vero vacui apparent. Seminis ſapor ad Allium accedit; auibus multis, eſca gratiſſima. Oleum ex iis expreſſum ad oeconomicos vſus adhibetur. Radix craſſa, alba, vno tantum anno durans. Creſcit in pratis, ſed apud nos *M. ſatiuum Linn.* colitur. Nomen accepit, quod muſcas glutine ſuo implicet, et retineat, nec non captet. A μυῖα, muſca, et ἀγρεύω, capio, quod tamen Myagro non convenit. Ge. Leindotter. G. *Cameline.* A. *Gold of Pleaſure.*

MYCETAE, MYCETES, ſunt *Fungi.* Gr. Μύκης, Μύκητας vocarunt, ab enſis capulo, vel ſummo vertice vaginam occludente. Μύκη, enſis Theca, Gladii Capitulum. A μύω, claudo.

MYCTERES, ſunt nares, ſiue humorum pituitoſorum receptacula. Ge. Schleimbehältniſſe, Naſenlöcher. G. *Receptacles de la morve, ou de pituite.* A. *The receptacles of pituitous humours.* B. *Snot-ontfangers.*

MYDESIS, eſt corruptio, ſiue putredo, ex nimio madore. A μυδάω, nimio humore et vligine vitior. Praecipue vero ſic vocatur profluuium materiae purulentae e tunica interna palpebrarum poſt praeuiam inflammationem.

MYDRIASIS, eſt nimia pupillae dilatatio, et diffuſio, viſui hebetudinem adferens, in qua pupilla, ne ad luminis quidem maioris admiſſionem, mouetur atque conſtringitur. Pendet ab inſenſilitate vueae, et plerumque etiam cum amauroſi coniuncta eſt, aut imminentem denotat. Ex ἀμυδρῶσις, obtuſe. Ge. Erweiterung des Augenſterns. G. *La trop grande dilatation de la Pupille.* B. *Een ſtomp Gezichs.*

MYELOS, idem quod *Medulla oſſium*, vel *Cerebri*, vel *Medulla ſpinalis.*

MYLE, i. q. *Mola, Genu.*

MYLOGLOSSVM, eſt par muſculorum, ſeu ſtratum fibrarum, quod vtrinque a parte interiori et ſuperiori laterali maxillae inferioris oritur, et linguae inſeritur, ſuaque actione linguam antrorſum et ad latus ducit. Ex μύλη, mola, ſiue dens molaris, et γλῶσσα, lingua. Ge. Der Backen-Zungenmuskel. G. A. *Mylogloſſe.* B. *De Kaauw-tandens Tonge ſpier.*

MYLOHYOIDEVS, eſt par muſculorum, quod naſcitur ab interiore parte maxillae inferioris, et baſi oſſis hyoidis inſeritur, quod proinde vna cum lingua annexa antrorſum et ſurſum mouet. Ge. Der äußere Zungenbeinmuskel. G. *Le Mylo-hyoidien.*

MYLOPHARYNGEVM, par muſculorum eſt ſtratum fibrarum muſcularium, quod vtrinque a ſuperficie interna baſeos maxillae inferioris oritur et in pharyngem tendit, quem actione ſua dilatat et eleuat. Saepe tamen deeſt. Ge. Der Kinnbacken-Schlundmuskel. G. *Mylopharyngien.*

MYOCEPHALVM, eſt inchoatus vueae tunicae prolapſus, ſ. ſtaphylomatis initium, in nigro oculi, ab exulceratione ortus, muſcae capiti ſimilis. Ex μυῖα, muſca, et κεφαλή, caput. Ge. Ein Mückenauge. G. *Tete de Mouche.*

MYODES PLATYSMA, eſt muſculoſa expanſio, lata, a clauiculis ſternoque incipiens, in collo denſiſſima, muſculis ſubiectis tegendis et firmandis dicata: nam immediate ſub panniculo adipoſo decurrit. Vocatur etiam *Muſculus latiſſimus colli.* Ex μῦς, muſculus, εἶδος, forma, et πλατύς, latus. Ge. Der Hautmuskel des Halſes. G. *Platyſme myode.*

MYOLOGIA, eſt illa pars anatomes, quae tradit ſtructuram, ſitum, functionem omnium muſculorum totius corporis, ſiue haec deſcribendo, ſiue diſſecando et demonſtrando, fuerit occupata. Ex μῦς, muſculus, et λόγω, narro. Ge. Lehre von den Muskeln. G. *Myologie.*

MYOPIA, eſt viſus in rebus diſtantibus cernendis obſcuritas, vel abolitio, ſed tamen in propinquis perſpicacia, orta ob oculum anterius nimis globoſum, oculum nimis longum, vel quod lens cryſtallina ſit rotundior. Hinc radii lucis ab obiectis remotis emiſſi, ob refractiones per tres humores ſe ſecuerunt transuerſim, antequam in retina colligantur, cui medendo appropinquatio obiectorum, vel vitrorum concauorum applicatio, conuenit. Quoniam diſtantia viſionis diſtinctae apud homines, qui minuta obiecta, vt characteres, reſpiciunt, eſt circiter octo pollicum, eo maior eſt Myopia, quo pauciores ſunt pollices, ad quos Myops legere conſuevit, ita vt, ſi legat ad vnum pollicem, alter ad duos, prior

myops habeat visum breuiorem septem pollicibus, et sic deinceps. *Sauv.* Ex μῦς, mus, quia murium visum referunt, et ὤψ, oculus. Ge. Ein kurzes Gesicht, das nicht in die Länge oder Ferne sehen kan. G. *Myopie, la Vüe courte.* B. *Byzienigheid, Stikzienigheid.*

Myopiasis, vide *Myopia.*

Myops, est, qui Myopia laborat. Ge. Der ein kurzes Gesicht hat. G. *Qui a la Vüe baſſe.* A. *Short ſighted.* B. *Byziende, Stikziende.*

Myosotis, id est *Muris auricula*, dicitur sic ob foliorum formam. Ex μῦς, mus, et οὖς, auris. Hoc nomine vel denotatur *Echium paluſtre*, planta gymnotetrasperma asperifolia, (Pentandr. Monogyn.) vel *Ceraſtium Linn.* (Decandr. Pentagyn.) Haec planta habet caulem exiguum, lanuginosum, repentem. Folia sunt obrotunda, crassa, lanuginosa. Flores amoeni, lactei, quinque petalis in medio aliquo vsque vnica diuisura incisis et striatis compositi, quos foris ad basin totidem hirsuta viridantia foliola calycis sustinent, in medio vero stamina et stilus colore luteo. Floribus succedit capsula, siue fructus cornu bouino aemulus, vnilocularis, apice quinquedentato dehiscens, seminibusque foetus exiguis, plerumque subrotundis. Radix est alba, repens, fibrosa. Crescit haec planta in montibus. Planta gaudet viribus adstringentibus et refrigerantibus. Radix in fistula lacrymali prodesse dicitur. Rarius tamen in vsum adhibetur. G. Mausöhrlein. G. *Oreilles de ſouris.* A. *Common Mouſe-ear.* B. *Muizen oor.*

Myosvros, est paruula planta, quae habet folia graminea, Coronopi instar, sed non laciniata. Caules sunt parui, tenues, rotundi, aut cylindrici, nudi. Calyx quinquefolius, singulis foliis appendice instructis, deorsum tendente. Flosculi herbacei, staminibus praediti multis, (quorum numerus in hoc genere valde variat. Ill. *Linnaeus* ad Pentandr. Polygyn. refert) ex ambitu fundi ouarii, semina in receptaculo, vel spica longa, tenui, acuta, muris caudam referente. Radix annua, fibrosa. Haec planta habet saporem acrem, et qualitatem subadstringentem, hinc eius decoctum in laxitate alui et gargarismate commendatur. Ranae, quae tamen carniuorae sunt, hanc plantam adamare dicuntur. Crescit in pratis et inter segetes. Myosurus vocatur a μῦς, mus, et οὐρά, cauda, quasi cauda muris, quia spica huius plantae muris caudam refert. Ge. Mausschwanz. G. *Queue de ſouris.*

Myrach, Arabica vox est, et idem sonat, quod *Epigaſtrium.* Vide *Mirach.*

Myracopvm, est vnguentum lassitudinem auferens. Ex μύρον, vnguentum, et κάπος, labor. Ge. Salbe gegen die Müdigkeit. B. *Zalf, die de Vermoeitheid beneemt.*

Myrica, est *Tamariſcus:* sic dicitur ἀπὸ τοῦ μύρεσθαι, a lugendo, quod melancholicis profit, tristitiamque et luctum omnem, quae melancholiam comitari solent, pellat. Ge. Tamariskenstauden. G. *Tamariſc.* B. *Tamaris-boom.* Vide *Tamariſcus.* — Sed Ill. *Linnaeo Myrica* quoque vocatur alia arbor exotica, cui cum Pistacia summa affinitas est, floribus apetalis in aliis, et fructibus in aliis speciebus prouenientibus, (Dioec. Tetrandr.) cuius plures dantur species passim ab auctoribus sub nomine *Chamaeleagni, Myrti Brabanticae, Lauri Africanae, Gales* relatae. Pertinet quoque huc *Arbor cerifera Americana*, quae est *Myrica cerifera Linn.* — *Myrica humilis* est *Erica.*

Myringa, myrinx, est *Membrana Tympani.*

Myriophyllvm, est *Millefolium.* Ex μυρία, numerus infinitus, et φύλλον, folium. G. Tausendblatt, Schaafgarbe. B. *Duizend blad.*

Myristica nvx, i. q. *Moſchata Nux.*

Myrmecia, est verrucarum species. Sunt Thymo duriora, humilioraque, quae radices altius agunt, maioremque dolorem mouent, infra lata, absque petiolo, supra autem tenuia, minus autem sanguinis mittunt. Magnitudine vix vnquam lupini modum excedunt. Nascuntur in palmis, aut in inferioribus partibus pedum. A μύρμηξ, formica. Ge. Breite Warzen. B. *Breede Wratten.*

Myrobalani, proprie significant Glandes vnguentarias, ideoque procul omni dubio veteres medici aliud quid sub hoc nomine intellexerunt. Componitur enim vox ex μύρον, vnguentum, et βάλανος, glans. Quae nobis ex India Orientali adferuntur, Prunis exoticis annumerari debent, Veteribus Graecis incognitae, ab Arabibus primum inuentae, suntque *Chebulae, Citrinae, Belliricae, Indae, Emblicae. Chebulae* omnium maximae sunt, oblongae, intus nucleum continentes, externe colore fusco. Vocantur *Quebolia* et *Quebuli, Cepula, Chepulae*, maximae, oblongae, angulosae. *Citrinae*, externe sunt colore citrino, et teretes, oblongae et ventricosae, dicuntur luteae, flauae, citreae. G. Ξάνθαι. Arab. *Delegi azfar*, intus nucleum habent. Ipsius arbor folia instar Amygdali habet. *Belliricae*, s. *Bellericae*, etiam oblongae sunt, Cucurbitam referentes, eius arbor folia habet instar Lauri. Vocantur etiam *Belleregi, Bellilegi, Bellegu. Indae*, sunt oblongae et nigrae, prioribus minores. Folia habent instar Amygdali, vel, vt

alii volunt, Salicis. Fructus sunt octangulares. *Emblicae* rotundae quidem sunt, sed semper fere in frusta scissae. Folia habent tenuia, in modum fere Salicis. Appellantur *Emblegi, Imblegi, Ambegi, de Seni.* Omnes illae species secundum veteres Pruni sunt, et inter eas censeri debent, quamuis foliis, regione et fructuum figura, maturitate et magnitudine ab inuicem differant. Rectius tamen hodie cognitum est, quatuor quidem Myrobalanorum species eiusdem arboris fructus esse, et tantum ratione diuersi anni temporis, quo decerpuntur, a se differre: *Emblicas* vero *Myrobalanus* in arbore genere et specie diuersa nasci, quae est Nerticamaram *Rheed.* seu *Phyllanthus emblica* foliis pinnatis floriferis, caule arborea, fructu baccato *Linn.* (Monoec. Triandr.) Qualitatis omnes sunt austerae subadstringentis, et, vt vix forte recte creditur, eccoproticae. Hinc, citrinae praecipue, in diarrhoea commendantur. Datur pulvis ad drachmam dimidiam vel integram. Veteres quasdam compositiones adhuc ingrediuntur; ratior tamen hodie earum vsus, et in quibusdam pharmacopoeis plane proscriptus est. Indi hos fructus etiam ad vsum tinctorium adhibent. Ge. **Myrobalanen.** G. *Myrobolans.* B. *Welriekende Eekel.*

MYRON, i. q. *Vnguentum.*

MYROPOLA, est Vnguentarius, qui vnguenta vendit. Ex μύρον, vnguentum, et πωλέω, vendo. Ge. **Ein Salbenkrämer.** G. *Vendeur d'onguents.* A. *A Salveseller.* B. *Een Zalf-Verkooper.*

MYRRHA, est Resina gummea cuiusdam arboris exoticae, vix satis hucusque cognitae, bacciferae, incolis Pola dictae, quae, cortice vulnerato, Myrrham profundit, partim in substratas tegetes destillantem, partim circa caudicem concrescentem. Plurima affertur ex Arabia, tum etiam ex regione Alexim, quae Aethiopia est, et ex regione Troglodytarum Africae. Debet esse friabilis, leuis, vndiquaque concolor, minutis glebis, amara, acris, odorata, et fere graueolens, e rubro fusca, et quae confracta, venas vnguium modo candidas et leves ostendat, nec aliis peregrinis gummatibus intermixta sit, quae proprie *Myrrha electa* et succus primum exstillans *Stacte* dicitur. Haec maximam partem in menstruis aquosis et spirituosis soluitur, ita tamen, vt menstrua spirituosa omnes fere vires extrahant, quae sunt balsamicae, tonicae, anthelminthicae, antiputredinosae, stomachicae et emmenagogae. Plures antiquas compositiones ingreditur, rariorque hodie internus, magis frequens externus in vulneribus vsus est. Prostat in officinis tinctura, extractum aquosum, quod egregium antiscepticum est, oleum per deliquium in ouis ad duritiem coctis factum, et interdum oleum destillatum aethereum, ponderosum adeo, vt in aqua fundum petat. Antefertur *Myrrha Troglodytica*, colore pallescens, seu subviridis, splendens ac mordax. Inutilis est, ponderosa, et coloris picei, seu nigra. Gr. Σμύρνα. Ge. **Myrrhen.** G. A. B. *Myrrhe.*

MYRRHIS, est planta, ab aliis ad Athamantas, vel ad Sia, vel ad Chaerophylla, relata, *Scandix odorata Linn.* cuius caulis altus, ramosus, villosus, intus excauatus: folia sunt magna, ampla, striata, cicutam aquaticam referentia, sed magis albescentia, et saepe maculis albis notata, mollia, parum villosa, coloris et odoris Chaerophylli, et saporis Anisi. Flos rosaceus, et vmbellatus, (Pentandr Dygyn.) plurimis scilicet petalis constans inaequalibus, bifidis, in orbem positis, et calyci insidentibus; qui abit in fructum, ex duobus seminibus compositum, oblongis, plerumque striatis, saepe laeuibus, aliquando hirsutis, rostri auium aemulis, quae licet hirsuta, semper sunt striis excauata, nigricantia, gratum gustum Anisi praebentia. Radix longa, crassa, alba, mollis, fungosa, aromatica, qualitatis tamen suspectae, licet ei virtutes bechicae et antinephriticae a quibusdam tribuantur. Dicitur et *Cicutaria*, quod Cicutae similis sit. An nomen a Myrrha, propter odorem, qui tamen non convenit, habeat, non auderem affirmare. An a μύρον, vnguentum suaueolens. Ge. **Welscher Körbel.** G. *Cerfeuil musqué.* A. *Sweet Cecily.* B. *Welriekende Kervel.*

MYRTIFORMIS, ab *Heistero*, aliisque auctoribus, recensetur inter musculos, qui nasi alas dilatant. Oritur scilicet ab osse maxillari superiori prope marginem inferiorem orbitae, et oblique adscendendo cartilagini nasi inseritur. Ge. **Der Myrthenförmige Muskel der Nase.** G. *Le Muscle Myrtiforme.*

MYRTIFORMES CARVNCVLAE, vide *Caruncvlae myrtiformes.*

MYRTILLVS, vide *Vaccinium.*

MYRTILLVS, *Pharm.* vide *Vaccinium.*

MYRTOCHEILIDES, dicuntur extremae pudendi muliebris margines carnosae, quae quoque *Alae* appellantur.

MYRTVM, vide *Caruncvlae myrtiformes.*

MYRTVS et MVRTVS, est arbuscula semper virens et odora, quae habet caulem ramosum, flexilem. Folia Buxi sunt, sed minora, acutiora, polita, splendentia, odoris grati. Flores ex foliorum alis crescentes, singuli quinque folia in

vmbellam desinentia habentes, albi, odorati, et calycem incisum continentes. (Icosandr. Monogyn.) Calyx postea fit bacca oualis, aut oblonga, coronam habens. Haec bacca est viridis, post maturitatem nigra, succulenta, polita, habens semina dura, albescentia, compacta, saporis adstringentis. Haec arbuscula crescit in regionibus calidis. Species apud nos maxime frequens est Myrtus italica communis *Bauh. Myrtus communis* floribus solitariis, inuolucro diphyllo *Linn.* Qualitatis est aromaticae, fragrantis, viribusque calefacientibus et subadstringentibus pollet; hinc decoctum in variis sanguinis et seri profluuiis commendatur. Gr. Μυρτον, et Μυρσίνη, a Myrsine Athenienſi puella, pulchritudine et robore insigni; quae, amica Palladi, in hanc arborem, occisa, conuersa fuit. At quibusdam sic dicta, propter aemulam Myrrhae quandam odoris gratiam, quae in baccis recentibus obseruatur. Ge. Myrtenbaum. G. *Myrte* A. *Myrtle-Tree.* B. *Myrten-boom.*

MYRTVS BRABANTICA, vide *Myrica.*

MYSTAX, est labium superius, eiusque primi pili in lateribus excrescentes. A μασάομαι, mando. Ge. Der Knebelbart. G. *La Mouſtache.* A. *Whiskers on the upperlip.* B. *Knevel.*

MYSTRVM MAGNVM, est antiquorum mensura, continens tres vncias, et octo scrupulos vini, et olei tres vncias.

MYSTRVM PARVVM, est mensura antiquorum, continens viginti scrupulos vini, vel sex drachmas olei.

MYVRVS, est *Pulsus* decurtatus, aut mutilus, inaequalis magnitudinis, scilicet sensim decrescens, vel accrescens, instar caudae muris. Ex μῦς, mus, vel μοῖρα, pars diuisa, et οὐρὰ, cauda.

MYXA, est mucus, siue humor pituitosus, ex cauernis, vel sinubus frontalibus, maxillae superioris, ossis sphenoidis, et conuolutionibus osticulorum spongiosorum membrana glandulosa inuestitis ad nares descendens. Ge. Rotz, Schleim. G. *Morve, Pituite.* A. *Snevel.* B. *Snot.*

MYXA, MYXARIA, vide *Sebesten.*

MYXOSARCOMA, tumor est in scroto, apud M. A. *Severinum* descriptus, interne partim carneus, partim ex mucosa pituita concretus, qui ex loco, vbi nascitur, proxime ad sarcocelen referri posse videtur.

Nos IOSEPHVS Secundus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniae et Hierosolymarum Rex, Corregens, et Haeres Regnorum Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, et Lotharingiae, Magnus Dux Hetruriae, Magnus Princeps Transylvaniae, Dux Mediolani, Barri, etc. Comes Habspurgi, Flandriae, et Tyrolis, etc. etc.

Agnoscimus et notum facimus tenore praesentium universis, quod cum Nobis Noster, Sacrique Imperii fidelis dilectus Engelhardus Benjamin Schwikert, Bibliopola Lipsiensis, humillime exponi curarit, quem in modum Stephani Blancardi Lexicon medicum tripertitum, auctum, et emendatum prelo committere resoluerit, vereatur autem, ne aemulorum invidia hanc editionem imitantium, impendii et laboris sui fructu frustretur, ideoque Nobis humillime supplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Nostro Caesareo succurrere clementissime dignaremur, Nos submissae pariter ac aequae ejus petitioni annuendum censuerimus; Ac proinde authoritate Nostra Caesarea omnibus et singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, et aliis, quibuscunque rem librariam, seu negotiationem, exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus, et interdicimus, ne quis supra nominatum Stephani Blancardi Lexicon medicum tripertitum, sub hoc aliove titulo, aut hac aliave forma, seu, ut ajunt, formato, nec in toto, nec in parte, per decem annorum spatium ab hodierno die computandum, intra Sac. Rom. Imperii fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorsumve impressum apportare, vendere, vel distrahere, citra praefati impetrantis, ejusdemque haeredum et successorum voluntatem et assensum, in scriptis obtentum, ausit, vel praesumat; si quis vero secus faciendo Privilegium hoc Nostrum, seu Interdictum, violare, contemnereque praesumpserit, eum non solum ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis, (quae dictus Engelhardus Benjamin Schwickert, sive propria authoritate, sive Magistratus illius loci auxilio, sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed et sex Marcarum auri puri poena Aerario, seu fisco Nostro Caesa-

reo, et parti laesae ex aequo pendenda, omni spe veniae sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, et consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus et singulis Nostris, et Sacri Romani Imperii subditis, et fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quam saeculatibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, praesertim vero iis, qui in Magistratu existentes, vel suo, vel superiorum suorum, loco, aut nomine, Ius, Iustitiamque administrant, ne quempiam Privilegium hoc Nostrum Caesareum impune violare, spernere, aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta a Nobis mulcta eos puniri, et quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus et ipsi gravissimam Nostram indignationem praedictamque poenam evitare volverint. Harum testimonio litterarum, manu Nostra subscriptarum, et Sigilli Nostri Caesarei appressione munitarum, quae dabantur Viennae die decima quarta Septembris anno millesimo septingentesimo septuagesimo tertio, Regni Nostri decimo.

JOSEPHUS *mppr.*

(L. S.)

Vt R. Princeps Colloredo *mppr.*

Ad Mandatum Sac. Caes. Majestatis proprium.

Andreas Nobilis de Stock *mppr.*